SC.19pl.u.

37
S D
20

MAG 3245

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. F. JOSEPH-MARIÆ PERRIMEZZI

EX ORDINE MINIMORUM

S. FRANCISCI DE PAULA

ARCHIEPISCOPI BOSTRENSIS

SS. D. N. Prælati Domeſtici & Pontificio Solio Epiſcopi Aſſiſtentis, Epiſcoporum in Urbe Examinatoris, & Congreg. Examinis pariter Epiſcoporum a Secretis, ac Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Conſultoris.

IN SACRAM

DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ

HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ,

PARS SEXSTA.

Ad Eminentiſſimum & Reverendiſſimum

PRINCIPEM

JOSEPHUM FIRRAO

S. R. E. CARD. AMPLISS., ET SS. D. N. CLEMENTIS XII. NEGOCIORUM STATUS A SECRETIS.

ROMÆ, MDCCXXXV.

Ex Typographia Joannis Baptiſtæ a Caporalibus.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Ad Eminentiſſimum & Reverendiſſimum

PRINCIPEM

JOSEPHUM FIRRAO

S. R. E. CARD. AMPLISS., ET SS. D. N. CLEMENTIS XII. NEGOCIORUM STATUS A SECRETIS.

AUCTOR

VERERER equidem, *Princeps Eminentiſſime*, ne tuam incurrerem indignationem, ſi hanc Sexſtam mearum in re theologica Diſſertationum partem Tibi nuncupans, vellem, ut de more ſit, panegyrim pro epiſtola contexere, eanque nomini tuo inſcribere, ut in lapidibus ſæpe accidit, qui pro hoc ſolo Patronis a Clientibus ut plurimum dedicantur. Et eo magis accideret hoc mihi, ſi laudes tuas enumerans, ab illis ſumerem exordium, quæ a Gentis claritate, a domi opulentia, a Majorum principatu, quod quoque in uſu venit, provenirent. Altius quoque periculum mihi fieret, ſi ad labores tuos pro Apoſtolica Sede, ad ſtudia in muneribus obeundis, ad virtutes, quibus vitam, & regimen tot annorum compoſuiſti, deſcendens, Te ipſum Tibi commemorarem, non qualem Tu feciſti, aptum ſcilicet ſolummodo ad merendum, ſed qualem vox publica prædicavit, idoneum quoque videlicet ad obtinendum.

Quum enim nobis ſatis ſuperque conſtet, quantum tuas, tuorumque laudes, Tu horreas, inviſum profecto me redderem Tibi, ſi in Operis fronte facerem, ut primo intuitu invenires, quæ potius ad libri tenderent adverſionem, quam commendationem. Quod ſane contra regulas eſſet Rhetorum, quibus docemur, maxime benevolentiam demerendam eſſe illorum, qui legunt, & præcipue illorum, qui legunt, ut protegant, atque defendant. Nec res bene cederet unquam illis, qui placere potius cupiunt, quando offerunt munera, quam vel tædio, vel moleſtia, vel ſaltem mærore, afficere illos, quos urbanitate magis, amore, ac veneratione, proſequuntur. Res ergo omnino eſſet exſtra aleam Tecum agere, ut fere fit cum cæteris; ac proinde aliam ingredi viam præſtaret mihi, ut animi tui ſententiam obtinerem.

Attamen quia hæc ipſa eſt, ſive illorum, qui ſcribunt, & opera ſua aliis dicant, ſive illorum, quibus eadem nuncupantur, generalis quidem & ab omnibus recepta conſuetudo; iccirco Te hoc primo loco rogamus, *Cardinalis ampliſſime*, ut patienter feras laudes, non quas Tibi damus, ſed quas reddimus; & quidem reddimus, quia Tu illas vel nativitate accepiſti, vel obtinuiſti moribus, laboribus, ac operibus æque tuis. Injuſtum quippe putare debes, quod tanta ſit Tuæ modeſtiæ vis, ut veritati inferat detrimentum; ac omnino a Te alienum credere pergas, ut humilitas tua in Te ſit dedecoris, in aliis autem cauſſa ſit injuſtitiæ. Si enim virtutes mutuo ſibi tradunt manus, nequit profecto virtus eſſe, vel dici illa, quæ virtutes alias non amplectitur, immo potius rejicit, atque peſſundat.

Quæ quum ita ſint, fidenter quidem aſſerere non hæſito, Gentem tuam in Neapolitano Regno ſub nomine Filiorum Rahonis, unde *Firrao*, ſeculo duodecimo a Nativitate Chriſti, apparuiſſe. Raho autem fuit Baſilii Imperatoris ſtrenuus Dux, qui inferiores Regni provincias ſub Conſtantinopolitani Imperii fide retinens, eas a Nortmannorum incurſionibus defendebat. Hinc poſterioribus ſeculis claruerunt Rugerius, aliique dicti de filiis Rahonis,

nis, qui inter Regni Feudatarios, ut dicunt, adnumerabantur. Temporibus vero ſubſequentibus iidem, qui erant de Rahonis filiis, dicti ſunt de Conſentia; quapropter legimus Henricum de Conſentia Franciæ Mareſchallum, Gentilem de Conſentia, & Gotphredum pariter de Conſentia, qui contra Carolum Andegavenſem Manfredi partes ſequebantur. Seculo vero decimoquarto eoſdem, & de Conſentia, & de filiis Rahonis, appellatos invenimus; unde legimus Gotphredum de Conſentia, filium quondam Rahonis de filiis Rahonis, qui pluribus prope Conſentam Pagis dominabatur. Seculo pariter decimo quinto fuerunt Hugo, & Julius, ambo Rhodienſes Equites, & Antoninus Sanctæ Agathæ, Sanctiſoſti, & Mattafellonis Baro; quibus deinde ſubſequentibus annis ipſorum Poſteri, & Majores Tui, dominati ſunt, ac ad præſens, principatus titulis ornati, dominantur.

Quid igitur mirum, ſi quæ primæ ſunt inter Regni familias, cum tua Matrimoniis conjunctæ non ſemel apparuerunt, & quidem utroque unionis nexu, & a tua recipientes Conjuges ornatiſſimas, & tuæ pariter dantes? Capyciorum, Pandonum, Saracenorum, Siriſalium, Denticum, Caraphæorum, Caracciolorum, Stegmata cum Tuo adeo lætanter uniuntur, ut plurium harum non ſimplex, aut duplex, fuerit nuptiarum nexus, ſed multiplex, quum Caraphæis præcipue triplici quidem nodo conjuncti ſint. Patribus quoque tuis debentur oppida alia quamplura, quorum dominium Familiæ accrevit, & tituli illuſtriores acceſſere; itaut Domi ſplendor Sedilium inſuper Neapolitanorum tecta pervaſerit, & ille, qui Portus appellatur, Propinquos tuos in ſe recepiſſe glorietur.

At ſi multa Princeps optimus, germanus tuus, præclare geſſit in familiæ decorem, non pauca quoque fuerunt, quæ Tu feciſti, *Princeps Eminentiſſime*, in domi amplitudinem, in Patriæ gloriam, in Eccleſiæ denique majeſtatem. Si regimina intuemur eccleſiaſticæ Ditionis, quæ extra Urbem tractaſti, laudibus Te juſtis proſequuntur Urbes & Provinciæ, quibus præfuiſti plu-

ribus

ribus quidem annis, prope a juventute tua, quando nimirum Eccleſiæ ſervitio Te infaticabiliter dedicaſti. Laudant Civitates Lauretana, Anconitana, & Centumcellarum, quæ Te Gubernatorem habuiſſe gloriantur; laudat Urbini Ditio, ubi vices a Latere Legati geſſiſti, & Provinciæ Umbriæ, ac Sancti Petri patrimonii, quæ Te integerrimum habuiſſe moderatorem prædicant; Laudat Anconitana provincia, in qua Apoſtolici Viſitatoris partes gerens, munus quidem arduum, magna Tui nominis commendatione, ſupra invidiam implevisti. In Urbe vero laudant Congregatio, quæ dicitur Sacræ Conſultationis, & Signaturæ Gratiæ Tribunal, quarum prima Ponentem, ut ajunt, altera vero Votantem per aliquot annos ſe habuiſſe, non ſine admiratione & gaudio recordantur.

Apoſtolici deinde principatus Legationes gerens, primum Luſitaniæ Regnum extra ordinem Nuncium Te recepit; quando ſcilicet ad regiam Prolem ſalutandam eique benedictas Faſces adferendum *Clemens Undecimus* Te demandavit. Poſtmodum Pontifice eodem, vere Sanctiſſimo ac doctiſſimo diſponente, Helvetiæ Reſpublica ordinarium Nuncium Te habuit, ubi deſiderium Tui adeo vividum reliquiſti, ut etiamnum prudentiæ, probitatis, ad doctrinæ tuæ Populi cuncti, qui intra fines illos continentur, tam qui ſunt a Romana Eccleſia extorres, quam qui eidem arctiſſime devinciuntur, omni tempore recordentur. Poſtremo præfatum Luſitaniæ Regnum ordinarium Nuncium ita Te ſuſpexit, ut non poſt multum temporis Te amiſiſſe triſtaretur; quando ſcilicet Urbs Sancta ad ſe Te remeaſſe gaviſa eſt, eaque lætitiæ acceſſione ac honoris tui incremento, ut & Atellæ Epiſcopum & Romanæ Eccleſiæ Cardinalem ampliſſimum Te receperit. Dignam ſane abſentiæ tuæ uſuram, qua poſt tot annorum labores, poſt dilatam capiti tuo coronam, poſt pluries viſam, at ſemper ſuſpenſam certaminis tui lauream, denique Te Purpura redimitum jucundiſſime aſpexit.

Qui fuerint Urbis plauſus, quæ Eccleſiæ gratulationes, quæ denique proborum omnium, doctorumque hominum

minum exultationes, Tu ſolus, *Princeps Eminentiſſime*, non agnoviſti; nam humilitatis tuæ ſub velamine ita mentem habebas, ut quemadmodum eam a meritorum tuorum cognitione retrahebas, ita pariter eidem præmiorum tuorum juſtitiam occultare omni modo procurabas. Attamen non proinde factum venit, ut cuncti homines, qui ſunt æqui æſtimatores, adeo virtutem tuam non aſſequerentur, ut diſſimulationem illam, qua ab ea Te avertebas, non penetrarent, ac omni encomio non comendarent.

Tandem a Sanctiſimo D. N. CLEMENTE XII. juſtiſſimo præmiorum diſtributore, ac ſapientiſſimo Miniſtrorum adlectore, a quo æquitas tua, dexſteritas, fidelitas, ac in rebus agendis exſperientia, ſatis ſuperque in arduis quoque rebus cognitæ fuerant, ad Negociorum Status pro tota pontificia ditione, ac pro tota chriſtiana Republica, adminiſtrationem evocatus, ita arduiſſimum unus omni ex parte comples, ut populorum commendat laus, & Principis comprobat acceptatio. Adeo enim in rebus plane imperviis, temporibus quoque difficillimis, Te prudentiſſime geris, ut nemini prorſus partium ſtudii ſuſpicionem ingeras, quin potius cunctis indifferentem Te eſſe contendas, & æqualem pariter ſingulis probare amorem. In primis vero Creatori ac Benefactori tuo manifeſtas fidelitatem, gratitudinem, ac obedientiam, adeo exacte, ut nihil plane diſponas niſi ipſomet probante, atque acceptante.

Has vero omnes præſtantiſſimas dotes etſi longo rerum agendarum uſu acquiſieris, a Majoribus tamen quoque tuis, pietatem precipue, prudentiam, ac fidelitatem, exemplo pariter didiciſti. Norunt profecto Conterranei noſtri omnes Religionem illorum, qui Te domi præceſſerunt, ſive in ſacrarum ædium conſtructione, ſive in charitate erga omnes, qui Dei laudibus ſe manciparunt; Norunt prudentiam, ſive in ſubditorum regimine, ſive in publicis muneribus explendis; Norunt fidelitatem, quam Regibus omni tempore exhibuerunt. Unde non mirum, ſi ea ſedulitate virtutes

haſce

haſce exercere contendas, ut plane oſtendas & Te lacte ſuxiſſe, quæ facis, & ſtudio, ac labore diuturno exercuiſſe, quæ modo laudabiliter operaris.

Quantum vero ex me eſt, ea Tibi offero, *Princeps Eminentiſſime*, quæ Tu ita poſſides, ut de iiſdem judicium quidem ferre ſupra cæteros omnes ominino valeas. Quis enim Te novit, quis Te audivit, & non illico affirmavit, rem theologicam adeo a Te mirifice poſſideri, ut in illa poſſis jure merito Magiſtri laude gloriari? Novimus nos, atque præter omnem aſſentationem, uti ſupra invidiam omnem, teſtamur, operis noſtri ideam adeo Tibi probatam fuiſſe, ut nobis quoque eandem inſpirare, ſuggerere, atque inſuper commendare dignatus fueris. Hinc eſt, quod exstra rem judicamus prolixis precibus a te poſcere, ut illa protegas, quæ Tu probaſti; atque ut illa auctoritatis ac ſapientiæ tuæ elypeo contegas, quæ tua quoque poſſint, acceptationis tuæ jure ſaltem, appellari. Solum ergo à Te, *Cardinalis ſapientiſſime*, humillime ac inſtantiſſime rogo, ut cum opere hoc meo me quoque pergas benevolentiæ tuæ gratia honeſtare; quod erit procul dubio acceptationis tuæ latiſſimum ac omni ex parte firmiſſimum argumentum.

LE-

LEGENTIBUS
PROLOQUIUM.

REM Sacramentariam in hoc ſexto noſtrarum Diſſertationum volumine Vobis legere proponimus; eamque pariter methodo, ordine, ac ſtylo iiſdem, quibus a Nobis exarata præcedentia obtulimus; unde non dubiam concipimus quoque ſpem, ut quemadmodum illa non improbare dignati eſtis, nec etiam hoc præſens in animum injiciatis, ut non probetis.

Et hoc vel eo magis ſperamus, quod quum res, de qua agitur, ſit non ſolum ad mentem erudiendam, verum ad componendos quoque mores aptiſſima, eadem profecto exigere videtur a Vobis majus in legendo ſtudium, & intenſiorem pariter in acceptando benignitatem. Quis enim credat, Vos, qui docti & eruditi, qui pii & religioſi, qui prudentes & modeſti eſtis, non probaturos laborem hunc, quem ſcitis nos poſt Dei gloriam ad profectum quoque Legentium, & ad ipſorum utilitatem ordinaſſe, & ut quam aſſequeremur, nec ſollicitudini, nec tempori, nec impenſis, peperciſſe?

Præter illa, quibus in præcedenti volumine, quod fuit quintum, reſponſiones dedimus, vel ſaltem dare velle oſtendimus, etſi opportunas & ad rem proprie non dederimus, non alia nunciata ſunt nobis, quæ fortaſſis fuerint contra Diſſertationes haſce oppòſita. Nullam proinde hac in præfatione apologiam contexere nobis eſt animus, & ſolummodo rogare vos intendimus, ut ſi quæ audietis aliquando nobis opponi, tam de Diſſertationibus, quæ in hoc, quam de illis, quæ in præcedentibus voluminibus continentur, velitis nobis pàcato quidem animo, ac amanti quoque indicare; ut vel noſtros fateamur errores, eoſque pariter retractemus, vel aliorum cogamur animadverſiones detergere, ac conſueta reſpondendi moderatione propulſare.

Excellentia igitur rerum, quæ tractantur in hoc libro, utilitas magna, ac etiam delectatio non exigua, ſibi arripiunt tempus, quod in reſponſionibus præfatis terere, ſi fuiſſent aliæ nobis objectiones miſſæ, debuiſſemus. Hæc autem excellentia ea eſt, qua major, in noſtra chriſtiana Religione haberi ſane non poteſt. Sacramenta enim ſunt opera Chriſti Domini, qui eſt noſtræ Religionis Auctor; & ea profecto, ſuper naturalis ordinis, ad quem divinus Inſtitutor elevavit, ut nobis per ipſa gratiæ ſuæ theſauros erogaret. In iiſdem proinde operatus eſt ut verus Deus, & ut verus homo; ea videlicet inſtituens, quæ nonniſi Deus inſtituere potuiſſet, & modo illo nobis eadem exhibens, quo nobis offerre non voluiſſet niſi ut homo pariter, & ut Deus. Hinc Sacramenta ſunt inſigniora fidei noſtræ ornamenta, validiora animarum noſtrarum fulcra, & præſtantiora Religionis noſtræ præſidia, quæ quidem nec in moſayca lege fuerunt, uti ſunt in noſtra, nec in ſuperſtitionibus Sectarum potuerunt unquam eſſe, quarum erat inſtitutum fabulas, non myſteria proferre, & colentes illas ab omni veritate elongare, ac per ſola mendacia manuducere.

Nos vero Catholici ultra hæc illam quoque ex ipſis percipimus utilitatem, ut ſine Sacramentis, nec potuiſſemus unquam vitam accipere, nec modo poſſimus ad vitæ gloriam adſpirare. Homo lapſus quid enim fuiſſet ſine Sacramentis in Eccleſia a Chriſto Domino inſtitutis? Nec potuiſſet ſane ab originali morte reſurgere; nec contra actuales morbos, qui mortales ſunt quoque, ſe

reparare; nec ab inimicis quibuſque contra nos & animas noſtras implacabiliter pugnantibus ſe defendere. Omni igitur ex parte providit Deus ut æterna hominum ſalus congruis adjumentis, quæ ſunt Sacramenta, proponeretur Nobis, & a nobis neceſſariis etiam auxiliis, quæ per Sacramenta habentur, acquireretur.

Nihil autem præſtantius eſt admirabili illa operandi virtute, qua uſus eſt Chriſtus, dum Sacramenta inſtitueret. Rebus enim inanibus & ſenſibilibus vim præſtitit, ut ſpirituales operarentur affectus, quos nulla Creatura poterat totis adhibitis naturalibus viribus ex ſe ipſa operari. Verbis vero eam præbuit operandi efficaciam, ut ſi conjucta fuerint cum Miniſtrantium voluntate, effectum ſuum omnino ſortirentur. Et quanvis Miniſtrorum intentio ſit pars neceſſario requiſita ad Sacramenti valorem, illam tamen ſapientiſſimus Auctor ita direxit, ut nec debeat magna cum difficultate comparari, nec ſi aliquando abfuerit, impoſſibile ſit, ut suppleatur.

Unde omni ex parte ita comperimus, Salvatorem noſtrum Mortalium indigentiæ occurriſſe, ut & a benificentia ipſius poſſimus quovis tempore adjumenta accipere; nec ex aliis, quam ex Nobis ſolummodo ſit, ſi eadem aliquando non habeamus.

Argumentum vero nobis luculentiſſimum eſt quidem ac validiſſimum Sacramentorum præſtantiæ & eorundem utilitatis, Hæreticorum fere omnium conatus & quidem fortis atque implacabilis, ut ea vel de medio tollerent, vel ab Eccleſia deturbarent, vel fallaciis, mendacii, ac ſuperſtitionibus ſuis fœdarent. Quod quidem in operis hujuſce decurſu obſervabitis, ubi Heterodoxorum errores, contra ſingulas Sacramentorum veritates adducemus ſimul, & confutabimus, ut ſemper catholica Doctrina dignior in Eccleſia conſtet, & ab omni detecta falſitate catholice ſentientibus proponatur.

Quod ſi ad mentem acceſſerit, & voto reſponderit, vos omnes impenſe rogamus, ut Deo optimo maximo, bonorum omnium Largitori, gratias reddatis; ſi quid vero offenderitis, quod rectæ fidei non ſit conforme, obſecramus inſuper ut pro non dicto habeatis. Nos enim ſincero animo, catholica mente, corde firmiſſimo teſtamur, non alia ſcribere voluiſſe, quam quæ Fidei Canonibus. Eccleſiæ legibus, ac Catholicorum omnium conſenſioni conſona ſunt atque conformia. Denique, Legentes dilectiſſimi ac ornatiſſimi, Deum quoque exorare dignemini, ut nobis dignetur vivendi tempus protendere, atque ſalutem conſervare; & hoc pacto, quæ remanent volumina ad complendum opus, ſubſequentibus annis, divina opitulante gratia, perficiemus. Valete.

IN-

INDEX DISSERTATIONUM.

Diſſertatio CCCI.

DE Sacramenti nomine. An uſurpandum ſit in Eccleſia, ac retinendum? An recte a Catholicis adhibeatur? An ab Hæreticis injuſte rejiciatur? An ab iiſdem male uſurpetur? fol. 1

Diſſertatio CCCII.

De eſſentia Sacramenti. An bene explicetur ab Hæreticis per hoc, quod ipſum definiunt, eſſe ſigillum divinæ promiſſionis? An per hoc, quod dicant, eſſe ſignum noſtræ pietatis in Deum? An per hoc, quod aſſerant, eſſe ſignum diſtinctivum Chriſtianorum a Judæis, atque Paganis? An per hoc, quod velint, eſſe ſymbolum quoddam chriſtianæ ſocietatis? An denique per hoc, quod contendunt, eſſe ſignum quoddam bonorum operum, & vitæ, ac morum ſpiritualium? 6

Diſſertatio CCCIII.

De eſſentia Sacramenti ſecundum Catholicos, ejuſque definitione. Num Sacramentum ſit proprie definibile? Quænam ſit eſſentialis metaphyſica Sacramenti definitio? Utrum omnia Sacramenta univoce conveniant, & quænam ſit ratio, in qua eſt univoca convenientia? 10

Diſſertatio CCCIV.

De Sacramento prout eſt ſignum. An ſit ſignum practicum, vel ſpeculativum tantum? An debeat eſſe ſignum ſenſibile? An ſignum ad placitum Dei? An ſignum permanenter inſtitutum, & quam rem debeat eſſentialiter ſignificare? 18

Diſſertatio CCCV.

De exiſtentia Sacramentorum. An in ſtatu naturæ innocentis aliqua fuerint Sacramenta? An fuiſſent, ſi ſtatus ille perduraſſet? Num fuerint in ſtatu legis naturæ? Num in ſtatu legis ſcriptæ. Et an fuerint Judæis, cæteriſque nationibus neceſſaria, & quandiu ipſorum neceſſitas perduraverit? 24

Diſſertatio CCCVI.

De Sacramentis novæ legis. An in lege evangelica vera ſint Sacramenta? Sacramentorum veteris & novæ legis quænam ſint præcipua diverſitatum capita? Quinam ſit germanus ſenſus, quo aliqua a Patribus Sacramenta dicuntur? Et an novorum Sacramentorum numerus ſit ſeptenarius? 34

Diſſertatio CCCVII.

De cauſſis intrinſecis Sacramentorum; hoc eſt de materia, & forma. Hæ voces quo tempore in re ſacramentaria uſurpari cœperint? Num in omnibus novæ Legis Sacramentis materia, & forma inveniantur? Quæ ſimultas ipſarum ſit neceſſaria? Determinatio earundem a quo fuerit facta? Et quænam ipſis mutatio obſtet? 44

Diſſertatio CCCVIII.

De materia & forma Sacramentorum in genere. An materia dubia ſit ſufficiens ad validitatem Sacramentorum? An ſit licita in caſu neceſſitatis? An verba in formis Sacramentorum debeant eſſe promiſſoria, vel concionatoria, vel conſecratoria? An poſſint eſſe conditionalia? 54

Diſſertatio CCCIX.

De Sacramentorum novæ legis Authore. An fuerit ſolus Chriſtus? An Sacramenta omnia immediate etiam inſtituerit? An ut homo, vel ut Deus? An hoc ſit de fide? Et num potuerit Deus alicui Sacramenta inſtituendi poteſtatem conferre? 61

Diſſertatio CCCX.

De Miniſtro Sacramentorum. An Sacramentorum miniſter active concurrat ad gratiam ſanctificante? Qui de facto ſint, & qui de poſſibili poſſint eſſe Sacramentorum Miniſtri? An ſoli homines viatores ſint ordinarii Miniſtri Sacramentorum? 69

Diſſertatio CCCXI.

De intentione Miniſtri in Sacramentis. An, & quæ intentio Miniſtri ſit neceſſaria, ut Sacramenta valide conficiantur? Qui ſint Hæreticorum errores circa Miniſtri intentionem? Quæ ſint Scholaſticorum placita circa eandem? An ſufficiat intentio ficta, & ſimulata? An requiratur, ut Miniſter intendat facere, vel effectum Sacramenti, vel ritum Eccleſiæ formaliter.

ter, ut Sacramentum eſt, vel facere quod facit Eccleſia Catholico Romana? 76

Diſſertatio CCCXII.

De intentione Miniſtri in Sacramentis. An ſit pars intrinſeca conſtitutiva Sacramenti, vel ne? Num ſufficiat intentio conditionalis, aut requiratur abſoluta? Et an intentio Miniſtri eſſe debeat determinata circa perſona, atque materiam? 97

Diſſertatio CCCXIII.

De fide in Miniſtris Sacramentorum. Quiſnam primus aſſeruerit requiri fidem in Miniſtro, ut valide ob eo Sacramenta conficiantur, & conferantur? De Donatiſtis, eorundemque Authore, & de ipſorum erroribus. De ſancto Stephano Papa; & an contra Rebaptizantium errores recte ſe geſſerit? 103

Diſſertatio CCCXIV.

De fide in Miniſtro Sacramentorum. An ſit neceſſaria fides in Miniſtro, ut Sacramenta valide conficiat? Quodnam fuerit concilium plenarium, in quo fuit Donatiſtarum Hæreſis proſcripta, atque damnata? Quiſnam fuerit Donatiſtorum progreſſus, & interitus? 118.

Diſſertatio CCCXV.

De Sanctitate in Miniſtro Sacramentorum. An in Miniſtro Sacramentorum ſit neceſſaria ſanctitas, ut valide Sacramenta conficiat. An ſit neceſſaria, ut conficiat licite? An liceat aliis Sacramenta petere, & accipere a Miniſtris, qui ſancti non ſunt, immo potius ſunt peccatores? 130

Diſſertatio CCCXVI.

De ſubjecto Sacramentorum. Quodnam & quale ſit Sacramentorum Subjectum? An, & quæ in ipſo requiratur intentio, ut Sacramento ſuſcipiat? Quæ neceſſariæ ſint diſpoſitiones, & ut valide, & ut licite, & ut cum fructu & utiliter Sacramenta percipiat? 147

Diſſertatio CCCXVII.

De principaliori Sacramentorum effectu, qui eſt Gratia. An Sacramenta novæ legis vere producant gratiam? An producant principaliter? An producant inſtrumentaliter? 159

Diſſertatio CCCXVIII.

De principaliori Sacramentorum effectum qui eſt Gratia. An Sacramenta novæ legis conferant gratiam ex opere operato?; & an eandem producant phyſice, vel moraliter? 171

Diſſertatio CCCXIX.

De principaliori Sacramentorum effectu, qui eſt Gratia. An Sacramento mortuorum poſſint per accidens cauſare ſecundam gratiam, & Sacramenta vivorum primam? Gratia Sacramentalis in quo conſiſtat, & quomodo a gratia habituali differat. Gratia habitualis an ſit qualitas phyſica, quæ ſit accidens prædicamentale in Peripateticorum hypotheſi? 189

Diſſertatio CCCXX.

De principaliori Sacramentorum effectu, qui eſt gratia. Utrum æqualis gratia omnibus Sacramenta ſuſcipientibus cōferatur. An detur Sacramentum validum & informe? An admittenda ſit Sacramentorum reviviſcentia?; & an omnibus Sacramentis ſit commune, recedente fictione, conferre gratiam? 197

Diſſertatio CCCXXI.

De altero Sacramentorum effectu, qui eſt character. De Hæreticorum erroribus circa characterem. De veterum Scholaſticorum opinionibus circa ejuſdem exiſtentiam & explicationem, & an Hæreticorum erroribus faveant? De recentium Scholaſticorum opinionibus circa ejuſdem eſſentiam: & quid ſit de fide de ipſo credendum, & quid Scholaſticorum diſputationi permittatur? 209

Diſſertatio CCCXXII.

De altero Sacramentorum effectu, qui eſt character. An aliqua novæ legis Sacramenta characterem imprimant? An Sacramenta veteris legis characterem in anima impreſſerint? 215

Diſſertatio CCCXXIII.

De altero Sacramentorum effectu, qui eſt character. Quodnam ſit characteris ſubjectum? Quænam proprietates? An poſſit de Dei potentia deleri vel in hac, vel in altera vita? 222

Diſſertatio CCCXXIV.

De altero Sacramentorum effectu, qui eſt character. An character ſacramentalis ſit relatio rationis? An ſit tantum denominatio extrinſeca? An ſit entitas, accidentalis, ſeu qualitas prædicamentalis producta, prout explicat Schola peripatetica? 229

Diſſertatio CCCXXV.

De Sacramentorum proprietatibus. An Sacramenta novæ legis ſint æqualis dignitatis, vel alia aliis excellant? An eodem ſemper ordine diſpenſata & recepta fuerint in Eccleſia Catholica Sacramenta? 238

De

INDEX DISSERTATIONUM.

Diſſertatio CCCXXVI.

De Sacramentorum proprietatibus. & præcipue de ipſorum neceſſitate. Quæ Sacramenta neceſſaria ſint neceſſitate medij, & quæ neceſſaria neceſſitate præcepti? An Sacramenta ſint neceſſaria neceſſitate convenientiæ? 237

Diſſertatio CCCXXVII.

De Cæremoniis Sacramentorum. Quænam ſit Etymologia, & definitio Cæremoniæ? Quænam Cæremoniarum diviſio, & quæ ipſarum fuerit origo & initium in adminiſtratione Sacramentorum in Eccleſia? An fuerit pariter antiquus in Eccleſia illarum uſus? 242

Diſſertatio CCCXXVIII.

De Sacramentorum Cæremoniis? An fuerit neceſſitas inſtituendi Cæremonias ſacramentales? An ſit utilis illarum uſus? An ſit admittenda litteralis & hiſtorica cæremoniarum explicatio? An myſtica, & ſymbolica? Et an utraque ſimul? 250

Diſſertatio CCCXXIX.

De Sacramentorum Cæremoniis. An in Eccleſia ſit auctoritas inſtituendi & præcipiendi cæremonias in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione ſervandas? An re ipſa inſtitituerit atque præceperit? & an ſit peccatum, & quale, prætermittere ritus ab Eccleſia ordinatos in Sacramentorum adminiſtratione, etiam citra ſcandalum, atque contemptum? 256

Diſſertatio CCCXXX.

De Sacramentalibus. Quid, quænam, & quot ſint Sacramentalia? An remittant peccata venialia ex opere operato? An remittant ex opere operantis? 261

Diſſertatio CCCXXXI.

De Baptiſmi nomine, & eſſentia. Quibus nominibus fuerit Baptiſmus appellatus? An Baptiſmi vox ſit cæteris præſtantior, & ſignificationis pariter exactioris? Quænam ſit Baptiſmi Definitio, quam Hæretici involvunt, & quam Catholici exponunt? 264

Diſſertatio CCCXXXII.

De principaliori Baptiſmi figura, quæ eſt Circumciſio. Quandonam Circumciſio fuerit vivificans, quando mortua, & quando mortifera? An in antiqua lege contulerit gratiam ex opere operato, vel ex opere operantis? An finis primarius Circumciſionis fuerit juſtificare Hebræos? an vero illos tantum extrinſecus ſignare, & ab illis, qui Hebræi non erant, ſecernere? 271

Diſſertatio CCCXXXIII.

De altera præcipua Baptiſmi figura, quæ eſt Baptiſmus Joannis. An Baptiſmus Joannis fuerit Sacramentum? An fuerit diverſus a Chriſti Baptiſmo? Et utrum biberit eandem cum illo cum virtutem? 281

Diſſertatio CCCXXXIV.

De Baptiſmi neceſſitate, & exiſtentia. Quinam fuerint Hæreticorum errores contra Baptiſmi neceſſitatem, & exiſtentiam? An Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii? An ſit neceſſarius neceſſitate præcepti? 293

Diſſertatio CCCXXXV.

De Baptiſmi inſtitutione, ejuſque obligatione. Quando nam fuerit Baptiſmus a Chriſto inſtitutus? An ante, an vero poſt mortem, & reſurrectionem ſuam? Quando nam cœperit baptiſmi lex homines obligare? 309

Diſſertatio CCCXXXVI.

De Baptiſmo Sanguinis, hoc eſt de Martyrio. Qui fuerint Hæreticorum errores contra ipſum, & circa ipſum idem quæ Scholaſticorum opiniones? An Martyrium perfecte ſuppleat ex opere operato virtutem Baptiſmi fluminis, tum in Infantibus, tum in Adultis? Et quæ in Adultis requirantur prævia conditiones ad illius effectum conſequendum? 315

Diſſertatio CCCXXXVII.

De Baptiſmo ſanguis, hoc eſt de Martyrio. An baptiſmus ſanguinis ſit baptiſmo fluminis dignior? An in antiqua lege fuerint veri Martyres? Quando ſit licitum ſe offerre Martyrio, & quando ſit obligatio ſubeundi illud? Et quid dicendum ſit de Martyrio per peſtem? 325

Diſſertatio CCCXXXVIII.

De Baptiſmo fluminis. Quinam fuerint circa ipſum Antiquorum errores, & quænam ſint Scholaſticorum opiniones? An ad ejuſdem baptiſmi efficaciam requiratur neceſſario charitas? An perfecta charitas, & cordis contritio includens baptiſmi aquæ votum, illius vices in Adultis ſuppleat? 331

Diſſertatio CCCXXXIX.

De Materia remota baptiſmi. Quinam fuerint contra illam Hæreticorum errores? Quænam ſit materia remota & neceſſaria baptiſmi, ita ut ſine ea baptiſmus ſit irritus? Quænam ſit materia remota ſufficiens baptiſmi, ita ut cum ea baptiſmus, quamvis ſit validus, tamen non ſit licitus. 337

Diſ-

Diſſertatio CCCXL.

De Materia proxima baptiſmi. Quinam fuerint errores, & opiniones circa eandem? An immerſio, & eadem trina, fuerint in baptiſmo antiqua & neceſſaria? An modo ad baptiſmi ſubſtantiam pertineat, ita ut baptiſmus aſperſione, vel infuſione, & ſine trina merſione, datus, non valeat? Et quinā fuerint ritus in trina merſione adhibiti. 353

Diſſertatio CCCXLI.

De materia proxima Baptiſmi. An ablutio eccliſiva, ſeu, ex qua ſequitur mors baptizati, ſit ſufficiens & valida ad Baptiſmi Sacramentum? An ad ipſius valorem requiratur, ut ablutio fiat in determinata corporis parte? An ablutio in baptiſmo debeat eſſe una, vel gemina, vel trina? 361

Diſſertatio CCCXLII.

De Baptiſmi forma. Quinam fuerint Hæreticorum errores contra eandem? An Chriſtus determinatam & certam verborum formam pro baptiſmi validitate præſcripſerit? Quænam ſit Græcorum in baptizando forma? An fuerit antiqua? & an Baptiſmus per eam collatus habendus ſit validus. 367

Diſſertatio CCCXLIII.

De baptiſmi forma apud Latinos. An ſit antiqua, & valida? An ſufficiat in ea ſola Trinitatis invocatio, vel potius neceſſaria ſit actus baptizantis expreſſio ut Sacramentum ſit validum? Et an ſit validus baptiſmus collatus ſine expreſſa & diſtincta trium Perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis invocatione? 375

Diſſertatio CCCXLIV.

De baptiſmi forma apud Latinos. An in ea abſolute ſit neceſſaria diſtincta & expreſſa Patris, Filii, & Spiritus Sancti invocatio? An aliquando valuerit, aut modo valere poſſit baptiſmus collatus in ſolo nomine Chriſti? 380

Diſſertatio CCCXLV.

De Baptiſmi Miniſtro. Quinam ſit miniſter Baptiſmi ordinarius, & ex officio? Quinam extraordinarius, & ex delegatione? Quinam ex neceſſitate? An idem ſit miniſter in baptiſmi adminiſtratione privata, ac in publica, & ſolemni? & an eodem modo ſit dicendum de licita, ac de valida baptiſmi adminiſtratione? 387

Diſſertatio CCCXLVI.

De Subjecto Baptiſmi. An valeat baptiſmus Infantibus collatus? An expediat illos baptizare? Utrum in utero Matris baptizari poſſint? 399

Diſſertatio CCCXLVII.

De Subjecto Baptiſmi. De Miniſtrando baptiſmo Monſtris, & Abortis. De baptiſmo Puerorum infidelium parentibus invitis. De baptiſmo Clinicorum, ſeu illorum, qui lectulo mortis baptizabantur. Et de baptiſmo miniſtrando Amentibus, Furioſis, atque Energumenis. 412

Diſſertatio CCCXLVIII.

De Diſpoſitionibus ad baptiſmum. Quænam ſint diſpoſitiones ad baptiſmum valide recipiendum? Quænam ſint ad recipiendum baptiſmum licite? An fuerit aliquando uſus, quo vel mortui baptizarentur, vel baptizarentur vivi pro mortuis? 421

Diſſertatio CCCXLIX.

De effectibus Baptiſmi. An per baptiſmum cujusvis peccati tam culpa, quam pœna, deleatur? & an nitra peccatorum remiſſionem, gratiam etiam conferat, & qualem? Utrum per baptiſmum reddantur homines impeccabiles, & indamnabiles? & an per ipſum irrita fiant omnia Vota? An baptizati teneantur legem Dei, & præcepta Eccleſiæ, ſervare? Et an ſola baptiſmi memoria ſufficiat ad remiſſionem omnium peccatorum, quæ poſt baptiſmum committuntur? 431

Diſſertatio CCCL.

De Catechumenis. Quinam fuerit ritus antiquitus baptizandi Catechumenos ſanos? Quinam fuerit ritus baptizandi Catechumenos infirmos? Et quænam hodie ſit in Eccleſiis baptizandi Catechumenos diſciplina. 440

Diſſertatio CCCLI.

De Baptiſmi Cæremoniis. Quinam fuerint errores Hæreticorum circa cæremonias baptiſmi? De Græcorum ritibus in baptizando, quinam ſint, & an admittendi? De Catholicorum Latinorum ritibus, quinam ſint, & an ſub præcepto exercendi? 447

Diſſertatio CCCLII.

De Baptiſmi Cæremoniis. Quinam fuerit antiquitas, & modo ſit ſolemnis baptiſmi locus? Et quodnam Tempus? 458

Diſſertatio CCCLIII.

De ſuſceptoribus in Baptiſmo, ſeu de Patrinis. An in Baptiſmo ſolemni requiratur Patrinus ſaltē unus? An ad id muneris vel potuerit, vel poſſit quilibet aſſumi? Et quæ cognatio ſpiritualis ex Baptiſmi ſuſceptione oriatur? 461

APPRO-

APPROBATIONES.

NEmini ex Republica Literaria non notus clariſſimus Auctor hujus Operis Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. F. Joſeph Maria Perrimezzi Boſtrenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ob eruditiſſimas ellucubrationes jam dudum ab eodem in lucem editas, quarum prope diem ſummo Eruditorum delectu numerum auget. Acuta ſuæ mentis indagine, adeo clara methodo Scholaſtico - Dogmaticas Differt., quæ in materia Sacramentorum obviæ eſſe poſſunt, rimatur, & ſolvit difficultates, ut ſtudioſis pro integra queſtionum ſelectarum, quæ in Scholis agitantur, cognitione acquirenda vix quid amplius deſiderabile occurrat: Quapropter dignum cenſeo, quod publici juris fiat hoc opus, & commiſſione Reverendiſſimi Patris S. P. A. Magiſtri Jo: Benedicti Zuanelli à me infraſcripto perluſtratum, quod in omnibus orthodoxum inveni. Ex Monaſterio S. Pudentianæ de Urbe. Die 22. Maij 1735.

D. Joannes Sianda Monachus Ciſtercienſis.

EX mandato Reverendiſſimi Patris S. P. A. Magiſtri non ſine magna animi voluptate & admiratione legi Sextum Tomum Diſſertationum theologicarum &c. Auctore Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Joſepho Maria Perrimezzi Archiepiſcopo Boſtrenſi, Sac. Rom. Inquiſitionis Conſultore, Epiſcoporum Examinatore, & eorundem examinis Secretario &c., homine omni literarum genere commendatiſſimo, quemadmodum permulta ejus opera communi plauſu excepta, plenam fidem faciunt. In eo ne dum nihil, quod orthodoxæ fidei, boniſque moribus adverſaretur offendi, quare in offenſo pede percurri poteſt; verum etiam omnia, quæ in re theologica deſiderantur, graviter & copioſe, clare & ſubtiliter pertractata eſſe perſpexi. Quapropter præſens opus vere doctum, vere eruditum, quod ampliſſimum & veritati robur, & Studioſis emolumentum affert, publica luce dignum arbitror.

Ex Collegio S. Franciſci de Paula ad Montes Kal. Auguſti 1735.

F. Antonius-Maria Mazzei Ordinis Minimorum Sac. Theologiæ Lector Jubilatus, Collegii Corrector, & Sac. Indicis Congreg. Conſultor.

IMPRIMATUR;

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. *Baccarius*, *Epiſc. Bojan. Viceſg.*

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli, Ordinis Prædicat. Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ.

PARS SEXTA.

DISSERTATIO CCCI.

De Sacramenti Nomine. An uſurpandum ſit in Eccleſia, ac retinendum? An recte a Catholicis adhibeatur? An ab Hæreticis injuſte rejiciatur? An ab iiſdem male uſurpetur?

ETSI divini amoris erga humanum genus, quocumque nos ipſos vertimus, perennia teſtimonia inveniamus, in Sacramentis quidem, quæ amœniſſima Dei gratiarum fluenta ſunt, eadem pene evidentia poſſidemus. Quapropter mortaliū neminem, qui productionis, regenerationiſque ſuæ ſerio velit cognoſcere Auctorem, non ita prorſus ad Sacramentorum notitiam occluſum aditum habere putandum eſt, ut non illico poſſit, divina opitulante gratia, eorundem beneficia experiri. Attamen, quia plerique, non quæ Dei ſunt, & Spiritus, ſed quæ ſui ipſius, & carnis, in cogitationibus ſuis quærentes, viam tot periculis obſitam, quot erroribus obrutam, nobis infeliciter paraverunt, ut ad illa cognoſcenda, aut difficilis admodū, aut parum tutus introitus habeatur; Hinc eſt, quod non minori eſt opus, vel ſtudio, vel labore; vel Dei præ cunctis auxilio, ut in re tanti ponderis, tuto, & ſine errore, procedamus.

A nomine incipimus; & circa nomen quidem Sacramentorum cum noſtrorum temporum Novatoribus diſſentiones habemus. Non per hoc tamen quæſtiones de nomine dicendæ ſunt, quum de ſolo nomine non ſint. Scribit namque Honoratus Tournely de Sacramentis in genere quæſtione prima articulo primo. *Diſplicuit aliquando moroſis, ac faſtidioſis noſtris novatoribus Sacramenti nomen, ea potiſſimum de cauſa, quod in Scripturis non extaret; ſed inepte prorſus: latinum quippe nomen eſt, quod in primigenio Scripturæ textu Hebraico, vel Græco inſulſe quæreretur. Cum autem in uſu Eccleſiæ idem prorſus*

Digitized by Google

ſus ſignificet Sacramentum apud Latinos, quod Myſterium apud Græcos, merito Sacramenti nomen retinuit Eccleſia, ut & multa alia vocabula, tametſi in Scripturis expreſſa nõ legantur. Quapropter obtinuit ſubinde apud novatores ipſos: Soli Sociniani ab eo velut a ſuperſtitione abhorrent.

Attamen ſcribit Lutherus, & lib. de *Captivitate Babylonica* cap. *de matrimon.* & lib. *de abroganda Miſſa*, Sacramenti nomen rejiciendum eſſe, quia in Scripturis non invenitur. Lutherum ſequutus eſt Melachthon, qui caput, in quo de Sacramentis agebat, inſcripſit *de Signis*; & in medio ejuſdem Capitis dixit; *Quæ alii Sacramenta, nos ſigna appellamus*; & Caroloſtadius etiam eidem Luthero ſubſcripſit. Zuinglius vero, Sacramentariorum Pater, in lib. *de vera, & falſa Religione* cap. *de Sacramentis* ait: *Vocem iſtam Sacramentum magnopere a Germanis nunquam fuiſſe receptam*. Et Calvinus demum lib. 4. Inſtit. cap. 14. §. 13. iiſdem accedit. Attamen Lutherus poſtea, quia inimicitias cum Caroloſtadio, & Zuinglio, gerebat, videns, hos vocem Sacramenti rejicère, ipſe mutavit ſententiam, & vocem Sacramenti amplexus eſt; ut videre eſt in lib. 2. *contra Celeſtes Prophetas* par. 2. Luthero ſententiam mutante mutarunt illico eandem cæteri Lutherani; undè Melanchthon caput, quod *de Signis* inſcripſerat antea, inſcripſit poſtea *de Sacramentis*: Kemnitius in 2. part. examinis, Sacramenti nomen uſurpat; Brentius in Confeſſ. Wirtembergenſi nomen Sacramenti retinet; Et tandem Confeſſio Auguſtana ab eodem nomine non abhorruit.

Secundo opponuntur nobis Hæretici circa acceptionẽ hujus nominis Sacramenti, contendentes, illud eſſe uſurpandum aliter ac a nobis uſurpatur. Et quidem Zuingl. in lib. *de vera & falſa Relig.* cap. de *Sacram.* primam Sacramenti acceptionẽ, de qua apud Profanos Authores, uſurpavit, dicens: *Sacramentum nihil aliud eſt, quam initiatio, & oppignoratio*. Sicut enim qui litigaturi erant, certum pecuniæ pondus deponebant; ſic qui Sacramentis initiantur, ſe ſe obſtringunt, & oppignorant. Secundo Calvino placuit altera acceptio loco nuper citato; ſic tamen, ut Sacramentum non tantum ſit Juramentum, quo ſe homo obſtringit Deo, quam quo ſe Deus obſtringit homini. Verum ut de hac controverſia aliquid enucleatius proferre poſſimus, magis ab alto repetenda res eſt.

Et quidem apud profanos Autores Sacramentum primo ſignificat pignus, quod Litigantes apud Pontificem Maximum in loco ſacro deponebant. Apud Romanos enim uſus erat, ut quum duo litem inter ſe haberent, tum qui affirmabat, tum qui negabat, quinquaginta æris depoſitum pro ſua parte faceret; Lite autem finita, illi, qui vincebat, depoſitum reſtituebatur, perditoris verò depoſitum ærario publico applicabatur; conſonum putantes, ut perditor pecuniæ ſuæ jacturam in pænam injuſtæ litigationis reportaret. Sic legere eſt apud Varronem lib. 4. de lingua latina prope fin. & apud Cicer. in Orat. pro Milone. Hujus autem acceptionis veſtigium apud Auctores ſacros non eſt reperire. Secundo ſignificat juramentum, quia per rem ſacram fiebat, per Deum nempe, quem jurans in ſuæ aſſertionis teſtem invocabat. Sic habetur apud Cicer lib. 2. de Offic. & paſſim in jure civili; quinimmo & in canonico cauſ. 22. quæſt. 4. cap. *qui Sacramento*, *quod ex Can.* 7. Concilii Hillerdenſis eſt deſumptum; & eadem cauſ. quæſt. 5. cap. *Sacramentum*, & cap. *qui nos* 1. & 2. Et propter hanc rationem, qui militiæ per juramentum nomen dabant, Sacramentarii dicebantur. Ad quod reſpiciens Tertullianus lib. de Idololatria cap. 19. quærens, an fidelis ad militiam converti poſſit? & an a militia ad fidem admitti? reſpondet: *Non convenit Sacramento divino, & humano; ſigno Chriſti, & ſigno Diaboli; Caſtris lucis, & Caſtris tenebrarum: Non poteſt una Anima duobus deberi, Deo, & Cæſari.*

Secundo apud ſacros etiam Auctores, immo & in ſacris Libris atque divinis, Sacramentum primo ſumitur pro re ſecreta, ſeu arcana, quo ſenſu idem venit Sacramentum, ac Myſterium. Hinc Apocal. 12. nunc Myſterium dicitur, nunc Sacramentum. De muliere namque, quæ ſuper beſtiam ſedebat, dicitur, & *in fronte ejus nomen ſcriptum Myſterium*, & poſt pauca, Angelus Joannem alloquens ſubdit; *Ego dicam tibi Sacramentum Mulieris, & Beſtiæ*; idque rem ſecretam, & arcanam, quam Mulier, & Beſtia deſignabant;

Digitized by Google

bant; & tandem ſic ſumpſit Ambroſius, librum inſcribens de Incarnationis Divinæ Sacramento. Secundo accipitur pro ſigno rei ſacræ, de quo Auguſt. Epiſt. 5. ad Marcellinum: *Signa cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur*, & lib. 10 de Civit. Dei cap. 5. *Quod ſacrificium viſibile inviſibilis ſacrificii Sacramentum, id ſignum eſt.*

Tertio obſervari oportet, quibus nominibus ſua Sacramenta vocarint Hæbrei, & quibus vocibus Græci Sacramenta noſtra appellaverint, ut deinde de Latinis ſolidius judicium ferre poſſimus. Siquidem quum prius in Eccleſia adhibitæ fuerint voces hebraicæ, & græcæ, quam latinæ, clarum eſt, Latinos non aliud per Sacramenti nomen exprimere voluiſſe, quam quod Hæbrei, & Græci, per ſua nomina primitus exponebant. Hebræi tribus vocibus ſua Sacramenta ſignificabant; Prima eſt חקים, chukim: vel חקה, chukah; quibus vocibus ſignificabant ceremonias; & quia inter has Sacramenta enumerabant, ideo & ipſa Sacramenta iiſdem vocibus exprimebant. Secunda eſt מלוא millum, quæ ſignificat initiationem & conſecrationem. Tertia eſt רזא raza, quæ eſt vox caldaica potius quam hebraica, & ſignificat tam rem ipſam ſecretam, quam ſignum rei ſecretæ. Græci vero Sacramentum dicebant myſterium: & hujus vocis etymologiam Clemens Alexandrinus in Orat. exhortatoria ad Gentes, & Euſebius lib. 2. præpar. Evangel. cap. 5. deducunt à [illegible], quod ſignificat ſcelus, ſeu execrationem. Sotus ſubdit, quod [illegible] per *jota* ſignificat odium, & ſcelus; quando vero ſcribitur per *ypſilon* non ſic; & reprehendit illos, qui primo modo ſcribunt, hoc eſt per *jota*, quia revera ſcribi debet ſecundo modo, per *ypſilon*, ut vere myſterium importet. Sed advertere debebat Sotus, quod quādo ſcribitur per jota, ſignificat odium, quando vero ſcribitur per ypſilon, ſignificat ſcelus. Sic autem interpretatus eſt Clemens, ut per eam interpretationem Gentilium myſteria quaſi ſceleſta irrideret, quemadmodum etiam Myſteria ipſa fabuloſa appellavit. Alii hanc etymologiam deducunt à verbo [illegible] quod eſt claudo, & [illegible] quod eſt os, quaſi myſteria ſilentio ſunt honoranda, vel diverſimode, ut aliis placet. Tres ergo ſunt hujus vocis ſignificationes; prima, qua myſterium dicatur ea ceremonia, qua homines ſacris initiantur; Secunda, qua myſterium dicatur id omne quod arcanum, & ſecretum eſt; Tertia, qua myſterium dicatur id omne, quod eſt ſignum externum rei arcanæ, & latentis. De prima ſignificatione loquutus eſt S. Ambroſius, qui librum inſcripſit *de iis, qui Myſteriis initiantur*; De ſecunda Apoſtolus prima Cor. 13. *Si noverim Myſteria omnia*; Et Matthæi 13. *Vobis datum eſt noſſe Myſteria Regni Dei*; De tertia omnes figuræ Veteris Teſtamenti dicuntur Myſteria, nec non Parabolæ, & ſimilitudines, quæ leguntur in Evangelio, in Apocalypſi &c.

Decimus 1. uſurpandum eſſe hoc nomen Sacramenti, & retinendum.

I. Probatur ex Scripturis. Ad Epheſ. 5. *propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem ſuam, & adhærebit Uxori ſuæ, & erit duo in carne una. Sacramentum hoc* (ſive ut græce legitur, *Myſterium hoc*) *magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* In quo loco Matrimonium ab Apoſtolo appellatur Sacramentum, ut Tridentin. ſeſſ. 24. teſtatur: Et quanvis Apoſtolus loqui videatur de Adæ, & Evæ Conjugio, quod Sacramentum novæ legis non eſt; Attamen allegat verba Adami, & ea ad Conjugia ſui temporis applicat, de quibus etiam verificatur, eſſe duo in carne una: Unde non dixit Paulus: Sacramentum hoc magnum fuit, ſed Sacramentum hoc magnum eſt; nimirum tempore legis gratiæ, poſtquam Chriſtus promiſſionis gratiam addidit illi, cujus eſt ſignum. Cæterum quanvis hoc nomen latinum *Sacramentum* in ſacris & divinis Scripturis non legatur, quia Scripturæ hebraica, vel græca lingua exaratæ fuerunt, illi tamen æquivalens nomen habetur, nempe myſterium; quia myſteriū idem eſt Græcis, ac Latinis Sacramentum. Nec in hoc eſt aliqua diſſenſio, ut Bellarminus ait; quum Adverſarii fateantur ultrò, idem eſſe myſterium, ac Sacramentum.

II. Probatur ex traditione Patrum, immo & Eccleſiæ totius. Eccleſia enim a ſuis incunabulis ad hæc uſque tempora hoc Sacramenti nomine uſa eſt, quod obſervare quiſquis poterit apud Tertullianum lib. de præſcriptione Hereticorum cap. 16. *Ipſas quoque res Sa-*

cramentorum divinorum in Idolorum myſteriis Diabolus æmulatur ; tingit ; & ipſe quoſdam , ſignat in frontibus milites ſuos. Eadem habet lib. 1. contra Marcionem, ante medium. Et quidem verbis illis Baptiſmi Sacramentum a Tertulliano enunciatur . Similiter Cyprianus lib. 2. Epiſt. 1. Baptiſmum, & Confirmationem commemorat , dicens : *Si Sacramento utroque naſcantur* . His concinunt Hilarius in illud Pſalm. 121. *& abundantia diligentibus te* ; Lactantius lib. 4. cap. 17. Hieronymus in cap. 44. Ezechielis . & in cap. 1. Malachiæ : Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſti. cap. 3. & Epiſt. 118.

III. Probatur ex Conciliis , apud quæ, etiam antiquiſſima in Eccleſia, hanc Sacramenti vocem legimus . Unde & Conciliorum hujuſcemodi, & præfatorum Patrum reſpectu, aſſerebat Bellarmin. de Sacrament. in genere lib. 1. cap. 7. *Ex quibus Patrum ſententiis colligimus , nomen hoc eſſe antiquiſſimum , & proinde retinendum , etiamſi in Scripturis non haberetur : quomodo retinemus multa alia nomina , quæ non ſunt in Scripturis , ut Trinitatem , conſubſtantialem, perſonam &c. Periculoſiſſima eſt vocum novarum libertas in Eccleſia , cum paulatim ex novis vocibus , novæ etiam res oriantur , cum unicuique licet in rebus divinis nomina fingere . Unde & B. Paulus prohibet profanas vocum novitates* 1. Timoth. 6. & S. Auguſtinus lib. 10. Civit. cap. 23. *Liberis*, inquit , *vocibus loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt : nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt , ne verborum licentia , etiam de rebus , quæ his ſignificantur , impiam gignat opinionem* .

Dicimus II. recte a Catholicis hoc Sacramenti nomen pro rei ſacræ ſigno accipi , & uſurpari .

I. Probatur ex Scripturis, in quibus, quamvis aliquando Sacramentum accipiatur pro ſigno rei arcanæ , ſed impiæ , & nefariæ , ut Apocalypſ. 17. ; Aliquoties tamen ſumitur pro ſigno rei arcanæ, & ſecretæ , ſed quæ ſacra ſit, ac ſublimis, ut nuper vidimus per verba illa ad Epheſios 5. ; Et inſuper per illa in prima ad Timoth. 3. ait Apoſtolus: *Magnum eſt pietatis Sacramentum , quod manifeſtatum eſt in carne , juſtificatum eſt in ſpiritu , apparuit Angelis , prædicatum eſt Gentibus , aſſumptum eſt in gloria* .

II. Probatur ex Patribus , qui quidem , etiam antiquiſſimi in Eccleſia, hoc Sacramenti nomine uſi ſunt, ad ſignificandum Baptiſmum, Euchariſtiam, & alia hujuſmodi ſacra ſigna . Unde Auguſtin. Epiſtol. 5 ad Marcellinum ſcribebat : *Signa cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur* ; & Epiſtol. 23. ad Bonifacium: *Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum , quarum Sacramenta ſunt, non haberent , omnino Sacramenta non eſſent* . Prior Epiſtola modo eſt in noviſſima Editione 138. ; Altera vero 98. Idem Sanctus Doctor libro 15. de Civit. Dei cap. 26. docet: *Inde Sacramenta manarunt , quibus credentes initiantur* . Et lib. de Catechizandis rudibus c. 26. *Sacramenta ſignacula eſſe rerum divinarum viſibilia, ſed res ipſas inviſibiles in eis honorari, nec ſic habendam illam ſpeciem benedictione ſanctificatam , quemadmodum habetur in uſu quolibet* .

III. Probatur ex communi uſu omnium Eccleſiarum , quæ intra Catholicæ Eccleſiæ ſinum continentur. Omnes enim linguæ vulgares & vernaculæ hoc Sacramenti nomen in Latina Eccleſia , ſemper & ubique conſervarunt ; uti ſunt Italica , Gallica , Hiſpanica , Germanica , aliæque univerſim , & linguæ : . Ergo ſignum eſt, fuiſſe omni tempore hoc nomen in Eccleſia, & cum illa ſemper ſignificatione, quâ habet modo.

Dicimus III. Injuſte hoc Sacramenti vocabulum ab Heterodoxis rejici, & peſſime uſurpari ac explicari illi æquivalens nomen , ut putant .

I. Probatur . Injuſte rejicitur vocabulū , quod exprimitur in Scripturis ſanctis , & a Patribus antiquiſſimis uſurpatur ; ſed ſic eſt Sacramenti vocabulū , prout a Catholicis accipitur : ergo injuſte ab Hereticis rejicitur . De majori propoſitione nulla eſt difficultas, ipſiſmet Heterodoxis fatentibus; minor probata remanet ex nuper poſitis Concluſionibus ; conſequentia ſequitur .

II. Probatur . Quodcunque nomen inducant Heretici , vel illud nuſquam in Scripturis legitur, vel ſi legitur, nequit eſſe nomen ſpecificum & proprium noſtrorum Sacramentorum : ergo peſſime ab Hereticis Sacramenti nomen uſurpatur , & explicatur. Probatur antecedens . Nequeunt Heretici uti verbis illis Apoſtoli ad Epheſ. 5. ubi Matrimonium vocatur Sacramentū , quia negant Matrimonium Sacramentum

eſſe

Digitized by Google

eſſe. Præterea, ut aſſerit Bellarminus cit. loc. *Nuſquam in Scriptura Baptiſmus, aut Euchariſtia, aut Pœnitentia, aut Ordo, aut Confirmatio, aut Unctio, myſterium, vel Sacramentum appellatur.* Hæc Bellarminus.

III. Probatur. Novatores heretici in Sacramenti nomine explicando vel illud traducunt potius, quam expliceut, vel ſibimetipſis in illius explauatione contradicunt: ergo peſſime illud uſurpant & explicant, etiam per aliud illi æquivalens nomen, ut putant. Probatur antecedens. Si enim uſurpant myſteriũ, hoc ipſum nomen plerunque in Scripturis in malam partem accipitur; ut videre eſt Daniel. 2. Apocalyp. 17. II. ad Theſſal. 2. & alibi. Ulterius falſum eſt, quod aſſerit Lutherus, Sacramentum in univerſa Scriptura ſignificare rem ſacram ſecretam, non vero ſignũ rei ſacræ & ſecretæ; ut dictum eſt, & ampiius dicetur inferius. Denique ſi Zuinglius vult Sacramentum dici a ſacrando & initiando, ſibi ipſi contradicit, dum aſſerit, quod in ſcripturis non legatur; etenim Exod. 28. & Levit. 8. invenitur מליא, vel מלואת, quæ voces exprimunt conſecrationis ritum.

Arguunt Adverſarii I. Hoc nomen Sacramentum, ut nunc a Theologis intelligitur, in ſacris literis non invenitur; nullibi enim legitur, quod per ipſum importetur ſignum rei, quæ habeat homines ſanctificare: ergo abſque fundamento, & per conſequens non recte, a Catholicis adhibetur. II Auguſtinus fuit primus omnium, qui ferme cœpit vocabulum hoc Sacramenti in hac materia extendere, & latius uſurpare, quam antiquitas fecerat: ergo non eſt antiquiſſimum in Eccleſia. Probatur antecedens; quia Auguſtino, ut aliquid ſit Sacramentum, ſatis eſt, ſi rei alicujus divinæ vel ſacræ ſignum ſit: ergo Auguſtinus vocem hanc extendit, & latius cœpit uſurpare. III. In univerſa Scriptura Sacramentum ſignificat rem arcanam, ſacram, & ſecretam; Theologi deinde ubicunque eam invenerunt vocem, ex illa fecerunt ſignum: ergo vocis hujus uſus a Theologis tantum dependet, abſque eo quod in Scriptura inveniatur. IV. Explicationes Zuinglii, Calvini, & aliorum Hereticorum, quadrant Sacramentis noſtris: ergo non tantum pro ſignis rei hominem ſanctificantis accipi debent Sacramenta, ſed modis etiam aliis, quibus ab Heterodoxis accipiuntur. V. Ex illo loco ad Epheſ. 5. Eraſmus, & Calvinus volunt, myſterium, ſeu Sacramentum, a Paulo dici non conjunctionem viri & feminæ, ſed Chriſti & Eccleſiæ; quod & probant, quia addit Apoſtolus: *Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*: ergo nomen illud Sacramenti ab Apoſtolo non applicatur Matrimonio, ut nos diximus. VI. In Scripturis græco idiomate ſcriptis pro Sacramento legitur myſterium; apud Latinos autem nec quodlibet myſterium eſt Sacramentum, nec quodcunque Sacramentum eſt myſterium: ergo non bene apud Latinos pro myſterio intelligitur Sacramentum. Probatur antecedens. Plura ſunt in Scripturis, quæ myſteria dicuntur, & quæ Sacramenta non ſunt; & quæ in lege veteri Sacramenta erant, myſteria non dicebãtur: ergo apud Latinos nec quodlibet myſterium eſt Sacramentum, nec quodcunq; Sacramentum eſt myſteriũ.

Reſpondemus ad I. quod etſi nomen illud in Scripturis non inveniatur, poſſumus tamen illo uti, quemadmodum aliis nominibus, quæ in Scripturis non ſunt, utimur; ſunt autem hæc, Trinitas, Conſubſtantiale, Ingenitus, Incarnatio, Perſona, Deipara &c. Quũ enim Sacramenti nomen in Scriptura ſumatur pro rei ſacræ ſigno utcunque, ut dictũ eſt, jure potuit deinde Eccleſia, atque etiam recte, illud reſtringere ad ſignum illius rei ſacræ tantum, quæ homines ſanctificat. Hujuſcemodi autem uſum quemadmodum Eccleſia licite potuit inducere, ita prorſus illicitũ eſt privatis hominibus immutare. Unde Apoſtolus 1. ad Timotheum 6. profanas vocum novitates prohibet; & Auguſtinus lib. 10. de Civitate Dei cap. 13. ait: *Liberis verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt; Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.*

Ad II. Manifeſtum dicitur eſſe Kemnitii mendacium; ante enim Auguſtinum fuerunt Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, quos ſupra laudavimus, qui Sacramenti nomen ad ſacra ſigna ſignificanda uſurparunt; unde quidem a veritate abeſt Kemnitii commentum

dicen-

dicentis, primum fuiſſe Auguſtinum, qui hoc vocabulo uſus fuerit.

Ad III. Putidum pariter mendacium eſt Lutheri, quod & ex eo patet apertiſſime, quod in hac Diſſertatione præmiſimus, & in probationibus etiam Concluſionum oſtendimus. Theologi autem neutiquam dicunt, ut Lutherus falſo aſſerit, Sacramenti nomen ſemper & ubique importare ſignum, ſed quibuſdam dumtaxat in locis, & ſacrarum Literarum, & ſanctorum Patrum: aliis vero in locis fatentur ultro, rem ſecretam ſignificare & arcanam, ut Tobiæ 12. ad Epheſios 1. &c. quapropter Scholaſtici communiter varias Sacramenti acceptiones, etiam ſecundum ſcripturas, & Patres, adducunt, explicant, & explanant.

Ad IV. Quanvis acceptiones illæ etiam Sacramentis quadrent, non ita tamen Sacramentorum ſunt propriæ, ut aliis quoque non conveniant. Acceptio vero, quam nos tradimus, ſolis Sacramentis convenit; ut in ſequenti Diſſertatione fuſius explicabitur.

Ad IV. Falluntur Eraſmus, & Calvinus, Paulus namque quod Sacramenti nomen tribuat conjunctioni Viri, & Feminæ, non vero Chriſti, & Eccleſiæ, evidenter colligitur, tum ex pronomine *hoc*, quod refertur ad id, quod dictum fuerat antea: *erunt duo in carne una*; tum etiam, quia aliter evaneſceret ratio Apoſtoli, qua probare intendit, debere Viros diligere Uxores ſuas: & ad hoc probandum aſſumit illud: *Erunt duo in carne una, quod eſt Sacramentum in Chriſto, & Eccleſia.* Unde ſubjungit Bellarminus, quod *ſi totum hoc myſterium eſt in conjunctione Chriſti, & Eccleſiæ, & nil ad Conjugium pertinet, quid ergo probat Apoſtolus?* Videantur Hieronymus, Chryſoſtomus, Œcumenius, aliique Patres, in hunc locum. Unde Kemnitius teſtimoniis hiſce convictus, fateri non dubitavit, Sacramenti nomen, ut genericum eſt, in Scripturis reperiri, non vero ut ſpecificum. De hoc autem dictũ eſt nuper.

Ad VI. Etſi nos dicamus, græcam myſterii vocem latine importare Sacramentum, non per hoc tamen aſſerimus, quod omne myſterium ſit Sacramentũ, & omne Sacramentum ſit myſterium; at ſolummodo dicimus, quod in quibuſcã locis ex verborum contextu inducimur, ut pro myſterio Sacramentum intelligamus, ut videre eſt in iis locis, quæ in probationibus noſtris adducimus.

DISSERTATIO CCCII.

De Eſſentia Sacramenti. An bene explicetur ab Hæreticis per hoc, quod ipſum definiunt, eſſe Sigillum divinæ Promiſſionis? An per hoc, quod dicant, eſſe Signum noſtræ pietatis in Deum? An per hoc, quod aſſerant, eſſe ſignum diſtinctivum Chriſtianorum a Judæis atque Paganis? An per hoc, quod velint, eſſe Symbolum quoddam chriſtianæ ſocietatis? An denique per hoc, quod contendant, eſſe ſignum quoddam bonorum Operum & Vitæ ac Morum ſpiritualium.

NON eſt hic ſermo de eſſentia phyſica Sacramentorum, quę conſiſtit in materia, & forma; hæ enim, quum ſint cauſſę intrinſecæ, locum ſibi vindicant, ubi de Sacramentorũ cauſſis tractatio erit. Loquimur ergo ſolum de eſſentia metaphyſica, quæ in definitione conſiſtit. Multa de definitionibus Sacramenti, quas Hæretici diverſimode tradunt, Bellarminus habet; de multis opportuniora noſeligere conabimur; quæ expendemus hac in diſſertatione, & pro viribus confutare etiam aggrediemur.

At

At antecedenter conveniens judicamus, ut Hæreticos ipſos, & ipſorum definitiones in medio ponamus, ut poſtmodum recto ordine poſſimus ad ipſarum examen & confutationem, procedere.

Primo Kemnitius definit Sacramentum dicens: eſt ſignum materiale præceptum in novo Teſtamento obſignans inſtar ſigilli promiſſionem Gratiæ. Ita Kemnitius p.2. Examinis Concilii Tridentini. Et hanc definitionem amplexum fuiſſe Calvinum lib. 4. Inſtitut. cap. 14 tradit Tournely de Sacramentis in genere quæſt.1.art.1.

Secundo definit Zuinglius aſſerens: Sacramentum nihil eſt aliud, quam oppignoratio, qua ſe Homines obligant Chriſto, ejuſque Religioni dant nomen. Legitur hæc definitio apud Zuinglium lib. de vera, & falſa Religione.

Tertio definit Calvinus inquiens: Sacramentum eſt Symbolum externum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones Conſcientiis noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam Fidei noſtræ imbecillitatem, & nos viciſſim pietatem erga eum noſtram, tam coram eo & Angelis, quam apud homines teſtamur. Refertur hæc definitio a Bellarmino, & confutatur.

Quarto Sociniani definiunt: Sacramentum eſt nudum & ſimplex ſignum, quo Chriſtianos a Judæo vel Gentili diſtinguitur. Sic legitur apud Catecheſim Cracovianam cap.4., Socinum diſput. de Baptiſmo, Volkelium lib.4. de vera Religione cap.22.

Quinto Anabaptiſtæ definiunt, Sacramenta, eſſe Allegorias ſeu ſigna quædam Vitæ ſpiritualis Morum, atque bonorum Operum, quibus ſcilicet ſignis admonemur bonis operibus nos exercere.

Dicimus I. Eſſentiam Sacramentorum non bene explicari, ac per conſequens Sacramenta ipſa non bene definiri; per hoc, quod dicantur Sigilla divinæ Promiſſionis.

I. Probatur. Sigillum eſt, quod confirmat aliquam rem; ſed quod confirmat aliquam rem, re ipſa debet eſſe clarius, & certius: ergo ſi Sacramentum eſſet Sigillum divinæ Promiſſionis, deberet eſſe ipſa divina Promiſſione clarius & certius: atqui hoc eſt falſum; ergo falſum eſt quoque, quod Sacramentum divinæ Promiſſionis ſit Sigillum. Probatur Minor ſubſumpta. Sacramenta non ſunt clariora, & certiora Verbo Dei; Sed divinæ Promiſſiones ſunt Verbum Dei: ergo Sacramenta non ſunt clariora, & certiora divinis Promiſſionibus. Probatur Major. Sacramenta à Sacra Scriptura ſuam habent ſignificationem, & certitudinem, ità quidem, ut fatentibus Adverſariis, ſi Scriptura deſit, Sacramentorum veritas probari non poſſet; ſed ſacra Scriptura eſt Verbum Dei: ergo Sacramenta non ſunt clariora, & certiora Verbo Dei.

II. Probatur. Sacramentum per Adverſarios eſt Sigillum Conſcientiis noſtris & rationi noſtræ tanquam Ceræ impreſſum; ſed in Infantibus, & in Amentibus, nulla eſt ratio, nulla eſt Conſcientia, cui poſſit hujuſmodi Sigillum imprimi; ergo in ipſis nullum eſſet Sacramentum: atqui hoc eſt omnino falſum; ergo &c.

III. Probatur. In ficte ſuſcipiente Sacramentum nulla eſt certitudo de obtenta juſtificatione, quam Deus credentibus promiſit; ergo in hoc ſaltem Sacramentum eſſet potius reprobationis, & damnationis Sigillum.

Dicimus II. Eſſentiam Sacramentorum non bene explicari, & conſequenter Sacramenta ipſa non bene definiri, per hoc, quod dicantur, mera ſigna noſtræ fidei & pietatis in Deum.

I. Probatur. Si Sacramentum eſſet nudum Signum Fidei, quam quis Deo promittit, actio Sacramentalis eſſet omnino humana; atqui hoc eſt falſum, quum ſit etiam divina: ergo Sacramentum non eſt merum Signum noſtræ Fidei, & pietatis in Deum. Minor eſt certa; etenim Patres contra Donatiſtas diſputantes aſſerebant, actionem illam tantæ virtutis eſſe, ut Miniſtrorum vitio, & malitia, nullatenus poſſit impediri: & Auguſtinus eam conſiderans in Baptiſmo exclamabat: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Sequela majoris probatur; quia Deus, ſi ſacramentalis actio eſſet tantum humana, & non divina, nihil per Sacramentum ageret, ſicut non agit quis, quando datam alteri fidem confirmat ſigno externo, oris nimirum oſculo, manus contactu &c.

II. Probatur. Quia ſi Sacramentum eſſet tantum merum ſignum noſtræ Fidei & pietatis in Deum, in Infantibus, & in Amentibus, qui capaces non ſunt eli-

eliciendi actum Fidei, & pietatis in Deum, nullum eſſet Sacramentum, nullus eſſet Baptiſmus, nulla Confirmatio &c.: Sed hoc eſt penitus falſum; ergo & unde ſequitur.

III. Probatur. Quia per hanc definitionem nulla importatur in Sacramentis Gratiæ efficientia; ſed hæc eſt eſſentialis in Sacramentis novæ Legis, ut ſuo loco probabimus: ergo præfata definitio, & aliæ etiam Hæreticorum definitiones, hoc eſſentiali defectu laborant: ergo non ſunt bonæ: ergo nullatenus admittendæ.

Dicimus III. Eſſentiam Sacramentorum non bene explicari, & conſequenter Sacramenta ipſa non bene definiri, per hoc, quod dicantur, eſſe nuda & ſimplicia ſigna, quibus Chriſtiani a Judæis, & a Gentilibus diſtinguuntur.

I. Probatur. Nec in Scripturis, nec in Patribus quiſpiam poterit invenire, Sacramenta fuiſſe tantum a Deo inſtituta ad Populum Chriſtianum a non Chriſtianis diſtinguendum: ergo non eſt verum, quod Sacramenta ſint nuda & ſimplicia ſigna diſtinctiva Chriſtianorum a Judeis atque Paganis; Ad quid enim tribuere Sacramentis, & quidem pro illorum eſſentia, quod Scripturæ non docent, & Patres non explicant?

II. Probatur; quia neque per hanc definitionem importatur Gratiæ productio, quæ eſſentialis eſt in Sacramentis novæ Legis, ut dicetur contra Hæreticos quoſque, qui hoc ipſum pertinaciter negant.

III. Probatur, quia definitionem hanc vel induxit, vel defendit acerrime Caroloſtadius, qui primitus fuit Lutheri diſcipulus, & deinde a Luthero diſceſſit, ut explicaret Baptiſmum, eo modo, quo explicabat Circumciſionem, per quam Judęi ab Ethnicis diſtinguebantur, ut putabat; Sed Sacramenti in genere definitio aptari debet non ſoli Baptiſmo, ſed omnibus, & ſingulis Eccleſiæ Sacramentis, & inſuper quia nec etiam Baptiſmo hæc definitio rite aptatur; ergo ex nullo capite eſt bona.

Dicimus IV. Eſſentiam Sacramentorum non bene explicari, & conſequenter Sacramenta ipſa non bene definiri, per hoc, quod dicantur, eſſe Symbola quedam chriſtianæ ſocietatis.

I. Probatur. Suppoſita hac definitione, ſequeretur, quod Chriſtus nihil ageret in Sacramentis, ſed tantum Homo teſtaretur, ſe eſſe fidelem, quum ſit chriſtianæ ſocietatis membrum; ſed ex Scripturis habemus, quod in Sacramentis Chriſtus agit: ergo præfata definitio non eſt bona, & per eam Sacramenti eſſentia non bene explicatur. Probatur Minor. Joannis I. dicitur de Chriſto: *hic eſt qui baptizat*; & ad Epheſios V. *Viri diligite Uxores veſtras ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*.

II. Probatur; quia ex hac definitione Zuinglius deducit Sacramenta non eſſe teſtimonia Gratiæ ei, qui Sacramenta ſuſcipit, ſed eſſe teſtimonia publica toti Eccleſiæ de obbligatione, & fidelitate, quam illa debet Chriſto, cui ſe conſecravit. Quod Bellarminus deducit ex verbis Martini Buceri in Commentario tertii Capitis Matthæi: *quod ſi ij, qui baptizantur ſunt prædeſtinati, tunc Sacramentum non ſolum eſt ſignum, quod illi dent nomen Chriſto, & recipiantur in externa Eccleſia, ſed etiam adfert quandam conſolationem; Si vero non ſunt prædeſtinati, tunc Sacramentum eſt nudum Signum, quod illi recipiantur in externa Eccleſia, non autem a Deo*.

III. Probatur. Ex hac ſua definitione Zuinglius deducit, atque etiam Bucerus ipſi adſtipulatur, quod Baptiſmus nihil proſit Infantibus non prædeſtinatis, ſed perire eos, licet ſint baptizati. Deducunt quoque, homines antequam Sacramenta recipiant, debere eſſe juſtificatos, & Chriſto conjunctos interius, & ſolum per Sacramenta exterius teſtari & profiteri, ſe velle Chriſto militare, & externæ Eccleſiæ adjungi; ſed utrumque hoc ex omni parte eſt falſum: ergo &c. Probatur Minor. Et quidem primum, quia aliter nullus dari deberet Infantibus Baptiſmus, quia neſciremus quinam ex illis eſſent prædeſtinati, & quinam reprobi. Falſum quoque alterum, quia Scripturæ docent, inſtituta eſſe Sacramenta ad interius mundandū, & ſanctificandum hominem; ut patet apertiſſime ex adductis verbis Apoſtoli ad Epheſios V. *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*; & ex relatis verbis Auguſtini Tractato 80. in Joannem; *Unde hæc tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?*

Dicimus V. Eſſentiam Sacramentorum non bene explicari, & conſequenter Sacra-

cra-

cramenta ipſa non bene definiri, per hoc, quod dicantur, eſſe ſigna quædam bonorum operum vitæ, & morum ſpiritualium.

I. Probatur. Hæc ſigna, de quibus loquitur definitio, vel ſunt operativa gratiæ, vel ſunt tantum oſtenſiva. Si tantum oſtenſiva: ergo deficit definitio in generali defectu omnium Hæreticorum definitionum, a quibus abeſt productio Gratiæ. Si operativa; ergo non tantum bona opera oſtendunt, ſed etiam operantur: ergo non ſupponunt bonos mores, & vitam bonam, ſed efficiunt.

II. Probatur. Definitio hæc Anabaptiſtarum, ſecundum ipſos ſignificat, ut Homines baptizentur ad ſignificandū, debere Chriſtianos ſuſtinere adverſa, & ipſam mortem pro Chriſto; ſed nec in Scripturis, nec in Patribus, legitur hæc virtus eſſentialis, quam Sacramentis Anabaptiſtæ adſcribunt; ergo ipſis eſſentialis non eſt, & per conſequens nō debet in ipſorum definitionibus habere locum: Non enim Scripturæ, & Patres omiſiſſent ſcribere & explicare, quod agnoviſſent Sacramentis eſſentiale eſſe.

III. Probatur; quia definitio hæc nullo modo poſſet in Infantibus baptizatis habere locum; non enim hi bona opera habent, nondum ſpiritualem vitam exercere inceperunt, nondum probis moribus inſtructi apparent; ſed manca eſt, & mala definitio illa, quæ non convenit omnibus ſpeciebus, & individuis, ſub genere definito contentis: ergo ſi hæc definitio, de qua loquimur, non convenit baptiſmo, qui Infantibus adminiſtratur, eſt vere manca, & mala.

Obſtant I. Patres ſæpe ſæpius appellarunt Sacramenta ſigna, & ſigilla: ergo per hæc verba bene Sacramenta definiuntur, & ipſorum eſſentia explicatur. II. Deus per Iridem exhibuit ſignum Fœderis initi inter ipſum & Noemum; per Circumciſionem dedit ſignum fœderis inter ipſum & Abrahami Poſteros: ergo etiam per Sacramenta debuit, tanquam per ſigilla, ſeu ſigna, promiſſionem ſuam de juſtificatione Credentibus conferenda confirmare. III. In Scripturis alia leguntur ſigna externa, quibus Dei promiſſiones ſigillatæ oſtendebantur; quod patet in Gedeonis vellere, quod fuit ſignum Victoriæ ſibi promiſſæ; & in umbra horologii, ad decem gradus retrocedente, quæ fuit ſignum ſalutis Ezechiæ Regi promiſſæ. IV. Circumciſio erat antiquitus ſignum acceptæ juſtificationis; ergo ita pariter eſſe debent Sacramenta omnia novæ Legis. Antecedens probatur ex illo ad Romanos IV. *accepit* (Abrahamum intelligit) *Signaculum Juſtitiæ Fidei*. V. Qui recipit Baptiſmum, & membrum Eccleſiæ ſe profitetur, & ad obſervantiam Legis Chriſti ſe obbligat: ergo Sacramenta nil aliud ſunt, quam teſtimonia de Fide noſtra in Chriſtum, & de pietate noſtra in Religionem ab eo inſtitutam. VI. In Epiſtola Petri cap.3. legitur: *quod & vos ſimilis forma ſalvos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*: quæ verba exponens Lutherus in Commētario hujus loci hæc ſcribit: „ Baptiſmus ſalvos nos facit, „ non quatenus lavat corpus, ſed quatenus obſignat pactum, quod habet Anima cum Deo, dum fide accipit promiſſiones ejus,„ Unde deducit Lutherus, Baptiſmum eſſe ſignum ſeu ſigillum promiſſionis: quod etiam deducit Calvinus, ſed alio modo; quia verbum illud *interrogatio* non explicat per *pactum*, ut facit Lutherus, ſed explicat per *teſtimonium*, *& per reſponſionem*.

Reſpondemus ad I. Verum eſſe, quod aliquot Patres aliquando vocarunt Sacramenta ſigna, & ſigilla, at non fuit mens ipſorum, ut per nomina hæc denotarent, quod Sacramenta obſignant divinam juſtificationis promiſſionem, at potius ut innuerent, vel quod per ipſa Fideles ab Infidelibus diſtinguerentur, vel quod rem ſacrā, ſeu gratiā ſignificarent, continerent, atque producerent. Sic ſe explicant Nazianzenus Orat. de Bapt. Baſilius, aliique.

Ad II. vel dicitur quod in adductis exemplis ſigna illa fuerunt commemorativa, non confirmativa; unde non poteſt ex illis ſignum confirmatorium in Sacramentis deduci: Vel ſubditur, quod ſigna illa fuerunt externa, & miraculoſa, ut qui non crederet Dei Verbo propter ſe, ei crederet propter miraculum. Sic fuerunt Vellus Gedeonis, horologii retroceſſio, Joannis Baptiſtæ Conceptio ex Matre ſterili, & ſene; Sacramenta autem ſunt ſigna externa, quæ ſolum creduntur propter Dei verbum, non propter miraculum, quod in eis non apparet, vel iis, qui illa vident, vel iis, qui illa percipiunt.

Ad III. Eadem eſt reſponſio; immo ad majorem claritatem dicitur, quod ſi in antecedente Adverſarii non loquuntur excluſive, conceditur, & negatur conſequentia; præter enim uſum illum, cujus meminit objectio, Sacramenta habent alium ſublimiorem finem, ſanctificationem ſcilicet noſtram, quam myſteria Judæorum adumbrabant, & Chriſtianorum Sacramenta efficiunt.

Ad IV. Origenes inquit, quod Circumciſio fuit dicta ſignaculum Juſtitiæ Fidei eo ſenſu, quo per eam veluti per figuram exprimeretur Circumciſio ſpiritualis, quæ eſt ex fide, & in qua poſita eſt Juſtificatio. Dicitur quoque, quod Circumciſio fuit quidem ſignum, quo Abrahami Juſtitia confirmata fuit, eo quod nimirum ex Apoſtolo futurus eſſet Pater Credentium. Id autem in ejus Poſteris non efficit, ſeu non confirmat, de accepta Juſtitia ſecuritatem. Denique dicitur, quod fuit quidem Circumciſio Abrahamo data ex ſpeciali Dei benevolentia, non tamen ejus Poſteris; & ratio eſt, quia aliter Apoſtolus id non tacuiſſet; ac proinde non eſt ratio, ut illud idem ad Sacramenta novæ Legis extendamus.

Ad V. Dicitur, quod ſunt quidem Sacramenta illud omne, quod objectio continet; at non illud ſolum. Et in hoc conſiſtit hallucinatio, ſeu potius error, & fallacia, Adverſariorum, quod admittant quidem in Sacramentis, quod Catholici admittunt, ſed dimidiatum, & detruncatum, non admittendo ſcilicet, quod vere Sacramentis ipſis eſt eſſentiale, & quod eſt Gratiæ ſignificatio, & productio.

Ad VI. Hæc reponit Bellarminus lib. 1. de Sacram. in Genere cap. 17. ,, Eſt igitur alia expoſitio, quam puto eſſe Sanctorum Auguſtini Tractat. 80. in Joannem, & Serm. 30. de verbis Domini, & Baſilii lib. de Spiritu Sancto cap. 15. ut videlicet exprimatur a Sancto Petro ablutio mentis, quæ per antitheſim opponitur ablutioni carnis, non per cauſam, ut volebat præcedens opinio, ſed per effectum. Eſt enim uſitatiſſima figura metonymia, qua per effectum intelligimus cauſam. Vocat igitur Petrus ablutionem internam interrogationem, ſeu reſponſionem bonæ conſcientiæ in Deum, quia ex illa munditia oritur pax, & quies conſcientiæ, & proinde reſponſio bonæ conſcientiæ, & etiam interrogatio apud Deum, quia audet cum fiducia ad Deum accedere, & interrogare; ideſt, cum eo colloqui, eumque rogare pro ſe, & pro aliis. Addo ſecundo, locum hunc non favere adverſariis, ſed nobis, etiamſi per ἐπερώτημα accipiatur teſtimonium, vel pactum. Nam in primis S. Petrus non loquitur de teſtimonio, vel pacto Dei, ſed conſcientiæ noſtræ: ipſi autem probare deberent Sacramentum eſſe ſignũ teſtimonii, ſeu pacti Dei. Multum autem intereſt inter teſtimonium, ſeu pactum Dei, quod illi obſignari volunt Sacramento, & teſtimonium, ſeu pactum conſcientiæ noſtræ. Illud enim eſt verbum Dei ſcriptum, quod præcedit Sacramenti uſum, & fructum, ideſt, juſtificationem; teſtimonium autem conſcientiæ ſequitur juſtificationem, & proinde Sacramenti uſum, & fructum.

DISSERTATIO CCCIII.

De Eſſentia Sacramenti ſecundum Catholicos, ejuſque definitione. Num Sacramentum ſit proprie definibile? Quænam ſit eſſentialis metaphyſica Sacramenti definitio? Utrum omnia Sacramenta univoce conveniant, & quænam ſit ratio, in qua eſt univoca convenientia?

PRO prima Diſſertationis parte, primo Sotus negat Sacramentum eſſe proprie definibile; ratio ipſius eſt, quia Sacramentum non eſt Ens reale, ſed eſt Ens rationis, conſiſtens nimirum in ratione ſigni, quæ eſt quædam rationis relatio. Secundo alii quoque negant Sacramentum eſſe definibile, ſed ob aliam rationem; quia ſci-

fi-

licet Sacramentum non eſt Ens per ſe, ſed Ens per accidens, & Ens per accidens definiri nequit. Tertio Vaſquez concedit quidem Sacramentum proprie, & recte definibile, non tamen primario, ſicut definitur ſola ſubſtantia, ſed ſecundario, quemadmodum Accidentia definiuntur, & Accidentalia definiri poſſunt. Quarto communis Scholaſticorum opinio tenet, Sacramentum definiri poſſe ſimpliciter, ac proprie, & pariter primario, definitione ſcilicet metaphyſica, per genus nempe, & differentiam, eaque rigoroſa ac perfecta definitione.

Dicimus I. Sacramentum eſſe proprie, primario, ac perfecte, definibile.

I. Probatur. Sacramentum, ut tale, habet ſimpliciter quidditatem ſuam, conſtantem ex genere & differentia: ergo eſt perfecte definibile. Probatur antecedens. Sacramentum ut tale eſt ſimpliciter quid reale; ſed qua ratione eſt quid reale habet etiam quidditatem: ergo Sacramentum ut tale habet ſimpliciter quidditatem. Probatur major. Nequit non eſſe ſimpliciter quid reale id, cujus omnia conſtitutiva ſimpliciter ſunt quid reale; ſed omnia conſtitutiva Sacramenti ut talis ſimpliciter ſunt quid reale: ergo Sacramentum ut tale eſt ſimpliciter quid reale. Major eſt certa; alioquin vel conſtitueretur per id, quo non conſtituitur, vel non eſſet id ipſum, quo conſtituitur. Minor oſtenditur. Nam ea omnia, quæ poſſunt dici conſtitutiva Sacramenti ut talis, ſunt & res ſenſibilis, v g. aqua in Baptiſmo, & verba a Deo inſtituta, & divina inſtitutio, nempe voluntas illa, qua decrevit Deus conferri infallibiliter Gratiam ad præſentiam naturalis aquæ ſub his verbis applicatæ; ſed hæc omnia realia ſunt; quinimmo eſt quid reale etiam cognitio illa comparativa rei ſenſibilis ſignificantis cum Gratia ſignificata, in qua nonnulli reponunt formalem rationem, & relationem ſigni conſtituentis Sacramentum, & maxime in noſtris principiis, in quibus relationes realiter diſtinctas non admittimus, nec Entia rationis chymerica, nec actus intellectus ab intellectu realiter diſtinctos, ut ex Philoſophicis compertum ſupponimus.

II. Probatur. Nemo Adverſariorum rogatus quid Sacramentum ſit? negavit ſuppoſitum, quod ſcilicet Sacramentum ſit quid; at potius omnes admiſſa interrogatione reddunt explicationem ſuam, quanvis aliqui negent perfectam eſſe definitionem; atqui in illa interrogatione ſupponitur Sacramentum eſſe quid, & quæritur explicatio illius, quod ſupponitur ex parte ſubjecti: ergo non negantes ſuppoſitum admittunt, quod ſupponitur, videlicet Sacramenti quidditatem. Neque dicant, hinc inferri chymeram quoque quidditatem habere, & eſſe definitionis capacem; etenim pariter quando quæritur, quid ſit chymera, non negatur ſuppoſitum, quod chymera ſit quid, ſed admiſſa interrogatione, redditur explicatio: ne dicant hoc, nam diſpar eſt ratio; quia ideo non negamus ſuppoſitum rogati quid ſit chymera, quia in ipſa reſponſione, & explicatione chymeræ negaturi ſtatim ſumus illius quidditatem, & dicturi chymeram eſſe complexum eſſentialiter repugnantem, in quo dicimus non eſſe Ens, non eſſe quid; at in explicatione Sacramenti nunquam dicimus non eſſe quid.

III. Probatur. Quanvis phyſice Sacramentum, & ſecundum materialem entitatem, ſit Ens per accidens; moraliter tamen, & ſecundum formalem rationem Sacramenti, eſt Ens per ſe: ergo eſt vere, & proprie definibile. Probatur antecedens; quia Sacramentum moraliter, & ſecundum ſuam formalem rationem, ſumitur indiviſibiliter per modum unius: ergo eſt unum per ſe moraliter; & ſecundum quod eſt unum per ſe moraliter, ita proprie, & perfecte definitur. Sacramentum autem moraliter ideo eſt unum, ait Bellarminus, quia eſt unum medium, ſive inſtrumentum, ad juſtificandos homines. Etſi enim aqua, & verba, agere, & ſignificare, ſint res in ſe ipſis diverſiſſimæ, ut faciunt tamen unum inſtrumentum juſtificationis, unum ſunt; atque hoc unum ex genere, & differentia componi dicitur.

Objiciunt I. Nomine Sacramenti venit ſignum Gratiæ, ſeu res ſignans, & ſignificans Gratiam: ergo venit concretum accidentale, ſicuti eſt album, viſum, cognitum &c. Sed concretum accidentale importat quale rei, non quid rei, & definitio debet explicare quid rei, non quale rei: ergo &c. II. Definitio Baptiſmi ex. gr. non poteſt prædica-

dicari, nec de aqua, nec de verbis, nec de actu divinæ inſtitutionis; & hoc ſive ſumantur hæc ſingula ſeorſim, ſive accipiantur omnia ſimul; ergo nullo modo Sacramentum poteſt propriam definitionem habere, quæ ipſi conveniat. III. Sacramentum pro formali, ſive ut eſt ſignificativum Gratiæ, eſt Ens rationis pertinens ad ſecundam intentionem; ſed Ens rationis pertinens ad ſecundam intentionem non eſt definibile definitione perfecta, quia non eſt Ens verum, ſed phantaſticum: ergo Sacramentum pro formali non eſt definibile. IV. Sacramentum ut Sacramentum non ſolum ſignificat, ſed etiam ſanctificat; ſed ſignificare, & ſanctificare pertinent ad diverſa prædicamenta, nimirum ad actionem, & relationem: ergo non poſſunt facere unum per ſe: ergo Sacramentum non eſt proprie definibile.

Reſpondemus ad I. Rem ſignificativam gratiæ eſſe concretum accidentale phyſicè, ſecus vero moraliter; ſicque phyſicè explicare quale rei, moraliter vero quid rei. Ulterius, eſto abſolute ſit concretum accidentale, explicat tamen quale rei, ſi per *To rei* veniat ſubjectum a forma denominatum, non vero ſi per *To rei* veniat totum reſultans ex ſubjecto denominato, & ex forma denominante. Ex gr. coloratum importat quale rei, ſi per *To rei* veniat paries, qui dicitur coloratus, & quem color qualificat. Si vero per *To rei* veniat totum reſultans ex pariete, & colore, non importat quale, ſed quid rei, quia hæc eſt quidditas hujus totius, & huic toti color eſt eſſentialis, non accidentalis. Ita pariter dicendum eſt in Sacramentis.

Ad II. Dicitur, quod ſi illa tria ſumantur ſpecificative, & ſecundum proprias, & abſolutas rationes, nulla definitio poteſt de ipſis prædicari, nec ſeorſim, nec ſimul ſumptis: ſecus vero ſi ſumantur reduplicative, & ſecundum quod afficiunt ſe invicem, atque denominant, tanquam ſubjectum, & forma. Quemadmodum in homine, ut ſimpliciter dicatur definibilis, non eſt neceſſe, quod aliqua definitio prædicetur eſſentialiter de corpore, & anima, ſumptis ſpecificative, & ſecundum proprias, & abſolutas rationes; ſed ſufficit quod eſſentialiter prædicetur de iiſdem reduplicative, & ſecundum quod ſe mutuo afficiunt, qua ſolum ratione ſunt homo.

Ad III. Dicitur, quod illud Ens rationis non eſſet chymericum, quia non eſſet metaphyſicum, ſed logicum; & alia ſimilia dicunt, qui cognitiones diſtinctas realiter ab Intellectu ponunt, & his terminis ariſtotelicis utuntur. Nobis autem dicere ſufficit, quod non definimus formale relationis, quod conſiſtit in Intellectu referente, ſed fundamentale, quod eſt in Sacramento, & hoc eſt Ens reale. Cæterum per illos, qui ſub Peripateticorum vexillo non militant, etiam formale eſt Ens reale, quatenus conſiſtit in actu Intellectus, qui ab Entitate reali ipſiuſmet Intellectus realiter non eſt diſtinctus.

Ad IV. Negatur major, & ratio eſt, quia Sacramentum ut Sacramentum, & quatenus ſcilicet præſcindit a Sacramentis veteris Legis, & a Sacramentis novæ Legis, non habet cauſſare gratiam, ſed tantum ſignificare; & hæc eſt differentia inter illa Moſaicæ Legis, quæ tantum ſignificabant Gratiam, & inter illa Legis Evangelicæ, quæ non ſolum ſignificant, ſed etiam cauſſant. Si vero ſit ſermo de Sacramento, non prout præſcindit a veteri Lege, & a nova, ſed prout eſt Sacramentum novæ Legis, tunc verum eſt, quod pro eſſentia importat ſignificare, & cauſſare Gratiã, attamen ſignificare ſtat loco generis, prout per illud convenit cum Sacramento veteris Legis, & cauſſare ſtat loco differentiæ, prout per illud a Sacramento veteris Legis ſecernitur, quod ſolum habet ſignificare, & non cauſſare Gratiam.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, multæ ſunt Sacramenti definitiones, quas Catholici tradunt, & quas adducere nimis longum eſſet. Eas tantum afferemus, quas Hæretici convellere conati ſunt, & quæ nobis ad clarius Sacramenti eſſentiam explicandam aptiores videntur. Tres in medium affert definitiones Eſtius, quas omnes Magiſter ſententiarum antecedenter tradiderat. Prima eſt: Sacramentum eſt rei ſacræ ſignum. Secunda: Sacramentum eſt inviſibilis Gratiæ viſibilis forma. Tertia: Sacramentum eſt, quod ita ſignum eſt gratiæ Dei, & inviſibilis gratiæ forma, ut ipſius imaginem gerat, & cauſſa exiſtat. Ex quibus prima definitio eſt potius nominis Sacramenti, quam ipſius

ipſius eſſentiæ explicatio ; convenit nanque omnibus rerum ſacrarum ſignis, adeoque nimis eſt late patens. Tertia convenit ſolis novæ Legis Sacramentis, quorum eſt gratiam non ſolum ſignificare, verum quoque cauſſare. Secunda ſola eſt, quæ convenit Sacramentis, ut Sacramenta ſunt, præſcindendo ab illis aut novæ, aut veteris Legis ; eſſentiale enim cuilibet Sacramento eſt interiorem Gratiam ſignificare, ſive illam deinde cauſſet, ſive non. Unde vetera Sacramenta ſignificabant etiam gratiam per Chriſtum dandam, nova vero ſignificant gratiam jam datam ; illa abſentem, hæc præſentem.

Ultra tres has definitiones, quas Magiſtro ex Eſtio tribuimus, alia eſt, quam docet Concilii Tridentini Catechiſmus ; nimirum, Sacramentum eſt res ſenſibus ſubjecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis & juſtitiæ, tum ſignificandæ, tum efficiendæ, vim habet ; quæ quidem definitio, ut patet, ſolis Sacramentis novæ Legis convenit, quia hæc ſola, ut dictum eſt, & gratiam ſignificant, & efficiunt. Apud Gratianum in Decreto cap. *multi ſæcularium* 1. *quæſt.* 1. hæc alia legitur definitio : Sacramentum eſt, per quod ſub tegumento rerum viſibilium divina virtus ſecretius ſalutem operatur. Quæ quidē definitio a Gratiano tribuitur Gregorio Magno, a Sancto Thoma vero in 4. diſt. 1. quæſt. 1. adſcribitur Auguſtino ; ſed Bellarminus ait, nec Gregorii, nec Auguſtini, ſed S. Iſidori eſſe, niſi forte Iſidorus, apud quem l. 6. Etymologiarum cap. 18. legitur, ab aliquo aut Gregorii, aut Auguſtini libro, nobis incognito, & quem ipſe non laudat, acceperit. Ea nihilominus potius ab Iſidoro allata videtur ad explicandam nominis ſignificationem, quàm ad rem ipſam accurate definiendam. Hugo lib. 1. par. 9. cap. 2. ſic definit Sacramentum : eſt corporale, vel materiale elementum, foris ſenſibiliter propoſitum ex ſimilitudine repræſentans, & ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione continens, aliquam inviſibilem, & ſpiritalem gratiam. Ubi nomine elementi venit materia omniū Sacramentorum, quæ quidem quia in Baptiſmo eſt aqua, quæ eſt proprie elementum, inde in aliis elementum quoque appellari conſuevit, non quod revera in aliis ſit elementum, ſed quod ſit illud omne, quod non ſunt verba. Unde ex Auguſtino dicitur, accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.

Denique antequam definitionem, quæ magis nobis arridet, in medium feramus, animadvertere oportet, Gratiam, ſeu ſanctitatem, vel juſtitiam, quam Sacramenta aut ſignificant, aut cauſſant, dupliciter diſtingui ; unam ſcilicet, quæ legalis, ſeu Moſaica dicitur, alteram vero, quæ Evangelica, ſeu Chriſtiana nominatur. Illa eſt potius figura hujus, vel umbra, & aliud non eſt, quam quædam conſecratio, ſeu deputatio ad divinum cultum, quæ cum peccato mortali ſtare poteſt, & in omnibus Judæis reperiebatur, in quantùm omnes, & ſinguli Judæi, ut minimum, ad divinum cultum per Circumciſionem deputati erant. Altera vero eſt inviſibilis, ſeu interna gratia, quæ nos verè juſtos ac ſanctos facit coram Deo, & hæc in omnibus, & ſingulis Chriſtianis non reperitur, ſed in iis tantum, qui a peccato mortali actualiter ſunt immunes. Hoc ſuppoſito, quæſtio eſt inter Scholaſticos, num Sacramenta tum novæ, tum veteris Legis in ratione Sacramenti univoce conveniant ? Illi, qui affirmant, inter ſe ipſos etiam ſunt diſcordes; aliqui enim dicunt univocationem conſiſtere in hoc, quod ſignificent gratiam, alii vero in hoc, quod cauſſent ; Unde illi volunt ſignificare eſſe eſſentiale cuilibet Sacramento, non vero cauſſare ; Iſti vero ſuſtinent, cauſſare eſſe etiam eſſentiale cuilibet Sacramento, ſed non cauſſare quancunque gratiam, benè vero cauſſare aliquam gratiam ; ſicque illi Sacramenta novæ Legis ab antiquis diſtinguunt per hoc præciſe, quod cauſſent, quum illa tantum ſignificaverint ; Iſti vero diſtinguùnt per hoc, quod cauſſent gratiam juſtificantem, ſeu internam, quum illa cauſſaverint externam, ſeu legalem.

Dicimus II. Sacramentum eſſe ſignum ſenſibile rei ſacræ ſanctificantis hominem : vel eſſe ſignum rei ſacræ, in quantum eſt ſanctificans homines ; quæ quidem definitio eſt Sancti Thomæ 3. par. quæſt. 60. art. 2. ad 3. ubi docet, quòd reduplicatio non cadit ſupra ſignum, ſed ſupra rem ſacram ſignificatam. Et quia diximus quod definitiones haſce

debe-

debemus ab Hæreticorum cavillationibus vindicare, hinc eſt, quod pro præſenti concluſione probationes non adducimus, ſed objectiones tantum Heterodoxorum proponimus, eiſdemque congruas conamur ſubnectere reſponſiones.

Opponunt I. cum Kemnitio; definitionem ab Iſidoro traditam Matrimonio non convenire, & ratio ipſorum eſt, quia in Matrimonio non eſt viſibilium rerum tegumentum, ſub quibus divina virtus ſalutem noſtram ſecretiori modo operetur. II Definitio Hugonis non convenit Sacramēto Euchariſtiæ; quod probatur, quia in hoc Sacramento nullum eſt elementum, quum ſecundum Catholicos ibi nulla ſit ſubſtantia, ſed ſolum ſint accidentia: ergo quum definitio non conveniat omnibus ſub definito contentis, nequit dici bona III. Definitio Magiſtri ſententiarum non convenit Matrimonio; & ratio eſt, quia in hoc Sacramento Catholici volunt, materiam eſſe verba exprimentia conſenſum: verba autem, nec forma viſibilis eſſe poſſunt ſecundum Magiſtrum, nec ſunt Elementum juxta Hugonem. IV. Nec bene Sacramentum dicitur ſignum inviſibilis Gratiæ, ſi per gratiam intelligitur gratia gratum faciens, quia hæc per reliquos Catholicos, præter unum Richardum, in Matrimonio, & in Ordinatione non datur. V. Si Sacramentum eſt ſignum ſignificans effectū Dei gratuitum, quare pariter Sacramenta non erunt benedictio Monachorum, aqua luſtralis, roſa benedicta, Agnus Dei, Enſis benedictus, benedictio herbarum, campanarum, Imaginum, inunctio regalis, conſecratio Templi, Altaris, Cœmeterii &c. hæc enim fiunt certis conſecrationibus, & dicuntur habere ſpirituales effectus. VI Per noſtram definitionem non definitur Sacramentum ut ſic, prout ſcilicet præſcindit a Sacramentis veteris, & novæ Legis, ſed tantummodo Sacramentum novæ Legis, quia hoc eſt ſignum ſignificans, & ſanctificans, non vero Sacramentum veteris Legis, quod erat ſignum ſignificans, ſed non ſanctificans.

Reſpondemus ad I. Definitionem Iſidori convenire Matrimonio, quia ſub velamine, ſeu tegumento viſibilium rerum, ideſt conjunctionis ſponſi, & ſponſæ, ſignificatur gratia inviſibilis, per quam Deus cum Anima jungitur, eamque juſtificat, ſive juſtitiam infundat, ſive infuſam augeat. Quod autem Matrimonium dicatur ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, non obſtat, quia idem Sacramentum plurium rerum poteſt eſſe ſignum.

Ad II. Hugo appellavit elementum rem quamlibet ſenſibilem, quæ ad Sacramenta perficienda adhibetur, ut ſupra dictum eſt; & quia verba exterius prolata ſunt materia ſenſibilis, inde eſt, quod recte poſſunt ſub elementi nomine venire.

Ad III. Aliqui volunt, perſonas contrahentes eſſe materiam Matrimonii, verba vero contrahentium eſſe formam; aliqui tamen aſſerunt, verba eſſe materiam, etenim verba poſſunt quoque dici elementum, ut modo diximus, quia ſunt ſenſibilia, quum ſenſus ipſe videndi uſitate ad omnem ſenſum recte pariter transferatur.

Ad IV. Putidum eſt mendacium Kemnitii, quod aſſumit; & ratio eſt, quia per Matrimonium, & per Ordinem, infunditur augmentum gratiæ, ſupponunt enim Animam in gratia, quia ſunt Sacramenta vivorum, & hoc omnes Catholici fatentur.

Ad V. Dicitur, illa enumerata nec ſignificare, nec efficere gratiam juſtificantem, ſed alios effectus, ut ſunt deletio venialium, protectio contra Dæmones, aliique ſimiles, qui effectus præcipue in aqua benedicta comperiuntur. Addimus, quod illa enumerata hujuſmodi effectus infallibiliter non habent, quum non ex Chriſti inſtitutione, ſed ex Eccleſiæ precibus, ſuam vim dumtaxat conſequantur.

Ad VI. Definitio allata, prout importat ſignum ſignificans gratiam, Sacramētis tantum veteris Legis convenit; prout vero importat ſignum ſignificans, & efficiens gratiam, convenit tantum Sacramentis novæ Legis. At hoc objectum nequit a Kemnitio proponi, qui differentias haſce, vel temere non agnoſcit, vel pertinaciter inficiatur.

Pro tertia Diſſertationis parte duplicis generis Adverſarios habemus; & illos, qui dicunt, Sacramenta in ratione Sacramenti analogice, non univoce convenire; & illos, qui volunt, univoce quidem convenire, ſed quod ratio, in qua eſt univoca convenientia non ſit ratio ſigni, at cauſſæ. Secundum primos,

mos, & ſecundum ſecundos, de ratione eſſentiali Sacramenti, qua Sacramentum eſt, non eſt eſſe ſignum, ſed cauſſam; cum hac tamen differentia inter illos, quod primi volunt de ratione Sacramenti eſſe quod ſit cauſſa veræ ſanctitatis, & quia Sacramenta veteris Legis veram ſanctitatem non cauſſabant, inde concludunt, Sacramenta novæ & veteris Legis non univoce, ſed analogice convenire. Secundi vero volunt de ratione Sacramenti eſſe, quod ſit cauſſa alicujus ſanctitatis; & quia tam Sacramenta veteris, quam novæ Legis aliquam ſanctitatem cauſſabant, illam nimirum ſanctitatem legalem, hæc vero gratiam juſtificantem, inde deducunt, in ratione cauſſæ, non in ratione ſigni, univoce convenire. Primorum Fautores ſunt Magiſter ſententiarum, Albertus, S. Thomas, S. Bonaventura, aliique cum ipſis: pro ſecundis vero ſtat Bellarminus. Nos contra hos omnes cum Sancto Thoma, qui aperte in Summa priorem ſententiam mutavit, dicimus, Sacramenta convenire univoce in ratione ſigni, & non in ratione cauſſæ; adeoque non eſſe de eſſentia Sacramenti, ut Sacramentum eſt, eſſe cauſſam gratiæ, ſed tantum eſſe gratiæ ſignum.

Decimus III. Sacramenta univoce in ratione Sacramenti convenire, non analogice. Rationem vero ſigni, non cauſſæ, eſſe illam, in qua Sacramenta univoce conveniunt.

I. Probatur prima concluſionis pars. Quod analogice tantum dicitur tale, nequit dici ſimpliciter, & abſolute tale; ſed Sacramenta veteris Legis dicuntur ſimpliciter, & abſolute Sacramenta: ergo nequeunt eſſe analogice Sacramenta. Major patet, quia pes Tabulæ, Montis, Sedis &c. nequit abſolute & ſimpliciter dici pes; ita pariter Canis maritimus, & celeſtis nequit abſolute, & ſimpliciter dici Canes; & hoc non aliunde, niſi quia illi analogice dicuntur pedes, & hi analogice pariter dicuntur Canes. Minor vero probatur; quia Sacramenta veteris Legis abſolute, & ſimpliciter a Conciliis, & a Patribus dicuntur Sacramenta: ergo &c.

II. Probatur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. & ex Tridentino ſeſſ. 7. Can. 2. ubi Sacramenta veteris Legis ſine ullo addito diminuente vocantur Sacramenta; & quod plus eſt, dicuntur Sacramenta vetera etiam prout excludenti a virtutem cauſſativam gratiæ, & hoc ſolum diſcrimen inter nova, & vetera Sacramenta aſſignatur, quod vetera non cauſſabant gratiam, ſed ſolum figurabant, nova autem, & gratiam continent, & gratiam conferunt: ergo ex dictis Conciliis Sacramenta vetera ſunt vera Sacramenta, hoc eſt ſimpliciter talia, & abſque diminutione aliqua, adeoque univoce in ratione Sacramenti convenientia.

III. Probatur. Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. approbat definitionem Sacramenti, quam tradidit Magiſter ſententiarum, quod ſcilicet Sacramentum ſit inviſibilis gratiæ viſibilis forma. Ait enim: *Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem*; atqui hæc definitio convenit Sacramento in communi: ergo Sacramenta univoce conveniunt in ratione Sacramenti. Probatur minor. De hac definitione æque participant Sacramenta veteris, & Sacramenta novæ Legis: ergo hæc definitio æque convenit Sacramento in communi.

Secunda concluſionis pars I. probatur. In ratione ſigni æqualiter Sacramenta conveniunt, non ſic autem in ratione cauſſæ; ſed ad hoc ut univoce conveniant debent æqualiter convenire: ergo ratio ſigni, non cauſſæ, eſt illa, in qua univoce Sacramenta conveniunt. Probatur Major pro ſecunda parte, quia Minor ſupponitur certa. Gratia, quam deberent cauſſare eſſentialiter Sacramenta, ſi ratio cauſſæ eſſet ratio eſſentialis, deberet eſſe gratia interna; ſed hæc nullo modo cauſſatur a Sacramentis veteris Legis quamvis cauſſarent gratiam externam; ergo Sacramenta non æqualiter conveniunt in ratione cauſſæ. Probatur Major. Illam gratiam deberent cauſſare eſſentialiter, quam eſſentialiter ſignificant; ſed eſſentialiter ſignificant gratiam internam: ergo deberent cauſſare gratiam internam. Probatur Minor. Gratia, quam eſſentialiter ſignificant, debet eſſe gratia occulta; ſed ſola gratia interna, eſt gratia occulta: ergo eſſentialiter ſignificant gratiam internam. Major eſt certa; ſi enim debet eſſe arcana, debet etiam eſſe occulta; & ſi de-

debet manifeſtari per ſignum, non debet eſſe manifeſta. Minor etiam patet; quia gratia externa non eſt occulta, quum ſit externa.

II. Probatur. Cauſſare gratiam internam, & cauſſare gratiam externam, non univoce conveniunt in ratione cauſſæ: ergo per has cauſſas non univoce conveniunt Sacramenta. Probatur Antecedens. Gratia interna, & gratia externa, non univoce conveniunt in ratione gratiæ: ergo cauſſare gratiam internam, & cauſſare gratiam externam, non univoce conveniunt in ratione cauſſandi gratiam. Probatur antecedens. Ratio eſſentialis gratiæ eſt reddere illam poſſidentem Deo amicum; ſed hæc ratio non æqualiter participatur a gratia interna, & a gratia externa: ergo gratia interna, & gratia externa, non univoce conveniunt in ratione gratiæ. Major patet; quia loquimur de gratia gratum faciente, non vero de gratia gratis data. Minor probatur. Gratia externa poteſt ſtare, immo ſtetit aliquando cum peccato mortali, non ſic autem gratia interna: ergo ratio eſſentialis gratiæ non æqualiter participatur a gratia interna, & a gratia externa.

III. Probatur. Si Sacramenta veteris Legis convenirent univoce cum Sacramentis novæ Legis in ratione cauſſæ, & non in ratione ſigni tantum, debuiſſent cauſſare aliquam gratiam, ſaltem legalem, & externam. Sed ex ſua primaria inſtitutione non debebant cauſſare hanc gratiam legalem, & externam: ergo nullatenus univoce conveniunt cum Sacramentis novæ Legis in ratione cauſſæ. Probatur Minor; quia Sacramenta veteris Legis non erant primario, & per ſe inſtituta ad exteriorem juſtitiam Judæis conferendam, ſed ad exhibenda Chriſti, ejuſque Eccleſiæ Myſteria, juxta illud Pauli, *omnia in figura contingebant illis*, ut ait Iveninus in Coment. de Sacram. diſſert. 1. cap. 2.

Opponunt I. Concilia & Patres non vocant directe Sacramenta Moſaica illa, ſed cum addito Sacramenta veteris Legis: ergo Concilia & Patres non intellexerunt Sacramenta veteris Legis univoce in ratione Sacramenti convenire. II. Medici quoque dicunt ſine aliquo addito medicamenta ſana, & nihilominus ſoli Animali ſimpliciter convenit ratio ſani: ergo quanvis Sacramenta veteris Legis dicantur ſine addito Sacramenta, non per hoc tamen univoce conveniunt in ratione Sacramenti, ſicut nec univoce conveniunt Medicina, & Animal in ratione ſani. III. Umbra, & Corpus, Originale, & Imago, non poſſunt univoce convenire; ſed per Apoſtolum Sacramenta vetera fuerunt umbra futurorum, & imago: ergo non poſſunt cum novis univoce convenire. IV. Sanctificare, ſeu eſſe ſanctificativum, eſt de eſſentia Sacramenti; ſed hoc univoce non convenit utriſque Sacramentis: ergo Sacramenta non univoce conveniunt in ratione Sacramenti. Probatur Major. Ex una parte ſanctificare perfectius eſt, quam ſignificare; ex altera omnibus Sacramentis, ſicut convenit ſignificare, ita etiam convenit ſanctificare; ſed pro eſſentia debet concedi, quod perfectius eſt: ergo ſanctificare, non ſignificare, debet eſſe de eſſentia Sacramenti. V. Concilium Trident. & Concilium Florentinum Sacramenta explicant per rationem cauſſæ: ergo vel Sacramenta non univoce conveniunt, vel ſi univoce conveniunt, non in ratione ſigni, ſed in ratione cauſſæ ſtat univocatio. VI. Eſſentiale eſt Sacramentis omnibus aliquam ſaltem imperfectam conferre ſanctitatem: ergo in ratione cauſſæ univoce conveniunt. Probatur antecedens. Eſſentiale eſt Sacramentis eſſe quid ſacrum, non ſolum ratione rei ſignificatæ, ſed etiam ratione ſui; ſed hoc ipſo debent conferre aliquam ſanctitatem: ergo &c. Major probatur, quia eſſe quid ſacrum ratione ſui magis quadrat etymologiæ, & eſſentiæ Sacramenti. VII. Antiqua Sacramenta erant promiſſiones de gratia hominibus novæ Legis conferenda; ſed promiſſio eſt moralis cauſſa rei promiſſæ, habetque vim moraliter motivam promiſſionis ad præſtandum, quod promittitur: ergo antiqua Sacramenta fuerunt moralis cauſſa gratiæ collatæ hominibus novæ Legis: ergo Sacramenta veteris, & novæ Legis univoce conveniunt in ratione cauſſæ, & quidem reſpectu ejuſdem gratiæ, ſeu ſanctitatis: ergo univocatio conſiſtit non in ratione ſigni, ſed in ratione cauſſæ. VIII. Ad Hæbreos 9. docet Apoſtolus: *Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad*

emun-

emundationem carnis: ergo ex Apoſtolo etiam Sacramenta veteris Legis ſanctificabant, gratiam ſcilicet internam conferebant: ergo univoce cum novis poſſunt in ratione cauſſæ convenire.

Reſpondemus ad I. quod ſi additum illud *veteris Legis* in Sacramentis, eſſet additum diminuens, Sacrificium veteris Legis, quum hoc modo etiam dicatur, neque fuiſſet ſimiliter Sacrificium; immo, neque Populus cujuslibet determinatæ nationis dici poſſet ſimpliciter Populus, quia reſtrictionem ad illam determinatam nationem haberet. Dicuntur igitur Sacramenta veteris Legis, vel ut ſignificetur eſſe alia a Sacramentis novæ Legis, vel ut importetur diſcrimen, quod eſt inter eadem, quatenus nimirum illa ſignificabant, & hæc producunt gratiam, quam ſignificant.

Ad II. Nunquam boni Medici, ſi ſunt pariter boni Logici, ut eſſe debent, vocare poſſunt Animal, & medicamentum æqualiter ſanum, ſine ullo addito diminuente; & hoc non aliunde, quia ſanitas proprie convenit Animali, medicinæ vero tantum analogice. At Concilia, etſi agnoſcant differentiam inter Sacramenta novæ Legis, & inter Sacramenta veteris Legis, vocant tamen utraque Sacramenta æqualiter ſine aliquo addito diminuente.

Ad III. Tranſeat major, & diſtinguitur minor; fuerunt umbra, & imago, ideſt pura carentia in genere entitatis Sacramenti, negatur; umbra, & imago, ideſt repræſentatio novi Sacramenti, per entitatem in eodem genere minus perfectam, conceditur minor, & negatur conſequentia. Cæterum imago, & originale non ſunt ejuſdem rationis ſecundum omnia prædicamēta; at ſecundum aliqua poſſunt etiam univoce convenire; ut nimirum in ratione entis, in ratione ſubſtantiæ &c.

Ad IV. Negatur major; quia quanvis aliquo modo ſanctificare conveniat omnibus Sacramentis, non tamen illis convenit ut eſſentia. Ad probationem; conceditur ſanctificare eſſe perfectius quam ſignificare, negatur tamen, quod omnibus Sacramentis, ſicut convenit ſignificare, ita etiam conveniat ſanctificare; quia ſignificare convenit univoce, ſanctificare analogice. Denique negatur, quod pro eſſentia debeat concedi, quod perfectius eſt; etenim ſi perfectius eſt ſanctificare, debet tribui non generi, ſed ſpeciei perfectiori, ſcilicet Sacramentis novæ Legis; quemadmodum, quia diſcurrere perfectius eſt, quam ſentire, non per hoc tribuitur pro eſſentia Animali in genere, ſed homini, qui eſt Animalis ſpecies perfectior.

Ad V. Dicitur, quod Concilium Florent. & Trident. quando explicant Sacramenta per rationem cauſſæ, nec loquuntur, nec intelligenda ſunt de aliis Sacramentis, quam de illis, quæ ſunt novæ Legis, quibus vere convenit gratiam ſignificare ſimul, & cauſſare.

Ad VI. Tranſeat quod ſit eſſentiale Sacramentis omnibus aliquam conferre ſanctitatem, dummodo non ſit eſſentia; negatur tamen conſequentia, quæ non probatur. Per hoc enim quod omnibus Sacramentis ſit eſſentiale aliquā conferre ſanctitatem, ſequitur omnia convenire in ratione cauſſæ, ſed non convenire univoce. Non etenim in ordine ad quancunque ſanctitatem conſideranda ſunt Sacramenta, ſed in ordine tantum ad ſanctitatem internam, quæ eſt finis præcipuus, & potiſſimus Sacramentorum formaliter conſideratorum, ut Sacramenta ſunt. Gratiam autem hanc Sacramenta vetera nullo modo cauſſabant, & inde eſt, quod in ratione cauſſæ univoce non conveniebant.

Ad VII. Negatur major; licet enim Sacramenta vetera fuerint pronoſtica ſigna gratiæ, ſive ſigna gratiæ dandæ per Sacramenta novæ Legis, & licet etiam illa Sacramēta fuerint ſigna hujus gratiæ, ut promiſſæ, ſive promiſſionis divinæ, non tamen fuerunt ipſa promiſſio formaliter, & proprie loquendo. Ulterius quanvis fuerint ſigna gratiæ promiſſæ, non tamen erant ſigna gratiæ conferendæ, vel collatæ, ut eſt, in Sacramentis novæ Legis, quæ vere ſunt ſigna gratiæ, quæ confertur.

Ad VIII. Communiter explicatur Apoſtolus de gratia externa, ſeu legali, non vero de gratia interna, & ſanctificante, qualis eſt illa, quæ confertúr a Sacramentis novæ Legis.

DISSERTATIO CCCIV.

De Sacramento prout eſt ſignum. An ſit ſignum practicum, vel ſpeculativum tantum? An debeat eſſe ſignum ſenſibile? An ſignum ad placitum Dei? An ſignum permanenter inſtitutum? & quam rem debeat eſſentialiter ſignificare?

PRO prima Diſſertationis parte, nomine ſigni ſpeculativi venit ſignum, quod ſignificat tantum, & non operatur, ſeu non cauſſat illud ipſum, quod ſignificat; nomine vero ſigni practici venit ſignum, quod & ſignificat, & operatur, ſeu cauſſat illud ipſum, quod ſignificat. Plures Theologi de Schola volunt, Sacramentum eſſe ſignum, & cauſſam gratiæ, quam ſcilicet ſignificat, & operatur, ſeu producit in ſuſcipientibus illud; Alii vero rectius docent, de ratione Sacramenti in genere eſſe, quod tantum ſit ſignum, & non cauſſa, adeoque eſſe ſignum ſpeculativum, & non practicum; de ratione Sacramenti novæ Legis eſſe, quod ſit ſignum practicum, ſeu operativum gratiæ in illis, qui illud ſuſcipiunt. Nos, ut cohærenter loquamur ad ea, quæ in præcedenti Diſſertatione diximus, in qua probavimus, Sacramenta veteris Legis, & Sacramenta novæ Legis univoce in ratione Sacramenti convenire, non primis, ſed his poſterioribus Theologis adhæremus.

Dicimus I. Sacramentum in genere, prout abſtrahit ab illis veteris Legis, & ab illis novæ Legis, eſſe ſignum ſpeculativum gratiæ, non practicum.

I. Probatur. Ad rationem Sacramenti ut ſic ſufficit, ut ſignificet gratiam, non vero requiritur, ut cauſſet illam; ſed hoc ipſum importat ut ſit ſignum ſpeculativum gratiæ, non vero practicum: ergo vere Sacramentum ut abſtrahit &c. eſt ſignum ſpeculativum, non practicum gratiæ. Probatur major. Illud ſufficit ad rationem Sacramenta ut ſic, quod in omnibus Sacramentis invenitur: ergo hoc tantum ſufficit ad rationem Sacramenti ut ſic.

II. Probatur. Ex probatis in præterita Diſſertatione, Sacramenta univoce conveniunt in ratione Sacramenti; ſed hoc verificatur per hoc, quod Sacramentum ut ſic ſit ſignum ſpeculativum gratiæ, non practicum: ergo vere Sacramentum ut ſic eſt ſignum ſpeculativum gratiæ, non practicum. Probatur minor. Per hoc, quod Sacramentum ſit ſignum ſpeculativum gratiæ, conveniunt omnia Sacramenta in ratione ſigni; ſed ſi eſſet ſignum practicum non convenirent omnia Sacramenta, immo potius differrent: ergo ex hoc, quod Sacramenta conveniant univoce in ratione Sacramenti, bene probatur, quod Sacramentum ut ſic ſit ſignum ſpeculativum gratiæ, non vero practicum. Probatur minor. Sacramenta veteris Legis erant vera Sacramenta, & nihilominus gratiam tantum ſignificabant, & non cauſſabant; Sacramenta vero novæ Legis gratiam ſignificant, & cauſſant; ſed hoc ipſum importat, quod Sacramentum ut ſic ſit ſignum ſpeculativum, non vero practicum, quod ſcilicet ſignificet gratiam, & non operetur: ergo &c. Probatur minor. Omnia Sacramenta conveniunt in ratione ſigni, diſconveniunt vero in ratione cauſſæ: ergo omnia Sacramenta conveniunt in ratione ſigni ſpeculativi, diſconveniunt vero in ratione ſigni practici.

III. Probatur. Si de ratione Sacramenti eſſet, eſſe ſignum practicum gratiæ, omnia Sacramenta ſic eſſent; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Major eſt certa, quia quod convenit Sacramento ut ſic debet omnibus & ſingulis Sacramentis convenire. Minor probatur. Sacramenta veteris Legis non erant ſigna practica gratiæ: ergo falſum eſt, quod omnia Sacramenta ſint ſigna practica gratiæ. Probatur antecedens. Sacramenta

menta veteris Legis ſignificabant gratiam, at illam non cauſſabant: ergo Sacramenta veteris Legis non erant ſigna practica gratiæ.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, quæ eſt, an eſſe ſignum ſenſibile eſſentialiter conveniat Sacramento? Suarez affirmat, Vaſquez negat: Thomiſtæ ſunt diviſi; Gonetus negantes ſequitur; Alii ſequuntur illos, qui affirmant. Fundamentum Negantium eſt, quia licet omnia Sacramenta, tam nova, quam vetera, ſint ſenſibilia, eo quod, prout de facto ſunt inſtituta, aliquod ſenſibile includant; non implicat tamen potuiſſe a Deo inſtitui aliquid pure inſenſibile, aut ſpirituale, ad ſignificandam, aut cauſſandam gratiam. Confirmant hoc, quia de facto Sacramenta includunt partem inſenſibilem, Baptiſmus ex. gr. Confirmatio, & Ordo, characterem; Pœnitentia contritionem; Euchariſtia Chriſtum Dominum exiſtentem in ſe inſenſibili modo: ergo Sacramenta, ſaltem de poſſibili, inſtitui potuiſſent adequate inſenſibilia.

Dicimus II. Eſſe ſignum ſenſibile eſſentialiter convenire Sacramento, prout Sacramentum eſt.

I. Probatur. Per Adverſarios in ea hypotheſi ſigni ſpecialis, & inſenſibilis inſtituti ad gratiam ſignificandam, vel ipſi immutatam vellent huic nomini *Sacramentum* ſignificationem, quam de facto habet, vel mutatam. Si ſecundam, non ſumus in caſu; non enim quærimus eſſentiam objecti appellabilis *Sacramentum*, ſed objecti appellati *Sacramentum*. Si primum, implicat in terminis Sacramentum inſenſibile; & probatur: nam immutata ſignificatione nominis, implicat in terminis, quod Sacramentum ſit entitas carens illa ratione objectiva, quam ſignificat nomen Sacramentum, ex vi ſuæ impoſitionis; alioquin talis entitas haberet ſimul, & non haberet rationem objectivam ſignificatam hoc nomine; ſed entitas ſenſibilis eſt ratio objectiva, quam ſignificat Sacramentum ex vi ſuæ impoſitionis: ergo &c. Minor patet, quia hoc nomen Sacramentum ex vi inſtitutionis ſuæ impoſitum eſt ad ſignificandum ſpecialia ſigna, quibus ſenſibiliter diſcriminatur Eccleſia ſacra a profana, & homo utens Sacramentis a non utente.

II. Probatur; quia primum Adverſariorum fundamentum omnino ruit: ergo ruit pariter ipſorum opinio, quæ hujuſcemodi fundamento innitur. Probatur antecedens; quia quanvis concedatur, quod aſſumitur, illud autem, Ens non eſſet Sacramentum immutata ſignificatione nominis, bene vero mutata, quod non eſt ad rem: ergo ruit fundamentum Adverſariorum. Quod & confirmatur, quia ſuppoſita ratione Adverſariorū fieri poſſet hoc aliud argumentum: licet omnis ſenſatio de facto ſit perceptio objecti habita per ſenſum materialem, tamen poſſibilis eſt perceptio ſenſus, habita per ſenſum, aut potentiam mere ſpiritualem; ſed perceptio objecti habita per ſenſum aut potentiam mere ſpiritualem eſſet ſenſatio: ergo de eſſentia ſenſationis non eſt haberi per ſenſum materialem. Quod quidem dictum volumus in Adverſariorum hypotheſi, non autem in noſtra.

III. Probatur. Falſum eſt aliud Adverſariorum fundamentum, quod in ipſorum Confirmatione proponitur, & ſupponitur; tum quia argumentum ab eſſentia partis non valet ad eſſentiam totius; alioquin poſſet dici: homo de facto includit in ſua phyſica conſtitutione materiam, quæ eſt corporea, & per ſe irrationalis: ergo de poſſibili poteſt phyſice conſtitui homo adequate corporeus, & irrationalis, quod eſt omnino falſum: tum etiam, quia Sacramenta illa, quæ proponuntur, includunt quidem partem inſenſibilem, ſed ſignificatam ſenſibiliter, non vero inſenſibiliter. Sic Chriſtus per ſpecies euchariſticas, quæ ſenſibiles ſunt; Character per ablutionem, aut unctionem; Contritio per verba, aut ſigna expreſſiva doloris, inſinuantur ſenſibiliter, & niſi hoc modo inſinuata Sacramentum non conſtituunt, ut docet S. Thomas in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 3.

Pro tertia Diſſertationis parte, in qua nimirum quæritur, an Sacramentum debeat eſſe eſſentialiter ſignum ad placitum Dei? Communis opinio affirmat, negat vero Card. de Lugo, quem ſequitur Arriaga, ac pariter Madernus, aliique pauci cum his quoque ſectantur; qui volunt, non implicare rem ſenſibilem, aut materialem connexam ex natura ſua cum gratia ſanctificante, illamque cauſſante vel phyſice, vel moraliter; & hanc rem putant eſſe vere Sa-

Sacramentum, quanvis non eſſet ſignũ ad placitum, ſed naturale. Ex quo deducunt, quod licet de facto omnia Sacramenta ſint gratiæ ſigna ad placitum divinum, quia res iſtæ materiales, quæ denominantur Sacramenta, ſunt cum gratia ſanctificante connexæ ſolum ex voluntate divina, poſſit nihilominus dari Sacramentum, quod eſſet ſignum naturale &c.

Dicimus III. Eſſentiale eſſe Sacramento eſſe ſignum ad placitum Dei.

I. Probatur. Entitas creata ſignificans infallibiliter exiſtentiam gratiæ ſanctificantis vel eſſet connexa cum gratia ex natura ſua, vel non ex natura ſua; ſed ſive eſſet connexa ex natura ſua, ſive non ex natura ſua, non poſſet ſignificare infallibiliter exiſtentiam gratiæ ſanctificantis, niſi ad placitum Dei: ergo &c. Minor tam pro prima parte, quam pro ſecunda, ſupponi debet ut certa; nam illa entitas eo ipſo, quod ex natura ſua eſſet connexa cum gratiæ exiſtentia, eſſet entitas ſupernaturalis, ut oppoſita ſententia concedit; immo negare non poteſt, quia enti naturali ſupernaturalis gratia deberi non poteſt; ſed eo ipſo, quod illa entitas eſſet ſupernaturalis, eſſet pariter ſignificativa gratiæ ad placitum Dei: ergo eſſet ſignum gratiæ ad placitum Dei. Probatur Minor; nam illa entitas non aliter eſſet ſignificativa gratiæ, niſi quatenus eſſet cognoſcibilis, ut ſupernaturalis; atqui ut connexa cum gratia eſſet ſolum cognoſcibilis ad placitum Dei: ergo &c. Minor patet; quia ſupernaturalia, ut ſupernaturalia, & ut connexa cum gratia, non ſunt cognoſcibilia, niſi dependenter a revelatione Dei, aut alio lumine ſupernaturali mediante; talis autem revelatio, & tale lumen diſpenſantur ad placitum Dei, quia nulli naturali intellectui debētur.

II. Probatur; quia res illa ſenſibilis aut materialis connexa cum gratia, quam ſupponit Lugus, non eſſet ſignum naturale gratiæ, ſed ad placitum Dei; ergo ruit fundamentum Adverſariorũ. Probatur antecedens. Non eſſet ſignũ gratiæ propter intrinſecam ſuam & naturalem ſibi connexionem cum gratia utcunque, ſed propter connexionem cum gratia, ut cognoſcibilem; Connexio autem illa, ut cognoſcibilis, dicit ordinem eſſentialem ad divinum beneplacitum, vel relativum talis connexionis, vel diſpenſativum ſupernaturalis & indebiti luminis ad illam deprehendendam: ergo &c.

III. Probatur. Nullum materiale & ſenſibile poteſt ab intrinſeco, & ex natura ſua, nos ducere in gratiæ cognitionem: ergo ſive de facto, ſive de poſſibili, nequit Sacramentum eſſe ſignum naturale gratiæ, ſed tantum ad placitum Dei. Probatur antecedens. Improportio ordinis inter materiale, & gratiã maximum eſt impedimentum, ut poſſit illud ducere ad hanc neceſſariam & naturalem habitudinem, vel tanquam ad effectum, vel tanquam ad gratiam, vel tanquam ad cauſſam, vel tanquam ad eſſentiam &c. ergo nullum materiale poteſt ab intrinſeco & ex natura ſua nos ducere in gratiæ cognitionem.

Pro quarta diſſertationis parte, an ſcilicet Sacramentum debeat eſſe permanenter inſtitutum? Communis opinio affirmativa eſt, quanvis aliqui pauci negent; aliique defacto affirment, non ſic vero de poſſibili.

Dicimus IV. Sacramentum debere eſſe permanenter inſtitutum, ſive de facto, ſive de poſſibili.

I. Probatur. Sacramentũ tandiu debet eſſe ſtabile, ut permanere debeat, quãdiu perduratura eſt Eccleſia, cujus eſt ſignum: ergo ſive de facto, ſive de poſſibili, ſemper debet eſſe permanenter inſtitutũ. Antecedens eſt certum, quia ſi Sacramentum eſt pro Eccleſia inſtitutum, debet pariter durare, quandiu ipſa Eccleſia durat; aliter enim non eſſet nec illorum conſulens profectui, qui ſunt in Eccleſia; nec Eccleſiæ ipſius eſſet ſignum, quia non eſſet extenſum ad ipſius Eccleſiæ durationem.

II. Probatur. Sacramenta veteris Legis duraverunt quandiu Lex Moſaica perduravit; & Sacramenta novæ Legis durabunt, quandiu Chriſti Eccleſia perdurabit: ergo vere eſt de eſſentia Sacramenti ut ſit ſignum permanenter inſtitutum. Antecedens negari non poteſt; omnibus enim conſtat, quod Sacramenta Moſaica perdurarũt uſque ad Moſaicæ Legis abolitionem; & omnes quoque credimus, quod Sacramenta novæ Legis perdurabunt in æternum, quia in æternum Eccleſia Chriſti eſt duratura.

III. Probatur. Inter Sacramentorum fines adnumeratur proteſtatio veræ Religionis, & Conſecratio ad conſtituendam

dam eandem Eccleſiam viſibilem, & eundem cultum externum Deo exhibendum; ſed Religio, Ritus colendi Deum, & Eccleſia, dicunt ſtatum, & petunt ſtabilem permanentiam: ergo pariter Sacramenta dicere debent permanentem inſtitutionem.

Pro quinta demum Diſſertationis parte, ſunt qui volunt, Sacramenta ſignificare gratiam extrinſecam, & legalem, quod aſſerunt de Sacramentis veteris Legis; alii vero dicunt, ſignificare gratiam intrinſecam, & ſanctificantem; alii demum affirmant, quod ſignificent utranque ſimul. Rurſus in Sacramentis novæ Legis, ſunt qui agnoſcunt triplicem ſignificationem, rei ſcilicet præteritæ, & eſt Chriſti Domini paſſio, quæ eſt ſanctitatis cauſſa; rei præſentis, & eſt gratia, quam operantur; rei futuræ, & eſt æterna beatitudo, ad quam ſanctitas noſtra, velut ad finem, referri debet. Unde dicuntur Sacramenta novæ Legis ſigna commemorativa, indicativa, & prænunciativa; commemorativa præteritorum, indicativa præſentium, prænunciativa futurorum.

Dicimus V. Sacramenta eſſentialiter debere ſignificare gratiam, non quancunque, ſed gratiam ſanctificantem, ſeu ſanctitatem intrinſecam, quæ per gratiam habitualem habetur.

I. Probatur. Illam gratiam ſignificare debent Sacramenta, quam ſignificabant Sacramenta veteris Legis, & Sacramēta novæ Legis ſignificāt; ſed hæc eſt gratia habitualis intrinſeca: ergo gratia, quā ſignificat Sacramentum, ut Sacramentum eſt, eſt habitualis, & intrinſeca. Probatur Minor. In hoc conveniunt Sacramenta veteris Legis, & Sacramenta novæ Legis, quod utraque gratiam habitualem, & intrinſecam ſignificent: ergo gratia habitualis & intrinſeca eſt illa, cujus eſt ſignum Sacramentum, ut Sacramentum eſt. Probatur antecedens. Gratia habitualis & intrinſeca eſt illa, per quam diſconveniunt Sacramenta veteris Legis, & Sacramenta novæ Legis: ergo gratia habitualis, & intrinſeca, eſt illa, in qua conveniunt Sacramenta veteris Legis, & Sacramenta novæ Legis. Antecedens eſt certum, quia Sacramenta veteris Legis gratiam habitualem, & intrinſecam ſignificabant, & non operabantur; Sacramenta vero novæ Legis hanc ſignificant, & operantur. Conſequentia probatur; quia convenientia, & diſconvenientia dicunt inter ſe ordinem in iis, in quibus ſunt, reſpectu ejuſdem, in quo conveniunt, & diſconveniunt: ergo ſi ratione gratiæ habitualis & intrinſecæ diſconveniunt, ratione etiam ejuſdem gratiæ conveniunt.

II. Probatur. Aqua luſtralis, Clericalis Tonſura, & abſolutio ab Excommunicatione, ideo inter Sacramenta non numerantur, quia deſignant ſolam ſanctitatem extrinſecam: ergo eſſentiale Sacramento eſt eſſe ſignum non ſanctitatis extrinſecæ, ſed gratiæ intrinſecæ, & habitualis. Antecedens eſt Juvanini in Coment. de Sacram. diſſert. 1. de Sacram in communi cap. 2. quæſt. 3.

III. Probatur ex Auguſtino lib. 19. contra Fauſtum cap. 16. ubi hæc docet: *Donum ſpiritale, quod per iſta* (intelligit Sacramenta) *inſinuatur, æternum eſt*: ſed hæc verba verificantur de gratia tantum habituali, & intrinſeca, non vero de legali, & extrinſeca: ergo &c. Minor probatur; tum quia gratia habitualis & intrinſeca ad beatam æternitatem nos ducit, unde illius ratione poteſt merito æterna dici; tum etiam, quia hæc in æternum permanet in Anima, ſi a nobis lethalis peccati obex non ponitur.

Arguunt I. Concilium Florentinum in Decreto de Unione Armenorum explicat Sacramentum per rationem cauſſæ; ſed ratio cauſſæ importat rationem ſigni practici, non ſpeculativi tantum: ergo Sacramentum eſt ſignum practicum, non ſpeculativum tantum. II. Concilium Trident. ſeſſ. 7. Can. 6. explicat pariter Sacramenta per rationem ſigni, & cauſſæ, dicens: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiā ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per Fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit*. III. Adhuc poſita univocatione Sacramentorum, Sacramentum, ut Sacramentum eſt, poteſt dici ſignum, & cauſſa: ergo poteſt dici ſignum practicum, non ſpeculativum tantum. Probatur antecedens. Univocatio poteſt eſſe reſpectu ſanctitatis, prout abſtrahit a perfecta, & im-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

imperfecta, quum Sacramenta veteris Legis ſignificaverint & cauſſaverint ſanctitatem imperfectam, externam, atque legalem; Sacramenta vero novæ Legis ſignificent & cauſſent ſanctitatem intrinſecam, & perfectam. IV. Ratio cauſſæ perfectior eſt, quam ratio ſigni; ſed Sacramento, ut Sacramentum eſt, convenire debet, quod eſt perfectius: ergo potius convenire debet ratio cauſſæ, quam ratio ſigni. V. Ratio ſigni eſt potius propria effectus, quam cauſſæ: ergo non poteſt eſſe ratio eſſentialis Sacramenti, quod concipitur per modum cauſſæ, non per modum effectus. Antecedens patet, quia fumus, qui eſt effectus ignis, eſt ejuſdem ignis ſignum. VI. Ratio ſigni præciſe conſiſtit in eo, quod res cognita in ſe ipſa faciat nos venire in alterius cognitionem: atqui hoc convenire poteſt rei ſpirituali æque, ac materiali: ergo non eſt de eſſentia Sacramenti, ut ſit ſignũ ſenſibile. VII. Ratio ſigni non eſt alligata rei materiali ex genere ſuo: ergo multo minus erit eidem alligata ex propria conditione gratiæ ſignificandæ. Probatur conſequentia; quia gratia majorem habet improportionem, & diſtantiam reſpectu rei materialis, quam reſpectu rei ſpiritualis. VIII Species intentionales ſunt ſigna objectorum, quæ cognoſcuntur, & tamen ſunt res ſpirituales: ergo etiam res ſpirituales poſſunt eſſe ſigna, & conſequenter ratio ſigni rei ſenſibili eſſentialiter non alligatur. IX. Ratio Sacramenti eſt, quod ſit naturaliter, & ab intrinſeco ſimile effectui; ſed ſimile ducit in cognitionem effectus, & habet habitudinem imaginis: ergo Sacramentum, ut Sacramentum eſt, dicit rationem ſigni naturaliter, & ab intrinſeco. Major eſt Auguſtini Epiſt. 23. ad Bonifacium dicentis: *Sacramenta quamdam ſimilitudinem habent earum rerum, quarum ſunt Sacramenta, quam ſi non haberent, omnino Sacramenta non eſſent*. X. Si de ratione Sacramenti eſſet, quod ſit permanenter inſtitutum, Sacramenta veteris Legis non fuiſſent vera Sacramenta, quia non fuiſſent permanenter inſtituta; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Probatur ſequela; quia non durarunt, nec durant uſque ad ſeculi conſummationem; ceſſarunt enim poſt ſufficientem Evangelii prædicationem. XI. Ibi non requiritur inſtitutionis ſtabilitas, ubi nequit aſſignari, quanta hæc ſtabilitas eſſe debeat; ſed in Sacramentis nequit aſſignari quanta hæc ſtabilitas eſſe debeat: ergo non eſt de ratione Sacramenti, quod ſit ſtabile, & permanens. Probatur minor, quia variant Doctores in aſſignando tempore, quo Sacramenta durare habeant. XII. De ratione Sacramenti ex dictis eſt ſignificare ſenſibiliter, & infallibiliter; ſed ſanctitas perfecta ſignificari non poteſt ſenſibiliter: ergo non eſt illa, quam Sacramenta eſſentialiter ſignificant. Minor probatur; in terminis enim implicat, inſenſibile, cujuſmodi eſt gratia, ſenſibiliter ſignificari, quia aliter inſenſibile ſenſibile redderetur.

Reſpondemus ad I., quod Concilium Florentinum expreſſe loquitur de Sacramentis novæ Legis, prout Sacramenta ſunt novæ Legis, quæ quidem, ut talia, & ſignificant, & cauſſant gratiam; non vero loquitur, de Sacramento, prout Sacramentum eſt, prout ſcilicet abſtrahit a Sacramentis veteris, quæ ſignificabant, & non cauſſabant, & a Sacramentis novæ Legis, quæ cauſſant ſimul, & ſignificant. Nos vero loquimur de Sacramento, ut Sacramentum eſt, & ideo dicimus de hujus ratione eſſe, quod ſit ſignum ſpeculativum, & non practicum, quia licet omnia Sacramenta ſignificent gratiam, non tamen omnia illam ſignificant, & operantur, & cauſſant, quia, ut dictum eſt, Sacramenta vetera ſignificabant, & non cauſſabant.

Ad II. Eadem eſt reſponſio; Concilium enim Trident. expreſſe loquitur de Sacramentis novæ Legis, ut in allatis citati Canonis ſexti verbis videre eſt. Quod & clarius patet, quia in margine hujus Canonis citatur Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. in Decreto de Sacram. ergo eadem eſt, & eſſe debet intelligentia verborum utriuſque Concilii Tridentini ſcilicet, & Florentini.

Ad III. Dicitur, quod nequit prorſus ſalvari univocatio in Sacramentis reſpectu ſanctitatis, prout abſtrahit a perfecta, & imperfecta; & ratio eſt, quia ſanctitas abſtrahens a perfecta eſt ratio analoga, & proinde nequit prorſus ſalvari univocatio relate ad rationem analogam. Et quod ſit ratio analoga manifeſte videtur per hoc ipſum, quod

quod in una ſanctitate eſt perfecta, & in altera eſt imperfecta, quod idem eſt ac dicere, eſt ſimilitudinaria, & impropria; ſicut eſt ratio pedis in Montis, vel Tabulæ, vel Sedis pede; ratio hominis in homine picto, vel ſculpto; ratio ſani in medicina, in pulſu, in urina &c.

Ad IV. Dicitur, quod in ratione generica non attendi debet, quod ſit magis, vel minus perfecte in ſe, ſed potius, quod in illa magis, vel minus perfecte inferiora conveniant. Sufficit ergo ad perfectionem Sacramentorum, prout generica eſt, ratio ſigni; prout vero ſpecifica eſt, quæ certe dicere debet rationem perfectiorem, habetur quidem ſuper rationem ſigni etiam ratio cauſſæ, quæ quidem eſt perfectior, prout in Sacramentis novæ Legis invenitur, & aſſeritur.

Ad V. Aſſumptum non eſt univerſaliter verum, quia dantur effectus, qui ſunt ſigna, & dantur etiam cauſſæ, quæ pariter ſunt ſigna. Primi generis eſt exemplum in argumento adductum, ſcilicet fumus, qui eſt effectus, & ſignum ignis. Secundi vero generis ſunt Iris, Nubes, aliaque ſimilia, quæ ſunt cauſſæ, & ſigna pluviæ.

Ad VI. Non conſiſtit præciſe ratio ſigni in eo, quod res in ſe utcunque cognita faciat venire in cognitionem alterius; ſed in eo, quod hoc faciat res in ſe cognita ſenſibiliter, & per ſpeciem, quam ingeret ſenſibus. Hoc autem, quod eſt propriam ſpeciem ſenſibus ingerere, & ſenſibiliter cognoſci, rei ſenſibili tantum convenire poteſt, & nullo modo rei inſenſibili, & immateriali. Quod patet ex Auguſtino lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 1. definiente ſignum hoc modo: *eſt illud, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.*

Ad VII. Improportio major, hoc eſt lõgior diſtantia gratiæ reſpectu rei materialis, quam reſpectu rei ſpiritualis, nihil facit ad rem, quia in ſigno ad placitum non attendi debet, quod eſt ſimilius, ſed quod eſt notius; quum autem notiora ſint, quæ ſunt materialia, & ſenſibilia, licet non ſint ſimiliora; inde eſt, quod in his magis ratio ſigni conſiſtit, quam in aliis. Si dicatur, quod in Sacramentis aliqua inveniuntur ſigna, quæ habeant proportionem quandam cum re ſignificata, veluti aqua, cujus eſt ablutre, & ſignificat ablutionẽ Animæ interiorem &c. dicitur hoc non habere rationem propriæ ſenſibilitatis, ſed rationem divinæ inſtitutionis; Deus enim ſic hæc inſtituit Sacramenta, quia ſic ſibi placuit, & ideo ſunt ſigna ad placitum Dei, quia potuiſſet Deus ſignis hiſce non uti, & aliis uti.

Ad VIII. In ſententia illorum, qui ſpecies intentionales realiter ab intellectu non diſtinguunt, negatur ſuppoſitum; at in hypotheſi aliorum, qui diſtinguunt, dicitur, quod ſpecies intentionales ſunt ſigna formalia, vel ſigna *quibus*, ſignum autem, de quo in præſenti eſt ſermo, eſt ſignum inſtrumentale, ſeu ſignum *quod*; quia ſignum *quod* eſt illud, quod in alterius cognitionem inducit; ſignũ vero *quo* eſt medium, quo in alterius cognitionem inducimur; & hinc eſt, quod ſignum inſtrumentale debet eſſe cognitum, adeoque ſenſibile, ſignum verò formale non officit, quod ſit incognitum.

Ad IX. Auguſtinus loquitur tantum de Sacramentis novæ legis & loquitur non de ſimilitudine formali, & propria, ſed de impropria & metaphorica, & allegorica; quæ nec etiam in omnibus Sacramentis novæ legis verificatur, ſed in aliquibus tantum. Unde ex illis Auguſtini verbis nihil, quod pro Adverſariis faciat, legitime deduci valet.

Ad X. Sufficit ad permanentiam Sacramentorum, quod durent pro tempore, quo durat Eccleſia, cujus ſunt Sacramẽta. Veteris legis Sacramenta durarunt toto tempore, quo Judæorum Eccleſia duravit: ergo ad ſufficientiam permanenter durarunt.

Ad XI. Quamvis non conſtet de aliqua rè modus, quo ſit, dummodo tamen conſtet ſubſtantia quod ſit, non eſt neganda; Et hoc in moralibus maxime procedit, in quibus difficilis eſt modus, quo res ſint in ſe ipſis, & ut explicetur, & ut definiatur. Etſi ergo non conveniant Theologi de ſchola circa temporis permanentiam, qua durare debent Sacramenta, non per hoc tamen negari debet Sacramentis ſtabilis permanẽtia, ſaltẽ pro eo tempore, quo durat Eccleſia, cujus ſunt Sacramenta. Sicque, quum Eccleſia Chriſti in æternum duret, ipſa etiam in æternũ permanebunt.

Ad XII. Rem inſenſibilem ſenſibiliter ſignificari nihil aliud eſt, quam ejus ſpeciem excitari in intellectu per ſpeciem

rei

rei ſenſibilis, quæ ſit recepta in ſenſu. Quod autem hoc in aliis ſimilibus non repugnet, vel evidenter cônſtat ex eo, quod per ſpecies rerum viſibilium excitamur ad res inviſibiles intelligendas; immo per ſpecies creaturarum extollimur, ut Deum ipſum, qui eſt creator omnium, concipiamus. Quod docebat Apoſtolus ad Rom. 1. ſcribens: *Inviſibilia ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*.

DISSERTATIO CCCV.

De exiſtentia Sacramentorum. An in ſtatu naturæ innocentis aliqua fuerint Sacramenta? An fuiſſent, ſi ſtatus ille perduraſſet? Num fuerint in ſtatu legis naturæ? Num in ſtatu legis ſcriptæ? Et an fuerint Judæis, cæteriſque nationibus, neceſſaria, & quandiu ipſorum neceſſitas perduraverit?

TRiplex naturæ ſtatus diſtinguitur. Primus eſt naturæ perfectiſſimæ, cujuſmodi eſt ſtatus Beatitudinis, & hic vere & proprie ſtatus dici meretur, quia ultra illũ nõ datur progreſſus, quum alij duo potius ſint viæ, quam ſtatus. Secundus eſt naturæ Innocentis, & ſic fuit ſtatus ante Adæ peccatum, uſque ad peccatum ipſum. Tertius eſt naturæ corruptæ, & ſic fuit ſtatus poſt Adæ peccatum. Iterum ſtatus naturæ corruptæ triplex eſt; Primus fuit ante Legem, & duravit ab Adamo uſque ad Moyſen, & vocatur ſtatus naturæ. Secundus dicitur ſub lege, & duravit a Moyſe uſque ad Chriſtũ, & vocatur ſtatus Legis ſcriptæ. Tertius dicitur ſub gratia, & incipit ad Chriſto, & uſque ad Mundi finem durabit, & nominatur ſtatus Legis novæ, Legis evangelicæ, Legis gratiæ, Legis Chriſti &c. Certum eſt in ſtatu naturæ perfectiſſimæ nulla eſſe Sacramenta, immo nec neceſſarium eſſe, quod ſint; ubi enim veritas eſt aperta, omnium ſignorum umbras ceſſare oportet. Loquentes ergo de Sacramentorum exiſtentia, non pro hoc ſtatu intendimus verba facere, ſed pro illis quatuor ſtatibus, in quibus fuit, & adhuc eſt humanum genus, nimirum pro ſtatu Innocentiæ, Naturæ, Legis, & Evangelij.
Pro ſtatu naturæ innocentis duo poſſunt quæri, quorum primũ reſpicit id, quod fuit de facto; alterum vero continet id, quod de poſſibili eſſe potuiſſet. Pro primo fere omnes Theologi de Schola conveniunt aſſerentes, pro hoc ſtatu nulla fuiſſe Sacramenta; diſſentiunt vero illi, qui docent, matrimonium inter Adamum, & Evam verum fuiſſe Sacramentum, cujus ſententiæ Patronos ad numerat Gonetus, aitque fuiſſe Alphonſum a Caſtro, Ambroſium Catharinum, Roffenſem, Pighium, Sotum, Henricũ octavum, Regem Angliæ in Tract. de Sacram., quem ſcripſit contra Lutherum, ante quam a Romana Fide deſciret, & Leoni X. Romano Pontifici dedicavit. Ulterius, qui concedunt nullum Sacramentum in ſtatu Innocentiæ fuiſſe, inquirunt inſuper, num pro eo ſtatu, licet breviſſimo, quo Adamus innocens fuit, neceſſaria fuiſſent Sacramenta? & negativè communiter concludunt. Durandus tamen, Alenſis, & alij pauci, licet concedant ante peccatũ non fuiſſe Sacramenta ita neceſſaria, quemadmodũ poſt peccatum fuerunt, volunt nihilominus quod aliquo modo fuerint etiã neceſſaria ante peccatum. Pro altero vero, quod eſt de poſſibili, diviſi ſunt Scholaſtici, quorum aliqui affirmativam, alij vero negativam partem ſequuntur. Qui ſtant pro affirmativa, nec inter ſe conveniunt; quidam enim affirmant in hypotheſi tantum, quod Chriſtus adhuc Adamo non peccante in mundum veniſſet; immo ſolum pro tempore, quo ipſe in mundo vixiſſet; ita Suarez. Alij in hypotheſi, quod multi ex Adæ Poſteris peccaſſét; ita Nugnus, Serra &c.

Qui

Qui vero ſtant pro negativa ſunt Cajetanus, Gonetus, Vaſquez, Valentia &c. qui afferunt pro ſe ipſis Doctorem Angelicum, & Doctorem Subtilem. Verum Cacheranus, qui etiam negativã tuetur, ingenue fatetur, nec S. Thomam nec Scotum pro hoc admodum expreſſe fuiſſe loquutos. Alij tandem hærent problematice, tanquam in re prorſus dubia, & incerta; ſic Arriaga, Henrice, Madernus, Jueninus, Natalis ab Alexandro &c. Horum Auctorum neutralitas placet Cacherano, ſi in eo ſiſtant, quod aſſerant, neutri parti abſolutam certitudinem ineſſe; diſplicet vero, ſi neutri parti concedant majorem præ altera probabilitatem, & congruentias validiores.

Dicimus I. In ſtatu Innocentiæ nulla fuiſſe Sacramenta; num autem fuiſſent, ſi ſtatus ille perduraſſet? omnino incertum.

I. Probatur prima cõcluſionis pars. Quod nec in Scriptura legitur, nec ex Traditione habetur, nec apud Patres invenitur, admitti a Catholico Theologo nullatenus debet; ſed nec in Scriptura, nec in Traditione, nec apud Patres habetur, quod in ſtatu naturæ innocentis fuerint aliqua Sacramenta; ergo in ſtatu naturæ innocentis nulla fuerunt Sacramenta. Quod quidem argumentum, licet ſit negativum, optime tamen concludet, quia in eo leges omnes ſervantur, quæ ad validum negativum argumentum ab eruditis Criticis præſcribuntur.

II. Probatur. Status naturæ innocentis fuit admodum brevis; ergo non decuit Deum Sacramenta inſtituere pro illo ſtatu. Antecedens eſt certum, & ab omnibus conceditur; conſequentia ſequitur; quia non fuit permanens ſtabilitas, quæ ad Sacramenti rationem eſt neceſſaria.

III. Probatur. Status naturæ innocentis duas tantum perſonas complectebatur, Adamum ſcilicet, & Evam, qui inſuper in eo ſtatu per breviſſimum tempus fuerunt, ut dictum eſt; ſed non decebat, Deum pro duabus tantũ Perſonis, & pro breviſſimo tempore, Sacramenta inſtituere: ergo pro illo ſtatu Deus Sacramenta non inſtituit. Probatur Minor: Tum quia, ut modo diximus, non fuiſſet Sacramentorum ſtabilitas; tum quoque, quia eorundem nullus haberi potuiſſet uſus, aut percipi utilitas, aut

Pro ſecunda autem Concluſionis parte, ad vertere oportet, de abſoluta poſſibilitate hìc nos non loqui. Quis enim negare poteſt, pro illo ſtatu Sacramenta fuiſſe poſſibilia? etiam pro illo breviſſimo tempore, quod aliqui unius diei fuiſſe dicunt, quo primi Parente in Innocentia perſeverarunt? certe, quum nullam dicat contradictionem, illorum poſſibilitas concedenda eſt, & in hoc omnes conveniunt; inſuper nec quæſtio eſt de abſoluta neceſſitate; liber enim erat Deus, ut ea poneret, vel non poneret, & homines, etiam abſque illis, in eo ſtatu perſeverare potuiſſent. Unde æque male arguerent, & qui dicerent: Sacramenta in illo ſtatu fuiſſent poſſibilia; ergo fuiſſent: & qui aſſererent: Sacramenta in illo ſtatu non fuiſſent abſolute neceſſaria: ergo non fuiſſent. Aliunde ergo, ut Cacheranus fatetur, inveſtiganda res eſt; & quia pendet a libera Dei voluntate, ad Dei revelationem recurrere deberemus. At, quia a Deo revelationem non habemus, ſupereſt ſolum, idem Cacheranus ait, ut perpendamus, quomodo ex Sacramentorum inſtitutione poſt peccatum, & ex congruentijs pro ipſa militantibus, eruatur vehementior conjectura, & major probabilitas non futuritionis, quam futuritionis eorundem ante peccatum, ſtatu Innocentiæ diu perſeverante. Sed in hoc nimis & turpiter Cacheranus fallitur; quum enim modo Sacramenta ſint inſtituta in remedium peccati, & in illo ſtatu peccata non fuiſſent, non eſt ratio, ut ex inſtitutione Sacramentorum modo facta ad futuritionem inſtitutionis pro eo tempore faciendæ deveniamus. Tunc enim ceſſaſſent præſentia motiva, quibus modo neceſſaria eſſe Sacramenta probamus; nimirum diſtinctio Religionis veræ a falſa, quia tunc omnium hominum una fuiſſet Religio, eaque vera; ceſſaſſet quoque ratio remedij, & medicaminis, quia tunc nullum fuiſſet peccati vulnus; ceſſaſſet inſuper ratio humiliationis ad ſenſibilia ſigna, quam in pœnam ſuſtinuit homo, ut qui rationem ſenſui ſubjecerat in peccato, ſenſibilibus in ſuplicium ſubjiceretur; quia tunc ratio habuiſſet ſenſuum dominium completum, atque perfectum. Non ergo eſt ratio, ut ex motivis, propter quæ modo Sacramenta inſtituta ſunt, futuram eorundem inſtitutionem in Innocentiæ

cētiæ ſtatus duratione colligamus. Nec quis pro Cacherano dicat, ipſum non colligere Sacramentorum exiſtentiam in ſtatu Innocentiæ ex motivis Sacramentorum inſtitutionis, quæ eſt de facto, ſed potius Sacramentorum non exiſtentiam, ſeu non futuritionē, adeoque non falli, ſed optime procedere, quum motiva, quæ de facto fuerunt, non fuiſſent pro illo ſtatu, & ſic nec Sacramenta fuiſſent, quod ipſe pretendit. Ne dicat ſane hoc; etenim quod Nos contra Cacheranum probare intendimus eſt, ipſum extra chorum egiſſe, ſic procedendo. Omnes enim Auctores concedunt, quod vi præſentis decreti, quo de facto inſtituta ſunt Sacramenta pro ſtatu naturæ lapſæ, non fuiſſent futura pro ſtatu naturæ innocentis: ergo omnes etiam concedunt, quod non fuiſſent futura vi præſentium motivorum. Aliorum igitur motivorum ratione loquuntur Auctores, qui futuritionem illam admittunt; & hoc impugnare debebat Cacheranus, non autem probare non futuritionem ex negatione motivorum præſentium, quod ultro Adverſarij concedunt. Nobis modo incumbit prius oſtendere poſitive incertitudinē, quam aſſeruimus in Concluſione, & deinde negative eamdem incertitudinem probare, congruentiarum ſcilicet ſolutione, quæ pro utraque parte afferuntur.

I. Igitur probatur ſecunda Concluſionis pars. Omnino incertum dici debet, quod Deus nec revelavit futurum, nec revelavit non futurum; ſed Deus non revelavit quid feciſſet, vel quid non feciſſet, pro illo breviſſimo tempore ſtatus Innocentiæ, ſi perduraſset: ergo omnino incertum dici debet quid pro illo ſtatu Deus feciſset. Probatur minor Si Deus aliquid revelaſset, vel hoc eſset expreſse contentum in Scripturis, vel ſaltem ex eo, quod de facto fecit in illo ſtatu, poſset, vel probabiliter, vel evidenter, inferri; ſed nihil in Scripturis pro hoc continetur, & nihil pariter, nec evidenter, nec probabiliter, deduci poteſt ex eo, quod de facto in illo ſtatu fecit: ergo &c. Minor patet, quia nullum verbum divinæ Scripturæ pro hoc affertur; & in ſtatu illo, qui breviſſimus quidem fuit, nihil decrevit faciendum, aut operatus eſt, vel eſſet ſaltem operaturus.

II. Probatur. Sacramentorum inſtitutio ex una parte dependet a Dei beneplacito, & ex altera ab hominum aliquali neceſſitate; ſed Dei beneplacitum nullatenus poteſt nobis innoteſcere, niſi Deus ipſe manifeſtet; & hominum neceſſitas non uno tantum modo, ſed multis modis poteſt a Deo ſuppleri: ergo nihil nos poſsumus, vel tanquam certum, vel ut probabile affirmarè, quia nec certi ſumus de Dei Voluntate ſine illius manifeſtatione, nec de hominum neceſſitate, ſine Dei pariter revelatione. Major negari non poteſt; tum quia Deus fuiſset liber pro inſtitutione Sacramentorum poſſibilium, ſicut fuit liber pro Sacramentorum inſtitutione, quæ de facto ſunt; & hominum neceſſitas, ſicut potuiſset ſuppleri per alios modos, quam per Sacramenta, quæ de facto ſunt, ita etiam potuiſset per alios modos reparari, quam per Sacramenta, quæ dicimus poſſibilia.

III. Probatur. Conjecturæ, quibus nos utimur ad affirmandum, vel negandū, Sacramenta pro illo ſtatu, vel deſumūtur ex inſtitutione Sacramentorum facta in ſtatu naturæ corruptæ, vel ex non inſtitutione pro illo breviſſimo tēpore ſtatus naturæ innocentis: ſed ex neutro capite deſumi poſsunt; ergo incertum omnino remanet. Probatur Minor. Non primum, quia nec ſimilis fuiſſet ſtatus, nec oppoſitus, ita ut ratione oppoſitionis poſſit ita, & non aliter colligi: neque ſecundum, quia ex una parte, quanvis fuiſſet ille ſtatus etiam innocentiæ, tamen fuiſſet pro longiori tempore, & pro pluribus Perſonis, cujuſmodi non fuit pro illo breviſſimo tempore, quo perduravit: ergo licet fuiſſet eadem ſubſtantia, quia tamen eſſent variatæ circumſtantiæ, conjecturæ petitæ ab illo ſtatu, qui de facto fuit, non valent ad inferendum, quid futurum fuiſſet pro ſtatu illo de poſſibili.

IV. Probatur. Quanvis ad mittantur rationes ex congruentijs petitæ, tamen fere nihil probant: ergo ſemper remanet incertum, ut dicimus. Probatur antecedens. Deus non ſemper operatur ſecundum id, quod humanæ rationi conſentaneum apparet; unde quæ nobis videntur congruentiæ ad affirmandum, fortaſſis erunt apud Deum motiva ad negandum. Quis enim conſilium ejus novit, aut quis conſiliarius ejus fuit? Creavit Deus Angelos malos, &

tamen

tamen brevi ruituros prævidebat; creavit hominem, & tamen mox ſciebat prævaricaturum. Nonne humana ratio dictaſſet neutiquam debuiſſe Angelos, qui deinde fuerunt mali, creare, aut hominem condere? Et nihilominus contraria res ipſa fuit. Melius eſt ergo in iis, quæ a libera Dei voluntate dependent, ubi nulla probabiliſſima ſuppetunt monumenta ſic, aut ſic dicendi, impotentiam noſtram fateri, quã unũ, aut aliud, ariolando proferre.

V. Probatur ſolvendo argumenta, quæ pro affirmativa parte proponuntur. Primum eſt: Si ſtatus Innocentiæ perduraſſet, Adæ Poſteri veram Eccleſiam conſtituiſſent; vera autem Eccleſia per Auguſtinum eſſe nequit ſine Sacramentis; ait enim S. Doctor lib. 19. contra Fauſtum c. 11. in nullum nomen Religionis, ſeu verũ, ſeu falſum, coagulari homines, poſſunt niſi aliquo ſignaculorum, aut Sacramentorũ viſibilium Cõſortio: ergo &c. Sed hoc argumentũ ſolvitur dicendo, S. Auguſtinum loqui diviſive, in quacunque ſcilicet Eccleſia debere eſſe, aut ſacrificia, aut Sacramenta. In Eccleſia autem pro ſtatu Innocentiæ fuiſſent ſacrificia, non Sacramenta, & illa fuiſſent ſatis, ut Eccleſia eſſet, & nominaretur. Secundum eſt: nihil obſtat, quare Deus non potuerit tum Adamo, tum ejus Poſteris, in ſtatu Innocentiæ, ſi is perduraſſet, dare præceptum, ut ad exercendam obedientiam, vel aliam ſimilem virtutem, uſurparent ſigna aliqua ſenſibilia, per quæ ſuam fidem in Deum proteſtarentur, & gratiam augerent ex opere operato; atqui hæc ratio probat congruenter futuram inſtitutionem pro illo ſtatu: ergo &c. Solvitur pariter hæc ratio ſi reſpondeatur, argumentum procedere de poſſibilitate, non de futuritione Sacramentorum pro illo ſtatu, quam quidem poſſibilitatem nos non negamus. Tertium argumentum eſt: poterant Adæ Poſteri actualiter peccare: ergo in remedium talium peccatorum decuiſſet Deum etiam pro ſtatu Innocentiæ Sacramenta inſtituere, quia aliter tunc homines ſi peccaſſent, fuiſſent deterioris conditionis, quam modo ſunt peccatores. Ad hoc argumentum aliqui dicunt, quod pro iis, qui peccaſſent, non fuiſſet ſtatus Innocentiæ perſeverans, adeoque non eſſemus in caſu, in quo loquimur de Sacramentis, pro iis, qui eſſent in ſtatu Innocentiæ. Sed hoc putamus effugiũ potius, quam reſponſum. Dicimus ergo, Sacramenta debere inſtitui in remedium naturę, non vero in remedium paucorum hominum; quia ergo per illos paucos homines non fuiſſet corrupta natura, ideo non fuiſſent neceſſaria Sacramenta. Cæterum in Lege ſcripta, nec etiam aliquod fuit Sacramentum pro actualibus peccatis; & tamen longe majores peccabant in Lege ſcripta, quam in ſtatu illo Innocentiæ peccaſſent. Illis autem hominibus, qui peccaſſent, aliqui volunt, nullum dandum fuiſſe pœnitentiæ locum, ſicut nec datus fuit Angelis in gratia creatis. Nos vero benignius de Dei miſericordia in homines ſentientes, dicimus, habituros tunc homines illos ſufficiens remediũ in actibus charitatis, & contritionis, qui illis fuiſſent faciliores, & perfectiores, ob majorem, quam de Deo cognitionem, habuiſſent. Quartum argumentum eſt: Si ſtatus Innocentiæ perſeveraſſet, & Adam per conſequens non peccaſſet, adhuc Verbum veniſſet; ſed ſuppoſita Verbi Incarnatione fuiſſet hoc ipſo aliquod ſaltem Sacramentum a Deo inſtitutum: ergo &c. Reſpondent pariter ad hoc argumentum dicendo, quod adhuc ſuppoſita Verbi Incarnatione, Innocentiæ ſtatu perdurante, non eſt ratio aliqua, quæ convincat Verbum incarnatum debuiſſe Sacramenta inſtituere; motiva enim quæ Scotiſtæ adducunt ad probandum adventum Verbi, adhuc Adamo non peccante, nullam habent connexionem cum Sacramentorum inſtitutione.

VI. Probatur ſolutione argumentorum, quæ pro negativa parte militant. Et primum argumentum eſt: Status Innocentiæ ex ſua intrinſeca ratione petit, ut pars inferior ſubdatur parti ſuperiori, & ſuperior immediate Deo: ergo petit etiam ut pars inferior perficiatur a ſuperiore, & ſuperior immediate a Deo; ſed ſi fuiſſent Sacramenta in ſtatu illo pars ſuperior non potuiſſet a Deo immediate perfici: ergo in ſtatu illo non fuiſſent Sacramenta, ſi duraſſet. Minor ſubſumpta probatur; quia debuiſſet perfici per Sacramenta, quæ quum ſint ſigna ſenſibilia & corporalia, ad partem potius inferiorem pertinent, adeoque pars ſuperior potius ab inferiori immediate perfici debuiſ-

buiſſet; quod non eſt dicendum. Hoc argumentum vocat Cacheranus quaſi a priori, & ipſum jactat tanquam a S. Thoma deſumptum. Sed reſponſio in promptu eſt; & quidem primo ratio propoſita non tantum probat non futoritionem Sacramentorum in illo caſu, verum etiam non poſſibilitatem, quia ſi eſt de intrinſeca ratione ſtatus Innocentiæ ſuperiorem partem ab inferiore non perfici: ergo perfici eſſet contra rationem intrinſecam ipſius ſtatus; quod autem eſt contra rationem intrinſecam alicujus, impoſſibile eſt ut ponatur illo poſito, contra cujus intrinſecam naturam eſt: ergo non ſolum non eſſet futurum, ſed etiam impoſſibile. Secundo, quia ſic diſcurrendo videtur Sacramenta fuiſſe nobis aliquo modo pœnalia; & ratio eſt, quia quum præfata ratio excludat Sacramenta ab ſtatu Innocentiæ ob hoc præciſe, quod Sacramenta de intrinſeco importarent ſubjectionem partis ſuperioris ad inferiorem, quam ſubjectionem de intrinſeco ſtatus ille negat, & hæc ſubjectio ſit maxime ad pœnam: ergo non ſolum aliquo modo, verum totaliter nobis eſſent pœnalia Sacramenta; ſeu clarius, eſſentia Sacramentorum potius conſiſteret de ſuo intrinſeco in pœna, quam in beneficio, quum de ſuo intrinſeco conſiſtat in illa ſubjectione, quam ſupponit nobis eſſe totaliter ad pœnam. Tertio negatur abſolute antecedens; etenim ſi illud eſſet verum, homines in ſtatu Innocentiæ fuiſſent abſolute impeccabiles, quia per peccatum pars ſuperior inferiori ſubditur; quum ergo in ſtatu Innocentiæ nequeat pars ſuperior inferiori ſubdi, nequiret hoc ipſo homo peccare. Hoc autem eſt falſum, ut in Adamo fuit compertum, & in Poſteris omnes concedunt, quod ipſi potuiſſent actualiter peccare. Si ergo non fuiſſet contra rationem ſtatus Innocentiæ partem ſuperiorem inferiori ſubdi per peccatum, nec etiam fuiſſet contra rationem ipſius partem ſoperiorem ab inferiori perfici per Sacramenta. Secuncundum argumentum eſt: rationes, & fines modo militantes pro Sacramentorum inſtitutione non militaſsent in eo ſtatu: ergo nulla tunc Sacramenta extitiſsent. Antecedens probant enumerando rationes illas, & oſtendendo pro illo ſtatu congruas non fuiſse, quod & nos præſtitimus ſupra. Reſponſio ad hoc argumentum patet ex iis, quæ diximus ſupra contra Cacheranum. Tertium argumentum eſt: quanquam non ſit contra rationem naturæ integræ, ſeu innocentis, hominem cognoſcere ſpiritualia, quæ ſunt naturalis ordinis, mediis ſenſibilibus, & corporalibus, quatenus hęc ſenſibilia ſe tenent ex par. objecti, non ex parte potentiæ; eſset tamen contra rationem ipſius, ut homo ad ſpiritualia, quæ ſunt ſupernaturalis ordinis, per ſenſibilia, & corporalia perducatur, quæ ſe teneant non èx parte objecti, ſed ex parte potentiæ, cujuſmodi eſsent Sacramenta, quæ non concurrunt intentionaliter, & objective, ſed cauſative, & tanquam comprincipia perficientia potentias, & habitus ex parte iſtarum ſe tenentes. Ideo autem eſset contra rationem naturæ innocentis, quod eſt dictum, quia quanvis ſit naturale homini, qua homini, dependere ab inferioribus quoad concurſum objectivum, non eſt tamen naturale homini niſi lapſo dependere ab inferioribus adjuvantibus potentiam. Quod eſt autem naturale homini lapſo, hoc ipſo eſt contra naturam hominis innocentis. Ad quod argumentum dicitur, quod ipſum non ſolum probat non futuritionem, ſed etiã impoſſibilitatem Sacramentorum in ſtatu naturæ innocentis, ut in reſponſione ad primum dictum eſt. Ulterius negatur eſse naturale tantum homini lapſo dependere a corporalibus non ſolum objective, ſed etiam cauſative. Hoc quidem argumentum aſsumit, ſed non probat.

Opponunt contra primam Concluſionis partem I. Matrimonium primorum Parentum fuit verum Sacramentum; ergo in ſtatu naturæ innocentis fuerunt vera Sacramenta. Probatur antecedens. Matrimonium primorum Parentum fuit ſignum rei ſacræ: ergo fuit verum Sacramentum Probatur antecedens. Matrimonium primorum Parentum fuit ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia; ergo fuit ſignum rei ſacræ. II. Non minus de matrimonio primorum Parentum, quam de Infidelium matrimonio, loquutus eſt Apoſtolus ad Epheſios V. *Sacramentum hoc magnum eſt &c.*; ergo ex Apoſtolo matrimonium primorum Parentum fuit Sacramentum, & quidem magnum. III. Auguſtinus

ſtinus lib 8. de Geneſi ad literã cap.4. de ligno vitæ ſcribit: *erat ei* (Adamum intelligit) *in lignis cæteris alimentum, in iſto Sacramentum*: ergo per Auguſtinum habuit Adam in ligno vitæ Sacramentum. IV. Primi Parentes in illo ſtatu Innocentiæ, licet breviſſimo, obtulerunt Deo ſacrificium aliquod: ergo pariter aliquod habuerunt Sacramentũ.

Reſpondemus ad I. Matrimonium, fuiſſe quidem in illo ſtatu Sacramentum late ſumptum, quatenus ſcilicet erat ſignum alicujus rei ſacræ; non tamen ſtricte ſumptum, quum non fuerit ſignum gratiæ ſanctificantis. Unde, ut docet S. Thomas, Matrimonium, quod in ſtatu Innocentiæ inchoatum fuit in officium naturæ, in Lege nova, poſt conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, fuit deinde inſtitutũ in ratione Sacramenti.

Ad II. Eadem eſt reſponſio; explicantur ſcilicet verba Apoſtoli de Sacramento late ſumpto, non vero ſtrictim accepto; & dicitur magnum, non in ratione Sacramenti, ſed in ratione ſignificationis, quæ in Matrimonio continetur.

Ad III. Auguſtinus in citato loco intelligit Sacramentum pro re arcana, ſeu pro ſigno rei arcanæ; quatenus ſcilicet ligno vitę inhærebat vis ſupernaturalis, quam alia ligna non habebant; & quia vis illa incognita erat, & ſecreta, inde eſt, quod Sacramentum in latiſſima ſignificatione accipiebatur.

Ad IV. Incertum eſt, num primi Parentes in ſtatu Innocentiæ ſacrificium aliquod obtulerint Deo; hoc enim facere debebant in Paradiſo voluptatis, ubi, quoadusque ſtatus Innocentiæ duravit, permanſerunt. At non legitur, nec in Scripturis, nec apud Patres, quod in Paradiſo obtulerint ſacrificium Deo. Inſuper, quum fuerit tempus illud breviſſimum, nempe unius diei, ut non pauci volunt, videtur, quod opportunum tempus non habuerint ad ſacrificandũ. Sed dato, quod ſacrificium aliquod Deo obtulerint, illud non fuit proprie Sacramentum, quia ſacrificium per ſe primario ſignificat ſupremum dominium Creatoris ſupra res creatas, non autem gratiam ſanctificantem, quam ſignificare deberet, ut eſſet Sacramentum. Denique non currit paritas, quod debuiſſet eſſe Sacramentum in illo ſtatu, quia in eo fuiſſet ſacrificium; res enim diſparatæ ſunt, & ex poſitione unius alterius poſitio non ſequitur.

Pro illa Diſſertationis parte, in qua quæritur, num in ſtatu Legis naturæ fuerint Sacramenta? ſupponendum eſt, quod poſt peccatum non fuerunt abſolute & ſimpliciter neceſſaria Sacramenta, quum nec ipſa Incarnatio, a qua ſuam omnem vim Sacramenta deſumunt, abſolute & ſimpliciter neceſſaria fuerit. Fuerunt nihilominus neceſſaria ſecundum quid, quia quanvis Deus ſuam gratiam, quo vult modo, poſſit hominibus elargiri, per Sacramenta tamen, ut ait Hugo a S. Victore, convenientius elargitur. Poſt peccatum conſiderantur homines in ſtatu Legis naturæ, & licet hic ſtatus fuerit ab Adamo uſque ad Moyſen, quia tamen circumciſio data fuit Abrahæ, inde eſt, quod Lex ſcripta initium poteſt ducere & ab Abrahamo, & à Moyſe, quum illi data fuerit in carne inſculpta, huic vero in tabulis lapideis exarata. De tempore igitur illo loquimur, quod Circumciſionem præceſſit, adeoque de tempore illo, quod inter Adamum, & Abrahamum fuit; & de tempore illo quæritur, num à Deo fuerint aliqua Sacramenta inſtituta.

Supponendum eſt ulterius, in ſtatu Legis naturæ fuiſſe remedium aliquod originalis peccati pro Adultis; etenim quum certum ſit, quatenus Scriptura expreſſe hoc perhibet, in ſtatu Legis naturæ multos homines extitiſſe Sanctos, qui tamen cum originali labe nati erant, inferre legitime poſſumus, per remedium aliquod renatos fuiſſe, per quod ſe juſtos, & Deo gratos, reddiderunt.

Supponendum eſt denique, hoc remedium fuiſſe quoque pro parvulis; & quanvis de hoc nihil certi in Scripturis, & Patribus inveniatur, communis nihilominus eſt omnium Scholaſticorum Doctrina hoc aſſerentium poſt Auguſtinũ, Gregorium, Bernardum, Hugonem Victorinum, Innocentium III., Bedàm, Magiſtrum ſententiarum, S. Thomam, & reliquos. Et ratio ipſorum eſt, quia quum Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & neminem perire, omnibus neceſſe eſt media, & auxilia ad ſalutem ſufficientia providiſſe; hoc autem non verificaretur, ſi remedium aliquod pro Parvulis, qui in ſtatu naturæ decedebãt non dediſſet, quo ab originali labe liberarentur. Neque dicas, quod quemadmodum verificatur modo, Deum omnes homines velle ſalvos fieri, quanvis

vis Parvulis in Matris utero decedentibus nullum remedium dederit; ita & tunc verificatum fuiſſe, quanvis nec Parvulis dederit, antequam ad adultam ætatem pervenirent: ne dicas hoc; diſpar enim eſt ratio, quia per ſe, & per cauſſas naturales poſſibile eſt, omnes Parvulos ex materno utero prodire, non verò omnes ad adultam ætatem pervenire; unde illis ſufficienter fuit proviſũ de remedio applicabili ſtatim ac fuerint extra maternũ uterum conſtituti, non vero illis antequam fuerint ad adultam ætatem deducti Adeoque dicitur mortem Parvuli in utero provenire ſemper ex aliqua Parentum culpa, quæ per auxilia ſufficientia potuiſſet ab illis evitari; non autem ex culpa non adulti ipſius mors in Lege naturæ proveniſſet. Laudant nonnulli pro utroque, quod ſuppoſuimus, quendam Cypriani locum, & præcipue Contenſonus, ubi Cyprianus lib. de Cardinalibus Chriſti operibus ait: *Sane originale peccatum, quod a primis Parentibus in totam hujus generis ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari.* Verum hoc opus ſuppoſitum Cypriano, eſt, ut Eruditi omnes fatentur.

Quod quæritur igitur modo eſt: utrum hoc remedium, tam in Parvulis, quam in Adultis, Sacramentum fuerit? Inſuper, utrum etiam pro Adultis fuerit aliquod remedium pro peccatis actualibus, quod fuerit pariter Sacramentum? Richardus, Sotus, Vaſquez, Aliique nullum in Lege naturæ admiſerunt Sacramentum. Albertus, Paludanus, Canus, aliique apud Gonetum admiſerunt pro Adultis, non pro Parvulis. Cajetanus, Nugnes, Joannes a S. Thoma, aliique ex Thomiſtis admiſerunt pro Parvulis, & pro Adultis. Arriaga, Amicus, Cardinalis de Lugo, Madernus, Cacheranus, Jueninus poſuerunt pro Parvulis, & non pro Adultis,

Dicimus II. In Lege naturæ fuiſſe Sacramentum aliquod ad originale peccatũ delendum à Deo inſtitutum, nullum autem pro Adultis, præcipuè ad actualia peccata delenda.

I. Probatur prima Concluſionis pars. Auguſtinus lib. 5. contra Julianum cap. 11. *nec ideo tamen credendum eſt antè datam Circumciſionem famulos Dei, quandoquidem in eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos Parvulis ſuis; quanvis quid eſſet aliqua neceſſaria cauſſa, ſcriptura latere voluerit*: ergo ex Auguſtino fuit remedium pro Parvulis in Lege naturæ ad originale delendum, quanvis Deus, quale remedium hoc fuerit in particulari nobis non revelaverit.

II. Probatur. Si Deus nullum remedium Parvulis dediſſet pro originali delendo in Lege naturæ, & hoc quidem ſenſibile, non voluiſſet hos Parvulos in ſtatu illo ſalvos fieri, immo voluiſſet potius perire; atqui hoc eſt contra Dei Miſericordiam, Providentiam, & Benignitatem, & pariter eſt contra Pauli Apoſtoli Teſtimonium; ergo vere Deus pro ſtatu naturæ remedium aliquod Parvulis contulit ad Originale delendum. Et quia hoc remedium debuit eſſe ſenſibile, inde infertur fuiſſe Sacramentum. Et quod debuit eſſe ſenſibile patet, quia Parvuli capaces non erant, ut internos actus, qui inſenſibiles ſunt, exercerent. Quod clarius fiet in ſequenti ratione.

III. Probatur. Hoc remedium pro Parvulis debebat eſſe ſenſibile: ergo Sacramentum. Antecedens probatur. Non fuit actus pure internus: ergo fuit remedium ſenſibile. Probatur antecedens. Non fuit actus pure internus elicitus a Parvulis, ut de ſe patet; neque a Parentibus, quia hic actus fuiſſet interna fides Parentum, vel illorum, qui Parvulorum curam habebant, ut Adverſarii volunt; atqui hoc dici non poteſt: ergo &c. Probatur Minor. Illa fides interna debuiſſet gratiam conferre Parvulis: ſed gratiam non conferebat; ergo illud non eſt dicendum. Probatur Minor. Si gratiam conferebat, vel conferebat ex natura ſua, vel ex divina inſtitutione: non ex natura ſua, quia ſic ſemper conferret, & non ſolum tunc, ſed etiam nunc, & nec ſolum reſpectu Parvulorum, ſed multo magis reſpectu habentium illam; quod eſt falſum. Nec ex inſtitutione divina, quia in tantum Adverſarii negant in illo ſtatu Sacramenta fuiſſe, quia nolunt in Lege naturæ aliquam fuiſſe inſtitutionem: ſed ipſi admittunt inſtitutionem: ergo ſibimet ipſis contradicunt.

IV. Secunda Concluſionis pars probatur. Pro Adultis non erat neceſſe, ut remedium illud fuiſſet ſenſibile: ergo ne-

neque Sacramentum. Probatur antecedens. Non enim erat neceſſe ex natura rei, quia poterant Adulti actu contritionis, aut dilectionis Dei, ſe juſtificare. Nec erat neceſſe ex divina inſtitutione, quia hæc nobis nec ex Scripturis, nec ex Patribus innoteſcit.

II. Probatur. In tantum dicimus pro Parvulis fuiſſe Sacramentum, quanvis nec ex Scripturis innoteſcat, quia Parvuli non poterant ſe propriis actibus juſtificare; Sed Adulti poterant ſe juſtificare propriis actibus: ergo non fuit opus, ut illos Deus ad propriam juſtificationem habendam de remedio ſenſibili, quod fuiſſet Sacramentum, provideret.

III Probatur. Patres loquentes de Sacramento, quod fuit in Lege naturæ, vel expreſſe negant, Sacramentum aliquod fuiſſe pro Adultis, vel loquuntur de eo tantum, tanquam pro Parvulis inſtituto, nullum verbum facientes pro Adultis: ergo communis ſenſus Patrum eſt, quod Deus in Lege naturæ remedium aliquod inſtituerit pro Parvulis ad originale delendum, quod fuerit Sacramentum, nullum vero pro Adultis, nec pro originali, nec pro actuali peccato explando.

Objiciunt I. Plures Eccleſiæ Patres docent, ſolam fidem internam in naturæ Lege ſufficiens fuiſſe remedium ad originale peccatum delendum; uti ſunt Tertullianus lib. de Bapt. cap. 13, Gregorius Magnus IV. Moralium cap. 3. Bernard. Epiſt. 77. Beda in Luc. cap. 8. Alii addunt pariter S. Thomam. II. Non poteſt aſſignari, quodnam fuerit in particulari, & in ſpecie, Sacramentum illud Legis naturæ, quo Parvuli juſtificabantur: ergo non fuit. III. Sacramentum illud, vel conferebat gratiam ex opere operato, vel ex opere operantis; non primum, quia hoc Tridentinum docet, eſſe proprium Sacramentorum novæ Legis: neque ſecundum, quia aliter ſi Miniſtri fuiſſent impii, Parvuli non fuiſſent juſtificati. IV. In hoc Sacramento nulla poteſt aſſignari forma; ſed hæc neceſſaria eſt in quolibet Sacramento: ergo &c. V. Pro Adultis etiam in Lege naturæ fuit Sacerdotium: ergo fuit Sacramentum. Probatur antecedens. In Lege naturæ fuerunt ſacrificia: ergo fuit Sacerdotium. Prima conſequentia ſequitur; quia ſi fuit Sacerdotium, fuit etiam vera ordinatio, quæ Sacramentum debuit eſſe, & per quam ad Sacerdotium promovebantur homines. VI. Apoſtolus ad Hebr. 7. prætulit Sacerdotium Melchiſedechi Sacerdotio Levitico; ſed Melchiſedech. vixit in Lege naturæ, & Leviticum fuit verum Sacerdotium, ac divinum: ergo pariter Sacerdotium Melchiſedechi fuit verum Sacerdotium, atque divinum: ergo fuit Sacramentum: ergo in Lege naturæ etiam pro Adultis Sacramenta fuerunt.

Reſpondemus ad I. Patres illos intelligere per ſolam fidem non ſolum habitum fidei, aut ſolum actum interiorem ejuſdem, ſed ſolum actum exteriorem ſenſibilem proteſtantem fidem. Hic autem actus ſufficienter potuit habere Sacramenti rationem. Alii dicunt, per *To ſola* excludere Patres ſacrificium, non Sacramentum. De S. Thoma dicunt, quod in Summa mutaverit ſententiam.

Ad II. dicitur, quod non ſequitur conſequentia, ut ex verbis Auguſtini nuper allatis patet. Certe in individuo dicere non poſſumus, quodnam fuerit Sacramentum illud, quum nihil Scriptura loquatur, nec Traditio ſubminiſtret. Poſſumus autem opinari, fuiſſe fidem Parentum aliquo exteriori ſigno manifeſtatam. Denique addi ulterius poteſt, quod Deus determinaverit materiam in genere, non autem in ſpecie, ut aliqui de Sacramentis novæ Legis dicunt.

Ad III. Dici poteſt, & quod Sacramentum illud juſtificaſſet ex opere operantis, non quod hoc egerit ex vi Sanctitatis Miniſtri, ſed ex vi ſolius fidei in Chriſtum venturum, cujus fidem Sacramentum illud viſibilibus ſignis proteſtabatur; & dici etiam poteſt, produxiſſe gratiam ex opere operato, ut multi de Circumciſione ſentiunt. Ad Tridentinum dicitur, non fuiſſe loquutum de Sacramentis Legis naturæ, ſed de illis primum a Moyſe promulgatis, quæ quidem gratiam ex opere operato non conferebant. Circumciſio autem, & Sacramentum illud, de quo loquimur, non fuerunt a Moyſe, ſed a Patribus.

Ad IV. S. Thomas docet adhibitas fuiſſe preces quaſdam cum exteriori ſigno, & preces illas vim formæ obtinuiſſe.

Ad V. In ſecunda Epiſtola Decretali,

quæ

quæ S. Anacleto, Romano Pontifici, adſcribitur, legitur, quod licet aliqui legantur prius Sacrificium obtnliſſe, ut Melchiſedech, & Abraham, hi tamen ſpontanea voluntate, non vero Sacerdotali auctoritate hoc fecerunt.

Ad VI. Reſpondemus, quod Sacrificium Melchiſedechi fuit præſtantius Sacrificio Levitico ratione ſignificationis, non vero ratione inſtitutionis.

Colligimus ex his I. Fuiſſe quidem pro Parvulis Sacramentum in Lege naturæ, ſed quod nam fuerit, nos neſcire; neque hoc ipſius exiſtentiæ officere, quia etiam ſcimus, fuiſſe pro Parvulis ante octavum diem decedentibus aliquod remedium in Lege ſcripta, & fuiſſe pariter pro mulieribus, pro quibus non erat Circumciſio, & nihilominus neque ſcimus quale fuerit. II. etiam colligimus, nec pro Adultis fuiſſe Sacramentum aliquod ad ſe juſtificandum a culpis actualibus; quia poterant ſe juſtificare per actus internos, quemadmodum ab originali juſtificabantur. Et hoc eſt contra multos ex Schola Thomiſtica, & precipue Gonetum, agnoſcentes in Lege naturæ Sacramentum deletivum culpæ originalis, & aliud deletivum culpæ actualis, cui correſpondet Sacramentum Pœnitentiæ, & aliud conſervativum & augmentativum gratiæ, cui correſpondet Euchariſtia. III. Colligimus; non fuiſſe hoc Sacramentum univerſaliter inſtitutum, quia quod ex ſpeciali privilegio conceſſerit Deus hoc remedium alicui Familiæ; ut aliqui putant, de Sacrificio Melchiſedechi; probabiliter ſuſtineri poſſe concedimus, propter auctoritatem nimirum aliquorum Patrum, qui hoc aſſerunt, quanvis, & poſſint de Sacramento late ſumpto commodius interpretari. IV. Colligimus determinationem in ſpecie hujus Sacramenti, quum non facta fuerit a Deo, aliter Scripturæ inſtitutionis illius meminiſſent, factam fuiſſe ab hominibus ſpeciali Dei inſtinctu; unde quilibet homo poterat aliquod ſignum ſenſibile aſſumere, prout Deus illi ſpecialiter inſpirabat, ad fidem illam internam manifeſtandam. Non negamus tamen, quod potuiſſet tale ſignum in unoquoque Populo publica auctoritate determinari; ſed num factum, aut non factum ſit, ignoramus. Probabilius nihilominus credimus, neutiquam fuiſſe factum, propter ſilentiū, quod ubique, & in Scripturis, & in Patribus, experimur.

Pro illa alia Diſſertationis parte, in qua quæritur, an in Lege ſcripta vera extiterint Sacramenta? fuerunt Scholaſtici nonnulli, quos refert Gonetus, qui putarunt, ſolam Circumciſionem in veteri Teſtamēto Sacramentum verum & proprium fuiſſe. Alii tamen, quibus favere videtur Sotus, ultra Circumciſionem, & Agni Paſchalis eſum, aliud Sacramentum non admiſerunt. Nos autem non ſolum aſſerimus in veteri Lege vera & propria Sacramenta fuiſſe, ſed etiam illa fuiſſe multa.

Dicimus III. in Lege ſcripta vera Sacramenta fuiſſe, eaque fuiſſe multa.

I. Probatur ex Conciliis, Florentino in Decreto Eugenii IV. de Unione Armenorum, & Tridentino ſeſs. 7. Can. 2. in quo hæc leguntur: *Si quis dixerit, ea ipſa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis non differre, niſi quia ceremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi; anathema ſit*. In his Conciliis ſermo eſt de Sacramentis Legis ſcriptæ tanquam de pluribus, & pariter affirmatur ea vera Sacramenta fuiſſe: ergo ex his Conciliis aperte deducitur, & in Lege ſcripta vera Sacramenta fuiſſe, & illa etiam fuiſſe multa.

II. Probatur ex Auguſtino lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. *Prima Sacramenta, quæ celebrabantur, & obſervabantur ex Lege &c.* Iterum eodem loco: *Sacramenta veteris Legis ablata ſunt, quia impleta, & alia inſtituta ſunt virtute majora, utilitate meliora, numero pauciora*: ergo ex Auguſtino majoris numeri erant Sacramenta antiqua, quam nova.

III. Probatur. Sacramenta antiqua erant figuræ Sacramentorum novorum, quæ ſunt figurata; ſed figurata ſunt multa: ergo multæ pariter debebant eſſe figuræ: ergo multa etiam fuerunt antiqua Sacramenta. Major eſt Doctrina omnium Scholaſticorum, qui a Patribus illam, immo & a Scripturis etiam, didicerunt.

IV. Probatur. In Lege ſcripta erant homines in ſtatu minus perfecto, quam modo ſint in Lege gratiæ, in qua in ſtatu quidem ſunt perfectiori: ergo illi magis erant ad res ſenſibiles inclinati: ergo majorem neceſſitatem habuerūt, ut ipſis per res ſenſibiles conſuleretur:

atqui hoc indicat majorem Sacramentorum numerum fuiſſe tunc neceſſarium: ergo multa fuerunt in Lege veteri Sacramenta.

V. Probatur. Præter Circumciſionem plures erant in Lege veteri ritus, & ceremoniæ, quibus Sacramenti definitio conveniebat: ergo plura pariter erant Sacramenta. Probatur antecedens. Triplicis generis erant illa ſigna, conſecratoria nimirum, euchariſtica, & purificatoria: prima erant omnes Pontificum, & Sacerdotum Inaugurationes, & ſacri ritus, quibus aliqui homines initiabantur, & deſtinabantur ad debitum cultum Deo impendendum, ut Sacerdotes, & Levitæ; & hæc Sacramenta Sacerdotum, & Levitarum erant propria. Euchariſtica comprehendebant Agnum Paſchalem pro toto Populo, & Panes Propoſitionis pro Sacerdotibus, & Levitis. Purificatoria continebant omnes purificationes, & expiationes, quæ duplicis erant generis: aliquæ enim ab immunditiis exterioribus, & legalibus expiabant, & hæ fiebant per aſperſionem aquæ, vel per aliquod ſacrificium ordinatum ad tollendum peccatum illud, quo hujuſmodi immunditiæ contrahebantur; aliæ autem a peccatis purificabant, & fiebant per ſacrificia, quæ vel pro toto Populo, vel pro peculiaribus Perſonis, offerebantur. Ex illis autem Circumciſio in Lege ſcripta, vel remedium illud in Lege naturæ pro Parvulis, quod perſeverabat quoque in Lege ſcripta pro illis, qui ante octavum diem decedebant, & pro mulieribus, noſtro Baptiſmo correſpondebat; Comeſtio Agni Paſchalis,& Panum Propoſitionis, Euchariſtiæ. Purificationes Pœnitentiæ. Conſecratio, ſeu deputatio Sacerdotum, & Levitarum, Ordini. Nullum autem antiquæ Legis Sacramentum Confirmationi, extremæ Unctioni, & Matrimonio, correſpondebat. Ratio eſt, quia Confirmatio eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, & tempore Legis ſcriptæ plenitudo gratiæ nondum advenerat; extrema Unctio eſt præparatio ad introitum Gloriæ, & tunc Gloriæ aditus nondum patebat; Matrimonium ſignificat conjunctionē Chriſti cum Eccleſia, & tunc Chriſti cum Eccleſia conjunctio nondum habebatur.

Pro ultima tandem Diſſertationis parte breviter hic aſſerimus primo, quod nec Judæis, nec Gentibus, fuerunt Sacramenta neceſſaria, neceſſitate medii; ratio eſt, quia Sacramenta illa ſignificabant, non producebant gratiam ſanctificantem; unde ſine ipſorum perceptione poterant homines juſtificari, & ſalvari. Secundo; quod Judæis erant neceſſaria neceſſitate præcepti, quia Deus illa Abrahæ Poſteris præceperat, ſub æternæ damnationis pœna, & Lex pœna mortis ea non recipientes puniebat. Tertio; aliis Nationibus neceſſaria non fuerunt; quia neceſſaria ſolum erant iis, quibus præcepta fuerat Circumciſio, & Incircumciſi ad Moſaica myſteria, & præcipue ad Agni Paſchalis eſum,admitti non poterant; Gentibus autem non fuit injuncta Circumciſio, quum conſtet ſolis Abrahæ Poſteris fuiſſe a Deo imperatam. Quarto; In triplici ſtatu antiqua Sacramenta conſiderantur; in primo fuerunt viventia, in ſecundo mortua, in tertio mortifera. Viventia virtutem ſuam habebant, mortua ſua virtute deſtituebantur, mortifera mortem ſuſcipientibus cauſſabant. Viventia fuerunt uſque ad Chriſti mortem; illo enim tempore, quum vetus Teſtamentum abrogatum fuerit, omnia pariter illius Sacramenta ſuam virtutem amiſerunt; unde Chriſtus dixit: *Conſummatum eſt*; & dicitur quoque in Evangelio, quod *velum templi ſciſſum eſt*. Mortua fuerunt a Chriſti morte uſque ad Evangelii promulgationē, & eo tempore licet non obligarent, licite tamen obſervari poterant; ut patet exemplo Apoſtolorum, qui poſt Chriſti mortem ritus illos aliquando obſervarunt; modo tamen in eis juſtitiam non quærerent. Mortifera fuerunt poſt Evangelii promulgationem, unde tunc iiſdem uti abſque gravi peccato non licebat. Videatur Auguſtinus ab octava Epiſtola uſque ad vigeſimam, quibus probat hoc ipſum, quod nos aſſerimus, contra Hieronymum putantem, poſt Chriſti Paſſionem & mortem Sacramenta Moſayca fuiſſe mortifera, adeoque Apoſtolos iis ſimulate & ficte fuiſſe uſos.

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCVI.

De Sacramentis novæ Legis. An in Lege Evangelica vera ſint Sacramenta? Sacramentorum veteris & novæ Legis quænam ſint præcipua diverſitatum capita? Quinam ſit germanus ſenſus, quo aliqua a Patribus Sacramenta dicuntur? Et an novorum Sacramentorum numerus ſit ſeptenarius?

SAcramentorum inſtitutio in nova Lege ſimpliciter neceſſaria non fuit; tum quia fuit opus ad extra, cujus generis omnia ſunt Deo libera; tum etiam quia ordinata fuit ad gratiam, adeoque non minus ex liberalitate Dei, quam ex ejuſdem libertate proveniens. Poterat nimirum Deus aliis modis ex iis, qui in theſauris Sapientiæ ſuæ ſunt ſine fine. hominem juſtificare, & ad æternam ſalutem perducere; unde neceſſarium nec Deo fuit, ut per Sacramenta hominem faceret juſtum, & ſalvum; nec homini, ut per eadem juſtus, & ſalvus fieret. Fuit nihilominus Sacramentorum inſtitutio in nova Lege neceſſaria, ſecundum quid; quemadmodum de Sacramentorum inſtitutione, tum in ſtatu Legis naturæ, tum in ſtatu Legis ſcriptæ, dictum eſt. Quinimmo ſpecialibus congruentiis convenientia Sacramentorũ novæ Legis, etiam prout ab illis veteris Legis diverſa fuerunt, omnino probatur, & ex parte Dei iſtituentis, & ex parte hominis ſuſcipientis, & ex parte inſtitutionis, & ex parte denique Sacramentorum. Et quidem primo ex parte Dei, ne aliter videretur antiqua Sacramenta, ſeu ſacrificia, tanquam ſibi utilia, aut delectabilia, imperaſſe, & non potius tanquam illorum expreſſiva, ad quæ figuranda ordinabantur. Quod innuit Apoſtolus ad Hæbreos. 9. & 10., & Auguſtinus lib. 10. de Civit. cap. 5. docet: *Mutanda erant opportuno certoque jam tempore, ne ipſi Deo jam deſiderabilia, vel certe in nobis acceptabilia, ac non potius, quæ his ſignificata ſunt, crederentur*. Secundo ex parte hominis, quia quum per Legis gratiam depoſuerit ſervilem conditionem, quam prius habebat, & in filium fuerit adoptatus, congruum fuit, ut per perfectiora Sacramenta duceretur. Inſuper, quum in Lege ſcripta fuerit homo habitus ut parvulus, & in Lege gratiæ evaſerit in perfecta ætate adultus, non oportebat, tam pro parvulo, quam pro adulto, eaſdem adhiberi medicinas. Unde Auguſtinus lib. de vera Relig. cap. 17. *Paterfamilias juſtiſſimus aliud imperat iis, quibus ſervitutem duriorem utilem judicat, aliud iis, quos in filiorum gradu adoptare dignatur*: Et in Tit. Pſalmi 51. *quoniam puero dantur quædam puerilia ludrica, quibus puer illis annis avocetur, propterea gradeſcenti non excutiuntur, ut aliquid jam utilius tractet!* Tertio ratione temporis inſtitutionis, quia vetera Sacramenta Chriſtum venturum promittebant, nova autem debebant exhibere præſentem; non iiſdem igitur ſignis oportebat, & futura, & præſentia denotari. Quapropter Auguſt. Epiſt. 5. docebat: *Verumtamen breviter dici poteſt, quod homini fortaſſe ſufficerit aliis Sacramentis prænunciare Chriſtum, quum venturus eſſet, aliis, quum veniſſet, annunciare oportuiſſe*. Quarto demum ex parte ipſorum Sacramentorum, quia vetera erant egena & vacua elementa, & umbræ futurorum; adveniente autem gratiæ & veritatis plenitudine, conveniens fuit, ut illa deſinerent. Propterea Auguſtinus in Pſalm. 39. dixit: *Ablata ſunt ſigna promittentia, quia exhibita eſt veritas promiſſa. Cum enim Lex eſſet vana, venit Chriſtus ut eam impleret. Implevit autem, cum per nova Sacramenta Charitatem donavit; plenitudo enim Legis eſt Charitas*. Et ante ipſum dixerat Tertullianus lib. de Orat. cap. 1. *Omnia de carnalibus in ſpiritualia renovavit, nova Dei gratia expulſore totius retro vetuſtatis*.

Primo contra exiſtentiam Sacramento-

rum

Digitized by Google

rum novæ Legis erraruntArchontici, Gnoſtici, Catari, & Fraticelli, qui repudiarunt omnia Sacramenta, tanquam perfectioni Legis gratiæ repugnantia. Refert Suarez diſp.6. Sect.1.

Secundo erraruut Flagellantes, putantes ſanguinis flagellum majorem vim, quam quodlibet Sacramentum novæ Legis, habere; unde illo contenti, hæc omnia reſpuebant.

Tertio erraruut Lutherus, Calvinus, Zuinglius, & alii Novatores, qui quanvis admiſerint aliqua Sacramenta, in nullo tamen veram Sacramenti eſſentiam agnoverunt, ut ex definitionibus, quas dabant, facillimum eſt agnoſcere. Et quidem, hi omnes ſunt errores contra Sacramentorum omnium exiſtentiam: contra vero exiſtentiam alicujus ex ipſis in particulari, errores qui ſunt, potius ſunt contra numerum Sacramentorum, illosque inferius & referemus, & confutabimus.

Dicimus I. in Lege Evangelica vera eſſe Sacramenta.

I. Probatur ex Conciliis, & Florentino in Decreto de Unione Armenorum, & Tridentino ſeſs 7. can.1. in quo legitur: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Eucbariſtiam, Pænitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere, & proprie Sacramentum; anathema ſit.*

II. Probatur. Nullum aſſignari poteſt ab Adverſariis tempus, in quo non fuerit in Ecclesia Fides de Sacramentorum novæ Legis exiſtentia, & neceſſitate: ergo ſemper in Ecclesia illa extiterunt; ſed quæ in Ecclesia ſemper extiterunt, & ut Animarum remedia extiterunt, neceſſaria ſunt, ſaltem ſecundum quid: ergo Sacramenta novæ Legis, ſaltem ſecundū quid ſūt neceſſaria.

III. Probatur ex conſtanti, & perpetua Eccleſiæ traditione, qua docemur Eccleſias omnes, quæ ſunt in toto orbe diſperſæ, atque diffuſæ, in eo ſemper conveniſſe, ut crederent, atque tenerent, in Chriſti Eccleſia vera Sacramenta eſſe, eaque pariter eſſe ad æternam ſalutem aſſequendam neceſſaria: ergo nullus dubitandi eſt locus circa Sacramentorum exiſtentiam, & neceſſitatem in Lege Chriſti.

Obſtant I. Sacramentorum novæ Legis exiſtentia, & neceſſitas, a Nobis per Traditionem probata fuit: ergo non per Scripturā: ſed quod extra Verbum Dei eſt, nullo modo eſt: ergo ſi Sacramenta ſunt extra Verbum Dei, nullo modo ſunt, nec fuerunt unquam in Eccleſia. II. Probavimus inſuper nos ex omnium Eccleſiarum conſenſu Sacramentorum novæ Legis exiſtentiam, & neceſſitatem; ſed hoc argumentum nō eſt efficax, etiam per ea, quæ nos ipſi adduximus: ergo efficaciter non probavimus. Probatur Minor. Nos adduximus plures Hæreticos, qui per varia Eccleſiæ tempora Sacramentorum novæ Legis negarunt exiſtentiam, & neceſſitatem: ergo etiam per ea, quæ nos ipſi adduximus, argumentum noſtrum, ex Eccleſiarum conſenſione petitū, non eſt efficax. III. Sacramenta veteris Legis fuerunt inſtituta, ut in æternum permanerent; ergo mutari non debuerunt. Antecedens probatur. Eadem eſt ratio cæterorum Sacramentorum veteris Legis, ac Agni Paſchalis, & Aaronici Sacerdotij; ſed hæc in æternū duratura inſtituta ſunt: ergo &c. Probatur minor. De Agno, Levitici XII. dicitur: *cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi; & filijs tuis uſque in æternum* — & de Sacerdotio Aaronico, Levitici XIV. habetur — *functio eorum in Sacerdotium ſempiternum perficiat*: IV. Sacramenta omnia ſunt Veritatis umbræ, & figuræ gratiæ; ſed adveniente gratia, & veritate debet ceſſare figura, & umbra: ergo adveniente Chriſto, per quem gratia & veritas facta eſt, omnia Sacramenta ceſſare debebant, adeoque nulla debent modo, poſt Chriſti ſcilicet adventum, ab ejus Sectatoribus Sacramenta admitti. V. quia eſſet contra divinam immutabilitatem, ſi alia Deus Sacramenta ſubminiſtraſſet, quibus homines aliter poſt, quam ante Chriſti adventū, juſtificari oportuiſſet. VI. Eccleſia Chriſti ab Adami lapſu uſque ad finem mundi, ſemper fuit, eſt, & erit eadem; ergo ſemper eadem habere debuit Sacramenta. Conſequentia ſequitur, quia unitas Eccleſiæ ex Sacramentorum unitate, ſaltem ex parte, colligitur. Antecedens eſt certum; tempora enim ſunt variata; ſed Eccleſia ſemper fuit, & eſt eadem, & una.

Reſpondemus ad I Traditionem eſſe etiā Verbum Dei, licet non ſcriptum, ſed tra-

traditum; & quando traditio, ſeu Verbum traditum, habet univerſalitatem, perpetuitatem, & eſt in rebus fidei, & morum, Verbo Dei ſcripto æquiparatur. Unde etſi exiſtentia Sacramentorum novæ Legis Verbo Dei non ſcripto probetur, non per hoc tamen minorem habet certitudinem, quam ſi Verbo Dei ſcripto conſtaret. Cæterum negamus, Sacramentorũ exiſtentiam Verbo Dei ſcripto non probari, & hoc patebit, quando de exiſtentia cujuſque Sacramenti in particulari diſſertationem faciemus.

Ad II. Dicitur, quod Hæretici illi, qui Sacramentorum novæ Legis exiſtentiam negarunt, fuerunt particulares Perſonæ, quæ non poterant Eccleſiam aliquam conſtituere; & ſi conſtituiſſent, fuiſſent potius Synagoga Satanæ, quam Eccleſia. Unde ſemper ſtat, quod apud omnes Eccleſias, quæ in ſinu Catholicæ Eccleſiæ comprehẽdebantur, Sacramẽtorum novæ Legis exiſtentia fuit ſemper in comperto, ut videre quis quis poterit in Eccleſia Latina, & Græca, occidentali, & orientali, & in omnibus alijs Eccleſijs, quæ communionem cum Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum eſt caput, & Magiſtra, habuerunt.

Ad III. Diſtinguitur antecedens: Sacramenta veteris Legis fuerunt inſtituta, ut in æternum durarent, ratione ſui, negatur; ratione ſignificati, conceditur. Commeſtio Agni Paſchalis ſignificabat Euchariſtam, & Sacerdotium Aaronicum ſignificabat Sacerdotium novæ Legis; & quia hæc in æternum conſervari debent, atque in æternum durare; inde eſt, quod Sacramenta vetera, quæ Sacramenta hæc nova figurabant, in æternum duratura dicta ſunt; non quidem ratione ſui, quia jam ceſſarunt, ſed ratione ſignificati ſui; hoc eſt, dictorum novorum Sacramentorum, quæ figurabant, ut dictum eſt.

Ad IV. Tranſeat major, & diſtinguitur minor; ſed adveniente gratia, & veritate ceſſare debet figura & umbra, ſi veritas intuitive, & perfecte conſpicienda exhibeatur, ut in futura Gloria, conceditur; ſi tantum imperfecte, & abſtractive, ut in hac vita, negatur. Unde Euſebius Emiſſenus, vel quiſquis alius eſt Auctor Operum, quæ ſub ejus nomine circumferuntur, in Homilia de Transfiguratione, tria Tabernacula diſtinguit; primum eſt Synagoga in umbra & figura; ſecundũ Eccleſia in figura & veritate, tertium eſt Cœlum in veritate ſola. In primo oſtenditur Vita, in ſecundo datur, in tertio poſſidetur.

Ad V. Reſpondet Auguſtinus Epiſt. 5. *Quod ſicut non ideo mutabilis homo, quia mane aliud, aliud veſpere; illud hoc menſe, illud alio; non hoc iſto anno, quod illo: ita non ideo mutabilis Deus, quia univerſi ſeculi priore volumine aliud, aliud poſteriore, ſibi juſſit offerri, quo convenienter ſignificationes ad Doctrinam Religionis ſaluberrimam pertinentes permutabilia tempora, ſine ulla ſui mutatione, diſponeret.* Et mens Auguſtini eſt, quod ſicut non mutatur Deus, quod hodie pluviam, cras ſerenum, in aere diſponat; quod veris tempore flores, autumni autem fructus oriri faciat in arboribus; quia mutationes hujuſcemodi congruentes ſunt temporibus, & Univerſi Ordo ſic diſponit; ita pariter neque mutatus fuit Deus, quando Sacramenta vetera abolecuit, & nova inſtituit, quia illa inſtitnta fuerant pro illo tempore, & non amplius, unde eo adventante, ceſſare debedant, & nova inſtitui.

Ad VI. Dicitur, ſemper Eccleſiam eadem Sacramenta habuiſſe ſecundum rem, quam ſignificat; ſecundum gratiam ſcilicet ſanctificantem, non vero quo ad ſigna ſenſibilia, & extrinſeca. Nec hoc mirum, quia ſecundum varia tempora varius fuit unius, & ejuſdem Eccleſiæ ſtatus. Unde Auguſtinus Trac. 45 in Joannem: *bibebant de ſpirituali ſequente Petram, Petra autem erat Chriſtus. Videte ergo, fide manente, ſigna variata. Ibi petra Chriſtus, Nobis Chriſtus quod in Altari Dei ponitur. Et illi pro magno Sacramento ejuſdẽ Chriſti biberunt aquã profluentem de petra, nos quod bibimus, norunt fideles. Si ſpeciem viſibilem intendas, aliud eſt: ſi intelligibilem ſignificationem, eundem potum biberunt.* Porro, ſubjungit Jueninus in Commentario hiſtorico, & Dogmatico de Sacram. „ diſſert. 1. queſt. 1. cap 4. *Ad Eccleſiæ* „ *veteris cum nova identitatem unitus Sacramentorum, ſecundũ id, quod ſignificant,* „ *ſufficit nec eodem unitas ſecundum ſigna* „ *extrinſeca requiritur, licet ad unitatem* „ *Eccleſiæ ſecundũ præſentem ſtatum a Chriſto inſtitutæ neceſſaria ſit ad eam a falſis* „ *Infidelium conventibus diſtinguendam, &* „ *rationem nos putamus eſſe, quia hic quæ-*

ritur

„ *ritur diſtinctio, ibi requirebatur unitas;*
„ *unitas eſſe poterat in re, eſto non fuiſſet in*
„ *ſignis; hic autem ſi eſſet unitas in ſignis,*
„ *non vera diſtinctio, ſalſa Religio facile*
„ *cum vera confunderetur. Ut autem diſtin-*
„ *guatur, non ſolum in re debet eſſe diverſi-*
„ *tas, verum etiam in ſignis.*

Pro ſecunda Diſſertationis parte, non loquimur hic de remedio dato pro Parvulis ad origioale delendum in Lege naturæ, quod Sacramentum eſſe affirmavimus; oec loquimur de Circumciſione in Lege ſcripta. De his enim duobus peculiaris erit ſermo io Diſſertationibus de Baptiſmo, ubi proprium ſibi vindicant locum. Loquimur ergo tantum de Sacramentis Legis ſcriptæ, & Legis gratiæ, quum in Lege naturæ alıud Sacramentum, præter remedium illud non admiſerimus, & iſtorum differentiam inveſtigamus. Tridentinum ſeſſ. 7. Can. 2. hæc habet: *Si quis dixerit novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis non differre, niſi quia Cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi; anathema ſit.* Hic Canon editus fuit contra moderoos Acatholicos, qui ſolam rituum diverſitatem io Sacramentis utriſque agnoſcebant. Concilium autem definivit, ſolam rituum, ſeu Cæremoniarum externarum diverſitatem utrorumque Sacramentorum differentiam non conſtituere; ſed quodnam ſit ipſorum diſcrimē neceſſario inter ea agnoſcendum, præter diverſitatem illam, Concilium non declaravit. Concilium vero Florentinum in Decreto Unionis expreſſius de hoc diſcrimine loquutum fuit; ait enim de Sacramentis novæ Legis: *Quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non cauſſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam ſignificabant. Hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſa digne ſuſcipientibus conferunt.* His tameo pro certo habitis, adhuc inter Theologos controvertitur, quomodo Concilii Florentini verba ſint intelligenda: quum aliqui velint, aliquo modo cauſſaſſe gratiā Sacramenta antiqua, adeoque juſtificaſſe etiam ex opere operato, licet per accidens, & ſecundario, ut Hugo a S. Victore, S Bonaventura, Alenſis, Durandus &c., & hos ſequitur Eſtius. Alii vero dicunt non cauſaſſe ex opere operato, ſed ex opere operantis, ut Gonetus, Joanoes a S. Thoma, aliique, qui aſſerunt, neceſſarium in Lege tum naturæ, tum ſcripta aliquod Sacramentum fuiſſe, quo Adultorum peccata delerentur. Nos horum Sacramentorum differentias ad tria principaliora capita reducimus. Primum eſt ex parte cauſſæ, tum extrinſecæ, a qua inſtituuntur, tum intrinſecæ, qua conſtituuntur in ratione Sacramenti; Secundum ex parte ſigni, ſeu in modo ſignificandi, tum gratiam, tum paſſionem Chriſti. Tertium ex parte cauſſæ, ſeu in ratione cauſſandi gratiam.

Incipiamus a primo. Sacramenta antiqua Deum pro auctore inſtitutionis ſuæ agnoverunt, nova autem agnoſcunt Chriſtum, qui ſane, quum non eſſet tempore, quo antiqua inſtituta ſunt, non poterat eorundem inſtitutionis auctor eſſe: & hoc ex parte cauſſæ extrinſecæ inſtituentis; nova Sacramenta intrinſece conſtant ex verbis, & rebus, aotiqua in ſolis rebus conſiſtebant. Licet enim in quibuſdam antiquis Sacramentis verba aliqua admitterentur, rationem tamen formæ non habebant, quia non erant determinata, nec operatoria, ſed pro Miniſtri libito varia, deprecatoria, & habentia rationē circumſtātiæ accidentalis. Ideo autē hoc fuiſſe dicitur, quia nova Sacrameota clariorem ſignificationem exponunt, antiqua vero obſcuriorem, utpote quia antiqua umbræ erant, & ſigoa pronoſtica, & Legi inſerviebant, quæ minus expreſſe revelata Myſteria poſſidebat: per verba autem clarior, & determinatior ſignificatio habetur, quum per ſe ſint ad ſignificandum inſtituta: Unde Auguſtinus lib. 2. de Doctr Chriſtiana cap. 5. dixit de verbis, quod *inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi.*

Veniamus ad ſecundum. Conveniunt quidē in hoc Sacramenta antiqua, & nova, quod ſignificent paſſionem Chriſti, gratiam, & inſuper gloriam. Tria enim hæc ad ſanctificationem noſtram concurrunt, quam Sacramenta potiſſimum ſignificant, nimirum paſſio, ut efficiens, gratia, ut forma, Gloria, ut finis; paſſio tanquam id, per quod; gratia tanquam id, quo; Gloria tanquam id, ad quod. Attamen cum hac differentia, & nova, & antiqua hæc eadem ſignificare habent, quod nova ſignificant paſſionem ut præteritam, adeoque ipſius ſunt rememorativa, gratiam ut præſentem, & ipſius ſunt demon-

demonſtrativa: Gloriam ut futuram, & ipſius ſunt prænunciativa, ſeu prognoſtica; antiqua vero hæc omnia ut futura ſignificabant, adeoque reſpectu omnium ſigna erant prognoſtica, ſeu prænunciativa. Gloriam denique nova ſignificant, ut dandam ſtatim; antiqua vero ſignificabant, ut dandam ſolum poſt diuturnum tempus, & non Legis ſcriptæ tempore. Hæc tria autem ſignificare utriſque Sacramentis conveniens fuit, quia utraque Sacramenta debebant ſanctificationem noſtram ſignificare, ſanctificatio vero noſtra per hæc tria perficitur. Et hinc patet, quare Sacramenta non ſint ſigna æquivoca, quum hæc tria tam diverſa ſignificent? ex eo nimirum, quia ſigna æquivoca debent ſignificare diverſa, ut diverſa, itaut ad unum non ordinentur, ſed ſingula ſeorſim habeant ſignificatum ſuum totale; at tria dicta ſignificantur, ut unum, ad quod ordinantur, ad ſanctificationem ſcilicet noſtram, quam reſpiciunt, adeoque non ſignificantur, ut diverſa.

Tandem accedamus ad tertium. Dicimus nullo modo Sacramenta antiqua cauſaſſe gratiam, nec ex opere operato, nec ex opere operantis. Et I. probatur, quia ſic melius interpretamur Apoſtoli verba, & Concilii Florentini declarationem intelligimus. II. quia non erat hoc neceſſarium, quum potuiſſent Adulti ſibi gratiam comparare per actus proprios. III., quia quanvis admittamus Sacramenta illa antiqua fuiſſe Adultis meritoria, quatenus erant actiones bonæ, ſicque in hoc ſenſu poterant gratiam aliquam mereri ex opere operantis, non tamen merebantur gratiam, quæ eſſet proprie Sacramentalis, ad quam ſcilicet ſignificandam Sacramentum ipſum eſſet inſtitutum, quia nulli Adulto fuit data gratia, quæ haberet Sacramentum ipſum pro cauſa, aut pro ſigno; & probatur quia gratia, quæ datur ex opere operantis non poteſt habere Sacramentum pro cauſa, neque pro ſigno, quia illa gratia non habet Sacramentum pro ſigno, quæ omnino eadem daretur non poſito tali ſigno, & quæ modo cæteris operibus meritoriis communi correſpondet operi interno ſecundum ſe æque, ac operi interno ſimul, & externo; ſic autem fuiſſet illa gratia, ut dictum eſt, quia per actus proprios abſque Sacramentis poterat juſtificari: ergo &c. nec obſtat, quod dicit Eſtius ex Hugone ad primam partem. quod ſcilicet cauſaſſent gratiam, per accidens, & ſecundario: nec pariter obſtat, quod aſſerit Cacheranus ad ſecundam partem, quod nimirum cauſaſſent gratiam de futuro, non de præſenti: non quidem, quia cauſare per accidens, & cauſare de futuro, ut ab ipſis explicatur, aliud non importat, quam ſignificare, vel ipſum effectum, vel cauſam immediatam ejuſdem effectus, ut de ſe patet; ergo non eſt ſignificare gratiam, vel ex opere operato, vel ex opere operantis.

Ultra hæc tria recenſita differentiæ capita inter nova, & antiqua Sacramenta alia aſſignantur diſcrimina, quæ ut Bellarminus ait, ipſimet Hæretici concedunt. Primum eſt: quod ritus alii, & cæremoniæ aliæ ſint in novis, quam in antiquis Sacramentis fuerint: ſecundum eſt quoad numerum: tertium, quod noſtra ſint faciliora, quam illa: quartum, quod noſtra ſunt nobiliora, ſaltem ratione Chriſti, qui eorundem fuit inſtitutor, & promulgator; illorum vero inſtitutor Deus, promulgator Moyſes: quintum, quod antiqua erant figura novorum: ſextum, quod illa data erant ad tempus, noſtra autem in æternum duratura. Et hæc omnia colliguntur ex Auguſtino Epiſtola 118. ad Januarium, l. b. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 9.; & lib. 6. contra Fauſtum cap. 13. & in Pſalm. 73.

Pro tertia Diſſertationis parte, videtur jam quod connexionem habeat cum quarta Diſſertationis parte, in qua de Sacramentorum numero agitur. Si enim Sacramentorum numerus eſt ſeptenarius, ultra illa ſeptem non poſſunt alia Sacramenta eſſe. Et quia Patres aliquot ritus, & cæremonias in Eccleſia Sacramentorum nomine appellarunt, inde eſt quod Nobis incumbit, ut Patres ipſos explicemus. Antecedenter autem oportet præfatum ſeptenarium Sacramentorũ numerum probare, & ab Hæreticorum ratiunculis vindicare, adhoc ut res recto ordine fiat.

Scire igitur oportet, Catholicos omnes convenire pro ſeptenario Sacramentorum numero; at contra eundem recentiores Hæretici communiter opponuntur, quanvis diverſiſſime procedant, quia diverſum ſibi numerum fin-

Digitized by Google

fingunt, circa quem, & cum Nobis Catholicis, & inter ipſos Hæreticos acerrime pugnant. Lutherus modo tria dicit eſſe Sacramenta, Baptiſmus nimirum, Pœnitentia, & Panis; modo unum, Baptiſmus ſcilicet; modo duo, Baptiſmus videlicet, & Panis. Et quia Lutherus ſibi non conſtat, Lutherani circa Sacramentorum numerum nec inter ſe ipſos conveniunt. Calvinus tria agnovit, Baptiſmum, Cœnam, & manuum impoſitionem, qua Eccleſiæ Miniſtri initiantur; Zuinglius duo poſuit, Baptiſmum, & Cœnam; de Matrimonio dubitavit, verens, ut Bellarminus teſtatur, ne Sacramenti vocabulo Matrimonii dignitas obſcuraretur. Melanchtonis mira fuit inconſtantia circa numerum Sacramentorum aſſignandum; modo enim poſuit quatuor, Baptiſmum ſcilicet, Cœnam, Pœnitentiam, & Ordinem; modo quinque, Matrimonium nempe prædictis addens; modo ſeptem, ut in Lipſienſi conciliabulo plurimi Lutherani Wittembergenſes, & Lipſienſes determinarunt. Gulielmus Poſtellus in ſua Panthenoſia ſex poſuit Sacramenta, ut ex Lindano refert Bellarminus. Verum ante hos omnes fuerunt ſeculo tertio Novatiani, qui Confirmationem repudiabant; ſeculò quarto Montaniſtæ, qui Matrimonium damnabant; ſeculo decimoquarto Wichlefitæ, qui extremam Unctionem execrabantur. Sed de his omnibus in ſuis reſpective locis fuſior redibit ſermo. Modo tamen contra hos omnes dicimus Catholicam veritatem ſtare, quæ docet tantum ſeptem nec plura, nec pauciora, Sacramenta eſſe: nimirum Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium.

Decimus II. Sacramenta novæ Legis nec plura eſſe, nec pauciora, quam ſeptem, modo a nobis enumerata.

I. Probatur ex Scripturis, & Patribus, in quibus, quàvis non inveniatur expreſſus ſeptenarius Sacramentorum numerus inveniuntur tamen notiones eorundem, quas facili negotio ſeptem a nobis enumeratis convenire oſtendemus, quando de quolibèt ex ipſis in particulari agemus; ſi enim Scripturæ, & Patres ita loquuntur de quolibet ex ipſis, ut in iiſdem rationem Sacramenti nobis indicent, & in aliis Myſteriis iiſdem verbis, vel eodem tenore verborum, non loquuntur, facile nobis erit judicare, mentem ipſorum fuiſſe non aliis quam his ſeptem tantum rationem Sacramenti tribuere, unde nec pauciora, nec plura, quam ſeptem novæ Legis Sacramenta eſſe, convincunt.

II. Probatur ex Conciliis. In Concilio enim Florentino in Decreto Unionis expreſſe ſeptenarius Sacramentorum numerus legitur. In Tridentino pariter ſeſs.7. Can.1., cujus verba nuper recitavimus, ſeptem pariter, nec plura, nec pauciora, novæ Legis Sacramenta eſſe, expreſſum, ac definitum ſimiliter reperitur.

III. Probatur ex perpetua Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ traditione, ac conſenſione; nullum enim in Conciliis inter Latinos, & Græcos circa Sacramentorum numerum diſſidium fuiſſe legitur, licet de rebus aliis Fidei diſſentirent. His additur, quod Hieremias, Patriarcha Conſtantinopolitanus Schiſmaticus, auguſtanam confeſſionem damnans, græcam Eccleſiam nec plura, nec pauciora, quam ſeptem Sacramenta admiſiſſe ſemper, & admittere pariter, declaravit.

IV. Probatur ex conſenſu omnium Scholaſticorum poſt Magiſtrum Sententiarum, qui quidem omnes ante fere quatuor ſecula hunc ſeptenarium Sacramentorum numerum communi calculo docuerunt. Nec Magiſter Sententiarum aliquid novum ſcripſit, ſed expoſuit tantum, quod invenit ante ipſum fuiſſe communi Eccleſiæ ſenſu expreſſum, ac declaratum.

V. Probatur ex vitæ corporeæ comparatione cum ſpirituali vita, ad quam Sacramenta ordinantur. Septem enim docet Angelicus Doctor ad vitam corpoream conſervandam requiri, ſic & ſeptem ad ſpiritualem, quæ ſeptem ſunt Sacramenta; per Baptiſmum enim Chriſto naſcimur, per Confirmationem creſcimus, per Euchariſtiam nutrimur, per Pœnitentiam ſanamur, per extremam Unctionem morbi reliquias evadimus, per Ordinem gubernamur, per Matrimonium tandem, quia Miniſtri a quibus gubernamur moriuntur, de novis, qui per Matrimonium naſcuntur, providemur.

VI. Probatur, quia ſeptem ſunt peccatorum vulnera; ergo ſeptem pariter debent eſſe remedia. Conſequentia probatur.

Digitized by Google

batur. Per Baptiſmum enim remedium habemus contra originale peccatum, per Pœnitentiam contra actuale, per Unctionem extremam, contra reliquias peccatorum, per Confirmationem contra ſpirituales infirmitates; per Euchariſtiam contra malitiam, per Matrimonium contra Concupiſcentiam, per Ordinem contra ignorantiam: ergo ſicut ſeptem ſunt peccatorum vulnera, ita etiam ſeptem debent eſſe, & ſunt, contra hæc ſeptem vulnera remedia.

VII. Probatur, quia ſeptem ſunt virtutes propriæ Chriſtianorum, quibus Sacramenta novæ Legis reſpondent: ergo ſeptem quoque ſunt Sacramenta. Probatur antecedens. Baptiſmus reſpondet Fidei, Confirmatio ſpei, Euchariſtia Charitati, Pœnitentia Juſtitiæ, Unctio extrema Fortitudini, Ordo Prudentiæ, Matrimonium Temperantiæ: ergo ſeptem ſunt virtutes propriæ Chriſtianorum, tres ſcilicet Theologicæ, & quatuor Cardinales, quibus Sacramenta reſpondent.

VIII. Probatur ex numeri ſeptenarii celebritate in expiationibus; etenim Exodi 29. Levit.4.8. 13. 14. 15. 16. 23. Num. 19. Deut.15. I. Paralip. 29. Job ultimo, præceptum eſt, vel ſeptem animalia offerri, vel ſeptem diebus, vel ſeptem ſanguinis aſperſionibus. Videatur S.Thomas in 4.diſt.2.queſt.1.,& 3.p. qu.65.art.1.& cōtra Gentes lib.4. c.58.

Opponunt I. Hic ſeptenarius Sacramentorum novæ Legis numerus in Scripturis non invenitur: ergo non eſt admittendus. II. neque invenitur in Patribus; Juſtinus enim in Apolog. pro Chriſtianis duo tantum recenſet, Baptiſmum, & Euchariſtiam; Cyrillus in Chatechesibus, Ambroſius lib. de Sacram: duobus dictis unum, hoc eſt Criſma adjungunt. Petrus Lombardus, Magiſter ſentent, qui circa finem ſeculi duodecimi floruit, ſeptenarium Sacramentorum numerum contexuit; illi tamen Scholaſtici omnes non ſubſcripſerunt, quum Durandus, qui ſeculo decimo quarto vixit, Matrimonium ex numero Sacramentorum, quæ gratiam producunt, expulerit. III. Sancti Patres, Chryſoſtomus, Cyrillus, & Theophilactus in illud Joannis 19, ubi dicitur, quod ex latere Chriſti fluxit ſanguis, & aqua, in quibus Sacramenta figurabant, non intellexerunt Sacramenta novæ Legis eſſe ſeptem, ſed tantum duo, Baptiſmum ſcilicet, & Euchariſtiam; quibus concinunt Auguſtinus lib.2. de Symbolo cap.6. & Tract.9. in Joan. & Damaſcenus lib.4. de Fide cap.10. IV. Apud Gratianum Can.1. *Multi ſecularium* q 1. ex S. Gregorio tria tantum Sacramenta ponuntur, Baptiſmus nempe, Chriſma, & Euchariſtia, & hunc numerum ſequuntur Rabanus Maurus, & Paſchaſius de Cœna Domini. V. Congruentias illas a nobis adductas deridet Kemnitius, aitque a nobis pro rationibus fundamentalibus haberi, quum remotiſſimæ ſint ſpeculationes, quæ poſſunt etiam Sacramentis veteris Legis adaptari. VI. Eccleſia Græca duo tantum Sacramenta agnoſcit, Baptiſmum videlicet, & Euchariſtiam; quod probatur, nam Cyrillus Luparis, Patriarcha Conſtantinopolitanus in Confeſſione Fidei, latine primum, deinde græce edita, Anno 1633. cap. 15. de Sacram: hæc habet, „Credimus Evangelica Sacramenta eſſe ea, quæ Dominus inſtituit in Evangelio, & ipſa eſſe duo, nempe Baptiſmum, & Euchariſtiam; ampliorem numerum Sacramentorum non habemus.

Reſpondemus ad I. Diſtinguendo antecedens; non invenitur explicite, conceditur; implicite, negatur, ut dictum eſt in prima probatione. Iterum non invenitur per collectivam numerationem, ſeu collective, conceditur, non invenitur diviſive, ſeu ſigillatim, hoc eſt nō invenitur in ſcriptura quodlibet Sacramentum ex numeratis ſeptem, negatur. Præterea, nec in Scripturis invenitur Sacramenta eſſe tantum duo, aut tria, aut quatuor &c.; Quinimmo nullus definitus numerus Sacramentorum expreſſis verbis in Scripturis legitur: ergo inferes, quod nullus dari debeat Sacramentorum numerus definitus? nec in Scripturis legitur quatuor tantum eſſe Evangelia, quatuordecim Pauli Epiſtolas, ſeptem eſſe verba a Chriſto in Cruce pro lata &c.: ergo inferes non eſſe quatuor Evangelia, non eſſe quatuordecim Pauli Epiſtolas, non eſſe ſeptem verba a Chriſto Domino in Cruce prolata? Ineptæ quidem eſſent illationes, ac riſu potius excipiendæ. Sufficit enim, quod res ipſæ enumeratæ in Scripturis tradantur, non autem requiritur, quod a Scripturis enumerentur. Denique valet ad propoſitum Doctrina Hieronymi lib. contra Luci-

feria:

ſerianos, ubi differens de manuum impoſitione, ait: *exigis ubi ſcriptum ſit? In Actibus Apoſtolorum. Et etiam ſi ſacræ Scripturæ auctoritas non ſubeſſet. totius Orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.*

Ad II. Nec etiam ante Synodum Laodicenam contextus fuit Catalogus librorum canonicorum: ergo dices, ante hanc Synodum Eccleſia canonicos libros non agnovit, nec illos veteris, nec illos novi Teſtamenti? Deinde SS. Patres explicant Sacramenta ex occaſione, non autem enumerant ex propoſito. Non enim dicunt, aut eſſe duo, aut tria, aut quatuor Sacramenta; immo nec pariter dicunt non eſſe ſeptē; ſed tantum aliqua explicant, quia tunc occaſio explicandi illa, & non alia, offerebatur. Cæterum Juſtinus loquutus fuit de Euchariſtia, ut Chriſtianos ab Infidelium calumniis vindicaret, qui nobis imponebant, in ſacris Synaxibus nos occiſi Infantis carnibus veſci. Meminit etiam Baptiſmi, quia per Baptiſmum tribuebatur jus ad Synaxes accedendi. Ambroſius, & Cyrillus, in laudatis locis Catechumenos docent, quibus ſola illa tria dicta Sacramenta Eccleſia dare ſolebat. Durandi autem opinio, ubi de Matrimonio erit ſermo, examinabitur.

Ad III. Dicitur, illam eſſe expoſitionem Græcorum Patrum, qui tamen ſub illis principalioribus Sacramentis alia etiam ſubintelligebant. Cæterum locum illum alii Patres diverſimode explicant, & præcipue Hieronymus Epiſtol. 8. ad Oceanum, per ſanguinem, & aquam intelligit Baptiſmum ſanguinis, hoc eſt martyrium, & Baptiſmum aquæ. Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. 105. Auguſtinus Epiſt. 30. Beda in caput 19. Joan. & Sanctus Leo Epiſt. 4. per ſanguinem intelligunt Redemptionis pretium, per aquam, Baptiſmum.

Ad IV. Dicitur, verba illa non eſſe Gregorii, quia in Gregorii operibus non inveniuntur; leguntur tamen apud Iſidorum lib. 6. Etymolog. cap. 19. Cujuſcunque autem ſint, non ponit ille Auctor, niſi exempla quædam. Rabanus Sacramenta omnia enumeravit, quæ Clericis conveniunt, de quibus agebat, ſolum Matrimonium omiſit, quod Clericis non convenit. Paſchaſius agit ſolum de Euchariſtia, quia liber ſuus de Cœna Domini hoc ſolum argumentum tractabat.

Ad V. Nullus Theologus dixit, illa eſſe fundamenta, & demonſtrationes, ſed tantum congruentias, quas Scholaſtici excogitare ſolent, ut ea, quæ fide habemus, rationi non repugnare, immo illi potius conformia eſſe, oſtendant. Sacramentis autem veteris Legis applicari non poſſunt, quum illa non conſervaverint ſpiritualem vitam, ut nova operantur; nec præſtiterint incrementa virtutum, ut nova faciunt.

Ad VI. Dicitur, Cyrillum illum fuiſſe primum inter Græcos, qui ad Calvinianam hæreſim defecit; unde deſcivit penitus ab Eccleſiarum Græcarum placitis, quod & Adverſarii non negant. Caſaubonus, celebris Calvinianus, qui hujuſmodi Confeſſionem Londini Typis dedit anno 1675. cum utraque ejus cenſura, tum Cyrilli Berronenſis, qui Lupari ſucceſſit, tum Parthenii, Conſtantinopolitani etiam Patriarchæ, in præfatione ad Lectorem habet: Eccleſiarum tamen Græcarum aut Orientis confeſſionem hanc non fuiſſe. Cæterum Cyrillus Berronenſis Luparim damnavit anno 1638. menſe Septembris ſynodali ſententia, & damnavit etiam Parthenius anno 1642.

Quæ nobis opponunt Adverſarii probare intendentes, Sacramenta novæ Legis eſſe plura, quam ſeptem, quatenus hæc, quæ ipſi dicunt, a Patribus aliquando Sacramenta dicantur, ſunt, Lotio Pedum, Aqua benedicta, Martyrium, Eulogiæ, & alia his ſimilia. De his ſigillatim hic agimus, Patrum verba expendentes, & eorum mentem explicantes, quod non fuerit, ut hæc ipſa pro veteris Sacramentis, vel novæ Legis, habuerint.

Lotionem Pedum Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 1. myſterium appellavit; & verbis illis Joan. 15. *niſi lavero te, non habebis partem mecum*: gratiæ promiſſionem vult contineri, *vide*, inquit, *omnem juſtitiam, vide gratiam, vide ſanctificationem; niſi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum*. Bernardus ſerm. 1. de Cœna Domini, vult ablutionem pedū inſtitutam, ut *inviſibilis gratia ſigno aliquo viſibili præparetur*. Et ulterius docet, eam eſſe Sacramentum, quo quotidiana peccata relaxantur. *Nunquid deſperabimus? abſit: nam ut de remiſſione quotidianorum minime dubi-*

dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem. Cyprianus ſerm. de ablutione pedum, lavacrum hoc etiam Sacramentum vocat. Denique accedit ratio, quia de ipſa lotione verificatur, quod ſit ſignum ſenſibile, quod ſit præceptum divinum, quod ſit productivum gratiæ; quæ quidem tria ad Sacramenti rationem ſufficiunt. Et quidem quod ſit ſignum ſenſibile patet; non minus enim eſt ſenſibilis hæc ablutio, quam ea, quæ fit in Baptiſmo; quod ſit a Domino præceptum, indicant verba illa Joan. 15. *vos debetis alter alterius lavare pedes*; & quod ſit gratiæ productivum probant alia verba etiam Joan. 15. *ſi non lavero te, non habebis partem mecum*.

His tamen non obſtantibus dicimus, pedum ablutionem Sacramentũ non eſſe.

I. Probatur, quia nulla Concilia, nullæ Eccleſiaſticæ Inſtitutiones, nullæ preces, nullus Catechiſmus, quibus maxime apoſtolica traditio continetur, & declaratur, hujuſmodi cæremoniam Sacramentum appellant. II. Quia in ipſa lotione nulla certa gratiæ promiſſio habetur, quum talis promiſſio nec in Scripturis legatur, nec in traditione contineatur. III. Nec efficaciam habet gratiæ conferendæ; inſtituta enim fuit a Chriſto in ſignum purgationis faciendæ ante Euchariſtiæ ſumptionē, & ideo ante Euchariſtiæ inſtitutionem facta fuit a Chriſto Diſcipulis ſuis; pariter in ſignum humilitatis Chriſti, ſed nullo modo in ſignum gratiæ conferendæ per ipſam. IV. Hujuſmodi ritum mandatum non habemus, unde illam univerſa Eccleſia nullo tempore frequentavit; & Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 1. de Eccleſia Romana teſtatur: *Hanc Eccleſia Romana conſuetudinem non habet, ut pedes lavet*. Videatur inſuper Auguſtinus Epiſt. 119. c. 18.

Ad motiva in contrarium adducta, dicitur, præceptum non eſſe de propria, ſed de metaphorica lotione, humilitate, & charitate exercenda: non enim, ut dictum eſt, iſtã lotionem ubivis gentium obſervavit Eccleſia. Verba illa: *ſi non lavero te &c.* important minas de privatione gratiæ, ſeu de privatione Euchariſtiæ, non vero gratiæ promiſſionem. Ambroſius, & Bernardus eam vocant Sacramentum, late ſcilicet, non ſtricte ſumptum, & ſenſus Ambroſii eſt, ut homo juſtificatus per Baptiſmum lavare etiam debeat quotidianas levium peccatorum maculas, & hoc debitum vult figurari per pedum ablutionem, quæ a Chriſto impoſita eſt Petro. Bernardus inſuper vocat Sacramentum, ſive producat gratiam, ſive non, hoc eſt myſterium. Sermo ille eſt Cypriano ſuppoſitus. Quiſquis autem ejus Auctor ſit, dicimus, hanc lotionem idcirco Sacramentum nominare, quod pœnitentia lavacri figuram gerat, ut ex ejuſdem verbis eſt manifeſtum.

De aqua benedicta probatur etiam I. quod non ſit Sacramentum, quia Eccleſia poteſtatem non habet Sacramenta inſtituendi; aqua autem benedicta non a Chriſto Domino, ſed ab Eccleſia ſuam habet inſtitutionem: ergo &c. Majorem ſupponimus certam ex iis, quæ infra dicenda ſunt. Minor patet, quia Alexander I. Romanus Pontifex, hujus ſacræ Cæremoniæ Auctor dicitur. II. Si valeret aqua benedicta ad conferendam gratiam, & remittenda venialia ex opere operato, cur etiam non valet ſimili modo ad Dæmones fugandos, ad ipſorum nocumenta avertenda, ad tentationes repellendas, quum & hi inter effectus enumerentur, ad quos aqua ipſa ordinatur, quando benedicitur? III. Quia in ejus benedictione, nec remiſſionis venialium fit mentio, nec gratiæ largitionis. Neque opponant Alexandri I. verba in hujus ſanctæ Cæremoniæ inſtitutione; *aqua ſale conſperſa Populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur*: ergo videtur, quod ei tribuatur vis ſanctificandi, & purificandi. Ne dicant hoc; quia hæc ſanctificatio, & mundatio per ſe aquæ benedictæ non competit ex opere operato, ſed tantum ratione actus, & affectus aſſumentis ipſam aquam; unde inter Sacramentalia, non autem inter Sacramenta, recenſetur.

De Martyrio dicimus, habere quidē vim, & efficaciam Sacramenti, Sacramentum tamen proprie dictum non eſſe. Ratio primæ partis eſt, quia Martyrium pro Chriſti nomine paſſum, & conſummatum habet vim conferendi gratiam ſanctificantem, & hoc eſt certiſſimum, ut probabitur infra, quãdo de Baptiſmo Sanguinis agetur. Ratio vero ſecundæ partis eſt, quia Sacramentum proprie dictum debet eſſe ſignum certum, & efficax gratiæ conferendæ, debet habere de-

determinatam materiam, & formam, cum debita intentione Miniſtri; hæc autem omnia Martyrio deficiunt: ergo vere & proprie Sacramentum non eſt. Probatur minor. Primo deficit ratio ſigni: Non enim poteſt eſſe, quod actio peccaminoſa ex parte agentis ſit ſignũ divinitus ordinatum ad conferendam gratiam; deficit ſecundo determinata materia, quia innumera ſunt genera tormentorũ ad Martyres torquendos, & occidendos; tertio deficit forma, quia nulla ſunt verba, quæ in Martyrio inferendo proferantur; quarto denique deficit Miniſter a Chriſto Domino deſignatus; quis enim dixerit, Chriſtum deſignaſſe Tortores gratiæ Miniſtros, quorum operatio nequit ſine peccato fieri? Unde S. Bonaventura in 4. diſt. 4. p. 2. queſt. 3. ait: *Baptiſmus ſanguinis non eſt Sacramentum, quia ei deficiunt omnia ea, quæ ſunt de integritate Sacramenti.*

Eulogiarum nomine venit panis benedictus, qui in Symbolum catholicæ communionis Fidelibus tradi ſolebat. Hujus panis ſub nomine Fermenti primus omnium meminit Melchiades Papa, qui circa initium quarti ſeculi floruit; poſt ipſum Siricius, qui floruit circa finem ejuſdem ſeculi; ſimiliter Innocentius I. qui circa principiũ quinti ſeculi regnavit; & demum habetur in Rituali Romano antiquo, ubi legitur: *quinta Dominica in Quadrageſima datur Fermentum in Conſiſtorio Lateranenſi*, Quod autem Fermenti nomine Eulogiæ venirent, ſeu panis benedictus ab Epiſcopis, vel a Presbyteris, vel Fidelibus ad Euchariſtiã non accedentibus dividebatur, colligitur expreſſe ex quodam Canone antiquo Pio Papæ & Martyri attributo, qui in Tomo primo Conciliorum legitur. Dicebatur fermentum ad differentiam Euchariſtiæ, quæ apud Latinos in Azymo conficiebatur. Hujuſmodi Eulogiæ non ſolum Romæ, & in Occidentali Eccleſia, in uſu erant, ſed etiam in Orientali, ut colligitur ex Concilio Laodiceno cap. 29. & 49. Duplicis generis erant, publicæ ſcilicet, & privatæ; illæ in publico Eccleſiæ miniſterio diſtribuebantur; hæ vero ab Amicis inter ſe ultro citroque dabantur, vel mittebantur; ut conſtat ex Epiſt. 1. S. Paulini ad Severum, & ex ejuſdem Epiſtola ad S. Auguſtinum, & ex Auguſtini Epiſt. 34. ad eundem Paulinum, ipſi Eulogias mittentis. Quia autem hæ Eulogiæ aliquibus in locis a Patribus quibuſdam Sacramenta vocantur, non inde cenſendum eſt, vera Sacramenta fuiſſe, ſed tantum Sacramenti nomen obtinuiſſe, quia ipſarum participatio erat Symbolum catholicæ communicationis Fidelum inter ſe, ut qui Euchariſtia non communicarent, hoc ſaltem alio Communionis ſigno Fideles eſſe cenſerentur. Unde Conciliũ Laodicenum cap. 32. *Statuis, quod non oporteat ab Hæreticis Eulogias accipere, quia ſunt maledictiones potius, quam benedictiones*; ſicque Sacramenta lato vocabulo appellabantur. Nec refert, quod eas Melchiades Papa appellaverit *oblationes conſecratas per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi*; dicebantur enim oblationes, quia a Populo offerebantur panes illi, ut ab Epiſcopo, vel Presbytero benedicti, inter ſe a Fidelibus dividerentur. Conſecrari autem idem eſt, ac benedici, & Fermentum conſecratum non aliud importat, quam benedictum.

Alia ſimilia, nimirum ſignum Crucis, Tunſio pectoris, benedictio Epiſcopalis, aut Sacerdotalis, Exorciſmi Dæmonum, & variarum rerum conſecrationes, ſeu benedictiones, ut Eccleſiarum, Altarium, Palmarum, Sacrarum veſtium, & Vaſorum, Agni Cerei, quem vocant *Agnus Dei*, Cerei Paſchalis, Ciborum, fructuum terræ, & hujuſcemodi alia, ſi quæ ſunt, nec etiam ſunt Sacramenta; nullus enim ex ritibus adductis aut gratiam, aut effectum omnino ſpiritualem ex opere operato confert. Valent autem hæc omnia ex fide, & ex devotione Eccleſiæ, in cujus perſona ab ejus Miniſtris, vel conſecrantur, vel adhibentur. Videatur Eſtius in 4. diſt. 1. §. 15. cujus verba ultimo loco recitavimus, in quo etiam loco videri poterunt notæ, quas addiderunt Neapolitani Theologi in editione anno 1722. Neapoli facta apud Dominicum Antonium, & Nicolaum Parrino.

DISSERTATIO CCCVII.

De cauſſis intrinſecis Sacramentorum, hoc eſt de materia, & forma. Hæ voces quo tempore in re ſacramentaria uſurpari cœperint? Num in omnibus novæ Legis Sacramentis materia, & forma inveniantur? Quæ ſimultas ipſarum ſit neceſſaria? Determinatio earundem a quo fuerit facta? & quænam ipſis mutatio obſtet?

DE Sacramentorum cauſſis atturi, de illis primo agere incipimus, quæ intrinſecæ cauſſæ ſunt, & quæ modo materia, & forma, communi vocabulo appellari conſueverunt. Hæ porro eſſentiales ſunt partes cujuslibet Sacramenti, & in ipſis ejuſdem phyſica eſſentia conſiſtit, adeoque phyſice, & intrinſece, Sacramentorũ eſſentiam conſtituunt, dum Sacramenta ipſa componunt. Partes hæ primitus dictæ ſunt Res, & Verba, deinde materia, & forma; poſt nimirum receptam in Chriſtianorum Scholis Ariſtotelis Philoſophiam, ut mox dicemus. Quicquid de his partibus eſſentialibus, & intrinſecis Sacramentorum, aut hiſtoria referat, aut Dogma præſcribat, aut diſputet Schola, conſueta methodo pertractamus.

In Sacramento conſiderare poſſumus formam, & materiam totales, & formam, & materiam partiales. Illæ faciunt compoſitionem ex re ſignificante, & ex ſignificatione, ſcilicet ex ratione ſigni, quæ ſe habet ut forma, & ex re, quæ ſignificat, & hæc comprehendit materiam, & formam partiales; quæ ſunt Res, & Verba. Prior compoſitio eſt omnibus Sacramentis communis, tam novis, quam antiquis; ſecunda autem novorum eſt propria, quia nova Sacramenta ſunt, quæ proprie ex rebus, & ex verbis, tanquam ex materia, & forma componuntur. Vetera autem probabile eſt non habuiſſe res, & verba, ſed ſolas res, ut concludit Bellarminus ex S. Thoma 3. p. queſt. 60. art 6. ad ultimum. Et ratio ex his eſt, quia in illis Scripturæ locis, ubi Sacramentorum ritus præſcribuntur, nulla eſt formæ mentio, ut videre quiſquis poterit Geneſ. 17., ubi ritus Circumciſionis exhibetur; Exodi 12., ubi ritus Agni Paſchalis præcipitur; Levit 8. ubi ritus adnotatur Ordinationis. Et quanvis Levit. 4 ubi præſcribuntur ſacrificia pro peccato, quæ Pœnitentiæ Sacramento reſpondebant, præcipiatur orare debere Sacerdotem pro iis, quorum erat ſacrificium; attamen oratio illa non erat ſacrificii eſſentia pro peccato; quod ex eo convincitur, quia in Sacrificio pro peccato Sacerdotis nulla oratio adhibebatur; debuiſſet tamen intervenire, ſi eſſentialis fuiſſet forma, quatenus non minus erat Sacramentum Sacrificium pro peccato Populi, quam Sacrificium pro peccato Sacerdotis. Nec etiam refert, quod Num. 5. verba quædam præſcribuntur in Cæremonia Zelotypiæ, quia cæremonia illa Sacramentum non erat, quum ſolum eſſet inſtituta ad Adulterium inveſtigandum, & puniendum. Solum igitur in Sacramentis novæ Legis, quæ modo dicuntur materia, & forma tanquam eſſentiales, & partiales partes, inveniuntur.

Hæ quidem partes eſſentiales prioribus Eccleſiæ ſeculis materia, & forma non dicebantur. Antiqui enim dicebant Sacramenta conſtare, non ex materia, & forma, ſed vel ex ſigno, & re inviſibili, per ſignum intelligentes, quod nos intelligimus per materiam, & formam, & per rem inviſibilem indicantes Sacramenti effectus, gratiam ſcilicet, & caracterem; vel aſſerebant, conſtare ex Sacramento, & re Sacramenti, per Sacramentum ſubintelligentes ſignum,

per

per rem Sacramenti rem inviſibilem; vel tandem conſtare ex verbis,& rebus, per res explicantes materiam, per verba autem formam. Poſterioribus autem ſeculis introductę ſunt in Eccleſiam voces, materia, & forma. Et quidem primo nonnulli putant, quod his vocibus tunc cœpit Eccleſia uti, quando Chriſtiani primo Philoſophiam colere inceperunt, & hos, ſuppreſſo nomine, citat Jueninus in Coment. de Sacram. diſſert. 1. cap. 2. Secundo Joannes Morinus exercit. 1. cap. 3. de Sacris Ordinationib. cenſet, Doctores Scholaſticos axiomatis peripateticis imbutos, hanc philoſophandi rationem in Theologiam, & præcipue in Sacramentorum doctrinam induxiſſe; Tertio alii exiſtimant, inter quos eſt Jueninus citato loco, quod primus omnium, qui has voces adhibuerit inter Theologos fuerit Guillelmus Antiſiodorenſis circa annum 1215, a quo poſtea eas mutuati ſunt, qui peripatetica principia in Scholis Chriſtianorum docere inceperunt. Quarto Du-hamel putat, quod jam centum prope annis Scholas Theologicas Philoſophia peripatetica occupaverat, antequam Scholæ ipſæ uſurparent hanc methodum tradendi, & docendi Sacramenta,& eſſentiales partes Sacramentorum.

Dicimus I. Ante Guillelmum Antiſiodorenſem nullum ex Scriptoribus noſtris eſſentiales partes Sacramentorum ſub materiæ, & formæ vocabulis nominaſſe.

I. Probatur numeratione illorum, qui inter noſtros ante Guillelmum ſcripſerunt, & vocum harum materiæ, & formæ non meminerunt. Non meminit quidem Lanfrancus, non Giſmundus, non Anſelmus, non Petrus Bleſenſis, non Petrus Pictavienſis, qui primus Magiſtrum ſuis Commentariis illuſtravit, non Ivo, non Abaliardus, non Bernardus, non Hugo a S. Victore, non ipſemet Magiſter Sententiarum, qui Scholaſticorum fuit Princeps, & qui ulterius anno 1150. ſcripſit.

II. Probatur. Recenſiti omnes Scriptores de Sacramentis ex profeſſo tractarunt: ergo debuerunt nomina illa, ſi in uſu fuiſſent in Eccleſia, uſurpare; atqui altum ſilentium eſt apud ipſos iſtarum vocum; ergo adhuc in Eccleſiam tempore illo inductæ non erant.

III. Probatur. Non fuerunt voces iſtæ inductæ in Eccleſiam, quando Philoſophia inter Chriſtianos primo floruit: ergo quando jam in Chriſtianorum Scholas invecta fuerit non Philoſophia Platonica, quam primum Chriſtiani addiſcebant, ſed Philoſophia Peripatetica, quæ in illius locum ſucceſſit, & a noſtris Theologis adoptata fuit. Antecedens eſt certum; quia Philoſophia inter Chriſtianos, ut teſtatur Euſebius, tertio Seculo in Alexandrina Schola florebat; ea autem ætate apud neminem ex Eccleſiaſticis Scriptoribus voces illæ reperiuntur, nec apud eos, qui ſubſequentibus temporibus uſque ad Seculum XIII. floruerunt. Conſequentia ſequitur, quia voces illæ ſunt propriæ, & germanæ Scholæ peripateticæ: ergo quando Ariſtotelis Philoſophia in Chriſtianorum Scholas invecta eſt, voces illæ ibi prævaluerunt.

Arguunt I. Si hic loquendi modus, qui modo eſt apud Nos, in explicatione partium eſſentialium Sacramentorum non fuit ſemper: ergo neque fuerunt partes ipſæ eſſentiales: ergo neque fuerunt Sacramenta. II. Auguſtinus lib. 1. de Peccator. meritis, & remiſſione cap. 34. contra Pelagianos ſcribens, dicit: *quid de ipſa Sacramenti forma loquar?* Ergo Auguſtini tempore jam pars una eſſentialis Sacramenti forma vocabatur. III. Concilium Melevitanum, cui idem S. Doctor interfuit habet: *Unde fit conſequens, ut in eis forma Baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur:* Ergo temporibus præfati Concilii in uſu erat vox formæ in Sacramentis. IV. Si Guillelmus Antiſiodorenſis primus omnium voces haſce in Theologorum ore poſuit: ergo non fuerunt Peripatetici, qui multis jam ab hinc annis Chriſtianorum Scholas obtinuerant.

Reſpondemus ad I. Quamvis modus ille appellandi partes eſſentiales Sacramenti aliter, ac modo vocantur, per mille & ducentos annos in Eccleſia duraverit, & deinde ceſſaverit, ob introductionem aliarum vocum ex peripatetica Schola deſumptarum, non per hoc tamen res ipſæ ſunt variatæ, ſed tãtum nomina fuerunt mutata. Profecto res ipſæ ſemper fuerunt in Eccleſia, a Chriſti nimirum inſtitutione, quia ſemper a Chriſti inſtitutione fuerunt in Eccleſia Sacramenta. Vocabula tantum ſunt variata, non res, quia res

eadem

eadem poteſt variis quidem temporibus varias quoque appellationes habere.

Ad II. Auguſtinus nomine formæ non intellexit verba, ex quibus Sacramentum illud conſtat, ſed ritus, & cæremonias, in ipſo adhiberi ſolitas, quas probat ac falſas reddi, ſi in Infantibus originale non eſſet; quem loquendi modum Tridentinum quoque Seſs. 5. in Decreto de peccato Originali uſurpavit dicens: *Si quis Adæ peccatum, quod origine unum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum omnibus ineſt unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nos Deo reconciliavit in ſanguine ſuo, factus nobis juſtitia, ſanctificatio, & redemptio, aut negat ipſum Chriſti Jeſu meritum per Baptiſmi Sacramentum in forma Eccleſiæ rite collatum, tam adultis, quam parvulis applicari: anathema ſit: quia non eſt aliud nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri: unde illa vox: Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi: & illa: quicumque baptizati eſtis Chriſtum induiſtis.*

Ad III. Eadem eſt reſponſio; Concilium enim Melevitanum vel formæ vocem uſurpavit eo ſenſu, quo Auguſtinus intellexit. vel illo, quo Concilium Tridentinum uſum fuit.

Ad IV. Non dicimus nos, quod primi Theologi peripatetici voces illas adhibuerunt, ſed dicimus potius, quod primi illi, qui vocibus iiſdem uſi ſunt, fuerunt Peripatetici. Et quidem Guillelmus præfatus Peripateticus fuit; & Summam Theologicam Scholaſtico more compoſuit, ut de eo aſſerit Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, dicens: *Guillelmus Antiſiodorenſis Epiſcopus hoc ſeculo ſcripſit Summam Theologicam Scholaſtico more, diſtinctam in libros, tractatus, capita, & quæſtiones.*

Pro ſecunda Diſſertationis parte in qua quæritur, an materia, & forma in ſingulis novæ Legis Sacramentis inveniantur? Diſtinguendæ ſunt Scholaſticorum opiniones ab Hæreticorum erroribus. Utroſque tamen hic enumeramus, & explicamus, antequam deveniamus ad poſitiones noſtras aperiendas, atque probandas.

Primo errarunt Pauliciani, qui, Euthymio teſte p.2. Panopliæ Tit.21. omnem materiam a Sacramentis eliminarunt, eorumque virtutem in verbis tantum reſtrinxerunt. Hinc eos duntaxat baptizari volebant, qui Evangelium receperiſſent, quia Dominus in Evangelio dixerat: *Ego ſum aqua viva:* & quos Sacerdotes nos dicimus, non Sacerdotes, ſed Notarios appellabant.

Secundo ex oppoſito ſunt Lutherani, & Calviniani, qui rationem omnem, aut ſaltem præcipuam Sacramentorum efficaciam in materia repondendam volunt.

Tertio Catholici omnes unanimiter aſſerunt, Sacramenta novæ Legis revera conſtare rebus ut materia, & verbis ut forma; Scholaſtici tamen, quid per res, quid per verba ſit proprie intelligendum, non conveniunt. Primo ſunt qui volunt, res, & verba accipienda eſſe in ſermonis proprietate, itaut per res importetur aliquid materiale, quod tangi, & videri poſſit, per verba vero id, quod per organa vocalia exprimitur, & auditu percipitur. Sic Durandus in 4. diſt. 1. quæſt. 3. Secundo alii nomine rerum volunt intelligi id, quod magis confuſe ſignificat gratiam, ſive illud res ſit proprie dicta, ſive non; nomine vero verborum id, quod magis diſtincte eandem gratiam ſignificat. Tertio alii defendunt non Sacramentum, ſed ejus partem materialem totalem conſtare rebus, & verbis; Sacramentum vero conſtare ex re ſenſibili tanquam ex materia, quæ comprehendit res, & verba, & ex ſignificatione tanquam ex forma; & hæc opinio a Bellarmino tribuitur Cajetano, Soto, & quibuſdam etiam Recentioribus.

Dicimus II. In Sacramentis omnibus novæ Legis res, ut materiam, & verba uti formam inveniri. Inſuper, non ſolum quod eſt materiale in Sacramento, ſed ipſum totum Sacramentum ex rebus ut materia, & ex verbis ut forma conſtare. Denique ut Sacramenta dicantur conſtare rebus, & verbis non oportere res non eſſe verba, & verba non eſſe res, ſed ſufficere, ſi aliquid fungatur vice rei, aliquid vice verbi, adeoque eſſe verba, & res æquivalenter, quamvis non ſint formaliter, ut explicat Cacheranus. Tres omnes hujuſce Concluſionis partes ſunt Bellarmini.

I. Probatur prima Concluſionis pars ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. pro inſtructione Armenorum, ubi

ubi dicitur, omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri, quorum ſi aliquid deſit non perficitur Sacramentum. II. Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. ubi definitur, abſolutionem eſſe formam Sacramenti Pœnitentiæ, actus vero Pœnitentis eſſe materiam, ut ſubdit in Can. 4. *Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in Pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur..... anathema ſit*. III. Ex Auguſtino tract. 80. in Joan. ubi habet: *Accedit autem verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: & explicans verba illa Joannis: *jam vos mundi eſtis, ſed non omnes*; ſubdit S. Doctor: *quænam eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo?* quibus verbis oſtendit aquam, quam nomine elementi appellat, & quæ prius erat indeterminata, deinde per verba ad unum, aut alterum effectum gratiæ producendum determinatur.

Secunda Concluſionis pars probatur I. ex eodem Concilio Florentino, quod non dicit Sacramentum perfici utcunque rebus, & verbis, ſed rebus ut materia, & verbis ut forma. II. Non ſolum ſubjectum ſignificationis, ſed totum ipſum Sacramentum ut ſignum formaliter eſt, debet conſtitui ex rebus, & verbis: ergo falſa eſt opinio Cajetani. Probatur antecedens: quia remota ſignificatione, nulla eſt conjunctio rei, & verbi: ergo non ſolum ſubjectum ſignificationis, ſed ipſa etiā ſignificatio debet conſtitui ex rebus, & verbis. Probatur antecedens. Non eſt alia conjunctio rei, & verbi, niſi quatenus rei ſignificatio indeterminata, per ſignificationem verbi determinatur: ergo remota ſignificatione, nulla eſt conjunctio &c. III. Compoſitio ex re ſenſibili, & ſignificatione non eſt compoſitio ex materia, & forma ut ſunt partes eſſentiales, ſed ut dicit compoſitum ex ſubjecto, & accidente; ſed materia, & forma ex Conciliis debent eſſe partes eſſentiales, & ideo mutari non poſſunt, quia ſunt de ſubſtantia, ſeu de eſſentia Sacramentorum: ergo &c.

Tertia pars Concluſionis probatur ſolutione argumentorum, quæ in contrarium ab Adverſariis proponuntur.

Objiciunt I. In Matrimonio aliquando non ſunt verba, ut quando contrahentes ſunt muti: ergo in Matrimonio forma non conſiſtit in verbis. II. In Pœnitentia aliquando datur abſolutio alicui, qui præſubito, improviſo, ac mortali morbo, nec viva voce, nec ſignis poteſt ſua peccata confiteri, nec dolorem elicere: ergo in tali caſu deficeret materia. III. In Sacramento Pœnitentiæ ſunt ſola verba confitentis, & abſolventis: ergo nullo modo ſunt res. IV. Verba adveniunt rebus tanquam quid accidentale, non tanquam quid ſubſtantiale: ergo non ſunt de ſubſtantia Sacramenti. Probatur antecedens; quia verba importantur in obliquo, ut importatur forma accidentalis ab accidentali concreto, non vero in recto, ut importatur forma ſubſtantialis a ſubſtantiali concreto. V. Verba vel importantur a Sacramentis novis ut Sacramenta ſunt, vel ut nova ſunt: non primum; aliter etiam ab antiquis importata fuiſſent: neque ſecundum, quia nova ab antiquis non diſtinguuntur per verba, ſed per cauſſalitatem gratiæ; ergo verba non ſunt novis Sacramentis eſſentialia. VI. Materia, & forma debent eſſe ejuſdem generis, in eodem compoſito; ſed ſic non ſunt res, & verba in Sacramentis: ergo &c.

Reſpondemus ad I. quod argumentum factum ſupponit contrahentes eſſe Miniſtros in Matrimonio, quod tamen plures Theologi negant: II. non ſunt in caſu verba formalia, ſed ſunt verba virtualia, æquivalentia &c.; hoc eſt nutus; & hoc dicitur in ſuppoſitione quod contrahentes Matrimonium ſint ejuſdem Sacramenti Miniſtri.

Ad II. dicitur, etiam requiri aliqua ſigna in illo confitente, aut præcedentia, aut in illo actu, quo morbus irrepſit. Scotus autem vult abſolutionem in Pœnitentia gerere vicem materiæ, & formæ ſecundum diverſos reſpectus; actus vero pœnitentis eſſe materiam extrinſecam, circa quam &c. Denique alii dicunt verba pœnitentis eſſe materiam; quatenus ſunt res virtuales, licet non ſint formales.

Ad III. dicitur, quod verba pœnitentis ſunt ejuſdem actus; quatenus continent oris confeſſionem, & cordis dolorem,

qui

qui verbis illis manifeſtatur: ergo pariter ſunt res; & forma eſt abſolutio, quam Confeſſarius pœnitenti impartitur.

Ad IV. dicitur, quod vel Sacramentum eſt compoſitum morale, & verba ſunt eſſentia ipſius ſumpti in eſſe morali, licet non ſint ipſius ſumpti in eſſe phyſico: vel dicitur eſſe compoſitum accidentale, ut volunt Peripatetici Theologi, & etiam ſunt de eſſentia totius Concreti, licet non ſint de eſſentia ſubjecti, ut eſt in ipſorum hypoteſi albedo reſpectu parietis, & totius albi.

Ad V. dicitur, eſſe de eſſentia, Sacramentorum novorum, non utcunque, ſed prout de facto a Chriſto instituta ſunt, & prout ſunt terminantia præſentem institutionem; cæterum potuiſſet Chriſtus ea aliter inſtituere.

Ad VI. dicitur materiam, & formam debere eſſe ejuſdem generis in compoſito phyſico, & naturali, non vero in compoſito morali, & artificioſo, vel etiam ut dictum eſt, accidentali, quemadmodum ſunt Sacramenta.

Pro tertia diſſertationis parte, in qua quæritur de ſimultate materiæ, & formæ in Sacramentis neceſſaria, ſciendum eſt pro præſenti inſtituto, quod ſimultas eſſe poteſt, vel mathematica, vel phyſica, vel moralis. Prima eſt inter applicationem materiæ, & ultimum inſtans prolationis formæ, & hanc requirit in Sacramentis Gloſſa C. *derabe* 1. q 1. Secunda eſt coexiſtentia ſecundum aliquam ſui partem indeterminatam, vel quod incipiat applicatio materiæ, antequam terminetur formæ prolatio, vel quod incipiat formæ prolatio antequam terminetur applicatio materiæ; & hanc in Sacramentis voluerunt, Riccardus, Scotus, Rubio, Gabriel; quanvis Suarez dicat Riccardum eam voluiſſe non ut neceſſariam, ſed ut ſufficientem; & Maſtrius aſſerat, eam voluiſſe Scotum non ſimpliciter, & abſolute, ſed ad melius eſſe, & ad tollendos ſcrupulos; Tertia ea eſt, quæ ponitur inter aliquos humanos actus, ad hoc ut plures actus cenſeantur coaleſcere, vel in unum contractum, vel in unum peccatum, vel in quid ſimile; & hanc ſufficere putarunt Nugnus, Joannes a S. Toma, Suarez, Maſtrius, Amicus, Cacheranus &c.

Advertendum eſt tamen, certum eſſe apud omnes, quod in Sacramentis verba, & res non requirunt eſſe ſimul ſecundum omnes partes, quia nec verba, nec res, poſſunt habere hanc phyſicam ſimultatem; ſunt enim entia ſucceſſiva, quæ nequeunt habere omnium partium, immo nec duarum, phyſicam ſimultatem, ſeu coexiſtentiam. Hæc autem ſimultas poteſt eſſe major, vel minor in uno, aut altero Sacramento; non enim eadem debet eſſe regula, & menſura pro omnibus. Forma igitur, quæ eſt determinativa, regulare debet ſimultatis modum. Quando in forma eſt pronomen aliquod demonſtrativum, majorem ſimultatem requirit, quia pronomina demonſtrativa ad ſui demonſtrationem poſtulant rem præſentem; unde ea Sacramenta, quæ perficiuntur verbis continentibus pronomina demonſtrativa materiæ exigunt majorem ſimultatem inter res, & verba, & minorem admittunt aut temporis moram, aut loci diſtantiam: ideque, ait Amicus, majorem ſimultatem rerum cum verbis requiri in Baptiſmo, in Confirmatione, in Euchariſtia, in extrema Unctione, in Ordine; minorem vero in Pœnitentia, ſervante formam Judicii; minimam in Matrimonio, ſervante formam civilis contractus.

Dicimus III. Res & verba in Sacramentis novæ Legis ne quidem ſecundum aliquam ſui partem requirere ſimultatem phyſicam, aut temporis, aut loci; requirere tamen ſimultatem moralem.

I. Probatur. Sacramenta neque ſecundum aliquam ſui partem componunt phyſice; ergo neque ſecundum aliquam ſui partem requirunt phyſicam ſimultatem. Probatur conſequentia. Partium ſimultas requiritur propter earundem unionem: ergo in eo genere debet eſſe ſimultas, in quo eſt unio: atqui unio non eſt phyſica, bene autem moralis: ergo, quia Sacramenta non componunt phyſice, ſed moraliter, non requirunt ſecundum aliquam ſui partem phyſicam ſimultatem, ſed moralem. Quod Sacramenta non componant phyſice, ſed moraliter, ſuo loco fuſe probabitur.

II. Probatur. In Sacramento Pœnitentiæ profertur forma abſolutionis quando jam prolata ſunt peccata, & actus Pœnitentis expleti: ergo non ſunt ſimul materia, quæ conſiſtit in peccatis, & in

Digitized by Google

& in actibus, & forma, quæ in abſolutione conſiſtit; ſed non ſunt ſimul phyſice, ſunt autem ſimul moraliter: ergo non phyſice, ſed moraliter, uniuntur.

III. Probatur. Non ſolum Sacramenta, quæ dicuntur tranſeuntia, & in uſu conſiſtunt, verum etiam Euchariſtia, quæ eſt Sacramentum permanens, conſtat, & ex ſpeciebus continentibus Corpus, & Sanguinem Chriſti, & ex verbis, tanquam ex partibus intrinſece componentibus; ſed harum partium ſimultas non eſt phyſica, ſed moralis: ergo ſufficit ſimultas moralis, & non requiritur phyſica. Minor probatur; quia quando profertur forma conſecrationis, non ſunt ſpecies, ſed ſunt panis, & vinum; ergo ſpecies ſunt poſt completam conſecrationem; ergo non ſunt ſimul phyſice; ergo ſunt ſimul moraliter.

Arguunt I Secũdum noſtram doctrinam, quando profertur ultima formæ ſyllaba, debet Sacramentum perfici: ſed poteſt dari caſus, in quo ultima formæ ſyllaba proferatur, quando materia nondum incipiat eſſe: ergo in tali caſu nullum eſſet Sacramentum. Probatur conſequentia. In dicto caſu nulla eſſet ſimultas phyſica, ut ſupponitur; neque eſſet ſimultas moralis, quia exiſtentia moralis ſupponit, quod antèceſſerit exiſtentia phyſica: ergo in tali caſu nullum eſſet Sacramentum: ergo adhoc ut foret, requireretur neceſſario exiſtentia phyſica materiæ, adeoque ſimultas phyſica. II Si res, & verba eſſent partes intrinſecæ Sacramenti, deberent neceſſario eſſe ſimul; ſed hoc non verificatur in Sacramento Euchariſtiæ: ergo &c. Probatur major. Forma intrinſeca Sacramenti novæ Legis debet per ſe cauſſare gratiam in rite ſuſcipiente Sacramentum; ſed hoc nunquam præſtant verba conſecrationis, & hoc nonniſi, quam quia non ſunt ſimul cum materia: ergo &c. III. Verba ſunt cauſſa efficiens inſtrumentalis præſentiæ Chriſti, adeoque ſpecierum, ut continentium Criſti Corpus: ergo non poſſunt eſſe forma intrinſeca Sacramenti Euchariſtiæ, præſertim ſi Corpus Chriſti eſt pars Sacramenti. IV. Senſus Eccleſiæ eſt, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe quid permanens, conſervari in Altaribus, deferri ad ægrotos, ſumi a Fidelibus: ergo non pars Sacramenti, ſed totum Sacramentum ſunt ſpecies continentes Chriſtum, adeoque verba non ſunt pars intrinſeca Sacramenti Euchariſtiæ; ſed hoc nonniſi, quam quia Verba non ſunt ſimul phyſice, ſed moraliter, cum ſpeciebus: ergo &c.

Reſpondemus ad I. diſtinguendo majorem; quando profertur ultima ſyllaba formæ, adeo ut ſit tum phyſice, tum moraliter terminata, debet perfici Sacramentum, conceditur; quando profertur ultima ſyllaba formæ ſecundum ſuam terminationem phyſicam, at non ſecundum terminationem moralem, negatur antecedens. Igitur, licet non exiſtat moraliter materia, quando deſinit phyſice forma, exiſtit tamen moraliter forma, quando incipit exiſtere phyſice materia.

Ad II. Diſtinguitur major; deberent eſſe ſimul moraliter, conceditur; phyſice, negatur, negatur etiam minor, & conſequentia. Ad probationem majoris, diſtinguitur altera major propoſitio; forma intrinſeca Sacramenti novæ Legis debet per ſe cauſſare gratiam, hoc eſt per ſuam entitatem immediate, negatur univerſaliter major; vel per ſe, vel per aliquod in ſua materia a ſe relictum in hunc finem, conceditur. Vere enim dici poteſt ſignum practicum illud ſignum, quod cauſſat gratiam in hunc finem a ſe relictum, & in cujus virtute cauſſat. Species conſecratæ, & cauſſant gratiam virtute formæ, & in hunc finem cauſſandi gratiam a verbis conſecrationis relinquuntur, ut continentes Chriſtum in ſe ipſis. Unde verba conſecrationis, non ſolum ſunt ſignificativa præſentiæ Corporis Chriſti ſub ſpeciebus, & ejus cauſſativa, modo infra explicando, ſed etiam prædicto modo ſunt ſigna practica gratiæ; non enim hæ duæ rationes ſigni, & cauſſæ, reſpectu præſentiæ Chriſti, & reſpectu gratiæ, inter ſe ſunt invicem repugnantes in eadem re.

Ad III. Conceditur antecedens, & negatur conſequentia; ratio eſt, quia non implicat cauſſam efficientem poſſe ſimul eſſe cauſſam intrinſecam, & formalem, ſecundum diverſam conſiderationem ejuſdem compoſiti.

Ad IV. Dicitur, verum eſſe antecedens, quia ſpecies cõſecratæ neceſſario connotant conſecrationis verba, & hæc aliquo modo virtute remanent in ſuo effectu. Neque vero neceſſe eſt, ut nui-

unitas compoſiti moralis requirat partes, vel omnes permanentes, vel omnes ſucceſſivas, quamvis hoc requirat unitas compoſiti naturalis; unde etiam forma tranſiens in caſu noſtro remanet, quantum ſufficit, ad conſignificandum. Quare mirum non eſt, quod Innocentius III c. *Marthæ*, *de celebratione Miſſarum*, loquens de iis, quæ in Euchariſtiæ Sacramento reperiuntur, dicat, formam viſibilem panis, & vini, nempe ſpecies, eſſe Sacramentum, Chriſti autem Corpus ſimul eſſe Sacramentum, & rem Sacramenti, nulla verborum facta mentione: ſiquidem loquitur de hoc Sacramento, ſecundum quod permanens eſt, & implicite facit mentionem de verbis, quando agit de ſpeciebus ob neceſſariam verborum connotationem, quam retinent ſpecies ad verba conſecrationis.

Pro quarta Diſſertationis parte, determinatio, de qua in præſenti eſt ſermo, tripliciter poteſt contigere, in genere nimirum, in ſpecie, & in individuo. Primo modo, ut ſi Artifici dicam, fac mihi Crucem, & ipſi non præſcribam, cujus materiæ Crux eſſe debeat, an aurea, an argentea, an lapidea, an lignea &c. debet tamen eſſe ex una ex his materiis facta. Secundo modo, quando ipſi dico, fac mihi Crucem ligneam, præſcribo quidem materiam, hoc eſt lignum, ſed non determino, an ex hoc, vel illo ligno, debeat Crucem efformare. Tertio, quando ipſi præcipio, fac mihi Crucem ex hoc ligno *A*, præſcribo in tali caſu materiam, non ſolum ſpecificam, ſed etiam individualem determino. Pro materiis igitur, & formis Sacramentorum, primo non eſt dubium, quod Chriſtus eas in individuo non determinaverit; non enim nobis præcepit, ut hac numero aqua, & non altera, baptizaremus, nec ut his verbis, hoc idiomate prolatis, abſolveremus &c. Secundo, nec dubium eſt, quod Chriſtus eaſdem in genere determinaverit; quum enim Chriſtus Sacramenta inſtituerit, oportuit, ut ſaltem in genere eſſentiales partes determinaverit; ſine quibus Sacramenta ipſa eſſe non poſſunt. Quæſtio igitur ſolum eſt de determinatione in ſpecie; & pro hac certum eſt etiam de fide, quod Chriſtus aliquorum Sacramentorum, ſed non omnium, materiam, & formam in ſpecie determinaverit: determinavit enim materiam, & formam Baptiſmi, pro illa aquam, pro hac Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem, ut ex Evangelio conſtat. Determinavit etiam materiam, & formam Euchariſtiæ, hoc eſt panem, & vinum, & verba illa: *hoc eſt corpus meum*; *hic eſt ſanguis meus &c.*, ut etiam ex Evangelio patet. Pro aliis vero Sacramentis de fide non eſt; non enim ex Scriptura, nec ex Traditione, habemus, quod Chriſtus determinaverit Chriſma, aut impoſitionem manuum, pro Confirmatione; nec earundem impoſitionem, & vaſorum ſacrorum traditionem, pro Ordine; nec formas aliorum Sacramentorum in ſpecie præceperit. Controverſia igitur hæc eſt inter Scholaſticos, quorum aliqui volunt, Chriſtum tantum determinaſſe in genere, non vero in ſpecie; ſic Petrus Cantor in ſumma de Sacram., Alexander de Ales, S. Bonaventura, Bellarminus, Morinus, Petrus Arcurius, Gammachæus, de Lugo &c. Alii vero tenent, etiam in ſpecie determinaſſe, cum quibus,

Dicimus IV. Probabiliorem nobis videri ſententiam, qua aſſeritur, Chriſtum omnium Sacramentorum novæ Legis materias & formas in ſpecie determinaſſe.

I. Probatur, quia hæc ſententia conformior eſt Tridentino, quod definivit, Eccleſiam poſſe cæremonias in Sacramentis mutare, non autem ſubſtantiam, *ſalva*, inquit, *illorum ſubſtantia*; ſed materia, & forma pertinent ad ſubſtantiam, non vero ad cæremonias: ergo non poſſunt ab Eccleſia mutari; ſed hoc ideo eſt, quia Chriſtus illas in ſpecie determinavit: ergo &c. Neque dicant, hanc Concilii definitionem, non de omnibus, ſed de aliquibus Sacramentis intelligendam eſſe; ne dicant hoc, nam primo, ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; Concilium autem abſque diſtinctione de Sacramentis loquitur; & ſecundo Concilium opponit cæremonias ſubſtantiæ, aitque illas poſſe ab Eccleſia mutari, non vero hanc; atqui hoc habet locum in omnibus Sacramentis, in quibus & cæremonias, & ſubſtantiam neceſſe eſt eſſe: ergo &c.

II. Probatur. Si Chriſtus in ſpecie non determinaſſet materias & formas Sacramentorum, & eam facultatem Ec-

clesiæ

cleſiæ tradidiſſet, utique illius poteſtatis Eccleſiæ traditæ aliqua mentio, vel in Scripturis, vel in traditione reperiretur; ſed nullum teſtimonium pro hoc probando ab Adverſariis affertur; ergo vere hanc poteſtatem Eccleſiæ Chriſtus non dedit, ſed ipſemet Sacramentorum materias, & formas, in ſpecie determinavit.

III. Probatur. Intantum Adverſarii negant hanc ſpecificam determinationem a Chriſto Domino factam in materiis & formis Sacramentorum, quia aliter vix poſſemus ordinationes Græcorum cum illis Latinorum conciliare, ut Natalis Alexander fatetur; ſed hæc ratio nihil probat: ergo &c. Probatur minor. Etiam dato, quod Chriſtus Dominus non inſtituiſſet in ſpecie, non fuiſſet tamen talis poteſtas tradita, niſi Eccleſiæ univerſali, non autem Eccleſiis particularibus, pro ſuo libito determinantibus materiam & formam: ergo diverſitas illa Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ, non eſt ſufficiens ratio &c. Probatur antecedens. Quum materia & forma Sacramentorum ſint Sacramentorum phyſica eſſentia, apud omnes Eccleſias debet eſſe una, & eadem: ergo talis poteſtas non debuiſſet tradi Eccleſiis particularibus, ſed Eccleſiæ univerſali. Antecedens probatur. Eadem debent eſſe apud omnes Eccleſias Sacramenta; ergo eadem eſſentia Sacramentorum; variata enim eſſentia, eſſentiatum hoc ipſo variari neceſſe eſt. Dicendum igitur eſt in Eccleſia Latina, & Græca, non eſſe quoad eſſentialia, ſed quoad cæremonias & ritus varietatem Sacramentorum, quæ quidem poſſunt ab Eccleſiis mutari, ſalva ſemper manente Sacramentorum ſubſtantia, ut Tridentinum loquitur.

Opponunt I. In Scripturis non reperitur hæc ſpecifica determinatio a Chriſto Domino facta in aliquibus Sacramentis: ergo vere non fuit a Chriſto facta, & a Chriſto inſtituta, atque præcepta. Probatur Antecedens; non enim Scriptura docet, manuum impoſitionem, aut Unctionem, eſſe Confirmationis materiam; nec manuum impoſitionem, aut traditionem inſtrumentorum, eſſe materiam Ordinis: ergo ſignum eſt, quod talis ſpecifica determinatio non fuerit a Chriſto Domino facta. II Alexander de Ales, cui adhæret S. Bonaventura, docet, Confirmationem in quodam Concilio Meldenſi fuiſſe ab Eccleſia inſtitutam; & Hugo a S. Victore extremam Unctionem vult inſtitutam a S. Jacobo Apoſtolo: ergo ſaltem horum Sacramentorum, ne quidem in genere, Chriſtus determinavit, ant materiam, aut formam. III Si Chriſtus determinaſſet materiam & formam Sacramentorum, non fuiſſent variatæ, ſed eſſent omnino eædem, ac illæ prioribus Eccleſiæ ſeculis adhibitæ; atqui eædem non ſunt: ergo non fuerunt a Chriſto Domino determinatæ. Probatur minor. Septem prioribus ſeculis materia Confirmationis erat ſola manuum impoſitio, nunc autem etiam eſt Unctio. Materia Ordinis erat itidem ſola impoſitio, ad præſens tamen eſt pariter inſtrumentorum porrectio; ergo eædem non ſunt. Probatur antecedens; & quidem ex Sacramentario Gregorii Magni, & ex antiquis & modernis Græcorum Euchologiis, quantum ad uſum antiquum; quantum vero ad uſum modernum, probatur ex Eugenio IV. in decreto pro inſtructione Armenorum, ubi docet, materiam Confirmationis eſſe Chriſma, & inſtrumentorum traditionem eſſe materiam Ordinis. IV. Hoc idem argumentum fieri poteſt pro utraque Eccleſia, Latina ſcilicet, & Græca, quia Græca adhibet tantum pro materia manuum impoſitionem in utroque Sacramento, Latina vero, & unctionem, & inſtrumentorum traditionem, ut dictum eſt: ergo &c.

Reſpondemus ad I. hanc ſpecificam materiæ & formæ in Sacramentis determinationem fuiſſe a Chriſto Domino factam, reperiri in Scripturis implicite, in Traditione autem explicite. Quum enim conſtet, & ex Scriptura, & ex Traditione, Apoſtolos, & Epiſcopos ipſorum Succeſſores, illis materiis fuiſſe uſos, recte concluditur, Apoſtolos a Chriſto fuiſſe juſſos, ut iis ſignis, illisque rebus, uterentur.

Ad II. Interpretamur Alenſem, & Bonaventuram, loquutos fuiſſe, non de Confirmationis inſtitutione, ſed de illius uſu, quem Synodus Meldenſis Fidelibus commendavit. Si autem hæc interpretatio non placet, nihil vetat, ut poſſimus dicere, Alenſem, & Bonaventuram in re adhuc ab Eccleſia non determinata, aliquid humani fuiſſe paſſos; fuerunt enim ante Conci-

lium Tridentinum; Concilium autem Tridentinum determinavit, Chriſtum omnium Sacramentorum novæ Legis fuiſſe auctorem. Idem dicitur ad Hugonem Victorinum, quanvis dicant alii, loquutum fuiſſe Hugonem de immediata Chriſti inſtitutione, non vero de mediata. Quid autem de his Sacramentis ſit dicendum, expreſſius quando de iiſdem in particulari erit ſermo, elucidabitur.

Ad III. Dicitur, impoſitionem manuum eſſe in utroque illo Sacramento eſſentialem etiam nunc; & Eugenium exponendum eſſe, quanplures reſpondent, de materia accidentali, non de eſſentiali, ut inferius de Confirmatione, & de Ordine, videbitur ad ſatietatem. Pariter, quid ſit dicendum ad matrimonium clandeſtinum, afferetur, quando de matrimonio tractabimus, ubi nullam in eſſentia cujuſlibet Sacramenti mutationem fuiſſe factam, nec apud Græcos, nec apud Latinos, poſterioribus Eccleſiæ ſeculis, ſed tantum aliqua in accidentalibus fuiſſe mutata, oſtendetur.

Ad IV. Dicimus, quod etiam Eccleſia Latina in Sacramentis Confirmationis, & Ordinis, adhibet manuum impoſitionem, pro materia eſſentiali; & quanvis adhibeat in Ordine traditionem quoque inſtrumentorum, & in Confirmatione unctionem, ſunt tamen, qui dicunt, has adhibere Eccleſiam Latinam, ut materiam accidentalem; & ſunt, qui docent, & præcipue S. Bonaventura, in manuum impoſitione inſtrumentorum traditionem contineri, quia manus inſtrumentum inſtrumentorum ſunt.

Pro quinta Diſſertationis parte, ſupponimus, duplicem in caſu poſſe eſſe mutationem, eſſentialem nimirum, & accidentalem. Prima eſt, quæ aut materiæ ſubſtantiam tollit, aut formæ ſenſum: Secunda eſt, quæ nec formæ ſenſum tollit, nec materiæ ſubſtantiã. Hoc ſuppoſito, pro certo habemus, quanlibet mutationem ſubſtantialem, ſive in materia, ſive in forma, reddere Sacramentum irritum, & invalidum; mutationem vero accidentalem eſſe quidem illicitam, & peccaminoſam regulariter, non reddere tamen Sacramentum invalidum. In hoc omnes Scholaſtici conveniunt, quanvis differant deinde in quibuſdam peculiaribus caſibus, in quibus aliqui putant, mutationes eſſe ſubſtantiales, & proinde volunt Sacramentum invalidari; alii vero cenſent, mutationes eſſe accidentales, & ideo aſſerunt, Sacramentum ſubſiſtere. Cæterum in eo, quod mutationes ſubſtantiales invalident, & non accidentales, nulla eſt inter ipſos controverſia.

Dicimus V. Mutationem quanlibet ſubſtantialem reddere Sacramentum irritum, & invalidum, non vero mutationem accidentalem, quanvis illicita ſit, & peccaminoſa.

Prima Concluſionis pars probatur; quia partes eſſentiales non patiuntur eſſentialem mutationem, abſque eſſentiali mutatione totius; ſed materia, & forma ſunt partes eſſentiales Sacramentorum: ergo ipſarum eſſentialis mutatio eſſentialiter Sacramenta ipſa mutat, & per conſequens irritat, & invalidat. Hinc Tridentinum ſupra relatum docet, ut ſemper remanere debeat ſalva Sacramentorum ſubſtantia, licet cæremoniæ & ritus aliquando mutentur.

Secunda Concluſionis pars probatur. In mutatione accidentali Sacramentorũ remanet ſemper ſalva eſſentia: ergo remanet ſemper ſalvum & integrum eſſentiatum: ergo remanet ſemper ſalvum & integrum Sacramentum. Quod autem ſit illicita, & peccaminoſa quævis mutatio, patet, quia quævis ex his mutationibus, ſive eſſentialis ſit, ſive accidentalis, eſt contra præceptum Eccleſiæ: ergo eſt illicita. An autem ſit peccatum mortale, vel veniale, dicimus, eſſe peccatum mortale, ſi mutatio ſit notabilis, & ſit ratione ignorantiæ illius, qui ex officio tenetur Sacramenta adminiſtrare; ſecus vero ſi ex charitate diſpenſaret; ſicut etiam quando talis mutatio eſſet ex Eccleſiæ auctoritate, ut Latinus conſecrans in azimo, & Græcus in fermentato; vel eſſet ex neceſſitate, ut ſi Latinus non poſſet perficere ſacrificium inchoatum niſi conſecraret in fermentato. In aliis vero caſibus illicite Latinus in fermentato conſecraret.

Caſus particulares in his mutationibus occurrentes, quia reſpiciunt Sacramenta particularia, opportuniori loco reſolventur, quando de Sacramentis in particulari erit ſermo. Interim, ut aliqua exempli ratione afferamus, di-

cis

cimus, quod ſi quis adhiberet aquam calidam, aut frigidam, in Baptiſmo; panem zimum, aut fermentatum, in Euchariſtia; eſſet mutatio accidentalis, quia aquæ naturali, quæ in Baptiſmo adhiberi debet, accidentale eſt, eſſe calidam, vel frigidam; ſecus vero ſi adhiberet aquam roſaceam, quæ ſubſtantialiter differt a naturali, vel conſecraret panem hordeaceum, qui eſſentialiter differt a triticeo, qui eſt materia Euchariſtiæ; hæ omnes mutationes eſſent eſſentiales. Aqua etiam glaciata reddit Baptiſmum nullum, quia quanvis accidentaliter differat ab aqua naturali, quia tamen aqua in Baptiſmo adhibetur ad abluendum, & ad hoc aqua glaciata non eſt apta, ideo quantum ad ſuum inſtitutum aqua glaciata non accidentaliter, ſed eſſentialiter differt ab aqua, quæ eſt materia apta Baptiſmi. Unde aliqui hanc ſubjungunt regulam, per quam cognoſcatur mutatio accidentalis, vel ſubſtantialis, in materiis Sacramentorum, ut tunc materia cenſeatur mutata accidentaliter ſolum, quando ſecundum communem hominum exiſtimationem, & acceptionem, idem nomen ſervatur, & eadem ratio illi competit cum re, quam Chriſtus pro Sacramento determinavit; ſi ſecus vero ſit, eſt mutatio eſſentialis. Ratio horum eſt, quia quum Sacramenta ſint compoſita moralia, per conſequens mutatio attendi debet, ſecundum eſſe morale, quod res habet in hominum uſu, & exiſtimatione, non vero ſecundum eſſe phyſicum, quod res habent in ſuis intrinſecis prædicatis. In formis vero Sacramentorum mutationes, quæ venirent, vel per varietatem idiomatis, ut ſi vulgari ſermone proferantur, vel per voces ſynonimas, ut ſi diceretur, ego te abluo, pro ego te baptizo, vel per corruptionem vocabulorum ortam, vel ex balbutie, vel ex ignorantia, ut ſi diceret: ego te baptizo in nomine Patria, Filia, & Spirita Sancta, vel in nomine Patis &c. quia pruferre non poſſet literam R; ut de primo caſu refertur ex Zacharia Papa c. *Retulerunt*, *de Conſecrat. diſt.* 4. omnes iſtæ mutationes eſſent accidentales, & Sacramenta non irritarent. Si quis vero interrumperet verba, & mora eſſet notabilis, & ſenſus deſtrueretur, mutatio eſſet ſubſtantialis; ſecus vero ſi mora eſſet parva, & ſenſus perſeveraret. Item additio alicujus verbi, vel detractio, aliquando eſt accidentalis, aliquando ſubſtantialis; quando ſcilicet mutat ſenſum, & quando non mutat. Si quis autem Miniſter aliquam mutationem induceret, ratione erroris, quem profiteretur, dicimus, quod ſi error in forma non eſt expreſſus, non reddit Sacramentum invalidum; quod ſi eſt expreſſus, & ſenſum non tollit, nec etiam reddit Sacramentum irritum. Unde valebat Baptiſmus ab Arianis collatus, quanvis nomine Filii intelligerent ſubſtantiam a Patre diverſam; valebat etiam datus per trinam immerſionem, ut ſignificarent tres ſubſtantias diverſas in tribus Perſonis divinis. Valet etiam ſi quis diceret: auctoritate mihi per Lutherum tradita ego te baptizo &c. quia additio non afficit formam Sacramenti, ſed indicat Miniſtri poteſtatem, & formæ ſenſus integer permanet Verum alii dicunt, quod qui errat, vel errat formaliter, ſciens ſe errare, & volens errorem ſuum, & ſuum ritum Eccleſiæ contrarium inducere, vel errat materialiter, neſciens ſe errare, & neſciens errorem ſuum eſſe Eccleſiæ contrarium. Primo modo, quia non ſupponitur intentio faciendi, quod facit Eccleſia, dicunt, quod invalidatur Sacramentum; ſecus vero ſecundo modo, quia ſupponitur intentio faciendi, quod facit Eccleſia. At in tali caſu defectus non eſſet ex parte mutationis verborum, aut rerum, ſed ex parte intentionis, de qua infra. Item ſi quis baptizaret in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & beatæ Mariæ Virginis; & intelligeret nomen Virginis, ſicut intelligeret nomina trium Perſonarum divinarum, Baptiſmus eſſet nullus; ſecus vero ſi pro devotione nomen Virginis invocaret. Etiam, ſi quis verbis, *hic eſt calix ſanguinis mei*, adderet qui pro vobis *non* effundetur, nullum redderet Sacramentum; ſecus vero ſi nihil adderet ex verbis, quæ ſequuntur.

DIS-

DISSERTATIO CCCVIII.

De materia, & forma Sacramentorum in genere. An materia dubia ſit ſufficiens ad validitatem Sacramentorum? An ſit licita in caſu neceſſitatis? An verba in formis Sacramentorum debeant eſſe promiſſoria, vel concionatoria, vel conſecratoria? An poſſint eſſe conditionalia?

MATERIA Sacramentorum per Scholæ Theologus non ſolum dividitur in remotam, & proximam, ſed etiam in certam, & dubiam. Nomine materiæ remotæ venit res ſenſibilis, ex qua Sacramentum conficitur; nomine proximæ venit actio, qua applicatur res ſenſibilis ſubjecto, quod ſuſcipit Sacramentum: ſic aqua in Baptiſmo eſt materia remota, ablutio eſt proxima. Inſuper nomine materiæ certæ venit ea, de qua dubium non habemus, quod ſit illa, quam Chriſtus Dominus inſtituit; nomine autem dubiæ, venit illa, de qua dubitamus. Sic panis triticeus eſt materia certa Euchariſtiæ, ſiligineus eſt dubia, quia dubitamus, an ſit ejuſdem ſpeciei cum triticeo. Ulterius, quod materia Sacramentorum determinata aliquo modo a Deo fuerit, nobiſcum Hæretici conveniunt; ſed diverſo principio illi hoc probant ab eo, quo nos oſtendimus. Dicunt illi, nullum cultum placere Deo, niſi ille, quem ipſemet Deus inſtituit, cæteros vero ad traditionem hominum pertinere; quod quidem argumentum eſt infirmiſſimũ, ut ex dictis,& ex dicendis,maxime conſtabit. Nos vero dicimus, quia Sacramenta novæ Legis gratiam cauſſant, & quia nemo poteſt gratiam dare, niſi ſolus Deus, inde eſt, quod ſolus Deus potuit ea determinare, quæ Sacramentorum eſſentiam ſpectant. In omni autem Lege fuit aliquo modo Sacramentorum materia a Deo determinata, ut obſervat S. Thomas 3. par. quæſt 60. art. 6. ad III. In Lege naturæ interius inſpirabatur præcipuis Patriarchis, qui alios docebant; in Lege ſcripta Moyſi fuit a Deo tradita, quemadmodum & ipſa Sacramenta tradita ſunt; in Lege gratiæ tandem ipſemet Deus-Homo Sacramenta noſtra inſtituit, eorunque materiam determinavit.

Dicimus I. Materiam dubiam reddere dubiam validitatem Sacramentorum; illicitam quoque extra caſum neceſſitatis; licitam vero in caſu extremæ neceſſitatis in Sacramentis, quæ ſunt neceſſitate medii neceſſaria.

Prima Concluſionis pars probatur. Tunc eſt dubia validitas Sacramenti, quando ejus ſufficientia eſt dubia; ſed quando materia Sacramenti eſt dubia, ejus ſufficientia eſt pariter dubia: ergo dubia quoque eſt ipſius validitas. Probatur Major. Tunc eſt dubia validitas Sacramenti, quando eſt dubium Sacramentum; ſed quando eſt dubia materia Sacramenti Sacramentum eſt dubium: ergo tunc eſt dubia validitas Sacramẽti, quando ejus ſufficientia eſt dubia.

Secunda pars Concluſionis I. probatur ex Auguſtino dicente lib. 1. de Bapt. c. 3. *Graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolum, quod incerta certis præponeret.* II. Quia fieret gravis injuria ſuſcipienti Sacramentum temere omitendo modum certum adminiſtrandi illud, atque adeo ſuſcipientem conjiciendo in periculũ, ut verum Sacramentum non recipiat. III. Ex Innocentio XI. in Propoſitionibus damnatis anno 1679. inter quas num. 1. hæc legitur: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*

Tertia Concluſionis pars probatur I. In Sacramentis quæ ſunt ad noſtram juſtifica-

ſicationem neceſſitate medii neceſſaria, ſi urgeat neceſſitas, non eſt oeceſſaria omnis certitudo, ut ea indigentibus illis adminiſtrentur: ergo in caſu neceſſitatis poteſt quis licite uti materia dubia in Sacramentis, quæ ſunt neceſſitate medii neceſſaria. Probatur antecedens; quia iu eo caſu Sacramentum ſit illo certiori modo, quo poteſt moraliter fieri, adeoque non requiritur omnis certitudo, ſed ſufficit moralis; aliunde etiam urget neceſſitas, quæ non permittit, ut alio modo fiat, nec ut ad aliud tempus differatur. II. Quia Chriſtus ob ſuam maximam benignitatem, & charitatem, vult, ut hominum ſaluti, etiam cum Sacramentorum ſuorum periculo, conſulamus, ut ait Juenninus iu Iuſtitution. Theolog. tom. 7. par. 8. diſſert. 1. cap. 4. qui & ſubdit, tuoc valere axioma tritum: Sacramēta ſunt propter hominem, non homo propter Sacramentum. III. Ex Auguſtino lib. 1. de adulterinis Conjugiis ad Pollentium cap. 28. ubi docet, abſolutionem non eſſe negandam pœnitenti morituro, etiamſi ejus contritio ſit dubia. IV. Ex antiquis Canonibus injungentibus Confeſſariis, ut Fidelibus in extremis poſitis, & abſolutionem aut ſigno, aut voce petentibus eam conſerant, etiamſi de ipſorum contritione certo ooo conſtet. V. Quia non licet Sacramentum exponere nullitati, niſi quando aliter Anima damnationis periculo expooeretur; ſed in Sacramentis, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, damnationis periculo exponitur, in aliis vero non exponitur: ergo tantum in conferendis Sacramentis illis, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, licitum eſt materia dubia uti, non eſt vero licitum in illis conferendis, quæ ita neceſſaria noo ſunt.

Objiciunt I. Licitum eſt conſecrare Hoſtiam, de qua eſt dubium, an ſit verus panis, ut per illam homini moribundo ſacrum Viaticum exhibeatur; ſed Eucharistia non eſt Sacramentum neceſſarium neceſſitate medii: ergo etiam in Sacramentis, quæ non ſunt neceſſaria neceſſitate medii, poſſumus materia dubia uti, dummodo adſit caſus oeceſſitatis, ut in præſenti ſupponitur. II Poteſt quis Sacerdos, ut inungat hominem extrema Unctione, uti liquore, de quo dubitet, an ſit verum oleum infirmorum; ſed hoc non per aliud, niſi quia caſus neceſſitatis urget; & nihilominus Sacramentum extremæ Unctionis non eſt neceſſarium neceſſitate medii: ergo &c. III. Saltem io materia dubia uti poſſumus forma conditionali; conditio enim nihil ponit in re, & nos per hoc ſuſcipientium utilitati conſulimus. IV. Quum in Sacramento Pœnitentiæ materia ſint actus pœnitentis, & quidem interni, nempe contritio, & propoſitum, qui cum ſint nobis incogniti, ſemper dant locum, ut de ipſis dubitemus: ergo ſemper in Sacramento Pœnitentiæ materia dubia adhibetur.

Reſpoodemus ad I., negando majorem. Falſum enim omnino eſt, quod poſſit Sacerdos hominem proxime moriturum communicare, conſecrando hoſtiam, de qua ſit dubium, an ſit verus panis, panis nempe triticeus, an vero hordeaceus, vel ſimilis. Non enim ſacrū Viaticum eſt de neceſſitate medii neceſſarium, adeoque etſi adſit neceſſitati locus, nunquam tamen eſt licitum in Euchariſtiæ Sacramento conficiendo materia dubia uti.

Ad II. negatur pariter omnino major, & ratio eadem eſt, quia extremæ Unctionis Sacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medii, ac proinde nulla eſt neceſſitas dubia materia uti, ut ipſum infirmo proxime morituro miniſtretur.

Ad III. In ſecunda hujuſcemodi Diſſertationis parte mox habebimus de forma conditionali ſermonem, adeoque ad ea, quæ mox dicemus, Legentes remittimus.

Ad IV., ex una parte in Sacramentis ſufficit certitudo moralis, & precipue, quando actus ſunt interni & occulti; ex altera parte, actus interni manifeſtantur per externos. Quum ergo in pœnitentibus habeamus actus exernos, per quos indicant actus internos doloris, & propoſiti; & hi faciaot certitudinem moralem; ſat nobis eſt, ut materiam certam, & non dubiam, in Sacramento Pœnitentiæ habeamus: Cæterum ſi argumentum valeret, poſſet etiam fieri de iotentione Miniſtri, quæ pariter eſt interna, & occulta, ut ſuo loco dicetur.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, quæ reſpicit Sacramentorum formam, afferimus primo loco Hæreticos, qui contra illam erronee ſentierunt, & peſſime ſcripſerunt, & deinde quid a Catholicis dicendum ſit, aperiemus.

Pri-

Primo veteres Hæretici, & precipue Gnoſtici, inverterunt quidem res & verba in Sacramentis, ſed nihilominus determinata verba eſſe voluerunt. Undè dixit Auguſtinus lib.7. de Bapt. cont.Donatiſtas cap. 25. *facilius inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent*; hos autem afferimus, non quia dixerint, vel ſcripſerint aliquid contra verba, quæ Sacramenti formam componunt, ſed ut magis appareat recentiorum Hæreticorum temeritas, qui errores excogitarunt, quos Anteſignani ipſorum nullo modo vel mente concipere, vel in medium afferre, auſi ſunt.

Secundo Lutherus, audaciſſimus omnium, in lib. de Captivitate babylonica cap. de Bapt. ſic loquitur. „ Quocumque modo „ tradatur Baptiſmus, modo non in no„ mine hominis, ſed in nomine Domi„ ni tradatur, vere ſalvum facit; im„ mo nō dubite.n,ſi quis in nomine Do„ mini ſuſcipiat, etiam ſi impius Mi„ niſter non det in nomine Domini, ve„ re baptizatus eſſet in nomine Domi„ ni. Ad quæ ſubdit Bellarminus: itaque „ ſecundum Lutherum, ſi quis dicat, „ ego te baptizo in nomine Lutheri, „ vel in nomine Catharinæ uxoris ejus, „ vel etiam in nomine Diaboli, erit ve„ rus baptiſmus; modo qui ſuſcipit ac„ piat in nomine Domini. Attamen Lutherus poſtmodum in 1. Homilia de Bapt. habita anno 1535. hunc errorem retractavit.

Tertio Brentius, Lutheri diſcipulus, Magiſtri errorem probavit, & ſequutus eſt; immo omnes alii Lutheri aſſeclæ ſequi tenentur,quia eſt congruentior lutheranæ Theologiæ principiis. Si enim Sacramenta, ait Bellarminus, per Lutherum ideo potiſſimum inſtituta ſunt, ut fidem excitent, & ſubſtentent: nihil intereſt, quibus verbis aut rebus utamur, modo illis fides excitari poſſit, ac ſubſtentari. Kemnitius pariter Lutheri errorem amplexus eſt, ut idem Bellarminus conjicit.

Quarto,inter antiquos Heterodoxos adnumerantur Paulianiſtæ, qui verba, quibus Sacramentum conficitur, omittebant; & hos Concilium generale primum Nicænum damnavit, & illos ab iiſdem baptizatos juſſit iterum baptizari.

Quinto Cataphrygæ in Baptiſmo peregrinam formam adhibebant; & hos damnavit Synodus Laodicea Can.8.; quemadmodum quoque Innocentius I. Epiſt.22. cap.5.

Hic modo ſciendum eſt,in Sacramentis eſſe verba promiſſoria, concionatoria, & conſecratoria. Prima ſunt, quæ exprimunt, & declarant gratiæ promiſſionem; ſecunda ſunt, quæ ſuſcipientes, & adſtantes de gratiæ promiſſione inſtruunt, & edocerit; tertia ſunt, quibus materia Sacramenti benedicitur, & conſecratur. Calvinus lib.3. Inſtitutionum cap.14. §.4. vult, verba ſacramentalia non eſſe conſecratoria, ſed promiſſoria, & concionatoria. Calvinum ſequuntur alii Hæretici ex Novatoribus, & etiam ex Lutheranis; at iſti in tres claſſes diviſi ſunt; aliqui concionem, ſeu inſtructionem tantum faciunt, maxime in Euchariſtiæ adminiſtratione, ſed verba conſecratoria non proferunt; aliqui verba inſtitutionis proferunt, non autem ad conſecrandum, ſed ad hiſtoriam aliquam enarrandam; alii demum verba inſtitutionis proferunt, & animo pariter conſecrandi, quam ſententiam, ut ſuam Kemnitius commendat.

Dicimus II. Verba, in quibus conſiſtit forma Sacramentorum, eſſe certa, determinata, & immutabilia; non eſſe autem promiſſoria, nec concionatoria, ſed conſecratoria.

Prima Concluſionis pars probatur I., quia ſaltem verba, quibus Baptiſmus, & Euchariſtia, conficiuntur, ſunt aperte in Evangelio. II. Quia Patrum auctoritas eadem probat; Nam Tertullianus lib. de Bapt. cap.1. ait: *Homo in aquam demiſſus, & inter pauca verba intinctus*: & cap.13. *lex tingendi poſita eſt forma præſcripta. Ite, inquit, docete omnes nationes tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Athanaſius Orat. 3. contra Arianus, Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap.10. Verbi, & Spiritus Sancti divinitatem probant hac ratione, quia nullum eſt Baptiſma, niſi tres Perſonæ ſigillatim nominentur. Auguſtinus cont. Donatiſtas ſæpiſſime ait, non Miniſtri mores, aut fidem ſpectandam eſſe, dummodo baptizet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. III. Ex uſu Eccleſiæ, quæ ſemper reſpuit Baptiſma ab hæreticis collatum, qui a præſcripta forma recedebant, ut dictum eſt de Cataphrygis, & de Paulianiſtis, a Nicæno I, & a Laodicena Synodo, damnatis. IV. Ex Con-

Conciliis, precipue Florentino, & Tridentino, quæ præſcriptam Sacramentorum formam exhibent, & docent.

Secunda Concluſionis pars I. probatur ex Concilio Trident. ſeſs. 7. Can.6. ubi dicitur anathema affirmantibus, *Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per Fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur Fideles, ab Infidelibus*. II. Quia in verbis illis: ego Baptizo &c. hoc eſt corpus meum &c. evindens eſt, nullam promiſſionem fieri: ergo non ſunt verba promiſſoria. III. Quia in Scripturis nulla fit mentio hujuſmodi concionis in inſtitutione ſive Baptiſmi, ſive Euchariſtiæ, quæ duo Sacramenta Adverſarii admittunt. IV. quia Eccleſia ratum eſſe definivit Hæreticorum baptiſma contra Donatiſtas, quanvis Hæretici illud conferentes veram fidem, & doctrinam, adeoque veram prædicationem, non haberent. V. Quia aliud eſt Miniſterium cõcionandi, aliud baptizandi; unde Apoſtolus 1. ad Corinth. 1. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*. VI. Verbum concionatorium, vel eſſet neceſſarium ex parte miniſtrantis, vel ex parte adſtantium, vel ex parte ſuſcipientis; non primum, quia nemo a ſe ipſo docetur: non ſecundum, quia validus eſt Baptiſmus, etiam quando præter miniſtrum, & ſuſcipientem, nullus alius adſiſtit: neque tertium, nam Infantes, Phrenetici, & Amentes, valide baptizantur, & tamen inſtructionis non ſunt capaces. VII Quia verba, quibus Sacramenta conficiuntur, appellantur ſanctificatio, benedictio, conſecratio, invocatio nominis Dei &c. Sic Apoſtolus I. ad Corinth. 10. Verba, quibus Euchariſtia conficitur, benedictionem appellat: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt?* Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Panis iſte panis eſt, ante verba Sacramentorum; ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti: Quomodo poteſt panis eſſe Corpus Chriſti? conſecratione, conſecratio quibus verbis fit, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu*. Auguſtinus lib. 6 cont. Donatiſtas cap. 25. *Deus adeſt verbis evangelicis ſuis, ſine quibus Baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt, & ipſe ſanctificat Sacramentum ſuum*. Et lib. 3. de Bapt. cap. 10. *Non eſt aqua profana, & adultera, ſupra quam nomen Dei invocatur, etiamſi a profanis, & adulteris, invocetur*. Idem docent paſſim cæteri Patres. Idẽ Aug. tract. 80 in Joannem; *detrahe verbum, quid eſt aqua, niſi aqua?* VIII. Quia Eccleſia, ut judicet de veritate collati Baptiſmi, non attendit ad fidem, doctrinam, & inſtructionem Miniſtri, ſed ad formam, qua Miniſter baptizavit; etſi eam rite obſervavit, validum judicat fuiſſe Baptiſmum; ſi vero violavit, & adulteravit, invalidum profert, & nullum; ſic Concilium Arelatenſe primum Can. 8. probavit Baptiſmum, qui dabatur ab Arianis; Laodicenum vero Can. 8. reprobavit Baptiſmum datum a Cataphrygis; & Nicenum generale primum Can. 19. reprobavit illum a Paulianiſtis datum.

Opponunt I. Antiqui ſine præmiſſis concione, & promiſſione, nullum Sacramentum conferebant: ergo neceſſariæ ſunt concio, & promiſſio. II. Auguſtinus Tract. 80. in Joan. aſſerit, verbo ſacramentali non ineſſe virtutem ex eo, quod proferatur, ſed ex eo, quod credatur: ergo hujuſmodi verbum debet eſſe aut concionatorium, aut promiſſorium. III. Matthæi ultimo dicitur; *docete omnes Gentes, baptizantes &c.* & ad Epheſ. V. *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, ubi per verbum vitæ Hjeronymus intelligit doctrinam; ergo neceſſarium eſt verbum concionale. IV. Verba conſecratoria potius videntur ſuperſtitioſa, & magica: ergo in Sacramentis a Chriſto inſtitutis non ſunt adhibenda. V. Signum debet nos ducere in cognitionem alterius: ſed omne Sacramentum eſt ſignum; ergo debet nos ducere in cognitionem myſteriorum Religionis; ſed hoc fieri non poteſt, niſi excitando in nobis fidem, ac pietatem, & hæc excitatio fit per concionem, & promiſſionem: ergo &c. VI. Ambroſius lib. de Myſter. cap. 3. *Aqua*, inquit, *ſine prædicatione dominicæ Crucis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt; cum vero ſalutaris fuerit Crucis Myſterio conſecrata* (alii legunt conſecrata) *tunc ad uſum ſpiritualis lavacri, & ſalutaris poculi, temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyſes miſit lignum, hoc eſt, Propheta; ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem dominicæ Crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam*. VII. S. Petrus I. cap. 3. de Baptiſmo habet: *Vos ſimilis*

forma ſalvos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed bonæ conſcientiæ interrogatio in Deum. Ubi Lutherus vocem ἐπερώτημα, quæ vertitur interrogatio, intelligit per pactum, ſeu ſtipulationem, quam init Anima cum Deo, quando promiſſiones ejus fide in Baptiſmo apprehendit. VIII. Auguſtinus Tract. 80. in Joannem ad verba: *Jam vos mundi eſtis propter verbum, quod loquutus ſum vobis*, ſubdit; *quare non ait, mundi eſtis propter Baptiſmum, quo loti eſtis, ſed ait, propter verbum, quod loquutus ſum vobis; niſi quia, & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum. Nam & hoc utique dixerat, quando pedes Diſcipulis lavit, qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur? nam & in ipſo verbo, aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, ait Apoſtolus, quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia Dominus eſt Jeſus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Unde in actibus Apoſtolorum legitur, Fide mundans corda eorum. Et in Epiſtola ſua Beatus Petrus ſic & vos, inquit, Baptiſma ſalvos facit non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: quo ſine dubio ut mundare poſſit, conſecratur & Baptiſmus. Chriſtus quippe nobiſcum vitis cum Patre Agricola dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea. Lege Apoſtolum, & vide quid adjungit: ut eam ſanctificaret, inquit, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, niſi adderetur in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Eccleſia Dei, ut per ipſum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum, mundet infantem: quamvis nondum valentem corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait; jam vos mundi eſtis, propter verbum quod loquutus ſum vobis*.

Reſpondemus ad I., quod etſi aliquando Antiqui adhibuerint promiſſionem, & concionem, ſemper tamen adhibuiſſe falſum eſt, ut præcipue conſtat ex Serapione, ad quem Presbyter per puerum Euchariſtiam miſit, quod Euſebius refert. Attamen cum hoc quoque ſtat, quod Antiqui concionem, & promiſſionem non uti partes eſſentiales, non per verba conſecratoria, ſed per alia verba adhibuerunt.

Ad II. Senſus Auguſtini eſt, quod verbo ſacramentali vis inſit, non quatenus ſonus eſt materialis, ſed prout eſt fidei Myſterium, & divinæ virtutis invocationem continet; unde idem Auguſt. ſubdit loco citato: *nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt verbum fidei*.

Ad III. dicitur, fuiſſe in Adultis doctrinam, ſed non ut partem eſſentialem, bene vero, ut diſpoſitionem; & quidem inſtructio, ſeu doctrina, ut dictum eſt, non fiebat per verba ſacramentalia, ſed per alia, quæ illa præcedebant. Hjeronymus tropologice loquutus fuit in illo loco, ut ipſemet ſe explicavit: cæteri vero Interpretes ſcribunt, verbum vitæ ſignificare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Ad IV. dicitur, verba conſecrare ex inſtitutione Chriſti, non autem ex pacto, vel expreſſo, vel tacito cum Dœmone, adeoque magica non eſſe. Ulterius, non minus ex ſe ſunt inepta verba, quam res Sacramentorum, ad conferendam gratiam; cur ergo non dicunt, res etiam Sacramentorum magicas eſſe inventiones? Videantur Bellarminus, Fraſſen, Eſtius, Tournely, aliique.

Ad V. Tranſeat major, & diſtinguitur minor: omne Sacramentum eſt ſignum efficax, & practicum, conceditur; ſignum nudum, & mere ſpeculativum, negatur. Vel diſtinguitur major: ſignum debet nos ducere in cognitionem alterius: ſignum ſpeculativum, conceditur, ſignum efficax, & practicum: ſubdiſtinguitur, vel ducit, vel ducere poteſt, conceditur; ut ſemper actu ducat, negatur. In Sacramento habemus, quod ſit ſignum practicum, nempe quod ſignificet, & operetur, & hoc eſt in ordine ad gratiam, quam producit, & habemus pariter, quod ſit ſignū mere ſpeculativum, & hoc eſt in ordine ad alios effectus, quos ſignificat, ſed non operatur. In prima acceptione Sacramentum eſſentialiter eſt ſignum, in ſecunda vero accidentaliter

eſt

eſt ſignum. Baptiſmus prout ſignificat gratiam, quam operatur, & producit, eſt ſignum efficax, & practicum; prout vero ſignificat mortem, & reſurectionem Chriſti, quam nec efficit, nec operatur, eſt ſignum mere ſpeculativum. Euchariſta, in quantum ſignificat gratiam, quam pariter producit, eſt ſignum efficax, & practicum; in quantum mortem Chriſti repreſentat, & paſſionis ejus memoriam renovat, eſt ſignum quoque nude ſpeculativum.

Ad VI. Etiam admiſſo, quod Lutherus prætendit, quod ſcilicet vox græca ἐπερώτημα ſignificet pactum, ſeu ſtipulationem, nihil tamen pro ſe ipſo probat, & quia pactum illud, de quo loquitur S. Petrus, non ſe tenet ex parte Baptiſmi, ſed ex parte baptizati, qui in Baptiſmo, ſcribit Tertullianus lib. *de corona Militis* cap. 3., ſub Antiſtitis manibus profitetur ſe renunciare Diabolo, & pompæ; & Angelis ejus; & quia idem S. Petrus tribuit Baptiſmo eandem vim, & efficaciam ad ſalutem animæ, quam tribuit arcæ noeticæ ad ſalutem corporis; ſed arca noetica non ſolum ſignificavit ſalutem corporis, ſed etiam operata eſt: ergo &c.; & denique quia intentum S. Petri eſt in illo loco, ut explicet diverſitatem, quæ intercedit, inter Baptiſmata Judeorum, & Baptiſmum Chriſti; per illa enim abluebantur tantum corpora, per hunc vero abluitur corpus, & anima, & eo quidem fælici ſucceſſu, ut Anima per bonam interrogationem conſcientiæ in Deum proprium ſuum effectum ſe conſequutam fuiſſe credat.

Ad VII. Ambroſius per Crucis Domini prædicationem non intelligit verbum concionis, vel inſtructionis, & doctrinæ, ſed verbum conſecrationis. Et ratio eſt, quia concio non dirigitur ad aquam, ſed ad audientes; verbum vero conſecratorium ad aquam tendit; unde idem Ambroſius loco citato inquit, *quid vidiſti? aquas utique ſed non ſolas: Levitas illic miniſtrantes, ſummum Sacerdotem interrogantem, & conſecrantem.*

Ad VIII. Ad præfata Auguſtini verba reponit Tournely, quod Novatores ex ipſis colligunt, & quod Auguſtinus loquatur de verbo ſacramentali, hoc eſt, de illo, per quod materia elevatur ad dignitatem Sacramenti, & quod verbum illud ſit concionis, & doctrinæ. Primum Catholici concedunt, ſecundum negant; immo & probare contendunt oppoſitum ex iiſdem Auguſtini verbis; & ratio noſtra eſt, quia Auguſtinus in illis verbis loquitur de illo verbo, quod ſi detrahatur ab aqua, remanet ſola aqua; de illo verbo, quod ſi accedat ad aquam, elementum fit Sacramentum; de illo verbo, quo mediante aqua abluit animam; de illo verbo, per quod ita conſecratur Baptiſmus, ut poſſit mundare ſpiritus; de illo denique verbo, quod tanti valoris eſt in Eccleſia, ut per ipſum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem; ſed hæc omnia innuunt & probant, verbum illud non eſſe tantum concionale, ſed eſſe etiam conſecratorium, ut de ſe patet: ergo &c.

Pro ultima demum Diſſertationis parte, in qua quæritur, an verba formæ poſſint eſſe conditionalia? dividunt Theologi ſacramentalem formam in abſolutam, & conditionalem; prima actionem ſacramentalem enunciat abſolute, E.G. ego te Baptizo: ſecunda vero exprimit ſub conditione, nimirum: ſi non es baptizatus, ego te baptizo. Hæc forma conditionalis non fuit in uſu in Eccleſia per ſeptem priora ſecula; circa octavum vero ſeculum apud Latinos adhiberi cæpit; & tandem a ſeculo decimotertio in omnibus Latinorum Eccleſiis adhibita eſt. Sic tradunt Scriptores noſtri, & præcipue Jueninus in Comeut., Natalis Alexander, Tournely, aliique paſſim. Quod per ſeptem priora ſecula in uſu non fuerit, probant, quia nullum ejus veſtigium in Eccleſiaſticis illorum temporum Scriptoribus invenitur. Cyprianus non probavit Baptiſmum per aſperſionem, & voluit per immerſionem iterandum abſque conditionalis formæ mentione; ſic habet Epiſt. 76. ad Magnum. Cæcilianus, Archiepiſcopus Carthaginenſis, criminatus a Donatiſtis, quod invalide eſſet ordinatus a Felice, Aptungitano Epiſcopo, qui fuerat ſacrorum Codicum traditor, ſe iterum ordinandum abſque conditionalis formæ nomine exhibuit. Quin immo illorum ſeculorum Patres aſſeruerunt, quod ſi dubium eſt de Sacramento, an valeat, non eſt periculum illud iterandi, ſi per abſolutam formam conferatur. Sic San-

ctus Leo Magnus Epiſt. 37. *non poteſt in iterationis crimen devenire, quod factum eſſe omnino neſcitur*: ſic Gregorius Magnus Epiſt. 31. ad Felicem Epiſcopum in Sicilia de Baptiſmo, de Confirmatione, & de Eccleſiarum conſecratione dubiis, ſcribit: *non monſtratur iteratum, quod nec certis indiciis oſtenditur rite peractum*. Hæc autem omnia excludunt omnino formam conditionalem, ut de ſe patet. Capitularia Caroli Magni, quæ fuerunt ſeculo nono conſcripta, quibuſdam in caſibus formam conditionalem permittere videntur; lib. enim 6. cap. 181. ſic in eis legitur: *de quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis, ſi baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Sed hoc ejus decretum ad omnium latinarum Eccleſiarum notitiam non pervenit, adeoque univerſaliter non fuit executioni mandatum. Odo, Epiſcopus Pariſienſis, Alexandro III. coævus, ſuis Statutis Synodalibus hanc Baptiſmi formulam dedit: *Petre ſi es baptizatus non te baptizo, ſed ſi non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Hoc ſuum tantum ſtatutum Eccleſia Pariſienſis recipere potuit; quanvis etiam Petrus Cantor, Doctor Pariſienſis, ſcripſerit: *In Confirmatione, vel in Baptiſmo, de qua dubitatur, an ſit collatus, non approbamus conditionem appoſitam ſic; ſi non es baptizatus &c quia Sacramento non ſunt conditionaliter conferenda* Tandem Seculo XIII. auctoritate Gregorii IX. illud decretum Alexandri III. in corpore Juris inſertum eſt, & legitur cap. 2. *extra de Bapt.* Et tunc, cum omnes Eccleſiæ jus Canonicum a Gregorio promulgatum receperint, hanc formæ conditionalis praxim omnes amplexæ ſunt. Hæc tamen omnia intelliguntur de Sacramentis, quæ iterari non poſſunt, quæ ſcilicet characterem imprimunt, de Baptiſmo nimirum, de Confirmatione, & de Ordine; de illis vero, quæ iterari poſſunt, nec ita frequens, nec ita antiqua in veteribus Scriptoribus mentio eſt. Unde laudatus Jueninus ſcribit, formæ conditionalis uſum in Sacramentis, quæ characterem non imprimunt, & quæ iterari per conſequens poſſunt, tantum centum ab hinc annis in Eccleſias introductum fuiſſe.

Dicimus III. Formæ conditionalis uſum, tam in Sacramementis characterem imprimentibus, quam in illis, quæ non imprimunt, eſſe approbandum; in illis quidem, quando prudenter dubitatur, an Sacramentum valide collatum fuerit; in iſtis vero, quando dubitatur, an ſubjectum ſit capax, & an Miniſter eam protulerit.

Prima Concluſionis pars probatur ſimul, & explicatur. Etenim quanvis per illa priora ſecula in illis caſibus, in quibus nos modo conditionalem formam proferimus, antiqui Patres abſolutam protulerint, in collatione nimirum Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis; poſt Alexandri III. tempora nihilominus in certis Eccleſiis, & poſt Gregorium IX. in omnibus latinis forma conditionalis communiter adhibita eſt, & modo ea in praxi unanimiter uſurpatur; prudens autem dubium dicitur: quod primo poteſt eſſe in Infante expoſito, etiam ſi ſchedulam ſuſcepti baptiſmatis habeat; poteſt enim evenire, quod qui tantum ſcelus admiſerunt, etiam mentiti fuerint, vel quod formam neſcierint, aut aliquo modo erraverint: ſic Concilium Aquenſe anno 1588.: ſecundo, quando Obſtetrices baptizant, quia ut plurimum ſunt ruſticæ, & ignaræ, & forſan ex timore mortis pueri imminentis perterritæ, & ideo eſt credibile, ut multoties in forma proferenda errent: ſic Concilium Rothomagenſe anno 1283. Tertio, quando Teſtes fide digni aſſerunt, legitimam materiam adhibitam non fuiſſe; unde quidam Monachus in Gallia, & quidam Epiſcopus in Italia non multis ab hinc annis ſub forma conditionali baptizati fuerunt, quia in eorum baptiſmo aqua roſacea adhibita fuerat, ut deinde compertum fuit.

Secunda Concluſionis pars probatur ſimul, & explicatur. Etſi in corpore Juris uſus iſte non reperiatur, in multis tamen Ritualibus legitur, & in communi praxi Eccleſiarum fere omnium, prout teſtantur Theologi eam unanimiter admittentes, obſervatur. Duplex autem eſt caſus, in quo adhiberi debet, prout aſſerit Soto; primo, quando dubium eſt de capacitate ſubjecti, nimirum de illo, qui petit Sacramentum, ſed dubitatur, an ſit mortuus, vel vivus; de illo qui ſubito morbo

ebmy:

obmuteſcit, & ſic de cæteris. Secundo, quando dubium eſt de Miniſtro, an ſcilicet integram formam protulerit, an debitam intentionem habuerit &c.; in hoc autem caſu conſulitur, ut iterum pœnitens confiteatur ſaltem in genere peccata, quæ antea in ſpecie aperuerat, eaque confeſſione peracta, non cum conditionali, ſed cum abſoluta forma abſolvatur. Et ideo dicendum eſt in genere, quod forma conditionalis eſt adhibenda in caſu neceſſitatis, extra enim hunc caſum licitum non eſt Miniſtro uti materia dubia, etiam cum forma conditionali. Hinc peccat mortaliter Miniſter, qui extra periculum mortis cum forma conditionali pœnitentem abſoluit. Denique monendi ſunt Miniſtri, ut nonniſi poſt diligens examen, an Sacramentum ſcilicet, de quo dubitant, valide collatum fuerit, & an etiam ſubjectum ſit cognitionis capax &c., formam conditionalem adhibeant, Hujus diligentis examinis in iteratione Sacramentorum obvia ſunt teſtimonia in Concilio III. Carthaginenſi, in Gregorio Magno Epiſt. 31. ad Felicem, in Gregorio III. Epiſt. 4. ad Bonifacium, in Capitularibus Caroli Magni. Et tandem ſi dubium oritur in Miſſæ celebratione, an prolata fuerit forma, debet celebrãs miniſtrantem, interrogare, an elevationem fecerit, & non iterum conſecrare conditionali forma, quæ quidem adhiberi non poteſt, niſi poſt maturum examen, ut dictum eſt, & ubi aliud remedium applicari non poteſt. Multoties enim dubia poſſunt ex ſcrupulis oriri, & propterea ab his non debet quis prudenter moveri, ut Sacramenta iteret.

DISSERTATIO CCCIX.

De Sacramentorum novæ Legis Authore. An fuerit ſolus Chriſtus? An Sacramenta omnia immediate etiam inſtituerit? An ut Homo, vel ut Deus? An hoc ſit de fide? Et num potuerit Deus alicui Sacramenta inſtituendi poteſtatem conferre?

UT in hac Diſſertatione ſecernantur Theologorum de ſchola aſſertiones ab Hæreticorum erroribus, prius hic videre oportet, quid illi aſſerant, & quid iſti ariolentur. Hæretici fatẽtur, Baptiſmum, & Euchariſtiam Chriſtum per ſe tantum immediate inſtituiſſe, cætera vero Sacramenta potuiſſe quidẽ a Chriſto inſtitui, ſed de facto ab eo non fuiſſe immediate inſtituta, ſed mediate, per Apoſtolos nimirum, vel per Eccleſiam. Theologi autem de ſchola aſſerunt unanimiter, Chriſtum immediate inſtituiſſe Baptiſmum, & Euchariſtiam, de cæteris vero diſputant, an Chriſtus illa immediate, vel mediate inſtituerit; & ſi immediate, an hoc de fide habendum ſit? Alexander de Ales par. 4. Summæ quæſt. 24. membro primo, putavit, Confirmationis Sacramentum in Concilio Meldenſi anno 845. fuiſſe inſtitutum: Magiſter vero ſententiarũ, Hugo Victorinus, & S. Bonaventura putarunt, Apoſtolos, ſecundum poteſtatem, quam a Chriſto habuerunt, aliqua Sacramenta inſtituiſſe, præcipue Confirmationem, & extremam Unctionem. Cæteri vero communiter Theologi docent, Chriſtum Dominum per ſe ipſum, & immediate, omnia & ſingula Sacramenta inſtituiſſe. Inter ipſos tamen eſt etiam diviſio, nam aliqui cenſent hoc eſſe de fide, & a Concilio Tridentino ſeſſ. 7. Can. 1. definitum; unde oppoſitam ſententiam erroneam dicunt. Sic ſcripſit Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 23. Vaſquez in 3. par. ad quæſt. 64. art. 4. diſp. 135. cap. 1. Becanus de Sacram. in communi c. 5. Iſambertus in 3. par. ad quæſt. 64. diſp. 1. art. 1. Alii vero tuentur quidem Chriſtum Dominum immediate per ſe ipsũ omnia, & ſingula Sacramenta inſtituiſſe, at negant hoc eſſe de fide. Sic Dominicus Soto in 4. diſt. 1, quæſt. 5. ar-

tic.2.

tic.2 Concluſ.3. Suarez 3 par.quæſt.64. art.4. diſp.12. ſect.1. Eſtius in 4. diſt.1. §. 16. Qui cont. Alexandrum de Ales, etſi citato loco ſcribat, quæ ſequuntur verba: „ Etſi enim ferenda ſit eorum opinio, qui alicujus Sacramenti inſtitutionem Apoſtolis adſcribunt, minime tamen eis aſſentiendum, qui poſt Apoſtolorum tempora putant aliquod eorum fuiſſe inſtitutum; quandoquidem commiſſio verbis facta, non ultra Apoſtolos extendere ſe potuerit, alioquinetiam & hodie poſſet aliquid in Sacramentis Eccleſia mutare, vel inſtituere: „ attamen deinde dicit, quod quanvis dubitari vix poſſit, quin hæc ſit Tridentini mens, aperte tamen ad fidem pertinere affirmari non poſſe.

Inſuper iidem Scholaſtici de cauſſa efficiente Sacramentorum agentes, triplicem eam diſtinguere ſolent; Primo eam, quæ dicitur principalis, & independens, in qua eſt poteſtas auctoritatis; Secundo eam, quæ eſt inſtrumentalis, ratione tamen inſtrumenti conjuncti, & in qua eſt poteſtas excellentiæ; Tertio eam, quæ eſt inſtrumentalis, ſed ratione inſtrumeuti ſeparati, in qua eſt poteſtas miniſterialis. Primam dicunt eſſe Deum, ſecundam eſſe Chriſti Humanitatem, tertiam eſſe quemlibet alium Sacramentorum Miniſtrum. Sed de hac ultima non convenimus, quia alius eſt Miniſter, alius eſt Auctor; de Miniſtro loquemur in ſequenti Diſſertatione, in hac agimus de Auctore. Unde rectius putamus hanc tertiam cauſſam principalem explicare illos, qui dicunt eſſe Creaturam, cui Deus de poſſibili vel conceſſiſſet, vel concederet hanc auctoritatem inſtituendi Sacramenta. Rurſus alii diſtinguunt cauſſam phyſicam Sacramentorum, & cauſſam moralem; cauſſam phyſicam efficientem principalem aſſerunt eſſe ſolum Deum; canſſam vero moralem efficientem pariter, & principalem, eſſe Deum, & hominem, hoc eſt Chriſtum. De cauſſa principali, & independenti, quam alii dicunt eſſe phyſicam, & in qua eſt poteſtas auctoritatis, cum nemine controvertimus, uti pariter de cauſſa morali principali, & efficiente; certum enim apud omnes eſt, & Deum, & Chriſtum eſſe cauſſam efficientem, principalem, & independentem, in qua eſt poteſtas auctoritatis, Controverſia igitur eſt tantum de ſecunda, & de tertia, & quidem ex una parte inter Catholicos, & Hæreticos, ex altera inter Catholicos, qui ſuut de Schola Theologi, ut dictum eſt.

Dicimus I. Sacramentorum omnium novæ Legis ſolum Chriſtum fuiſſe Auctorē, eaque etiam ſingula immediate inſtituiſſe.

I. Probatur ex Scripturis. Tunc Chriſtus eſſet Sacramentorum omnium Auctor, quando in Scripturis novi Teſtamenti Sacramentorum omnium inſtitutio legeretur; ſed legitur: ergo &c. Probatur minor. Baptiſmus legitur Matth. 28., Confirmatio Actor. 8., Euchariſtia Matth. 26., Pœnitentia Joan. 20., Unctio extrema Jacobi 5., Ordo Actor. 6., Matrimonium ad Epheſ. 5. Inſuper; qui ſunt Miniſtri, & diſpenſatores Sacramentorum, non ſunt eorundem Auctores; ſed Apoſtoli fatentur, ſe tantum eſſe Miniſtros, & diſpenſatores, non vero Auctores Myſteriorum Dei: ergo &c. Minor probatur ex Epiſtola 5. ad Corinth cap. 13. *Quid eſt Apollo? quid vero Paulus? Miniſter ejus, cui credidiſtis*; & cap. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Denique Chriſtum poſt Reſurrectionem ſuam, Scripturæ docent, per quadraginta dies cum Diſcipulis ſuis converſationem, & colloquia habuiſſe; ſed hæc colloquia ad Sacramentorum inſtitutionem, & ritus, pertinebant: ergo &c. Major legitur Actor. 1. ubi habetur: *Quibus & præbuit ſe ipſum vivum, poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei.* Minor eſt S. Leonis Serm 1. de Aſcenſ. Domini: *Hi dies, qui inter Reſurrectionem Domini, Aſcenſionemque fluxerunt, non otioſo tranſiere decurſu, ſed magna in his confirmata Sacramenta, magna revelatā Myſteria.*

II. Probatur ex Traditione; quanvis enim concederemus Calvino, Kemnitio, aliiſque Novatoribus, aliquorum Sacramentorum inſtitutionem non exprimi clare, & diſtincte in Scripturis, Traditio tamen nos cogit, ut ea omnia & ſingula a Chriſto inſtituta dicamus; ſed traditio hoc docet expreſſe: ergo ex traditione habemus. Major eſt Auguſtini lib. 4. dē Bapt. cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non-*

niſi

niſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur. Ubi dicitur, non auctoritate apoſtolica *factum*, ſed auctoritate apoſtolica *traditum*; quod innuit, Apoſtolos id non effeciſſe, ſcilicet non inſtituiſſe, ſed tradidiſſe, hoc eſt Eccleſiam, vel ſcripto, vel voce docuiſſe. Minor pariter eſt Tertulliani, cujus doctrina eſt, Apoſtolos a Chriſto, Chriſtum a Deo, quod nobis traditum eſt, accepiſſe.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Trident. ſeſſ. 7. Can. 1. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut plura eſſe, vel pauciora, quam ſeptem; videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere, & proprie Sacramentum, anathema ſit.* Nec reponant Hæretici, Concilium non definiiſſe ſingula, ſed omnia; nomine autem omnium venire poſſunt illa duo, quæ ipſi admittunt; ne dicant hoc, quia nomine omnium venire non poſſunt duo tantum; tum etiam, quia ubi Lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; tum pariter, quia Concilium Sacramenta omnia enumeravit ſeptem, & non duo: ergo de illis ſeptem declaravit ſe fuiſſe loquutum, & non de duobus; tum tandem, quia pariter definivit non illa duo tantum, ſed ſeptem eſſe vera Eccleſiæ Sacramenta. Accedit, quod idem Concilium diſtinguit inſtitutionem a promulgatione, & inſtitutionem vult factam a Chriſto, promulgationem vero a Jacobo Apoſtolo. Leguntur verba ſeſſ. 14. cap. 1. *Inſtitutam eſſe ſacram hanc Unctionem Infirmorum, tanquam vere & proprie Sacramentum novi Teſtamenti a Chriſto Domino noſtro apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini Fratrem, Fidelibus commendatum ac promulgatum.* Denique hoc idem Concilium ſeſſ. 21. cap. 2. declarat, quod Eccleſia non habeat poteſtatem circa ſubſtantiam Sacramentorum, ſed tantum circa ritus, & cæremonias: *Declarat ſancta Synodus, hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi magis expedire judicaret.* Si autem Eccleſia aliqua Sacramenta inſtituiſſet, etiam circa ſubſtantiam Sacramentorum poteſtatem habuiſſet, non tantum circa cæremonias, & ritus.

IV. Probatur ex Patribus. Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Auctor Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus Jeſus?* Auguſtinus lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap 9. *Quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima, ipſe Dominus, & apoſtolica tradidit diſciplina.* Et Epiſt. 54. ad Januarium: *Tenere te volo, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum . . . leni jugo ſuo nos ſubdidiſſe, & ſarcina levi: unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi Populi colligavit. Sicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio Corporis & Sanguinis ipſius, & ſi quid aliud in Scripturis canonicis commendatur . . . . . Illa autem quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri, ſicuti quod Domini paſſio, & Reſurrectio &c. anniverſaria ſolemnitate celebratur.* Idem aſſerit Auctor libri de Eccleſiaſtica Jerarchia cap. 1., qui Dionyſio Areopagitæ tribuitur: *Apoſtoli Sacramentorum formam accepere, non confixere.*

V. Probatur rationibus. I. Sacramentorum inſtitutio includit conjunctionem virtutis, per quam gratia producitur, cum ſignis ſenſibilibus; ſed hanc conjunctionem ſolus Chriſtus facere poterat: ergo ſolus Chriſtus fuit Auctor immediatus Sacramentorum. Probatur minor, quia gratia, & ſigna, nullam habent inter ſe naturalem connexionem: ergo habuerunt ſupernaturalem; ſed hæc dari non poterat niſi a Chriſto: ergo &c. II. Solus Deus virtutem ſanctificativam poteſt Sacramẽtis tribuere: ergo ſolus Deus poteſt Sacramenta inſtituere: ergo ſolus Deus Sacramenta inſtituit. III. Sacramentorum veteris Legis ſolus Deus fuit Auctor, Moyſes fuit tantummodo promulgator: ergo pariter Sacramentorum novæ Legis ſolus Chriſtus fuit Auctor immediatus, & Apoſtoli fuerunt ſolummodo Promulgatores. IV. Si ſufficeret, quod Chriſtus diceretur Sacramentorum Auctor, eo quod ea me-

diate inſtituiſſet, immediate autem Apoſtoli, vel Eccleſia; eodem modo dici poſſet Chriſtus Dominus Auctor omnium cæremoniarum,& rituum Eccleſiæ, quos etiam Chriſtus mediate inſtituit, Eccleſia autem immediate; ſed hoc eſt falſum: ergo & unde ſequitur. Probatur Minor; quia non eodem modo Chriſtus dicitur inſtitutor Sacramentorum, & cæremoniarum Eccleſiæ, ut de ſe patet.

Dicimus II., eſſe maxime certum, quod Chriſtus immediate omnia & ſingula Sacramenta iuſtituerit; non eſſe tamen de fide.

Prima Concluſionis pars probatur I. Quia hæc ſententia magis accedit definitioni Tridentini, quod quanvis non definiat expreſſe immediatam a Chriſto Sacramentorum inſtitutionem, attamen eam non obſcure indicat, atque proponit, ut in allatis probationibus pro prima Concluſione dictum eſt. II. Quia ſtant pro hac ſententia SS. Patres ut plurimum, qui de immediata inſtitutione expreſſe loquntur, præcipue illi, quorum verba in probationibus præteritæ Concluſionis attulimus. III Quia pariter ſtant pro illa omnes Theologi de Schola, ſi excipiantur antiqui pauci, quos in Diſſertationis initio enumeravimus, & qui ante Concilium Trident.ſcripſerunt. IV. Quia fere omnes Theologi conveniunt, quod contrariũ aſſerere, etſi non ſit hæreticũ, eſſet tamen maxime temerarium. V. Ideo Trident. non dixit, Chriſtum Dominum omnia Sacramenta per ſe ipſum, & immediate inſtituiſſe, quia voluit conſulere famæ Hugonis, Magiſtri Sentent., Bonaventuræ, Alexandri de Ales, aliorumque. Cæterum ſancta Synodus cavit maxime, ne proſcriberet opiniones inter Scholaſticos, ſalva fide, agitatas, & ſolum voluit Lutheranorum, atque Calvinianorum, errores damnare, & ad hoc exequendum ſatis fuit, ut contra ipſos decerneret, ſeptem Sacramenta novæ Legis eſſe de jure divino, quod recentiores Hæretici inficiabantur. Sic Jueninus, quauvis Cacheranus hoc non admittat.

Secunda Concluſionis pars probatur I. Ex difinitione Concilii Tridentini nullum haberi poteſt firmum argumentum, quod expreſſe doceat immediatam Sacramentorum a Chriſto inſtitutionem: ergo non eſt de fide. Probatur antecedens. Tridentinum citato Canone Novatorum errorem damnat, qui e ſeptenario numero Sacramentorum quinque expungebant, eo quod non ſint a Chriſto Domino inſtituta; ſed hoc non comprehendit expreſſe immediatam Sacramentorum inſtitutionem a Chriſto factam: ergo &c. II. Hæc opinio negans etiamnum in Scholis a quibusdam docetur, & Eccleſia contra illam nihil decernit. III. Quia graves Theologi, etiam illi, qui ſententiam noſtram tuentur, ſcribunt, præſertim Dominicus Soto in 4 diſt. 1. q. 5. art. 2 Concluſ. 3. ait: *Non uſque adeo conſtat hæreticum eſſe negare, Sacramenta, Confirmationis, & extremæ Unctionis fuiſſe ore Chriſti proprio inſtituta*. Et Concluſ 4. *eſſet tamen temerarium negare omnia Sacramenta a Chriſto inſtituta*. Eſtius in 4. diſt. 1. §. 16. *Cum non ſit a Synodo definitum, Sacramenta novæ Legis omnia immediate a Chriſto inſtituta eſſe, diſputatur adhuc inter Catholicos, utrum omnia ſeptem Chriſtus immediate, & per ſe ipſum inſtituerit, an vero quorundam inſtituendorum miniſterium Apoſtolis, vel Eccleſiæ commiſerit. Dubitandi enim cauſa videtur, quod in Scriptura nuſquam legimus ubi Confirmationis & extremæ Unctionis Sacramenta Chriſtus inſtituerit, ſed utrumque Apoſtoli poteſtate ſibi a Chriſto commiſſa videantur in Eccleſia tradidiſſe, Act. 8., & Jacobi 5., multoque minus exiſtimant Ordinem Diaconatus, & Subdiaconatus, & quatuor minores Ordines immediate a Chriſto fuiſſe inſtitutos, præſertim quoad ſingulorum materiam, & formam, quarum determinationem, alterationem, atque mutationem, volunt Apoſtolis, immo & poſteriori Eccleſiæ, prout Fidelium ſaluti expedire judicarent, fuiſſe concreditam*. Horum verba referuntur a Tournely, quibus, & ipſe adhæret.

Dicimus III Chriſtum, ut Deum, fuiſſe cauſſam phyſicam Sacramentorum; Chriſtum vero, ut Deum, & hominem, fuiſſe cauſſam moralem, & meritoriam inſtitutionis Sacramentorum.

Prima pars Concluſionis probatur I. Ex Scripturis. Job. 4: *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonne Tu qui ſolus es?* Pſalm. 83. *gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Ex quibus hoc conficitur argumentum: ſolus Deus ex citatis Scripturæ locis poteſt virtutem tribuere Sacramento, & producere illius effectum, ſcilicet gratiam ſanctifi-

cant-

cantem, & peccati remiſſionem: ergo ſolus Deus fuit cauſſa principalis phyſica Sacramentorum.

II. Probatur. Solus Deus eſt a quocunque alio independens in operando; ſed poteſtas auctoritatis, quæ tribuitur cauſſæ principali phyſicæ in agendo, importat eſſentialiter hanc independentiam: ergo ſolus Deus fuit cauſſa phyſica principalis Sacramentorum. Major eſt certa; quia ſolus Deus, quum ſit perfectiſſimus in omni genere, eſt etiam perfectiſſimus in eſſendo, & in operando; per hoc autem importatur independentia, quam dicimus: ergo ſolus Deus eſt independens in operando. Minor etiam eſt vera; quia hæc eſt poteſtas auctoritatis, quam ſuperius explicavimus, & diximus ſoli Deo convenire.

Secunda Concluſionis pars probatur I. Negari non poteſt, quod Chriſtus fuit Auctor Sacramentorum, ut in Concluſione prima probatum eſt; ſed non fuit cauſſa principalis phyſica, ut probatum eſt in præcedenti Concluſione: ergo fuit cauſſa principalis moralis.

II. Probatur. Chriſtus ut homo habuit poteſtatem excellentiæ; ſed hæc ſufficit, ut ſit cauſſa moralis principalis Sacramentorum: ergo &c. Probatur Minor. Poteſtas excellentiæ conſiſtit in his dotibus, primo, quod Sacramenta ex merito tantum Chriſti operentur; ſecundo, quod illius tantum nomine, poteſtate ſcilicet ab ipſo accepta, conficiantur, & diſpenſentur; tertio, quod ſolo voluntatis actu abſque Sacramentis poſſit abſolute gratiam conferre; ſed hæc omnia verificantur in Chriſto: ergo &c.

III. Probatur. Chriſtus meruit nobis, ut membris ejus, omnes gratias, quæ ab ipſo fluunt moraliter tanquam a capite ergo meruit etiam nobis media, per quæ gratiæ illæ in nos derivarentur: ergo meruit nobis ut Sacramenta inſtituerentur; ſed hoc ipſum eſt, eſſe Chriſtum cauſſam moralem principalem Sacramentorum: ergo &c. Major eſt certa, quia ut dicitur Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Conſequentia ſequitur, ut patet. Minor ſubſumpta probatur; quia poteſtas Chriſti ut hominis in Sacramentis non fuit mere miniſterialis: ergo fuit poteſtas excellentiæ, quæ conſiſtit in hoc, & quod fuerit cauſſa moralis, quod Sacramenta inſtituerentur, & quod operentur ex ejus meritis, & quod dentur & diſpenſentur ejus nomine & auctoritate; & demum quod meruerit, ut ſibi cōcederetur auctoritas deſignandi materias, & formas Sacramentorum.

Pro ultima Diſſertationis parte, non eſt ſermo de poteſtate auctoritatis, quæ quum dicat independentiam, non poteſt alteri convenire a Deo; nec eſt ſermo de poteſtate excellentiæ, quæ fundatur in Unione hypoſtatica; ſed ſolum eſt ſermo de poteſtate miniſteriali, an ſcilicet potuiſſet Deus illam concedere alicui puræ Creaturæ, ut Sacramenta inſtitueret, uti de facto conceſſit, ut eadem miniſtraret.

Dicimus IV., potuiſſe Deum puræ Creaturæ communicare poteſtatem miniſterialem inſtituendi Sacramenta.

I. Probatur Concluſio. Nulla eſt repugnantia, ut hæc poteſtas potuerit a Deo communicari puræ Creaturæ, nec ex parte Dei, nec ex parte Creaturæ, nec ex parte Sacramenti: ergo potuiſſet Deus illam puræ Creaturæ communicare. Probatur antecedens. Non eſt repugnantia ex parte Dei, quia ſemper ſalvaretur ipſius independentia, & dependentia, quam habere debet pura Creatura a Deo auctore ſuo. Nec ex parte Creaturæ, quia poſſet hæc non ſolum inſtituere ſignum exterius, ſed etiam ipſi annectere vim producendi gratiam, non quidem de condigno, ſed ſolum de congruo, ex libera ſcilicet, & gratuita Dei acceptatione, per quam mereretur nobis primam gratiam ſanctificantem; nec ex parte Sacramenti quia ad conſtituendum hoc ſufficit, & quod ſignum exterius producat, & quod per ſignum exterius ſanctificans gratia producatur.

II. Probatur ex Auguſtino Tract. 5. in Joan. n. 7. ubi hæc habet; *Potuit Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſervo, ut daret Baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & transferre a ſe baptizandi poteſtatem, & conſtituere in aliquo ſervo ſuo, & tantam vim dare Baptiſmo tranſlato in ſervum, quantam vim haberet Baptiſmus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo ſpes eſſet Baptizatorū, a quo ſe Baptizatos agnoſcerent. Noluit ergo ſervum ponere ſpem in ſervo.* Et paulo poſt. *Intendite: Potuit hanc poteſtatem ſervis dare, ſed noluit; ſi enim daret hanc poteſtatem in ſervis, ideſt, ut & ipſorum eſſet, quod Domini erat, tot eſſent*

Baptiſmata, quot eſſent ſervi. Ex quibus verbis ſufficit nobis, quod potuerit Deus illam communicare poteſtatem, quanvis poſtea Auguſtinus dicat, quod non fuerit conveniens.

III. Probatur. Communicari poteſt puræ Creaturæ poteſtas, per quam tribuatur ei ex delegatione divina virtus inſtituendi aliquam rem ſenſibilem ſignificativam, & cauſſativam gratiæ; ſed hæc eſt poteſtas, de qua loquimur, nimirum delegationis, & commiſſionis, ſufficiens ad veram Sacramentorum inſtitutionem, quanvis ſecundariam: ergo &c. Minor patet; quia, quemadmodum tribuere rei ſenſibili dictam virtutem ex facultate intrinſeca & independenti dicit Sacramentum inſtituere poteſtate auctoritativa, & ordinaria, ita tribuere illam ex delegatione & commiſſione eſt, Sacramentum inſtituere poteſtate delegata, & commiſſaria. Major autem probatur, quia communicabilis eſt puræ creaturæ gratiæ amplitudo, ut ejus opera ſint de congruo, ſi non de condigno, meritoria gratiæ pro ſe ipſa: ergo etiam pro aliis: quod ſane eſſet Sacramenta inſtituere per poteſtatem delegatam, & miniſtorialem:

Arguunt I. Auguſtinus lib 3. de Doctr. Chriſt. cap. 9. docet. *Sacramenta novæ Legis Dominus ipſe, & apoſtolica tradidit diſciplina*: Ergo non omnia immediate fuerunt a Chriſto inſtituta, ſed alia etiam Apoſtoli inſtituerunt. Idem Auguſt. Epiſt. 19. cap. 1. *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Eccleſiis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſta uta retineri*, ſed omnium Sacramentorum inſtitutio non eſt ſcripta, ſed tradita tantum: ergo &c. II. Cyprianus, vel quibuſvis alius eſt Auctor Sermonis de ablutione pedum, ſcribit: *Ipſe ſummus Sacerdos ſui eſt Sacramenti inſtitutor & auctor, in cæteris homines Spiritum Sanctum habuere Doctorem, & ut par eſt Spiritus Sancto, & Chriſto divinitas, ita ſuis inſtitutis par eſt auctoritas, & poteſtas, nec minus ratum eſt, quod dictante Spiritu Sancto Apoſtoli tradidere, quam quod ipſe Dominus tradidit, & in ſui commemorationem fieri præcepit*. III. Joan. 20. legitur, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: ergo eandem poteſtatem receperunt Apoſtoli a Chriſto, quam Chriſtus accepit a Patre; ſed Chriſtus accepit a Patre poteſtatem inſtituendi Sacramenta: ergo pariter Apoſtoli poteſtatem inſtituendi Sacramenta a Chriſto acceperunt; ergo ne hæc poteſtas dicatur ſuperflua, dicendum eſt Apoſtulos aliqua Sacramenta defacto inſtituiſſe. IV. Apoſtoli baptizabant in nomine Chriſti, confirmabant ſine unctione, ordinabant ſine inſtrumentorum traditione: ergo vel mutabant partes eſſentiales Sacramentorum, vel illa de novo inſtituebant. V. Sacramenta Legis naturæ dependebant ab arbitrio hominum, ut ſignis, quæ ipſis placebant, ſuam fidem obteſtarentur; Sacramenta Legis ſcriptæ fuerunt pariter per Angelos inſtituta; ergo ſic pariter potuerunt eſſe Sacramenta Legis evangelicæ. VI. Qui poteſt producere effectum alicujus cauſſæ, poteſt producere & cauſſam; ſed Eccleſiæ Miniſtri poſſunt producere effectus Sacramentorum; ergo pariter poſſunt producere Sacramenta. Probatur Minor. Effectus Sacramentorum ſunt, purgare hominem a peccatis, illos illuminare, & perficere per gratiam ſed hoc faciunt Miniſtri Eccleſiæ; ergo &c. VII. Baptiſmus Joannis erat verum Sacramentum, & nihilominus erat Baptiſmus hominis, hoc eſt ab homine inſtitutus: ergo homo poteſt inſtituere Sacramenta. Argumentum fundatur in illo Auguſtini Tract. 5. in Joan. circa medium: *Aliud eſt baptizare per miniſterium, aliud per poteſtatem; Baptiſmus enim tale eſt, qualis eſt ille, in cujus poteſtate datur, non qualis eſt ille, per cujus Miniſterium datur; tale erat Baptiſmus Joannis, qualis Joannes; Baptiſma tamen juſti hominis, ſed qui acceperat a Deo talem gratiam, ut dignus eſſet præire judicem: tale autem Baptiſma Domini, qualis Dominus &c.* VIII. Si Deus poteſt deſignare Creaturam, ad cujus præſentiam produceret gratiam infallibiliter, hoc ſufficeret ad Sacramentum inſtituendum; ſed hoc Deus poteſt facere, & in tali caſu Creatura diceretur inſtituiſſe Sacramentum: ergo &c. Argumentum fundatur pariter auctoritate Auguſtini citato loco dicentis: *Potuit autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſervo ſuo, ut daret Baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & transfer-*

re a

Digitized by Google

re a ſe baptizandi poteſtatem, & conſtituere in aliquo ſervo ſuo, & tantam vim dare Baptiſmo tranſlato in ſervum, quantam vim haberet Baptiſmus datus a Domino &c. IX. Qualibet Creatura, quæ ſit pura, & non hypoſtatice unita Verbo, non poteſt eſſe ſimilis Humanitati Chriſti; ſed Sacramenta, ut ſint Sacramenta, debent nos aſſimilare humanitati Chriſti: ergo nulla Creatura, quæ ſit pura Creatura, & quæ non ſit hypoſtatice unita Verbo, poteſt Sacrameuta inſtituere. Probatur minor ex illo ad Romanos 8. *Prædeſtinavit nos conformes fieri imagini* (hoc eſt Humanitati) *Filii ſui* X. Chriſtus habet ſanctitatem per eſſentiam, non per participationem; ſed quod eſt tale per eſſentiam eſt cauſſa principalis cæterorum, quæ ſunt talia per participationem: ergo ſolus Chriſtus poteſt eſſe cauſſa principalis Sacramentorum. XI. Quando effectus eſt in actu, ejus cauſſa debet eſſe pariter in actu; ſed paſſio Chriſti non eſt in actu: ergo non eſt cauſſa Sacramentorum, & gratiæ, quæ eſt effectus ipſorum Sacramentorum. XII. Si Sacramenta haberent efficaciam a paſſione Chriſti, vel illa haberent a paſſione Chriſti ut præterita, vel a paſſione Chriſti ut futura; ſed neutro modo: ergo &c. Probatur minor; non ut præterita, quia aliter Baptiſmus, & Euchariſtia, quæ fuerunt inſtitutæ a Chriſto ante paſſionem, non haberent illam efficaciam. Neque ut futura, quia aliter Sacramenta veteris Legis parem efficaciam habuiſſent, quia etiam illa paſſionem Chriſti, ut futuram, reſpiciebant.

Reſpondemus ad I. Intelligendus eſt Auguſtinus, quod Dominus Jeſus, & Apoſtoli ejus nobis tradiderunt Sacramenta, ſed non uno eodemque modo, at prorſus diverſo; Chriſtus enim tradidit nobis Sacramenta inſtituendo, Apoſtoli autem tradiderunt promulgando. Qui autem promulgat jam ſupponit factum, quod promulgat: ergo ſi Apoſtoli promulgaverunt Sacramenta, jam ſupponebant Sacramenta inſtituta. Et quidem inſtituta a Chriſto, qui ante Apoſtolorum prædicationem ipſorum Author fuerat. Ulterius Auguſtinus in ſecundo loco loquitur de conſuetudinibus, quæ quovis gentium obſervantur, & non in ſacris codicibus, nec in Patribus leguntur ſcriptæ. Inſtitutio autem Sacramentorum a Chriſto facta immediate, etſi in ſacris codicibus expreſſe, & manifeſte non legatur, legitur tamen in Patribus, & Eccleſiæ traditione comprobatur.

Ad II. Author illius ſermonis, qui non eſt Cyprianus, per illa verba voluit, aliqua Sacramenta Dominum Jeſum inſtituiſſe, ut Baptiſmum, Euchariſtiam, & Ordinem; alia vero inſtituiſſe, ſed non contuliſſe; contuliſſe autem Apoſtolos, ut de reliquis Sacramentis legitur vel in ſacris Paginis, vel in Patribus, vel etiam traditione docemur.

Ad III. Verbum *ſicut* importat quidem aliquam paritatem, ſed non omnem, quia aliter non eſſet paritas, ſed æqualitas. Importat, quod Apoſtoli prædicaverunt, docuerunt, peccatores reconciliarunt, non vero importat, quod Sacramenta inſtituerint; quia aliter ſequeretur, quod ſicut Chriſtus ſine Sacramento peccata remiſit Magdalenæ, Samaritanæ, Adulteræ, Publicano, aliiſque, ita etiam feciſſent, vel potuiſſent facere Apoſtoli, quod nemo dixit, immo nec poteſt quiſpiam dicere.

Ad IV. Apoſtoli totum quod dicitur in objectione perfecerunt ab initio; non per hoc tamen intenderunt Sacramentum aliquod inſtituere, ſed ut pure exequerentur Chriſti voluntatem; qui ita eis præceperat faciendum pro illo tempore ob quaſdam cauſſas, quas afferemus, quando de Sacramentis illis in particulari ſermo redibit fuſior quidem, & proprior.

Ad V. Determinatio Signorum ſacramentalium in Lege naturæ fuit quidem ex voluntate humana, ſed non per hoc ab illa determinatione dependebat illorum Sacramentorum inſtitutio Deus voluit ex ſe, & per ſe ipſum immediate inſtituit, quod homines Legis naturæ tempore ad ſuam ſanctificationem aſſumerent ſigna ſenſibilia, & quod ipſe ad illorum ſignorum poſitionem gratiam daret; nunquam autem voluit, quod homines tribuerent illis ſignis vim gratiam producendi, quod vere fuiſſet Sacramenta inſtituere. Sacramenta Legis moſaicæ ideo dicuntur tradita per Angelos, ſicut etiam dicitur tradita lex, non quod Angeli aut Legem illam condiderint, aut propria auctoritate Sacramenta illa inſti-

tuerint, ſed potius tantum, quod Angeli Legem illam, & Sacramenta illa promulgaverint.

Ad VI. Purgare, illuminare, & perficere per ſe immediate eſt effectus Sacramentorum, non autem mediate tantum. Miniſtri Sacramentorum purgant, illuminant, & perficiunt, non quidem immediate, ſed mediate. Deus enim eſt qui per ſe ipſum immediate illuminat animas noſtras, vel in eis gratiam infundit. Unde Dei ſolius eſt, non vero aliorum, Sacramenta inſtituere.

Ad VII. Baptiſmus Joannis non erat verum Sacramentum, ut dicetur, quando de eo erit ſermo; non enim habebat vim conferendi gratiam ſanctificantem, nec peccata dimittendi; ergo non ex hoc dici poteſt, quod Deus tradiderit Joanni poteſtatem Sacramenta inſtituendi.

Ad VIII. Cum Scoto hæc reponit Fraſſen in Diſput. Proemiali de Sacram. in genere art. 2. quæſt. 1. concl. 1 num. 7.
„ Reſpondeo ad minorem cum Doctore
„ loco ſupra laudato num. 6., quod ſi hæc
„ ad rationem Sacramenti ſufficiant; re-
„ vera quidem pura creatura poterit ex
„ commiſſione Dei inſtituere Sacramen-
„ ta: & hac ratione conciliari poterit
„ ſententia Doctoris cum opinione Do-
„ ctorum Angelici, & Seraphici, aſſeren-
„ tium, poſſe a Deo creaturæ committi
„ virtutem, & facultatem inſtituendi
„ Sacramenta; ſi nempe hæc inſtituti
„ ſumatur præciſe tantum, ut eſt deſi-
„ gnatio formæ, & materiæ ſenſibilis,
„ & ut præſcindit a certitudine, & effi-
„ cacia reſpectu effectus; quod utique
„ patet, quia ſic aliqui ſtatuunt reme-
„ dium Legis naturæ fuiſſe inſtitutum, ut
„ in poteſtate cujuslibet eſſet aſſumere
„ quamlibet rem ad poteſtatem fidei: ſic
„ Chriſtus per poteſtatem excellentiæ in-
„ ſtituit Sacramenta, qua homo: & ſicut
„ Eccleſiæ data eſt poteſtas inſtituendi
„ ritus, & ſolemnitates Sacramentorum,
„ ita potuit committi poteſtas deſignan-
„ di materiam, & formam; tamen non
„ inde ſequeretur certitudo, & effica-
„ cia ſigni inſtituti, ſed ex decreto Dei,
„ quo determinaret concurrere infallibi-
„ liter ad productionem effectus ſignifi-
„ cati: igitur ſigna ſic inſtituta haberent
„ quidem ſuam deſignationem a pura
„ Creatura, ſuum vero effectum a Deo,
„ & ſic Creatura eſſet quidem auctrix in-
„ ſtitutionis ſigni; Deus vero eſſet Au-
„ ctor effectus ſignificati.

Ad IX. Poteſt quidem Deus uti gratia unius Juſti tanquam inſtrumento ad producendam gratiam in altero Juſto; ſed in hoc caſu Juſtus ille, quo uteretur Deus, non eſſet cauſſa principalis, ſed eſſet cauſſa inſtrumentalis moralis ad effectum illum gratiæ producendum in illo Juſto; & cauſſa principalis tunc eſſet ſemper illa, quæ gratia hujuſmodi Juſti tanquam inſtrumento uteretur.

Ad X. Dicitur, quod vel Chriſtus conſideratur ut Deus, & tunc habet ſanctitatem per eſſentiam, vel conſideratur ut homo, & tunc habet ſanctitatem per participationem. Hæc tamen eſſet differentia inter Chriſtũ, & Creaturam illam, de qua loquimur de poſſibili, quod Chriſtus habuit poteſtatem excellentiæ ob unionem hypoſtaticam, quamvis participatam, & non independentem; Creatura vero illa poſſibilis haberet poteſtatem, quæ dicitur miniſterialis, quæ eſſet infima, & quæ nullam dicit repugnantiam cum pura Creatura, quæ hypoſtaticam unionem non habeat.

Ad XI. Procedit quidem argumentum de cauſſa efficiente, & phyſica loquendo, non vero loquendo de cauſſa morali, & meritoria, quæ aliquando movetur ob beneficia præterita, quæ jam conſecuti fuimus, & aliquando ob beneficia futura, quæ conſequi ſperamus.

Ad XII. Aliqui reſpondent, quod paſſio Chriſti non conſideranda eſt in actu exteriori; certo illo ſcilicet tempore, quo facta eſt; ſed actu illo interiori, quo ab inſtanti ſuæ Conceptionis mortem ſuſcepit: ſecundum illud: *In capite libri ſcriptum eſt de me &c.* Alii vero dicunt, quod ſi Sacramenta fuiſſent miniſtrata, dum Chriſtus inter vivos agebat, minus fuiſſent efficacia, quam fuerunt poſt ejus mortem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem in Cœlum. Et hoc non ſolum quia tunc Cœlum adhuc non erat apertum, ut ſuſciperet Animas Sanctorum, ſicut fuit tempore Aſcenſionis Chriſti; ſed etiam, quia ante paſſionem, & mortem Chriſti ejus merita non fuerunt completa, quemadmodum certo certius fuerunt poſt ejus paſſionem, & mortem.

DIS-

DISSERTATIO CCCX.

De Miniſtro Sacramentorum. An Sacramentorum Miniſter active concurrat ad gratiam ſanctificantem? Qui de facto ſint, & qui de poſſibili poſſint eſſe Sacramentorum Miniſtri? An ſoli homines viatores ſint ordinarii Miniſtri Sacramentorum?

PRima Diſſertationis pars non eſt eo ſenſu intelligenda, ut quærere credatur, an Miniſter per propriam ſuam virtutem interiorem gratiam producat? Hoc enim ſupponimus certum, quod ſolus Deus per primariam ſuam auctoritatem, & virtutem, interius in nobis gratiam operatur. Quæſtio igitur hæc eſt; An mioiſter tanquam cauſſa efficiens inſtrumentalis concurrat ſimul cum Sacrameoto ad gratiam producendam, non ſolum remote, ſed etiam proxime?

Dicimus I. Mioiſtrum Sacramentorùm tanquam veram, & inſtrumeotalem cauſſam concurrere ſimul cum Sacramento ad gratiam producendam active, non ſolum remote, ſed etiam proxime.

I. Probatur ex Scripturis. Joannis 20. habetur, quod Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ vere abſolvit a peccatis; dicit enim Chriſtus Apoſtolis, & omnibus Sacerdotibus, qui abſolvendi poteſtatem habent: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Item ex II. ad Timot. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*: Ex quibus verbis habetur, quod Epiſcopus in Sacramento Ordinationis impertitur gratiam per manuum impoſitionem.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 6. dicit: *quamvis autem abſolutio Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio; tamen non eſt ſolum nudum miniſterium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo, velut a Judice, ſententia pronunciatur*. Item eadem ſeſſione Can. 3. ubi ſic legitur: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris; accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem, contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema ſit*: Et can. 10.: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſolvendi non habere; aut non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus eſſe dictum: quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo, & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; quorum verborum virtute, quilibet abſolvere poſſit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, ſi correptus acquieverit; ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem: anathema ſit*.

III. Probatur. Miniſter, & inſtrumentum eodem modo, per eandem viam, & eundem effectum operantur; ſed inſtrumentum eſt Sacramentum, & Miniſter eſt ille, qui conficit Sacramentum; ergo eodem modo, per eandem viam, & eundem effectum operantur; atqui Sacramentum operatur, & cauſſat interius gratiam: ergo pariter Miniſter. Major eſt S. Thomæ quæſt. 64. art. 1. in corp. *Secundo autem modo homo poteſt operari ad interiorem effectum Sacramenti, in quantum operatur per modum Miniſtri. Nam eadem eſt ratio Miniſtri, & inſtrumenti; utriuſque enim actio exterius adhibetur, & ſortitur effectum*

ſectum interiorem ex virtute principalis Agentis.

Pro ſecunda Diſſertationis parte; primo enumeramus Hæreticorum errores; ſecundo vero loco Theologorum opiniones proponimus, circa illud præcipue, quod actu fecerit, vel de poſſibili potuerit facere, Deus. Attamen præmittimus, quod nomine Miniſtri hic tantum illum intelligimus, qui ſacramentorum eſt cauſſa efficiens inſtrumentalis, ſed ratione inſtrumenti ſeparati, & in quo eſt tantum miniſterialis poteſtas. Operari autem per modum Miniſtri eſt in perſona alterius, cujus homo gerat vicem, applicare inſtrumenta cauſſæ principalis ordinata ad talem effectum; unde poteſt dici etiam, quod Sacerdos E.G. miniſterialiter ſanctificet, ut docet S. Thomas citato loco art.2. Miniſter autem Sacramentorum vel eſt ordinarius, & dicitur ille, qui vi facultatis ſibi concreditę qualibet data occaſione & opportunitate poteſt Sacramenta miniſtrare, & de facto miniſtrat; vel eſt extraordinarius, & dicitur ille, qui nōniſi quam ex delegata auctoritate & commiſſione Sacramenta miniſtrat, neceſſitate urgente, propter abſentiā, vel ordinariorum Miniſtrorum defectum. Hæretici pro Miniſtri perſona in oppoſitos errores lapſi ſunt; Catholici vero per viam mediam incedunt, loquentes de ordinario Sacramentorum Miniſtro, qui de facto eſt

Primo Lutherus ut cum ſuis Aſſeclis diſtinguit inter poteſtatem, & uſum Miniſterii, quem explicat, per functiones ſacri ipſius Miniſterii, & vult quod nullus arrogare ſibi debeat, niſi qui legitime vocatus fuerit; at poteſtatem miniſtrandi vult fuiſſe inditam, & tributam a Deo cuilibet homini Chriſtiano per Baptiſmum. Hæc ſunt ejus verba in libro ad Pragenſes de inſtituendis Miniſtris Eccleſiæ, dato anno 1523. „ Sacerdos in novo pręſertim Teſtamento, „ non fit, ſed naſcitur; non ordinatur, „ ſed creatur. Naſcitur autem in Baptiſ„ mo, ſuntque prorſus omnes Chriſtiani „ Sacerdotes „ Inſuper inter Lutheri propoſitiones, quas Leo X. damnavit hæc invenitur: ubi non eſt Sacerdos, æque poteſt quilibet Chriſtianus (Sacramenta adminiſtrare) etiam ſi mulier, aut puer eſſet.

Secundo Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ad Can. 10. ſeſſ. 7. ex oppoſito defendit, eos tantum, qui legitime vocati ſunt, habere facultatem miniſtrandi Sacramenta, & ita quidem, ut neque neceſſitate quacunque urgente, poſſint Laici, præcipue Fæminæ, Baptiſmum conferre.

Tertio Firmilianus, Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia in Epiſt. ad S. Cyprianum num.75. dubitat de veritate Baptiſmi, quem conferret mulier, quæ eſſet a Dæmonibus obſeſſa. Legitur apud Tournely de Sacram. in gen. quæſt.6. art.2.

Quarto Catholici omnes docent unanimiter, illum ſolum eſſe idoneum Sacramentorum Miniſtrum, qui per legitimam ordinationem acceperit, non ſolum uſum, ſed etiam poteſtatem ea conficiendi, ſi excipiatur tamen Baptiſmus, qui in caſu neceſſitatis confertur.

Quinto, etſi omnes Theologi Catholici poſt S. Thomam 3 par. queſt.54. art 7. & in 4. diſt.5. queſt.2. art 3. conveniant, quod non omnes homines omnium Sacramentorum ſint Miniſtri, & quod omnes pariter ſint aliquorum ſacramentorum, Baptiſmi ſcilicet, & Matrimonii, Miniſtri ordinarii, adhuc tamen inter illos eſt controverſia, num ſoli homines ſint tales? aliqui enim cenſent, quod tales ſint etiam Angeli, & pro ſe ipſis afferunt Scotum in 4. diſt. 6. queſt. 1.; at alii intelligunt Scotum potius de extraordinaria, quam de ordinaria poteſtate Miniſtri.

Sexto, quanvis communiter Theologi doceant, Miniſtrum extraordinarium Sacramentorum, matrimonio excepto, poſſe eſſe Angelum, & animam ſeparatam, attamen teſtatur Gonetus fuiſſe Auguſtinum Bernal diſp. 17. ſect. 1. num 15. qui ſcripſit, Angelos poſſe eſſe tantum Miniſtros extraordinarios ad Euchariſtiam miniſtrandam, aut aliud Sacramentum conficiendum. Refert pariter Cacheranus de Sacram. in gen. cap.2. §.3. num.36.

Septimo. Alii Theologi apud eundem Cacheranum, Cabrera ſcilicet, Nugnus, & alii pauci exiſtimarunt, Sacramenta, quæ ab Anima ſeparata, vel ab Angelo, conficerentur, tanquam a Miniſtro extraordinario, non eſſe ejuſdem ſubſtantialis rationis cum noſtris, & quod non conſtarent verbis ejuſdem ſpeciei cum verbis hominum.

Di-

Dicimus II. De facto ſolos homines eſſe Sacramentorum Miniſtros; aliquorum tamen Sacramentorum omnes homines eſſe.

Prima Concluſionis pars probatur I. ex Scripturis. Matth.28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; quæ verba ſolis hominibus dixit Chriſtus; quemadmodum dixit pariter hæc alia Luc.22.: *hoc facite in meam commemorationem*: & hæc alia Joan.20.: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*. Item Apoſtol. de ſolis hominibus loquutus eſt I. ad Corinth.4. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miſteriorum Dei*. Et II. ad Corinth:3.: *qui nos idoneos miniſtros novi Teſtamenti fecit*, & ad Hebr.5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant; quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſe ipſo offerre pro peccatis*.

II. Probatur ex Patribus. Chryſoſtomus lib.3. de Sacerdotio; *qui terram incolunt, in eaque commorantur, ad ea, quæ in cælis ſunt diſpenſanda, commiſſi ſunt, poteſtatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Ne que enim illis dictum eſt; quæcunque ligaveritis ſuper terram &c.*

III. Probatur Rationibus I. Sacramenta ſunt ſenſibilia, ſunt ſenſibili Eccleſiæ deſtinata, ſunt ſenſibilibus verbis conſtantia: ergo pariter per ſenſibiles Miniſtros diſpenſari debebant; at hi ſunt ſoli homines: ergo ſoli homines ſunt ordinarii Sacramentorum Miniſtri. II. Chriſtus ut homo eſt cauſſa effectiva principalis moralis Sacramentorum; eorundem ſuſceptor eſt pariter ſolus homo: ergo, ut conformitas ſalvaretur, cauſſa miniſterialis ſacramentorum, ſeu Miniſter, ſolus homo eſſe debebat. III. Chriſtus voluit nobis reddere faciliorem, qua poſſet, ſacramentorum ſuſceptionem, ut aptius ſaluti noſtræ conſuleret: ergo ſolos homines inſtituit ordinarios ſacramentorum miniſtros, qui multo facilius a nobis inveniri poſſunt, ut ab eis Sacramenta ſuſcipiamus, & & multo citius nobis præſto eſſe poſſint.

Secunda Concluſionis pars probatur I.; nam Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, extremæ Unctionis, Ordinis, & Confirmationis, atque etiam Matrimonii, ſoli homines ſunt miniſtri, non autem omnes, quia trium priorum ſoli ſunt Sacerdotes, duorum ſequentium ſunt ſoli Epiſcopi, ultimi vero juxta ſententiarum diverſitatem volentium, Miniſtros aut eſſe contrahentes, aut Sacerdotem, diverſimode etiam diſcurrendum eſt. In Baptiſmo vero conveniunt omnes, ut omnes homines, ſive Clerici, ſive Laici, ſive Viri, ſive Mulieres ordinarii miniſtri ſint: ergo jam patet, quod reſpectu omnium Sacramentorum Miniſtri ordinarii ſunt ſoli homines, ſed non omnes, reſpectu vero aliquorum ſunt ſoli, & omnes homines. II. Ex Chriſti inſtitutione eſt in Eccleſia diverſitas graduum, & officiorum; ſed hæc eſſet ſuperflua, & fruſtranea, ſi ſinguli Fideles poſſent Sacramenta quævis conficere; ergo ſoli homines, & non omnes, ea conficere poſſunt. III. Cuilibet Sacramento Chriſtus deſignavit peculiarem Miniſtrum, ut de iiſdem in peculiari agentes dicemus; ſed hoc non feciſſet Chriſtus, ſi pro omnibus & ſingulis eſſent iidem miniſtri; ergo ſi fecit, ſignum eſt, quod non omnes homines ſunt omnium Sacramentorum Miniſtri IV. ex Concilio Tridentino ſeſſ.7. *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus ſacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit*. V. Ex Leone X., qui hunc Lutheri articulum damnavit:„ ubi non eſt Sacer-„ dos, Æque poteſt quilibet Chriſtianus „ [intelligit adminiſtrare Sacramenta] „ etiam ſi mulier, aut puer eſſet.

Dicimus III., etſi ſoli homines viatores ſunt Miniſtri ordinarii Sacramentorum, de poſſibili tamen potuerunt eſſe alii, & poſſunt quoque, nimirum Angeli, & Anima ſeparata.

Prima Concluſionis pars explicatur ſimul, & probatur. Certum eſt Animam ſeparatam non eſſe ordinarium Sacramentorum Miniſtrum, quia Anima non venit hominis nomine, & eſt hominis pars, non homo. Unita, autem dupliciter conſiderari valet, vel ſi uniretur corpori glorioſo, & impaſſibili, vel corpori paſſibili, & mortali. Hoc ſecundo modo certum eſt, poſſe, quia eſt homo, & homo viator. De primo modo eſt difficultas. Lugus, Eſparza,

Va-

Vaſquez, Becanus, aliique, volunt debere eſſe homines viatores; Anima autem unita corpori glorioſo non eſt homo viator, ſed comprehenſor, & beatus. Suarez, Arriaga, Gonetus, aliique Thomiſtæ communiter volunt, non requiri, ut ſint viatores, ſed ſufficere, ut ſint homines. Utriuſque opinionis fundamenta Cacheranus affert, & expendit, ipſe tamen in æquilibrio ſtat; ad ipſum Legentes remittimus. Hoc autem eſt advertendum ex eodem, quod ſi Conjux mortuus reſurgat, matrimonium ſemper eſt ſolutum; ſi ſuſcitaretur Epiſcopus, ſi Pontifex Summus, nullam habebit, vel in ſua particulari Diœceſi, vel in tota Eccleſia, juriſdictionem; ſecus vero quilibet ſuſcitatus cum corpore paſſibili habet poteſtatem baptizandi, conficiendi novum matrimonium, habet poteſtatem Ordinis, ſi quam prius habebat &c.; ratio diſcriminis eſt, quia poſteriora non pendent ex voluntate, & conceſſione humana, bene vero priora; & hanc rationem ait attingere Arriagam, Eſparzam, Madernum &c.

Ex his colligendum eſt I., quod ſi aliquæ narrantur hiſtoriæ, in quibus vel Angeli, vel Beati, aliqua Sacramenta adminiſtrarunt, & præcipue Euchariſtiam, ſi aſſeritur confeciſſe, dicendum eſt, eos fuiſſe Miniſtros extraordinarios; ſi autem dicatur diſpenſaſſe tantum, dicendum eſt, eosfuiſſe Miniſtros ſecondarios, ſed ordinarios; ibi contigiſſe majus miraculum, hic vero minus. II. Illi, qui dicunt Miniſtros ordinarios eſſe homines viatores tantum, volunt characterem in Cœlis ad ornatum, non vero ad Officii poteſtatem, permanere. Afferunt Textum S. Pauli ad Hebr. 5. ubi ait: Miniſtrum debere eſſe, *qui condolere poſſet iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate*: Homo autem beatus non poteſt condolere, nec eſt circumdatus infirmitate.

Secunda Concluſionis pars probatur I. Quod ſoli homines de facto ſint Sacramentorum Miniſtri, non eſt Sacramentorum natura, ſed Chriſti voluntas: ergo eadem Chriſti voluntas de poſſibili poterit aliis ab hominibus hanc poteſtatem delegare. II. Poteſt Deus per ſe ipſum immediate producere effectum Sacramenti: ergo etiam per applicationem formæ factã ab aliis ſupra materiam præſentem. III. Virtutem ſuam Deus nec ita alligavit Sacramentis, nec Eccleſiæ Miniſtris, ut ſine illis non poſſit eandem conferre, vel exercere: ergo poteſt Deus alios deſignare, qui Sacramenta conferant, & poteſtatem extraordinariã Sacramenta conficiendi, & conferendi exerceant. Videatur S. Thomas 3. par. q. 64. art. 7. IV. Poteſtas extraordinaria Sacramenta conficiendi, ſunt, qui dicunt, quod poſſit etiam communicari a Deo homini non baptizato, non Sacerdoti, non Epiſcopo &c.; pro iis ſcilicet Sacramentis, quorum ordinarii Miniſtri ſunt baptizati, ſunt Sacerdotes, ſunt Epiſcopi &c. Ratio ipſorum eſt, quia ſi poteſtas extraordinaria poteſt a Deo delegari aliis ab homine: ergo a fortiori, aliis intra latitudinem hominom comprehenſis. Unde inferunt, quod vi præſentis inſtitutionis Miniſtri Sacramentorum ordinarii ſunt ſoli homines, & non omnes; vi vero extraordinariæ deſignationis poſſunt eſſe & omnes, & non ſoli homines.

Obiiciunt I. Amentes, Parvuli, furioſi &c. non poſſunt eſſe Miniſtri baptiſmi: ergo non omnes homines. III. Quicquid poteſt miniſter inferior, poteſt facere ſuperior, ut patet in Diacono, & Sacerdote, quorum munera poteſt Epiſcopus exercere, & Diaconi poteſt exercere Sacerdos; ſed Angeli in ordine hierarchico ſunt hominibus ſuperiores: ergo ſi homines ſunt Sacramentorum ordinarii miniſtri, ſunt etiam Angeli. III. Homines impii ſunt Diaboli membra: & tamen ſunt miniſtri ordinarii Sacramentorum: ergo multo magis Diabolus, qui eſt ipſorum caput. IV. Angeli non poſſunt loqui: ergo nec proferre poſſunt Sacramentorum formam: ergo nullo modo poſſunt eſſe Sacramentorum miniſtri. V. Si Dœmon miniſtraret Sacramenta, Deo ordinante, committeret ſacrilegiom, eſſet enim in ſtatu peccati mortalis: ſed illius ſacrilegii Deus eſſet auctor, quia Deus cogeret Dœmonem ad miniſterium illud peragendum: ergo &c. VI. Baptiſmus collatus ab energumena muliere fuit habitus irritus a Firmiliano, Cæſarienſi in Cappadocia Epiſcopo, ad Cyprianum ſcribente: ergo multo magis nequeunt Diaboli baptizare. VII. Euchariſtia dat gratiam ſuſcipienti, quando jam terminata fuit

actio

actio miniſtri, per quam ipſa conſecrata eſt: ergo non poteſt Miniſter gratiam illam active & proxime conferre. VIII. Miniſtri Sacramentorum in confectione ipſorum linguam tantum, & manus exhibent, Deus vero interius mundat, ſanctificat &c.: ergo Miniſtri non poſſunt active & proxime ad gratiam producendam concurrere. IX. I. Petri 2. omnes Chiſtiani dicuntur *genus electum, regale Sacerdotium &c.*, & Apocalyp. 1. *Fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo Patri ſuo*: ergo omnes Chriſtiani ſunt ordinarii omnium Sacramentorum Miniſtri. X. Pſal. 109. Chriſtus dicitur, *Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech*; ſed omnes Chriſtiani ſunt Chriſti fratres: ergo omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes:ergo omnes ſunt ordinarii omnium Sacramentorum Miniſtri. XI. Sacramentum non pendet a qualitate Miniſtri: ergo valide conficitur, ſive Miniſter ſit homo, ſive Angelus, ſive Diabolus. XII. S. Thomas 3.par.q.64.art.7. tribuit hanc poteſtatem Beatis; ſed Beati non ſunt viatores: ergo non ſoli homines viatores ſunt ordinarii Sacramentorum Miniſtri. XIII. Siquis Apoſtolus ex mortuis reſurgeret poſſet Sacramenta conficere, & miniſtrare; ſed non per novam poteſtatem: ergo per antiquam: ergo remanet in eis poteſtas recepta jam Sacramenta conficiendi, & miniſtrandi. XIV. In hymno Apoſtolorum ad ipſos Apoſtolos dicimus: *nos a peccatis omnibus ſolvite juſſu quæſumus*: ergo poſſunt abſolvere a peccatis. XV. Angeli non poſſunt Sacramenta recipere: ergo nec de poſſibili conficere. XVI. Si Angelus, mediante corpore aſſumpto, poſſet baptizare, poſſet etiam baptizari; ſed hoc ſecundum eſt falſum: ergo & primum.

Reſpondemus ad I.; concedendo antecedens,& diſtinguendo conſequens: non omnes homines ratione utentes, qui formaliter ſunt homines, negatur; non ratione utentes, qui materialiter tantum ſunt homines,conceditur. Hi enim non habent modum operandi humanum, & per conſequens ad Sacramenta requiſitam intentionem habere non poſſunt; unde clariſſimum redditur, quod etſi homines viatores ſint, nequeunt tamen Sacramentorum miniſtri eſſe.

Ad II. Diſtinguitur major; quicquid poteſt facere ſuperior, eodem modo, & in eodem ordine, conceditur; diverſo modo, & in diverſo ordine; negatur: Angeli enim, quum ſint ſubſtantiæ ſpirituales, operantur modo inviſibili; homines vero, quum ſint ſenſibiles, operantur modo ſenſibili: ſicque in utriſque eſt diverſus operandi modus. Ordo autem eſt pariter diverſiſſimus, quia Diaconus, & Sacerdos, & Epiſcopus, ſunt in eodem ordine operandi, quatenus omnes & ſinguli poteſt item ſpiritualem exercent ratione characterum, quos habent;non ſic vero Angeli, & homines, qui ſunt in diverſo modo operandi.

Ad III. Diſtinguitur antecedens; & ſunt ordinarii Sacramentorū miniſtri, quia ſunt membra Diaboli, negatur; quia ſunt membra Chriſti, conceditur. Argumentum a membris ad caput valet, quando ratio, quæ eſt in membris, invenitur etiam in capite, & membra agunt, quia præciſe ſunt hujus capitis membra, non vero quando eſt diverſa ratio agendi,& membra non agunt, quia ſunt membra illius capitis, ſed quia ſunt membra alterius capitis, cujus non poteſt eſſe nec membrum, nec caput Diabolus. Profecto Diabolus nunquam eſſe poteſt membrum Chriſti, & a fortiori nec caput; homines autem, etſi impii, ſunt ſemper membra Chriſti.

Ad IV. Dicitur, poſſe Angelos verba proferre, vel per corpora aſſumpta, vel per ſpecies impreſſas in ſenſum hominum audientium, ut quando de Angelis agebamus, explicavimus. Illa autem verba, quæ ab Angelis audirentur, quamvis non eſſent ſoni vitales, eſſent tamen ſoni ſignificativi. Vitalitas humanarum vocum impertinenter ad Sacramenta ſe habet, non ſic vero ſignificatio, quum humanæ voces ſint in genere ſigni, & proinde, quum poſſint hoc modo verba ab Angelis efformari, ſufficiens eſt, ut ipſi poſſint Sacramenta conficere.

Ad V. Dicitur, Deum non poſſe quidem eſſe peccati authorem, quando malitia ab intrinſeco eſt conjuncta actui peccaminoſo; ſecus vero, quando eſt conjuncta tantum ab extrinſeco,& ex malitia operantis. Sic eſſet in caſu; quia, ut ait Fraſſen, miniſterium Sacramenti abſolute bonum eſt; voluntas autem Dæmonis, quum ſit perverſa, invite

duntaxat a Deo cogitur, quoties ad aliquod bonum præſtandum, divino urgente mandato, impellitur; nihilominus Deus hac perverſa Dæmonis voluntate uti poteſt in oſtenſionem bonitatis ſuæ, & in exercitium ſuæ potentiæ, per quam extorquet etiam obedientiam a Diabolo, quantumvis reluctante in alterius commodum, & utilitatem. Monet autem Scotus a Fraſſen laudatus, & vindicatus ab eo, quod aliqui Theologi ipſi inpingere voluerunt, ipſum nimirum docuiſſe, Sacramentorum miniſtrum ordinarium etiam Diabolum eſſe, quod poſtea Lutherus aſſeveranter aſſerere non erubuit; re vera tamen Scotus de Miniſtro tantum extraordinario loquutus eſt; immo Hennus opponens ſibi objectionem Goneti Tom. 5. diſt. 6. art. 1., quæ ſic eſt: Scotus in 4 diſt. 6. q. 1. affirmat Angelos etiam de lege ordinaria poſſe eſſe Sacramentorum miniſtros, reſpondit his verbis „ Vel Gonet nunquam „ legiſſe Scotum, vel ipſi fraudolenter „ imponere, cum ne vel umbra illius ibi „ reperiatur, docet quidem fore validum „ Baptiſmum, ſi ex præcepto Dei conferatur ab Angelo in corpore aſſumpto; „ ſed tunc conſtitueret ipſum Deus Miniſtrum extraordinarium. Monet itaque Scotus, quod ſi Diabolus in aſſumpto corpore, vel per ſpecies Sacramenta miniſtraret, oporteret per divinam revelationem conſtare ad id a Deo fuiſſe motum, & impulſum, ut nempe certum fieret, Sacramentum illud fuiſſe valide miniſtratum.

Ad VI. dicitur, ideo fuiſſe iterum baptizatos, quos mulier a Diabolo obſeſſa baptizaverat, quia talis mulier ob libertatis defectum fuit judicata, non habuiſſe intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; Diabolus autem, ſi a Deo aſſumeretur, haberet libertatem intentionis, quæ ad Sacramenti validitatem requiritur.

Ad VII. Sacramentum Euchariſtæ non conſiſtit in uſu, ſed in re permanente, & hoc eſt peculiare ipſius; unde aliqui dicunt, quod in hoc Sacramento Miniſter non niſi remote ad effectum ſpiritualem concurrat. Et per hoc dicunt, quod ſpecies conſecratæ, quæ Chriſti corpus vere & realiter ſub ſe continent, conferunt gratiam per uſum, & ſumptionem, poſt elapſam Miniſtri actionem: in aliis vero Sacramentis, quæ in actione ſunt poſita, Miniſter & Sacramentum unam & eandem habent actionem inſtrumentalem. Alii vero dicunt, quod miniſter concurrit proxime quidem & active, ſed moraliter, non phyſice, unde non eſt neceſſaria illa temporis ſimultas phyſica, dummodo ſit, vel poſſit eſſe moralis.

Ad VIII. Mens Patrum eſt, quod Miniſtri non ſint cauſſæ primariæ ſanctificationis noſtræ, ſed miniſteriales tantum, & certis legibus adſcriptæ, ut ait Tournely, qui & ad reſponſionem ſuam firmandam adducit hæc Apoſtoli verba I. ad Corinth. 3. *Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? Miniſtri ejus cui credidiſtis, & unicuique ſicut Dominus dedit: Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.*

Ad IX. diſtinguitur propoſitio: omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes improprie, & metaphorice, ratione ſcilicet hoſtiæ ſpiritualis, quam Deo per preces, ac bona opera offerunt, conceditur, vere, & proprie, ratione Ordinationis, ſeu poteſtatis conſecrandi Euchariſtiam, negatur. Reſponſio eſt Tournely, qui & ſubdit „ ſe ipſum exponit S. Petrus „ citato cap. V. *Ipſi* inquit *tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum*. Illæ vero ſpirituales hoſtiæ opera „ ſunt virtutis & pietatis, quæ ad Deum, „ tanquam ad fontem, & parentem to„ tius boni referuntur. Et revera chriſtia„ ni eo ipſo modo vocantur a Sancto Pe„ tro *Sacerdotes*, quo *domus ſpiritualis*, & „ *Reges*, ſed eos ita per figuram, & me„ taphoram appellari nemo non videt: „ ſunt illi *domus ſpiritualis*, quia ad unam „ familiam, cujus caput eſt Chriſtus, „ pertinent, mutuoque inter ſe charita„ tis vinculo debent colligari: ſunt *Reges*, „ quia ſuis affectibus dominari, ſeque a „ rerum terrenarum ſervitute liberare, „ & expedire tenentur. Pariter igitur „ ſunt *Sacerdotes*, tum quia in mente „ S. Auguſtini in Pſalm. 94: *Anima noſtra eſt ara Dei. Sacrificium Dei, quid eſt? Forte hoc facimus modo, imponimus in ara Sacrificium, quando Deum laudamus*, tum quia eodem docente lib. 10. de „ Civit. Dei cap. 10.: *ſicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum Chriſma, ſic omnes Sacerdotes*, quoniam membra

ſunt

„ ſunt unius Sacerdotis, nempe Chriſti.

Ad X., Diſtinguitur minor; Chriſtiani ſunt fratres Chriſti per naturam, negatur; per adoptionem, conceditur. Fraternitas adoptionis non eſt eadem, ac Fraternitas naturæ, nec ita digna, nt eſt illa; & ideo non habent omnes prærogativas fratres adoptivi, quibus naturales fratres gloriantur: immo inter fratres naturales etiam eſt Primogenitus, qui excellentioribus dotibus & prærogativis gaudet, quas cæteri fratres non habent.

Ad XI. diſtinguitur antecedens; Sacramentum non pendet a qualitate Miniſtri, ſi qualitas ſit accidentalis, nempe malitia, vel bonitas, perfectio, vel imperfectio, virtus, vel vitium, conceditur; ſi qualitas ſit eſſentialis, uti eſt character Ordinis, deſignatio naturæ &c., negatur. Et de hoc teſtimonium habemns ab Eccleſiæ traditione, quæ nos docet; tales Miniſtros, hoc vel illo charactere debere eſſe inſignitos, hanc naturam, & non aliam debere habere, in hoc ſtatu, & non in alio, debere eſſe, præter illas auctoritates, quas de hujuſmodi qualitatibus in Scripturis legimus.

Ad XII. S. Thomas tribuit hãc qualitatem Beatis, non formaliter, ſed radicaliter, quatenus ſcilicet remaneat in eis character, conceditur formaliter negatur. Cæterum Angelicus Doctor in adminiſtratione Sacram. plus tribuit Beatis, quam Augelis; quia Angelis negat omnem poteſtatem, Beatis vero, licet non concedat formalem reſpectu viæ, radicalem nihilominus ratione characteris non negat.

Ad XIII. In caſu propoſito, ſi Apoſtolus aliquis reſurgeret, quanvis poſſet Sacramenta miniſtrare, quia fieret viator, ratione tamen characteris præciſe non poſſet. Et hoc maxime eſſet, ſi appareret in corpore glorioſo, & immortali, ut dictum eſt in probationibus.

Ad XIV; In præfato hymno quanvis antiquitus diceretur; *Nos a peccatis omnibus ſolvite juſſu quæſumus*; modo tamen dicitur *ſolvi jubete quæſumus*: unde non ſunt ipſi, qui ſolvunt, ſed qui ſolutionem a peccatis a Deo impetrant, & nobis impartiuntur. Porro quocumque legatur modo, non ſolvunt Apoſtoli, nec poſſunt abſolvere peccata condonando, ſed gratiam pœnitendi impetrando; & ſic explicantur illa, quocumque legantur modo, adducti hymni verba.

Ad XV. Negatur paritas; & ratio diſparitatis eſt, quia Angeli ſunt ſubjectum ſpirituale, & ideo non poteſt in ipſum actio Sacramentalis, quæ materialis eſt, exerceri; poteſt autem ſubſtantia ſpiritualis actionem materialem ponere, vel ſi corpus aſſumat, vel ſi per ſpecies agat in ſenſus, modo, quo a nobis loco ſuo fuit explicatum.

Ad XVI. Negatur quoque paritas, & diſparitas eſt, ut ſcribit Hennus tract. de Sacram. diſp. 4. p. 1. „ Quod ubi in-
„ ſtrumentum, quale eſt corpus illud aſ-
„ ſumptum, operatur, dicatur & mo-
„ tor inſtrumenti operari, quia vim
„ operandi communicat inſtrumento;
„ ubi autem inſtrumentum aliquid reci-
„ pit, non dicatur illud recipere Motor
„ inſtrumenti, quum inſtrumentum ni-
„ hil communicet motori, & ſic ubi ba-
„ ptizaretur corpus aſſumptum, non di-
„ ceretur Angelus baptizari.

DISSERTATIO CCCXI.

De intentione Miniſtri in Sacramentis. An, & quæ intentio Miniſtri ſit neceſſaria, ut Sacramenta valide conficiantur? Qui ſint Hæreticorum errores circa miniſtri intentionem? Quæ ſint Scholaſticorum placita, circa eandem? An ſufficiat intentio ficta, & ſimulata? An requiratur, ut Miniſter intendat facere, vel effectum Sacramenti, vel ritum Eccleſiæ formaliter, ut Sacramentum eſt, vel facere quod facit Eccleſia Catholica, & Romana?

Nomine intentionis miniſtri intelligimus actum voluntatis ejuſdem, quo ipſe vult facere, quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia uſurpat. Unde Concilium Trident. Seſs.9. Can.11. declaravit debere Miniſtros Sacramentorum, dum Sacramenta conficiunt, vel & conferunt, habere intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia. Primo afferemus Hæreticorum errores, ſecundo vero loco Scholaſticorum opiniones circa Miniſtri intentionem in Sacramentis: poſtmodum quæſita in Diſſertationis titulo propoſita per ſubſequentes concluſiones reſolvemus, & reſolutiones ipſas noſtro more probabimus.

Primo Lutherus putavit, valere Sacramentum, quod miniſter perficit, aut confert per jocum, & irriſionem; quæ quidem irriſio non ſit tantum interna, occulta, & latens, ſed etiam externa, ac manifeſta. Hæc ſunt verba Lutheri in lib. de Captiv. babylon. „ Non
„ dubitem ſi quis in nomine Domini ſu-
„ ſcipiat, etiam ſi impius Miniſter non
„ det in nomine Domini, vere baptiza-
„ tum eſſe in nomine Domini, non enim
„ in conferentis tantum, quantum in ſu-
„ ſcipientis Fide, vel in uſu, ſita eſt virtus
„ Baptiſmi, ſicut legitur exemplum, de
„ quodam Mimo per jocum baptizato.
Hunc Lutheri errorem damnavit Leo X. art.12. *Si Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolverit, ſi tamen credat ſe eſſe abſolutum, veriſſime abſolutus eſt.*

Secundo Calvinus voluit quidem excludere ab intentione Miniſtri jocum, & fictionem pure internam; ſed num revera excluſerit, incertum eſt apud Scriptores noſtros. Vere tamen excluſit intentionem internam, ac privatam, qua Miniſter intendat, ac velit expreſſe effectum, & finem Sacramenti, & ipſum ritum externum Eccleſiæ formaliter, ut Sacramentum eſt. Mentitur autem dum dicit, quod Nos Catholici hanc ultimam intentionem requiramus, ut mox videbimus. Hæc ſunt verba Calvini in Antidoto Concilii Trident. Seſs.7. Can.11. „ Quod de
„ intentione conſecrandi garriunt, a
„ Sophiſtis nulla probabili ratione fuit
„ proditum..... Ego vero ſacroſanctæ
„ Chriſti inſtitutioni tantum defero, ut
„ ſi Epicureus quispiam, intus totam
„ actionem ſubſannans, mihi Cœnam ex
„ Chriſti mandato, & ſecundum regu-
„ lam ab eo datam, rituque legitimo ad-
„ miniſtret, non dubitem panem, & ca-
„ licem illius manu porrectum, vera mi-
„ hi eſſe corporis, & Sanguinis Chriſti
„ pignora. Ad quæ verba ſubdit Tour-
„ nely: „ Loquitur equidem ibi Calvinus
„ de Epicureo, qui intus irridens, ac
„ ſubſannans Sacramentum, illud tamen
„ exterius ritu legitimo conferret: at in-
„ certum, ac dubium nonnullis videtur,
„ ad quid tendat, & terminetur illa ir-
„ riſio, & fictio Epicurei, an ad ſub-
„ ſtantiam ipſam Sacramenti, quam fin-
„ gere tantum velit, non facere, an
„ tantum ad effectum, & finem Sacramen-

„ menti; quæ duo valde diſcrepant; po-
„ ſtrema quippe intentio non requiritur;
„ prima vero Sacramentum nullum, &
„ irritum facit.

Tertio Kemnitius voluit pariter lutherani erroris aſperitatem emollire; unde dixit, quod quidem reprobanda eſt illa ficta, & mimica exterius, & apparenter Sacramenti adminiſtratio, quam Lutherus approbavit, & quod miniſter non intendat facere vulgarem, & profanam lotionem, ſed illam, quam Chriſtus inſtituit. Hec ſua verba ſunt in Examine Concil. Trident. p. 2. ad Can. 11. ſeſs. 7., Non hoc vult inſtitu-
„ tio Baptiſmi, ut fiat vulgaris aliqua lo-
„ tio, vel quæ ex profeſſo nihil aliud ſit,
„ vel quam ridiculus luſus, vel mimica
„ ſubſannatio, vel profanatio inſtitutio-
„ nis cum recitatione verborum: ſed
„ requirit ut peculiaris inſtituatur actio,
„ & quidem illa actio, quam Chriſtus
„ inſtituit; & hoc ſufficit ad ſervandam
„ inſtitutionem. Quid vero in corde de
„ illa inſtitutione ſentiat is, qui admini-
„ ſtrat Baptiſmum, hoc ad veritatem,
„ ſive integritatem Baptiſmi non perti-
„ net. Non bene tamen intelligitur ex ejus verbis, an irriſionem, & fictionem internam rejiciat, vel non. Mentitur quoque referens Catholicorum Theologorum ſententiam verbis hiſce.
„ Docuerunt ad veritatem Baptiſmi re-
„ quiri non tantum formam inſtitutio-
„ nis Miniſtri, eamque non tantum re-
„ ſpectu actus baptiſandi, ut objecti, ſed
„ etiam reſpectu effectus Baptiſmi, qui
„ eſt ejus finis, & terminus. Ideo tria
„ ponunt, baptizationem, verba, & in-
„ tentionem, & illa tria ſentiunt ſimul
„ requiri ad veritatem, ſeu integritatem
„ Baptiſmi, ita ut neutrum ſine altero
„ ſufficiat.

Quarto Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatrenſis, & Catholicæ Religionis turpiſſimus deſertor lib. 5. de Republica Chriſtiana cap. 12., ſcribens non requiri privatam Miniſtri intentionem, ſed publicam Eccleſiæ, ad Kemnitii errorem accedere videtur. Hæc ſunt pariter ejus verba „ Hæc enim (Eccleſia) actionem
„ dirigit, non præſens intentio mini-
„ ſtrantis. Et nu. 13. addit: externam
„ actionem, V. G. lotionem in Baptiſmo,
„ a profana ad ſacram determinari non
„ ex ſola invocatione Trinitatis, neque
„ ex intentione (privata) Miniſtri, quæ
„ neceſſaria non eſt, ſed ex intentione
„ Eccleſiæ, ex petitione eorum, qui non
„ lotionem ſimplicem poſtulant, ex loco,
„ quia in Eccleſia, ex tempore, ex tot
„ circumſtantiis perſonarum, ſuſcepto-
„ rum &c.

Quinto Ludovicus le Blanc in Theſibus Sedanenſibus aſſerit, defendi poſſe Proteſtantium doctrinam, eo quod non ſit diverſa a ſententia Catharini, ac proinde a Concilio Tridentino non fuiſſe damnatam. Hæc quoque ſunt ejus verba citato loco „ Manifeſtum
„ eſſe, ſententiam Proteſtantium a Catha-
„ rini ſententia in hac quæſtione nihil
„ quoad rem ipſam differre, ac proinde
„ defendi poſſe, eorum hac in parte do-
„ ctrinam in ipſo Concilio Tridentino
„ non eſſe damnatam.

Sexto Ambroſius Catharinus Politus, ex Ordine Prędicatorum, primum Epiſcopus Minorenſis, & deinde Archiepiſcopus Compſanus, interfuit Concilio Tridentino anno 1547., & promulgavit opuſculum de intentione Miniſtri, in quo ſic loquitur „ Dicendum quod
„ intentio Miniſtri dicitur eſſe in hoc,
„ ut intendat facere, quod Chriſtus, &
„ Eccleſia facit, etiamſi nihil ipſe cre-
„ dat fieri.... Ponamus miniſtrum om-
„ nia exterius facere, quæ jubet Eccleſia,
„ intus autem aliud ſervare in animo, ita
„ ut intendat deriſorie baptizare. Poſt quam hypotheſim factam quærit, an dici poſſit completum Baptiſmi Sacramentum? Et concludit his verbis:
„ Non alia intentio Miniſtri requiritur,
„ niſi ut intendat, exterius facere, quod
„ facit Eccleſia, quanvis ipſe neque cre-
„ dat eſſe Eccleſiam, neque ullum Ba-
„ ptiſmi ſpiritualem effectum, ſed ſatis
„ eſt, ut intendat facere, quod Eccleſia
„ jubet per Miniſtros fieri, non quod
„ illa per Miniſtros facit, ipſa facere in-
„ telligitur. Quid ergo facit Eccleſia per
„ Miniſtros baptizando? niſi quod legi-
„ tima utitur materia, adhibens ſuam
„ verborum formam: hoc igitur ſifacit
„ Miniſter, profecto illud facere inten-
„ dit, ſi ſit mente ſanus. Quis enim vi-
„ gilans faciat aliquid, quod facere non
„ intendat &c. Tournely poſt relata verba Catharini, poſtquam dixit quod pro eadem ſententia ſteterint qui ſequuntur Theologi, hæc ſuperad. Robertus Pullus ſentent. p. 5. c. 15., Petrus Pictavienſis ſentent. p. 5. c. 8., Petrus Lombardus lib. 5. ſentent. diſt. 27., Paluda-

nus

nus in 4. diſt.6.q.2., Angelus de Clavaſio, ſeu Auctor ſummæ Angelicæ, verbo *Baptiſmus* cap. 5. §. 7., Silveſter in Summa verbo *Baptiſmus* tit. 3., Alfonſus Salmeron celebris inter primos Societatis Jeſu Theologos, qui in Concilio Trident. juſſu Pauli III. Theologi partes agebat, Commentario in Epiſtolas S. Pauli 3. par. diſp. 2., Joannes Marius Scribonius Gallus in Pantalithia, ſeu ſumma Theologiæ diſp.1. de Sacrament. in genere queſt.6. & 7., ubi multis momentis, ac rationibus ſententiam illam confirmat, quas refert, ac refellit Cardinalis de Lugo de Sacrament. diſp.7. ſect.2.: inter recentiores Contenſonius, Iuenius &c. Poſt quæ refert cenſuras, quibus ſententiam hanc Catharini alii Theologi inurunt, & impugnationes, quibus alii eam refellunt. Bellarminus lib. 5. de Sacrament. in genere cap 27. ſcribit, quod hæc Catharini & aliorum opinio ad Novatorum errorem proxime accedit. Cardinalis de Lugo de Sacram. diſp 7. ſect.2. fatetur quidem „ Sententiam illam non ita aperte comprehenſam eſſe definitionibus Conciliorum, ſicut comprehenditur Lutheri, & aliorum Hæreticorum error..... merito tamen cenſetur ab errore damnato non multum diſtare, & ideo meritiſſime ab omnibus rejecta ſit. Inſuper Ludovicus le Blanc Calvinianus teſtatur, ſe, ac ſuos ſocios, non aliam quam Catharini ſententiam defendere. Sunt alii Theologi, qui eam impugnant, & præcipue Pariſienſes aliquot Doctores, aliique. Laudatus tamen Tournely aſſerit & probat, Catharini ſententiam erroris ſuſpectam videri non debere, primo, quia Catharinus Opuſculum ſuum coram Tridentinis Patribus vulgavit, & nemo illum redarguit, nec illi contradixit; ſecundo, quia idem Opuſculum anno 1552. fuit iterum Romæ editum Typis Antonii Blandi, qui erat Typographus Apoſtolicæ Cameræ; tertio, quia Cardinalis Pallavicinus in hiſtoria Concilii Tridentini. lib.8. cap.6. aſſerit, Catharini ſententiam Patribus ſuſpectam non fuiſſe, nec illis fuiſſe in animo eam proſcribendi: & lib.12. cap.10 referens verba Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 6. ſubdit „ Conjici poſſe haud eſſe expunctam ſententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium, Sacramento, quo ratum ſit, ſufficere in Miniſtro voluntatem ſerio agendi, & obeſſe tantum jocum, quem Sacramentum ſuſcipiens cognoſcere poſſit.

Septimo: ſunt & alii Theologi de ſchola, quos refert, ſuppreſſo nomine, at non ſequitur, Cacheranus, & ſunt quidem pauci & antiqui, qui docuerunt, eſſe neceſſariam intentionem in Miniſtro inducendi effectum Sacramenti, ſeu producendi gratiã,& characterem. Sed hi excuſantur a Bellarmino lib.1.de Sacram. in gen. cap.27. circa medium, per hoc, quod aſſerit, Theologos hoſce per finem & effectum Sacramenti nihil aliud intellexiſſe, quam ipſum eſſe Sacramenti perfectum, & completũ.

Octavo, quia Eccleſia tria ponit in Sacramentis, ſcilicet rem externam Sacramenti, conficit ipſum Sacramentum, & confert Sacramenti effectum; inde eſt, quod intentio Miniſtri facientis, quod facit Eccleſia, poteſt habere pro objecto vel rem externam præciſe, vel ipſum Sacramentum, vel Sacramenti effectum. Pro prima intentione, quod ſufficiat, fuit ſententia Catharini, ut dictum eſt, & aliorum, quos poſt ipſum citavimus: pro ſecunda intentione adducuntur Richardus, Valenzia, Eſparza, Vaſquez &c. Pro tertia autem intentione ſtant, Arriaga, Lugus, aliique communiter. Denique intentionem Miniſtri diſtinguũt, Theologi, in habitualem, actualem, & virtualem. Illa eſt de præterito, ſed quæ fuit multo ante, & fuit etiam interrupta, ſed non revocata; actualis eſt de præſenti; virtualis eſt de præterito, ſed quæ paulo ante fuit, & in virtute illius fit operatio. Pro habituali, quod ſufficiat, pauci ſunt Theologi, quos tacito nomine refert Cabrera, & ipſorum ſententiam probabilem cenſet. Pro actuali, quod non ſit neceſſaria, quamvis ſit ſuperabundans, & pro virtuali, quod ſit ſufficiens, ſtant fere omnes Theologi.

Dicimus I. Intentionem in Miniſtro Sacramentorum eſſe neceſſariam in eorundem adminiſtratione, ſaltem generaliter & confuſe, faciendi ſcilicet, quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit.

I. Probatur ex Scripturis. Lucæ 22. Chriſtus promovens Apoſtolos ad Sacerdotii dignitatem & ordinem, ſic illos alloquebatur: *Hoc facite in meam commemora-*

morationem. Quæ verba ſic exponit Pater Boucat Tract. 11. de Sacram. in gen. diſſert. uoic. art. 6. cap. 2. punct. 1. „ Hoc eſt, ut ſecundum ejus intentionem perficiant Sacramentum: hac enim ſecluſa intentione, dubio procul non eſt agere in Chriſti commemorationem, cum juxta contrariæ opinionis ſyſtema miniſter vel minimum quidem interius cogitet de Chriſto, immo nec de Sacramento, cum potius contrariam intus habeat voluntatem, videlicet non conficiendi Sacramentum. „ Joan. 1. *Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto*: ergo non ſufficit quomodocunque baptizare, ſed requiritur, ut qui baptizat, in Spiritu Sancto baptizet; ſed non poteſt in Spiritu Sancto baptizare, niſi habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, & quod Chriſtus inſtituit; ergo &c. Minor eſt certa, quia hæc eſt differentia inter baptizare quomodocunque, & inter baptizare in Spiritu Sancto. Jacobi 5. de Sacramento extremæ Unctionis, & de Miniſtro illius, dicitur: *Et oratio allevabit infirmum*; ſed oratio non poteſt eſſe ſine intentione: ergo ſemper in Miniſtris conficientibus & adminiſtrantibus Sacramenta requiritur intentio prædicta.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Conſtantienſe in Conſtitutione Martini V., quæ legitur in fine ejuſdem Concilii, damnat errores Huſſitarum, & Wiclefitarum, & vult ſuſpectos interrogari debere, an credant, quod malus Sacerdos, qui adhibet debitam materiam & formam, & habet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, vere baptizet, vere abſolvat, & alia Sacramenta vere conficiat; unde ex hoc Concilio vere conſtat, in Sacramentorum adminiſtratione neceſſariam eſſe in Miniſtris intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Concilium Florentinum in Decreto Eugenii IV. hæc habet: *Omnia Legis Evangelicæ Sacramenta tribus perficiuntur, rebus ut materia, verbis ut forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Concilium Trident. ſeſſ. 7. Can. 11. *Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia: anathema ſit*. Seſſ. 14. cap. 6. *Non debet Pœnitens adeo ſibi de ſua ipſiuſmet fide blandiri, ut etiamſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſerio agēdi & vere abſolvendi deſit putet tamen ſe propter ſuā ſolam fidem vere, & coram Deo eſſe abſolutum: nec enim fides ſine pœnitentia remiſſionem ullam peccatorum præſtaret: nec is eſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem joco ſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſerio agentem ſedule requireret.* Et Can. 9. *Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi, remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat ſe abſolutum, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat: anathema ſit.*

III. Probatur ex Patribus, quorum unanimis conſenſus in re tam gravi facit traditionem in Eccleſia. Utique Patres omnes explicantes verba illa Apoſtoli I. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*, communi voce aſſerunt, quod veri diſpenſatores eſſe non poſſunt, qui intentionem diſpenſandi non habent. Quiſquis enim diſpēſator prudenter agere debet, ut vere diſpenſet, & non diſſipet; ſed nequit quis agere prudenter in diſpenſando, niſi intentionem habeat diſpenſandi: ergo ex mente Patrum requiritur in Miniſtris intentio prudens, hoc eſt faciendi in Sacramentorum adminiſtratione, quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit.

IV. Probatur rationibus I. Actio Miniſtri eſt indifferens, ut ſit vel naturalis, vel ſacramentalis: ergo ut ſit ſacramentalis debet ab eo determinari; ſed ab eo determinari non poteſt, niſi per intentionem: ergo in actione Miniſtri neceſſaria eſt intentio. Probatur antecedens. Ablutio ſcilicet in Baptiſmo eſt indifferens ad ablutionem corporis, vel animæ, immo potius ex ſeipſa ſignificat ablutionem corporis, quam animæ: ergo ut ſignificet ablutionem animæ, potiuſquam corporis, debet a Miniſtro determinari; ſed a Miniſtro nequit determinari niſi per intentionem ſuam: ergo &c. II. Adminiſtratio ſacramentalis eſt actio humana; ſed actio humana nequit eſſe ſine intentione: ergo actio ſacramentalis debet eſſe cum intentione Miniſtri. Major eſt certa, quia ideo Chriſtus voluit,

luit, ut homines eſſent Sacramentorum Miniſtri, ut humano modo operarentur; non poſſent autem humano modo operari, niſi actio ſacramentalis eſſet actio humana. Minor etiam eſt certa, quia nequit eſſe humana, niſi ſit libera; & nequit eſſe libera, niſi fiat cum judicio rationis, & cum intentione voluntatis. III. Miniſter Sacramentorum eſt inſtrumentum vivum in confectione eorundem; ſed nequit eſſe inſtrumentum vivum, niſi cum intentione operetur: ergo in Miniſtro Sacramentorum debet eſſe intentio. Minor patet, quia hæc eſt differentia inter inſtrumentum vivum & mortuum, quod mortuum movetur & non movet, vivum vero & movetur & movet. IV. Sacramentorum Miniſter debet ſe gerere ut Miniſtrum Chriſti & Eccleſiæ; ſed non poteſt ſe gerere ut Miniſtrum Chriſti & Eccleſiæ, niſi habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, & quod Chriſtus inſtituit: ergo in Miniſtro Sacramentorum hujuſmodi intentio eſt neceſſaria. Probatur minor. Miniſter nequit eſſe talis, niſi obediat legibus illius, cujus eſt Miniſter, niſi habeat intentionem faciendi, quod ipſe vult: ergo quia Miniſter Sacramentorũ eſt Miniſter Chriſti & Eccleſiæ, debet obedire legibus Chriſti & Eccleſiæ, & per conſequens facere, quod Eccleſia facit, & Chriſtus inſtituit.

V. Probatur ex Catechiſmo Tridentini par. 2. num. 22. *Atque hi quidem Miniſtri, quoniam in ſacra illa functione non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerunt, ea re fit, ut ſive boni, ſive mali ſint, modo ea forma & materia utantur, quam ex Chriſti inſtituto ſemper Eccleſia Catholica ſervavit, idque facere proponant, quod Eccleſia in ea adminiſtratione facit, vere Sacramenta conficiant, & conferant.*

VI. Probatur ex proſcriptione contrariæ opinionis, quam damnavit die 7. Octobris anni 1690. Alexander VIII; Summus Pontifex; & hæc eſt: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo, quod facit Eccleſia.* Quibus verbis a contrario determinatur, eſſe neceſſariam in Miniſtro Sacramentorum intentionem faciendi, quod facit Eccleſia.

Arguunt I. Non eſt neceſſarium in medicina, ut fumentibus illam proſit; quod Medicus habeat intentionem illis prodeſſe; ſed Sacramenta ſunt medicinæ ſpirituales Animæ: ergo debent prodeſſe ſuſcipientibus illa independenter ab intentione Miniſtrorum. II. Sacramenta ſunt ſigna; ſed ſigna ſignificant res illas, ad quas ſignificandas ſunt inſtituta, independenter ab intentione illorum, qui ea applicant: ergo pariter Sacramenta operantur independenter ab intentione illorum, qui ea miniſtrant. III. Valida eſt prędicatio, etiamſi, qui prædicat, non habeat intentionem prædicandi: ergo pariter valida eſt Sacramentorum adminiſtratio, etſi Miniſtri intentionem non habeant Sacramenta conficiendi. IV. Res & verba ſufficiunt ad conſtituenda Sacramenta: ergo ſuperflua eſt intentio Miniſtri. V. Sacramentum eſt quid ſenſibile: ergo omne, quod requiritur ad conſtitutionem ipſius debet eſſe ſenſibile; ſed intentio Miniſtri non eſt ſenſibilis: ergo non requiritur ad Sacramenti validitatem. VI. Geneſis 27. Intendebat benedicere Eſau Pater ejus Iſaac, & nihilominus benedixit Jacob; atqui hęc benedictio fuit valida, licet benedicens non habuerit intentionem benedicendi, quem vere benedixit: ergo pariter Sacramentum eſt validum, quanvis Miniſter non habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. VII. Exodi 4. Moyſis Sponſa, quæ Sephora dicebatur, invite & coacte circumcidit filium ſuum; ſed tunc temporis circumciſio erat Sacramentum, & nihilominus valebat abſque intentione Miniſtri: ergo ita pariter dicendum eſt in Legis evangelicæ Sacramentis. VIII. Innocentius IV., Romanus Pontifex, dixit validum Sacramentum, in cujus adminiſtratione Miniſter non habuit intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ut legitur cap. *Si quis Puerum, extra, de Baptiſm.*, etiamſi gerat in mente, non facere quod facit Eccleſia. IX. Nicolaus I. interrogatus a Bulgaris, an baptizati a Judæo eſſent rebaptizandi? reſpondit, non eſſe rebaptizandos, ſi in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, eſſent baptizati; nullam autem facit intentionis Miniſtri mentionem: ergo hæc non requiritur. X. Chryſoſtomus homil. 85. in Joannem docuit, quod non debet quis damnari, propter malitiam alterius;

adeoque non debet puer a Deo damnari propter malitiam Miniſtri, qui intentionem baptizandi illum non habuit. Hæc ſunt verba Chryſoſtomi: *Sacerdos linguam & manus præbet; neque enim juſtum eſt, propter alterius malitiam, ad ſalutem noſtram accedentes offendi*: ergo ex Chryſoſtomo ſi non nocet baptizato negatio intentionis in Miniſtro, non eſt neceſſaria hujuſmodi intentio.

Reſpondemus ad I. Verum eſt, quod ſine intentione Medici prodeſſe poteſt medicina ſumentibus illam; verum eſt quoque, quod Sacramenta ſunt medicinæ ſpirituales animæ; at non inde ſequitur, quod ſine intentione miniſtrantium illa hæc poſſint prodeſſe iis, qui ipſa ſuſcipiunt. Et ratio diverſitatis eſt, quia medicina ex ſuis intrinſecis habet, ut ſumenti proſit, & ut proſit non eſt neceſſe, ut Medicus prodeſſe velit, ſed ſufficit, ut eam infirmo offerat, & infirmus ſumat. Sacramenta autem habent virtutem ſanandi & ſanctificandi non ex intrinſecis, ſed ab extrinſeco, quia Deus ſcilicet ita inſtituit; & quia Deus inſtituit, ut ſanent & ſanctificent cum intentione Miniſtri, inde eſt, quod in Sacramentorum miniſtratione neceſſaria eſt intentio Miniſtri, non autem in ſumptione medicinæ neceſſaria eſt intentio Medici.

Ad II. Totum argumentum procedit de ſignis naturalibus, non vero de ſignis arbitrariis & ad placitum, qualia ſunt Sacramenta. Signa naturalia, quia naturaliter ſignificant, independenter a cujuſcunque intentione ſignificant; at ſigna arbitraria & ad placitum, quia ex alicujus inſtitutione ſignificant, inde eſt, quod debent illo modo ſignificare, quem ipſorum inſtitutor inſtituit. Si ergo Sacramentorum auctor inſtituit, ut ſignificent dependenter ab intentione Miniſtri, non poſſunt independenter ab illa ſignificare. Ulterius, Sacramenta non ſunt mere ſigna ſpeculativa, ſed practica, hoc eſt, non duntaxat ſignificant, ſed ſignificant & cauſſant; & quia cauſſare, vel producere gratiam, dependet ab illorum auctore, qui iiſdem hanc contulit virtutem, inde fit, quod eo modo cauſſant & producunt gratiam, quo illorum auctor determinavit; & quia illorum auctor determinavit, ut cauſſent & producant gratiam dependenter ab intentione Miniſtri, inde fit quoque, quod independenter ab hac intentione cauſſare non poſſunt, & conſequenter nequeunt eſſe Sacramenta.

Ad III. Maxima etiam eſt differentia inter Concionatoris prædicationem, & Miniſtri ſacramentalem actionem, quia Concionatoris verba ex ſe ipſis operantur, & audientes movent, etiam ſi movere nolint concionantes. At actio ſacramentalis non habet, ut de ſe producat actus ſuos, ſed ex Chriſti inſtitutione; Chriſtus autem inſtituit, ut hoc modo producat, & non alio, hoc eſt, prævia miniſtri intentione, & non aliter: ergo ſi miniſtri intentio non accedit Sacramenta non conficiuntur.

Ad IV., diſtinguitur antecedens; res, & verba ſufficiunt ad conſtituendum Sacramentum, ſi nude, præciſe, & materialiter, intelligantur, negatur; ſi ſumantur ut determinata effective ad eſſe ſacramentale per Miniſtri intentionem, conceditur. Et inde eſt, quod in rebus & verbis involuitur intentio Miniſtri, ſi res & verba intelligantur prout illa Chriſtus inſtituit. Chriſtus autem inſtituit illa non nude, præciſe & materialiter, ſed ut determinata active ad eſſe ſacramentale per miniſtri intentionem: ergo ſic debent eſſe: ergo Miniſtri intentio ſemper eſt neceſſaria.

Ad V.. Intentio Miniſtri non conſtituit Sacramenta vel per exhibitionem unius partis, vel per informationem alterius, quemadmodum faciunt res & verba, quæ vocantur materia & forma; ſed conſtituit per determinationem illarum partium ad eſſe ſacramētale. Et hæc determinatio quum non ſit aliquid ſenſibile, vel materiale; inde eſt, quod parum aut nihil facit ad intentionem Miniſtri ratio, ut ſit ſenſibilis, vel inſenſibilis.

Ad VI., dicitur, quod quavis Iſaac non intenderet benedicere hunc, & talem in individuo, intendebat tamen benedicere perſonā præſentem, quæcunquæ hæc eſſet. Quod patet ex ipſiuſmet benedicentis verbis, qui ad Eſau lamentationes, propter denegatam benedictionem, dixit; ut in eodem loco Geneſis legitur: *Reſpondit Iſaac, Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres ejus ſervituti illius ſubjugavi, frumento & vino ſtabilivi eum; & tibi poſt hæc, fili mi, ultra quid faciam?* Igitur hæc eſt differentia inter benedictionem illam, & actionem ſacramentalem, quod actionem

illam direxit, & ordinavit per internam aſſlationem Deus, exterius vero exequutus eſt Iſaac; actio vero ſacramentalis, jubente & ordinante Deo, tota fit a Miniſtro, eo modo, quem Deus ipſe juſſit, & ordinavit.

Ad VII. Sephora propter amorem, quem erga filium fovebat, nolebat ejus ſanguinem fundere per circumciſionem; at quando intellexit, ita eſſe Dei voluntatem, illico Deo præcipienti, & marito ordinanti, obedivit. At non per hoc fit, quod non habuerit intentionem adimplendi circumciſionem, quando filium propriis manibus, etſi mæſto corde, circumcidit, ſed ſat fuit, ut illum ſine coactione, quanvis non ſine gemitu, circumcideret. Quæ quidē patent ex verbis textus, ubi legitur: *cumque eſſet Moyſes in diverſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui, tetigitque pedes ejus, & ait, ſponſus ſanguinum tu mihi es.*

Ad VIII. Caſus ille Innocentii IV. non erat excluſivus intentionis interioris quantum ad Sacramenti ſubſtantiam, ſed tantummodo quantum ad effectum, quem aliquando Miniſter non intendit ratione impietatis, & improbitatis ſuæ. Igitur, quum duo poſſint a Miniſtro intendi, ſcilicet Sacramenti confectio, & productio effectus illius, primum dicimus requiri neceſſario ad Sacramenti validitatem, alterum vero non, ut mox videbimus. Innocentius loquutus eſt de hoc altero, videlicet, quod ſi miniſter non intendat facere, quod facit Eccleſia, quantum ad effectum, & juſtificationem, intendat tamen facere, quod facit Eccleſia, quantum ad Sacramenti ſubſtantiam, Sacramentum ſemper eſt validum. En verba Innocèntii: *Non eſt neceſſe quoad effectum Baptiſmi, quod ſciat, quid ſit Baptiſmus, vel quod ſit Sacramentum: nec oportet, quod credat hoc ipſum, immo ſi contrarium credat, & reputat trupham, & deceptionem, Baptiſmus tamen ratus eſt, & habet ſuum effectum. Non requiritur tamen, quod baptizans ſciat quid ſit Eccleſia, nec quod gerat in mente facere, quod facit Eccleſia; immo, ſi contrarium gereret in mente, ideſt, non facere quod facit Eccleſia, ſed tamen facit, quia formam ſervat, nihilominus Baptizat, dummodo baptizare intendat. Unde ſi quis in neceſſitate vadat ad Infidelem, & dicat ei, baptiza me, dicendo ei formam, ſi ille baptizat eum ſecundum intentionem petentis, intendens facere, quod alii baptizantes faciunt, eſſet Baptiſmus; ſecus ſi intenderet ſolum lavare.*

Ad IX. Nicolaus I. nullam facit intentionis Miniſtri mentionem, quia de illa interrogatus non fuerat. Interrogatio tantum fuit de Baptiſmi validitate, qui fuerat a Judæo collatus; & ad hanc interrogationem ipſe reſpondit, quod ſi Judæus baptizavit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, fuit validus Baptiſmus. Et ratio ipſius eſt, quia Judæus habuit intentionem faciendi, quod facit Eccleſia Catholica, quæcūque illa eſſet.

Ad X. Chryſoſtomus aſſerit, non dependere ſalutem alterius a probitate, vel improbitate Miniſtri; & hoc omnes Catholici aſſerunt. Circa vero Miniſtri intentionem, non eſt dependere a Miniſtri, ſed a Chriſti voluntate, quæ ita Sacramentum inſtituit, ut ad ipſius ſubſtantiam neceſſaria eſſet miniſtri intentio. Diverſa tamen ſunt, & quidem valde, probitas miniſtri, & ejuſdem intentio. De probitate loquemur inferius: de intentione loquimur modo.

Dicimus II. Ad validitatem Sacramenti eſſe neceſſariam internam Miniſtri intentionèm veram & ſeriam, non jocoſam, fictam, & mimicam; nec ſufficere intentionem faciendi ſimpliciter actum externum, quem facit Eccleſia, ſed eſſe neceſſariam intentionem faciendi actum externum ut ſacramentalem, ideſt, animo celebrandi Myſterium, quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia obſervat.

Prima Concluſionis pars, quæ eſt contra Sectarios, probatur I. ex Scripturis. I. ad Chorinth. 4. legitur: *Sic nos exhiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*: ex quibus verbis hoc conficitur argumentum: Miniſtri Sacramentorum ſunt diſpenſatores myſteriorum Dei: Sed diſpenſatores Myſteriorum Dei operari non debent per jocum, & per fictionem, at per ſerietatem & veritatem; ergo ita etiam debent agere miniſtri in Sacramentorum confectione, & adminiſtratione. Joan. 1. habetur: *hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto*: ſed baptizare in Spiritu Sancto non poteſt fieri per jocum, per irriſionem, & fictionem: ergo neque pariter hoc modo poſſunt alia Sacramenta fieri, & miniſtrari. I. ad Corinth. 3.: *neque qui plantat,*

Digitized by Google

sat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus: ergo nequeunt eſſe ſcurrilia, jocoſa, ficta, & mendacia opera illa, quibus incrementum dat Deus; ſed ſic ſunt omnia Sacramenta; ergo nequeunt a Miniſtris confici, & miniſtrari per jocum, per irriſionem & ſcurrilitatem, per fictionem, atque mendacium.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius III., qui refertur cap. *Tua nos* de Sponſalib. & Matrim., declarat nullum & irritum coram Deo matrimonium, quod fit ſine mutuo & interiori contrahentium conſenſu. Sunt ſua verba: *quid juris reſcribentes dicimus?, quod ſi res ita ſe habet, videlicet, quod ille eam non propoſuit ducere in uxorem, nec unquam conſenſit in talem ſponſam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec ſubſtantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium, valeat inveniri; quoniam ex altera parte dolus ſolummodo adfuit, & defuit omnino conſenſus, ſine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.* Inſuper cap. *Tuas* de ſponſa duorum, legitur: *ſi ſolus conſenſus defuerit, cætera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtantur.* Leo X. in Bulla contra errores Lutheri num. 12. hunc damnat: *ſi per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolveret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.*

III. Probatur ex Conciliis; & ommiſſis Conſtantienſi, & Florentino, quorum verba nuper in præterita concluſione recitavimus, iterum afferimus Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 6., ubi declaratur, illum eſſe *ſalutis ſuæ negligentiſſimum, qui Sacerdotem jocoſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſerio agentem ſedulo requireret.* Et in eadem Seſſ. Can. 9. *Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tamen credat ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat ..... anathema ſit.*

IV. Probatur rationibus I. Actio, per quam conficitur Sacramentum, debet eſſe libera: ergo requiritur vera & ſincera intentio in Miniſtris. Conſequentia ſequitur, quia hoc eſt diſcrimen inter actionem liberam, & neceſſariam, quod neceſſaria fiat ſine electione, hoc eſt ſine intentione, libera vero cum electione, & quidem vera, adeoque ſeria & ſincera. Antecedens probatur. Actio illa debet eſſe humana: ergo libera. Conſequentia pariter ſequitur, quia hæc eſt differentia inter actionem humanam, & actionem hominis, quod actio hominis eſt neceſſaria, actio vero humana eſt libera. Antecedens probatur; quia iteratum eſt baptiſma collatum a Temulentis, ut narrat Euſebius lib. 6. Hiſtoriæ cap. 33., & ab Energumenis, ut habetur ex Epiſtola Firmiliani ad Cyprianum; ſed non ob aliud, quam quia illi non libere operabantur: ergo &c. II. Requiritur in Miniſtris intentio faciendi, quod facit Eccleſia; ſed qui fingit & ſimulat, quod facit Eccleſia, non habet intentionem faciendi, ſed tantum ſimulandi, quod facit Eccleſia; ergo non habet intentionem neceſſariam ad Sacramenti validitatem, quæ exigitur ab Eccleſia: Eccleſia enim non intendit ſimulare, ſed facere Sacramentum. III Fruſtra Eccleſia exigeret præter materiam & formam in Sacramentis intentionem Miniſtri, ſi hæc non deberet eſſe vera & ſincera, & ſufficeret ludrica & jocoſa; ergo non ſufficit ludrica & jocoſa, ſed debet eſſe vera intentio Miniſtri. Probatur Antecedens. Ideo ab Eccleſia exigitur intentio Miniſtri, ut materia determinetur a forma, & ut forma applicetur materiæ, & ut in utriuſque exhibitione fiat, quod Chriſtus faciendum præcepit; ſed hæc omnia ſalvari non poſſunt per ludricam & jocoſam miniſtri intentionem: ergo ſemper eſt neceſſaria in Sacramentorum confectione vera & ſincera miniſtri intentio. IV. Actio, per quam conficitur Sacramentum, fit vice Chriſti a Miniſtro: ergo non ſufficit, quod fiat per jocum & per ludum, quemadmodum fit in ſcena, & in theatro. Probatur conſequentia; Miniſter enim repreſentat Chriſtum in Eccleſia: ergo taliter debet illum repreſentare, ut ejus actio conveniat ſanctitati Eccleſiæ; ſed talis non eſſet, ſi fieret tanquam in ſcenâ, & in theatro, & non in Eccleſia, vel tanquam in Eccleſia: ergo &c.

Secunda Concluſionis pars, quæ eſt contra Catharinum, alioſque, probatur I. Eodem modo materia Sacramentorum, quæ ex ſe eſt indeterminata, determinatur a forma, quo forma, quæ ex

ex ſe eſt etiam indeterminata, determinatur ab intentione Miniſtri ; ſed forma determinat materiam ſecundum ſenſum ſuum obvium, qui eſt ſacramentalis : ergo ſic pariter intentio debet determinare formam. Probatur totum hoc, & explicatur. Materia enim ex ſe eſt indeterminata ad aliquid faciendum, & verba ex ſe ſunt indeterminata ad aliquid ſignificandum : ergo per intentionem Miniſtri determinari debent : ergo intentio Miniſtri talis eſſe debet, qualem exigit Sacramentorum ſignificatio a Chriſto Domino inſtituta. Probatur hæc conſequentia ; quia aliter Sacramentorum materiæ & formæ indeterminatæ permanerent, & per eorundem conjunctionem non fieret, quod Chriſtus voluit, & intendit Eccleſia. Quomodo enim ablutio aquæ in Baptiſmo determinabitur ad ſignificandum ſpiritualem animæ ablutionem, ſi miniſter Baptiſmi nihil aliud intendat, niſi ſimplicem hanc ablutionem cum verborum requiſitorum prolatione conjunctam ? An non indeterminata manebit ad ſignificandum hunc, vel illum effectum ?

II. Probatur. Concilium Tridentinum contra Lutherum definivit, requiri ſaltem intentionem faciendi, quod facit Eccleſia ; ſed Lutherus non negabat Miniſtrum habere intentationem proferendi verba : ergo mens Tridentini non fuit, ut definiret requiri ſolam intentionem faciendi actum externum, ſed neceſſariam eſſe intentionem faciẽdi ipſum ut ſacramẽtalẽ. Minor probatur. Lutherus nõ negabat aliquod, quod ſit impoſſibile ut ſit, vel ut impoſſibile concipiatur ; ſed impoſſibile eſt, ut ego fundam aquam, quin velim illam infundere : ergo Lutherus non negabat &c.

III. Probatur. Chriſtus voluit, ut Miniſtri ex poteſtate ſibi tradita Sacramenta conficerent & conferrent : ergo exegit intentionem faciendi rem ſacram, ſeu ſacramentalem. Probatur conſequentia. Quotieſcunque aliquis operatur ex poteſtate ſibi tradita, debet humano modo velle poteſtatem illam ſibi traditam exercere : ergo ſi Miniſter Sacramenti operatur ex poteſtate ſibi tradita a Chriſto, debet agere ex intentione illam exercendi, adeoque faciendi rem ſacram, ſeu ſacramentalem.

IV. Probatur. Alexander VIII. damnavit hanc propoſitionem, ut dictum eſt: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem actum externum, formamque baptizandi obſervat ; intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo, quod facit Eccleſia*. Cujus propoſitionis expoſitio hæc traditur a Tournely. „ Valet Baptiſmus datus a Miniſtro, qui „ omnem ritum externum, formamque „ baptizandi ſerio obſervat, intus tamen „ ſtatuit non facere quod facit Eccleſia, „ ſed tantum illud ſimulare, ac fingere; „ quia ipſamet eſt hypotheſis intentionis „ externæ, quam impugnamus. Et hujus expoſitionis ratio hæc traditur ab eodem, quia propoſitio damnata ſupponit quidem, quod Miniſter ſerio obſervet exteriorem ritum : ergo aliquid aliud præter hoc damnavit, præter ſcilicet Lutheri errorem, & hoc tum quia Lutheri error jam damnatus a Concilio Tridentino ſupponebatur, tũ etiam quia nullus Orthodoxus erat, qui doceret, valere Baptiſmum collatum exterius per jocum, & irriſionem.

V. Probatur verbis S. Thomæ, & ratione, qua utitur 3. par quæſt.64. art. 8. *Quando aliquid ſe habet ad multa* (indifferenter) *oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, ſi illud effici debeat. Ea vero, quæ in Sacramentis aguntur, poſſunt diverſimode agi, ſicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptiſmo, poteſt ordinari ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia hujuſmodi, & ideo oportet, quod determinetur ad unum, ideſt, ad ſacramentalem effectum per intentionem abluentis, & hæc intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur, puta cum dicit : Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Et art. 10.: *dicendum, quod intentia Miniſtri poteſt perverti dupliciter ; uno modo, reſpectu ipſius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſorie aliquid agere ; & talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando ſuam intentionem exterius manifeſtat*. Ex quibus verbis deducitur, S. Thomam non ſolum damnare errorem Lutheri, quem innuit per verbum illud præcipue, & qui continet irriſionem & jocum manifeſtum, ſed etiam reprobare opinionem Catholicorum, qui docent, valere Baptiſmum collatum per irriſionem internam & occultam.

Objiciunt I. Auguſtinus lib.7. de Baptiſ. cont. Donatiſtas cap. 53. approbat Baptiſmum mimice & jocolariter adminiſtratum. Hæc ſunt Auguſtini verba. *Cum tradens, & accipiens fallaciter agant in ipſa unitate Catholica, utrum hoc magis Baptiſma ſit acceptandum, an illud, quod in mimo datur, ſi quis exiſtat fideliter, ſubito accipiens commotus, an quantum ad ipſos quidem attinet homines plurimum diſtat, inter credentem in mimo, & irridentem in Eccleſia; ad ipſius autem Sacramenti integritatem nihil intereſt. Si enim nihil intereſt ad integritatem Sacramenti in ipſa Catholica Eccleſia, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant, cur extra ſit non video, quando ille qui accipit, non ſimulatione palliatus, ſed Religione mutatus eſt.* II. Baptiſmus ab Athanaſio puero pueris cum eo ludentibus collatus, ab Alexandro, Epiſcopo Alexandrino, fuit approbatus; ſed Athanaſius Baptiſmum dabat pueris illis per ludum & jocum: ergo valet Baptiſmus datus per jocum, & irriſionem. III. Ratus etiam fuit habitus Baptiſmus, quem Geneſius in theatro Mimi perſonam agens ad chriſtianæ Religionis deriſionem ſibi conferri poſtulavit: ergo ratus eſt dicendus Baptiſmus datus per irriſionem & jocum. IV. Auguſt. Tract. 5. in Joan. approbavit Baptiſmum datum ab ebrioſo; ſed in ebrioſo nulla eſt libertas, & per conſequens neque intentio, niſi jocoſa & irriſoria: ergo ad Baptiſmi validitatē ſufficit intentio jocoſa & irriſoria, & minime requiritur voluntas vera & ſincera. V. Novatianus Antipapa a tribus Epiſcopis ebriis fuit tertio ſeculo conſecratus; & nihilominus illius Ordinatio quoad ſubſtantiam, & characteris impreſſionem, valida fuit dicta. VI. Si quis pronunciat hanc vocem Angelus; ſemper ſignificat Angelum, etſi non habuerit intentionem ſignificandi Angelum: ergo pariter Sacramentorum verba ſemper idem ſignificant, etſi ſine intentione ſignificandi pronuncientur; ſed non poſſunt ſignificare, niſi cauſſent: ergo ſemper cauſſant, quod ſignificant, etſi ſine intentione pronuncientur. VII. Quemadmodum voluntas Artificis non poteſt impedire, quin compoſitum reſultet ex materia & forma artificialibus, quando debite applicantur, ita nec Miniſter poteſt impedire, quin ex externo ritu, ſeu ex debita conjunctione formæ cum materia Sacramentum reſultet. VIII. Baptiſmus miniſtratus ab Infidelibus validus eſt, ſi Eccleſiæ ritum integrum ſervent; ſed hi fere nunquam intentioni Eccleſiæ ſe conformant: ergo validus eſt Baptiſmus, etſi Miniſtro deſit intentio faciendi actum ſacramentalem, ut præſcribit Eccleſia. IX. Conſuetudo Eccleſiæ eſt, ut nunquam jubeat iterari Baptiſmum ex defectu intentionis Miniſtri, quoties appareat, adminiſtrationem ipſius ſerio fuiſſe factam: ergo ad validitatem Baptiſmi ſufficit externa ſeria miniſtratio, etſi non ſit interna & ſacramentalis intentio. X. Particula illa *ſaltem*, qua utitur Tridentinum, innuit, quod quidem ſit optima in Miniſtro intentio faciendi verum Sacramentum, at per hoc tamen non excludit, quod ſufficiat intentio faciendi ſimpliciter & generatim, quod facit Eccleſia, etſi ejus opinio privata alia ſit ab Eccleſiæ intentione. XI. Intentio Eccleſiæ tantum abeſſe poteſt a Miniſtro, quando ipſe operatur per ludum & jocum; ſed quando operatur exterius ſerio, & intentionem internam non habet, non operatur per ludum & jocum: ergo in illo caſu non abeſt ab eo intentio faciendi, quod facit Eccleſia. XII. Intentio, quæ manifeſtatur verbis Eccleſiæ, eſt mera intentio externa; ſed S. Thomas docet, quod hæc ſufficiat: ergo &c. Probatur Minor adducendo, verba Sancti Thomæ 3. part. quæſt. 64. art. 8. *Dicendum, quod circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod riquiritur mentalis intentio in Miniſtro, quæ ſi deſit, non perficitur Sacramentum; ſed hunc defectum in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum, ſupplet Chriſtus, qui interius baptizat, in adultis autem, qui intendunt Sacramentum ſuſcipere, ſupplet illum defectum fides, & devotio. Sed hoc ſatis poſſet dici, quantum ad ultimum effectum, qui eſt juſtificatio a peccatis; ſed quantum ad effectum, qui eſt res & Sacramentum, ſcilicet quantum ad characterem, non videtur, quod per devotionem accedentis poſſit ſuppleri, quia character nunquam imprimitur, niſi per Sacramentum. Et ideo alii melius dicunt, quod Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt Miniſter: in verbis autem, quæ profert, expri-*

mi-

mitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte Miniſtri, vel recipientis Sacramentum. XIII. Romani Pontifices ante Martinum V., Eugenium IV., & Concilium Tridentinum, nullam fecerunt mentionem intentionis requiſitæ in valida Sacramentorum adminiſtratione; ergo illorum ſilentium ſtat pro opinione Catharini, & pro iis, qui illam ſequuntur. XIV. Sacramentum producit effectum ſuum ex opere operato; ergo efficax eſt & operativum independenter ab intentione Miniſtri. XV. Publicus Miniſter non eſt neceſſe ut habeat internam intentionem ad hoc, ut valeat inſtrumentum, quod publica auctoritate facit: ut patet in Notario, in Judice, in Scriba, & aliis ſimilibus: ergo nec etiam eſt neceſſe ut Miniſter Sacramentorum habeat internam intentionem faciendi actionem ſacramentalem, ſed ſufficit, quod exterius faciat illam debito Eccleſiæ ritu, ſincere quidem & ſerio, non autem mimice & jocoſe.

Reſpondemus ad I., quod S. Auguſtinus tria quærit in illis verbis ex Tournely, qui lato calamo S. Doctoris mentem aperit; primum eſt: an Babptiſmus fallaciter datus, & acceptus in Eccleſia, vel in ea ſocietate, quæ putatur Eccleſia, ſit validus? Et dicit eſſe validum. Secundum eſt; an Baptiſmus ludo collatus alicui, qui ſit de repente converſus, ſit ratus & validus, & lubdit, eſſe tutius, non progredi in aliquam ſententiæ temeritatem; attamen dicit ſi ipſe in aliquo Concilio interveniret, & ſuam ſententiam aperiret, diceret eſſe validum. Tertium eſt; an valeat Baptiſmus extra ſocietatem credentium datus a Mimo omnino ludrice alteri Mimo ſine fide illud accipienti? Et quoad hoc ſe declarat, nihil determinare velle, ſed expectandum Spiritus Sancti Oraculum. Ex quibus deducit citatus Tournely, quod tota difficultas circa mentem Auguſtini conſiſtat in hoc, ſcilicet, quid ipſe intelligat per fallaciam? An defefectum, ſeu abſentiam fidei duntaxat, an defectum debitæ intentionis? Aliqui Doctores, inter quos eſt Vaſquez, Lugus, aliique, dicunt, Auguſtinum nihil quoad hoc affirmare voluiſſe, ſed optaſſe plenarii Concilii definitionem, qui jam modo habita eſt, ſicque modo abſque hæſitatione nobis diſcurreret Auguſtinus. Tournely tamen diſtinguit hanc propoſitionem: S. Auguſtinus docet, validum eſſe Baptiſma datum cum fallacia & ſimulatione, & nomine fallaciæ intelligit defectum, aut abſentiam fidei, vel rectam de Sacramento, ejuſque effectu, Miniſtri ſententiam, concedit; & intelligit defectum, ſeu abſentiam debitæ in Miniſtro intentionis internæ, qua generatim velit facere, quod facit Eccleſia, negat. Et hanc ſuam reſponſionem hoc exemplo, & his verbis confirmat:
„ Confert aliquis Baptiſma, ſed non cre-
„ dit Baptiſma remittere peccatum;
„ non credit Baptiſma eſſe Sacramen-
„ tum; non credit illud a Chriſto eſſe
„ inſtitutum: ille certe fallax eſt, ac
„ merito dicitur; ut quid enim confert,
„ quod putat inutile, aut falſum? Hæc
„ autem fallacia non tollit intentionem
„ internam Miniſtri, qui ritum Eccleſiæ
„ exercendo poteſt velle generatim fa-
„ cere, quod facit Eccleſia, licet credat Eccleſiam nihil niſi profanum
„ producere per ritum, quem exer-
„; cet. Et ad hoc probandum varias rationes adducit, quas apud ipſum legendas a Legentibus omittimus.

Ad II. Quidam incertum dicunt Athanaſii factum; & hanc rationem adducunt: Alexander fuit factus Epiſcopus Alexandrinus anno 312. Concilium Nicænum fuit celebratum anno 325. In hoc Concilio Athanaſius erat Diaconus, & inter primiaros Theologos locum habebat, & paulo poſt fuit factus Epiſcopus Alexandrinus, hoc eſt, poſt Alexandri mortem, quæ contigit anno 326. Videtur ne ergo ut tempore Epiſcopatus Alexandri potuerit eſſe puer Athanaſius, quum Alexander non niſi tredecim annis ante Nicænum Concilium factus fuerit Epiſcopus Alexandrinus, & poſt quatuordecim annos ab initio Epiſcopatus Alexandri, Epiſcopus Alexandrinus fuerit factus Athanaſius ipſe? Factum nihilominus narrant Socrates lib. 1. Hiſtoriæ cap. 14., Sozomenus lib. 2. cap. 17., & Rufinus. Cæterum nos Chronologiam quam adduximus ex Chronico S. Hieronymi deſumpſimus. Sed quanvis factum dicatur verum, dicitur, quod licet Athanaſius fuerit puer, erat tamen rationis compos, ac proinde

co

eo ritu baptizavit, quo ab Alexandro Epiſcopo Baptiſmum miniſtrari viderat, ut ipſemet Athanaſius faſſus fuit, & ob id quoque ſolos Cathecumenos baptizavit. Habuit ergo inteutionem faciendi, quod faciebat Eccleſia; actionem ſacram ob delectationem quidem, ſed tamen animo ſerio exercens. Volebat propterea revera facere, quod in Eccleſia peragitur, quanvis animo ſe delectandi; & cum hoc modo ludendi ſtare optime poteſt intentio in Miniſtro, quæ requiritur ad Sacramenti valorem.

Ad III. Quidam negant Geneſium jocoſe fuiſſe baptizatum; voleus enim ſacris Myſteriis illudere a Deo ſubito afflatus eſt, & a Presbytero, quem ſimulato morbo vocaverat, ſerio fuit baptizatus; quod dicunt colligi ex Adonis Martyrolo io. Hennus fatetur ſubito ad fidem fuiſſe Geneſium converſum, ſed variare auctores circa modum, quo fuerit factus Chriſtianus, & hæc ſcribit. „ Alii volunt baptizatum
„ fuiſſe miniſterio Angelorum, non mi-
„ morum, alii a Mimis quidem, ſed mo-
„ nitis ab Angelo, ut Geneſium jam con-
„ verſum rite baptizarent; alii inten-
„ tionem fuiſſe a Deo ſuppletam; alii ali-
„ ter loquuntur; quoquomodo res ſe ha-
„ beat, dico baptizatum eſſe, vel Baptiſ-
„ mo fluminis, vel Baptiſmo ſanguinis;
„ fluminis quidem ſi Miniſter intende-
„ bat ſaltem confuſe Sacramentum,
„ ſanguinis vero ſi non intendebat „
P. Boucat adhibet reſponſionem Bellarmini, & ejus verba recitat, quæ hæc ſunt: „ primus, qui hiſtoriam ſcri-
„ pſit, fuit, quod ſciam, Ado Trevirenſis
„ in Martyrologio 8. Kal. Septemb. Ab
„ eo acceperunt poſteriores Vincentius
„ ſpeculo hiſtoriali, lib. 12. cap. 102., &
„ S. Antoninus 1. par. tit. 1. §. 9 Summæ
„ hiſtorialis. Porro Ado ſcribit, mimum
„ illum nomine Geneſium, coram Im-
„ peratore Diocletiano, gratia irridendi
„ Myſteria Chriſtiana, ſe ægrotum fin-
„ xiſſe, ac Baptiſmum poſtulaſſe; tum
„ juſſu Imperatoris accerſitum Presby-
„ terum, & Exorciſtam, qui eum bapti-
„ zarent. Verum cum a Presbytero in-
„ terrogaretur, quid peteret? illum re-
„ pente converſum non ficte ſed ſerio
„ reſpondiſſe, gratiam Chriſti ſe pete-
„ re, atque ita baptizatum vere & ſerio,
„ quum & Presbyter baptizare intende-
„ ret, & ille intenderet ſuſcipere Bapti-
„ ſmum, licet Imperator adhuc crede-
„ ret eum fingere.

Ad IV. Auguſtinus non loquitur de ebrio, ſed de ebrioſo. In ebrio nulla eſt libertas, in ebrioſo autem eſt, quando ſcilicet actu non eſt ebrius, quanvis frequenter vino ſe ingurgitet. Cæterum Auguſtinus loco citato non diſſerit de intentione, ſed de probitate Miniſtri, quæ quidem diverſa eſt a controverſia, quam pertractamus.

Ad V. Invalida prorſus fuit Novatiani ordinatio, etiam quoad ſubſtantiam; quod patet evidentiſſime ex Epiſtola Cornelii Summi Pontificis ad Fabium Antiochenum, quæ legitur apud Euſebium lib. 6. hiſtoriæ cap. 43., & hæc ſunt verba. *Quicunque adveniſſent, nempe illi tres Epiſcopi Romam a Novatiano vocati, eos ille a quibuſdam ſui ſimillimis, quos ad id comparaverat, incluſos hora decima temulentos, & crapula oppreſſos, adumbrata quadam & inani manuum impoſitione Epiſcopatum ſibi tradere per vim coegit, eumque nullo ſibi jure competentem per fraudem atque inſidias vindicat.*

Ad VI. dicitur, quod poſſunt quidem ſignificare, & non cauſſare, unde abſolute negatur minor ſubſumpta. Et ratio eſt, quia quod ſignificent habent ex inſtitutione, & impoſitione vocum illarum, quibus ſemel prolatis ſemper intelligitur ab Audientibus ſignificatum illud, ad quod voces illæ primitus inſtitutæ fuerunt. Quod vero cauſſent, habent ex mente illius, qui eas inſtituit, & ordinavit. Ille autem, qui eas inſtituit & ordinavit, hoc eſt Chriſtus, inſtituit præterea, & ordinavit, ut cum debita Miniſtri intentione cauſſarent, quod ſignificant. Si ergo Miniſter hanc intentionem non habet, quæ eſt faciendi, quod facit Eccleſia, ſignificant quidem, ſed non cauſſant, quod ſignificant. Et hæc eſt differentia inter ſigna ſpeculativa, & ſigna practica, quia illa ſignificant ſine intentione pronunciantis, practica vero, cujuſmodi ſunt Sacramenta, non ſignificant efficaciter, hoc eſt, non cauſſant, niſi intentio pronunciantis accedat.

Ad VII., diſpar eſt ratio, quia intentio Artificis non ingreditur opus artificiale, intentio vero miniſtri Sacramentorum ingreditur Sacramentum, quia determinat formam, quæ determinat materiam, & ſine hac determinatione ni-

hil

hil operatur materia, nihil operatur
forma. Cæterum ſi paritas allata vale-
ret, nimis probaret, quia multa ſunt in
opere artificiali, quæ in actione ſacra-
mentali non ſunt; & molta ſunt in
actione ſacramentali, quæ in opere ar-
tificiali eſſe non poſſunt.

Ad VIII. dicitur, quod ſi Infideles ſunt
Lutherani, & Calviniani, non inten-
dunt quidem facere, quod facit Eccle-
ſia Romana, intentione particulari &
explicita, ſed intendunt intentione ge-
nerali & implicita. Intendunt enim
facere, quod Chriſtus inſtituit; & quia
Eccleſia Romana non aliud vult face-
re, quam quod Chriſtus inſtituit, inde
eſt, quod ſi intendunt primum, inten-
dunt etiam ſecundum. Nec intentio-
nes iſtæ inter ſe opponuntur, quia non
dicunt Hæretici: volo facere, quod
Chriſtus inſtituit, & nolo facere, quod
facit Eccleſia Romana, etiamſi non er-
ret; ſed potius dicunt: volo facere,
quod Chriſtus inſtituit, & volo facere,
quod vera Eccleſia facit; & quanvis er-
rent circa veram Eccleſiam, non ta-
men errant circa id, quod vera Eccle-
ſia vult facere, & facit. Si vero Infide-
les ſunt Athei, Deiſtæ, Libertini &c.,
non poſſunt quidem velle, quod Chri-
ſtus inſtituit, vel Eccleſia facit, expreſ-
ſe & diſtincte, ſed volunt implicite
& confuſe. Et ratio eſt, quia Atheus,
Deiſta, Libertinus &c., poteſt velle fa-
cere, quod videt a Chriſtiano fieri, &
conſequenter, quod Eccleſia facit. Et
hoc clareſcit exemplo Infidelium Pa-
ganorum, qui intendentes facere, quod
faciebat Eccleſia, aliquos baptizabant,
& Baptiſmus ab eis collatus fuit vali-
dus. Ex quibus infertur, quod non re-
quiritur cognitio Chriſti, aut Eccleſiæ
in ſe, ad hoc ut intendatur implicite,
quod Chriſtus inſtituit. Unde Innocen-
tius IV. dixit: *non eſt neceſſe, quod ba-
ptizans ſciat quod ſit Eccleſia*.

Ad IX. Ideo Eccleſia nunquam iteravit
Baptiſmum, quem dicimus nullum ob
defectum intentionis miniſtri, quia Ec-
cleſia non judicat de occultis. Si autem
miniſter manifeſtaret retentionem ſuæ
intentionis, utique Baptiſmus ab ipſo
collatus, ut pote nullus & invalidus
iterari deberet.

Ad X. dicitur, quod particula illa *ſaltem*
reſpicit effectum Sacramenti, non au-
tem intentionem Miniſtri. Et ſenſus il-
lius eſt, quod ſaltem Miniſter intendat
facere actionem ſacramentalem, prout
ſacramentalis eſt, quanvis non inten-
dat effectum Sacramenti, circa quem
variæ ſunt opiniones, ut dicemus. Ad-
ducimus verba Tournely. „ Particula
„ iſta *ſaltem*, qua utitur Concilium, taci-
„ te quidem innuit, optimam eſſe optan-
„ dam in Miniſtro intentionem faciendi
„ verum Sacramentū; at oſtendit etiam,
„ abſolute ſufficere intentionem ſimpli-
„ citer ac generatim faciendi, quod facit
„ Eccleſia, quæcunque tandem ſit pri-
„ vata ipſius de Eccleſia, vel de Sacra-
„ mento, ejuſque effectu & efficacia,
„ opinio.

Ad XI.; negatur major, & minor diſtin-
guitur; poteſt ſerio agere, quando non
operatur per ludum & jocum, exterius,
conceditur; interius, ſubdiſtinguitur,
ſi non ſimulet, conceditur; ſi ſimulet,
negatur. Poteſt quidem exterius non
agere per jocum, & ſimulare, quod
neque interius diſſentiat ab eo, quod
exterius facit. At quando exterius ope-
ratur ſerio, & interius non habet inten-
tionem faciendi, quod exterius facere
oſtendit, tunc operatur fallaciter, &
ſimulate, adeoque jocum, quem non
demonſtrat exterius, interius facit, &
ad invaliditatem Sacramenti non mi-
nus confert jocus exterior damnatus a
Tridentino, quam jocus interior a Ro-
manis Pontificibus proſcriptus.

Ad XII., ſic reſpondet Tournely, diſtin-
guendo nimirum majorem: Intentio,
„ quæ verbis Eccleſiæ exprimitur, nec
„ ullatenus eſt in mente miniſtri, eſt in-
„ tentio pure externa; concedo: quæ ſal-
„ tem virtualiter eſt in mente miniſtri:
„ nego. Summa reſponſionis eſt, ſuffice-
„ re, juxta S. Thomam, in miniſtro in-
„ tentionem virtualem, quæ non deſtrui-
„ tur, niſi per intentionem explicitam
„ contrariam: non requiri vero inten-
„ tionem actualem, quam mentalem ap-
„ pellat, expreſſam & explicitam; nec
„ ullo modo eam ſufficere, quæ pure ex-
„ terna eſt, aliamque internam ſuppone-
„ ret, qua Miniſter nollet facere, ſed
„ tantum fingere, ac ſimulare ritum Ec-
„ cleſiæ. Cæterum Angelicus Doctor ſe
ipſum explicat, & quæſt. 60. art. 8. in
corpore, ubi habet: *Reſpondeo, dicen-
dum, quod circa omnes mutationes, quæ
poſſunt in formis Sacramentorum contin-
gere, duo videntur eſſe conſideranda; unum
quidem ex parte ejus, qui profert verba,
cujus intentio requiritur ad Sacramen-*

tum

tum .... ſi intendat per hujuſmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Eccleſia. Rurſus ibidem ad 3: *dicendum, quod ſi ſit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronunciantis, tollitur ſenſus Sacramenti, & per conſequens veritas ejus.* Et q. 64. art. 10 in corp.: *dicendum, quod intentio Miniſtri poteſt perverti dupliciter; uno modo reſpectu ipſius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſorie aliquid agere; & talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando ſuam intentionem exterius manifeſtat.* Et quæſt. 64. art. 9: ubi quærit, an fides Miniſtri ſit de neceſſitate Sacramenti, & ſibi opponens hoc argumentum: *videtur, quod fides miniſtri ſit de neceſſitate Sacramenti: ſicut enim dictum eſt, intentio Miniſtri eſt neceſſaria ad Sacramenti perfectionem: ſed fides intentionem dirigit: ergo ſi deſit vera fides in Miniſtro non perficitur Sacramentum:* ad illud ſic reſpondet: *Dicendum, quod poteſt contingere, quod aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, non circa veritatem Sacramenti, quod exhibet: puta ſi aliquis credat juramentum eſſe in omni caſu illicitum, & tamen credat Baptiſmum efficaciam habere ad ſalutem; & ſic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi Sacramentum. Si vero patiatur fidei defectum circa ipſum Sacramentum, quod exhibet, licet credat per id, quod agitur exterius, nullum ſequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Eccleſia Catholica intendit per hujuſmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum: unde non obſtante infidelitate, poteſt intendere facere id, quod facit Eccleſia, licet exiſtimet id nihil eſſe, & talis intentio ſufficit ad Sacramentum, quia, ut ſupra dictum eſt, Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus fide ſuppletur id, quod deeſt fidei Miniſtri.* Et in Supplemento tertiæ partis, quæſt. 45. art. 4. ad 2. loquens de Matrimonio ſcribit: *Dicendum, quod ſi deſit conſenſus mentalis ex parte unius, ex neutra parte eſt matrimonium, quia Matrimonium conſiſtit in mutua conjunctione. Tamen probabiliter poteſt credi dolus non eſſe, niſi ſigna evidentia doli appareant; quia de quolibet præſumendum eſt bonum, niſi probetur contrarium.*

Ad XIII., dicitur I., quod argumentum negativum, ubi agitur de re facti, in quo ſunt poſitivæ & affirmativæ probationes, ad nihil valet. II. quod de hac re tractarunt etiam Doctores, qui præcitatos Pontifices anteceſſerunt, & præcipue Auguſt. lib. 3. de Bapt. cap. 53. III. Ideo Eccleſia univerſalis tunc temporis nullum edidit de hac eadem re decretum, quia nullus tunc exortus fuerat error, nulla opinio parum tuta, & admodum ab Eccleſiæ mente aliena circumferebatur. Quando vero error enatus fuit, vel opinio invaluit, tunc Eccleſia, vel in Concilio plenario adunata definivit, vel in ſuo Capite reſidens declaravit, quænam fuiſſet omni tempore Eccleſiæ mens & traditio, & pariter quænam modo eſſe debeat, & ſit.

Ad XIV. negatur, quod qui producit effectum ſuum ex opere operato, illum producat independenter ab intentione Miniſtri. Et ratio eſt, quia intentio Miniſtri includitur in ipſomet opere operato ex Chriſti inſtitutione, velut tanquam pars, vel tanquam ſaltem cauſſa perficiens Sacramentum, nempe per legitimam applicationem materiæ & formæ, non ex merito dantis, vel accipientis, ſed virtute ipſius operis a Chriſto Domino inſtituti & debite celebrati. Non celebratur autem debite, & ut oportet, ſi Miniſter nolit, & non intendat illud celebrare interius ac ſerio.

Ad XV. Notarius conficiendo publicum inſtrumentum, ut partes liget, ſufficit ut ad juris regulam pacta deſcribat, non vero requiritur, ut aliquam habeat intentionem. Sic pariter Judex, qui reum abſolvit, ſufficit ut id faciat ſecundum allegata & approbata, quanvis interna ejus ſententia non accedat. Sic Scriba ſufficit, ut Judicis ſententiam debitæ executioni demandet, quanvis ejus voluntas repugnet. Miniſter vero Sacramentorum perficit Sacramenta ex inſtitutione Chriſti, & nomine Chriſti & Eccleſiæ, confert; non autem ea declarat, aut teſtis vult eſſe conceſſæ ſanctificationis, ſed ſanctificationem ipſam, ut Miniſter Chriſti confert & producit. Reſponſio eſt pariter Tournely.

Dicimus III. Ad Sacramenti perfectionem neceſſariam non eſſe in Miniſtro intentionem producendi effectum Sacramenti.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Tri-

dentinum pluries a nobis citatis locis non requirit in Sacramentorum Miniſtro intentionem finis, ſeu effectus Sacramēti: ergo ad Sacramenti perfectionem neceſſaria non eſt in miniſtro intentio producendi Sacramentum. Probatur Antecedens. Concilium Tridentinum exigit a Miniſtro Sacramentorum, ut intendat facere, quod facit Eccleſia; ſed intendere facere, quod facit Eccleſia, non eſt intendere intentionem finis, ſeu effectus Sacramenti: ergo Concilium Tridentinum ad Sacramenti perfectionem non requirit intentionem finis, ſeu effectus Sacramenti. Probatur Minor. Intendere intentionem finis, ſeu effectus Sacramenti, eſt intendere facere, quod Eccleſia intendit, non præciſe, quod Eccleſia facit; ſed Tridentinum non exigit ut Miniſter intendat facere, quod Eccleſia intendit, ſed quod Eccleſia facit: ergo &c. Concilio Tridentino accedunt Concilium Rothomagenſe anno 1581. celebratum, ubi hæc leguntur: *Antea in plerisque noſtrarum Diœceſeon locis baptizati ab hæreticis, præſertim a Calviniſtis, redeuntes ad Eccleſiam Catholicam iterum tingebantur ſub hac verborum forma, ſi non es baptiſatus, ego te baptiſo, quia dubitabant nonnulli de valore Baptiſmi ab hujuſmodi hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptiſandi in remiſſionem peccatorum. Verum quoniam illa formula baptiſandi ſub conditione fuit introducta propter Baptiſmata occulta, & de quibus non apparebat .... Contra vero conſtabat Calviniſtas in cœtu publico baptiſare in forma verborum & materia a Chriſto inſtituta, vetamus ablutionem repeti*. Idem legitur in Concilio Remenſi anno 1583., in Concilo Turonenſi eodem anno, in Aquenſi 1585., in Toloſano 1590.

II. Probatur ex Patribus. Auguſtinus Epiſtola ad Bonifacium 23. *Nec illud te moveat, quod quidem non ea fide ad Baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia ſpiritali ad vitam regenerentur æternam; ſed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur; celebrantur enim per eos neceſſaria miniſteria, & verba Sacramentorum, ſine quibus conſecrari parvulus non poteſt. Spiritus autem iſte ſanctus, qui habitat in ſanctis, ex quibus una illa columba deargentata charitatis igne conflatur, agit, quod agit etiam per ſervitutem aliquando non ſolum ſimpliciter ignorantium, verum etiam damnabiliter indignorum. Offeruntur quippe parvuli ad percipiendam ſpiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, (quanvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt,) quam ab univerſa ſocietate Sanctorum atque Fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, & quorum ſancta, ac individua charitate ad communicationem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo Mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, facit, quia tota omnes, tota ſingulos parit*. Hjeronymus Dialogo contra Luciferianos c.2., ubi *Orthodoxus*, ſic loquitur: *Multa quidem de ſacris Voluminibus memoriter copioſeque dixiſti; ſed eum totum circumiſeris ſaltum, meis caſibus concluderis. Sit quippe, ut vis, Arianorum Epiſcopus hoſtis Chriſti, ſit infatuatum ſal, ſit lucerna ſine igniculo, ſit oculus ſine pupilla, nempe eo pervenies, ut ſalire non poſſit, qui ſal ipſe non habeat, non illuminet cæcus, non accendat extinctus: Tu autem cum conditum ab eo cibum devores, cur inſulſum arguis conditorem? De igniculo ejus Eccleſia tua lucet, & lucernam ejus criminaris extinctam? Oculos tibi præbet, & cæcus eſt? Quamobrem oro te, ut aut ſacrificandi ei licentiam tribuas, cujus Baptiſma probas, aut reprobes ejus Baptiſma, quem non exiſtimas Sacerdotem. Neque enim fieri poteſt, ut qui in Baptiſma ſanctus eſt, ſit apud Altaire peccator.* Optatus Milevitanus lib.5.cont.Parmenianum: *Cum ergo videatis omnes, qui baptizant, operarios eſſe, non dominos, & Sacramenta per ſe eſſe ſancta, non per homines, quid eſt, quod vobis tantum vindicatis? quid eſt, quod vos ſolos munus principale eſſe dicitis? quid eſt, quod Deum muneribus ſuis excludere contenditis? concedite Deo præſtare, quæ ſua ſunt. Non enim poteſt munus ab homine dari, quod divinum eſt. Sic ſi putatis, & Prophetarum voces, & Dei promiſſa inanire contenditis, quibus probatur, quod Deus lavat, non homo &c. Dignamini ut, vel Prophetæ vos vincant, vel ſic agnoſcite, quia non lavat homo, ſed Deus. Quandiu dicitis, qui non habet, quod det, quomodo dat: videte Deum eſſe datorem; videte Deum unumquemque mundare*. Ambroſius lib. 1. de Spiritu Sancto in Prologo: *Non mundavit Damaſus, non mundavit Petrus, non mun-*

davit Ambroſius, non mundavit Gregorius. Noſtra enim ſervitia, ſed tua ſunt Sacramenta. Neque enim humanæ opis eſt divina conferre; ſed tuum Domine munus, & Patris eſt, qui locutus es per Prophetas dicens: effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii, & filiæ eorum. Quibus Patrum verbis, etſi directe importetur, quod fides & probitas Miniſtrorum effectum Sacramentorum non producant, ſed tantum eorum intentio, indirecte tamen etiam evincitur, quod Miniſtri ipſi per intentionem ſuam Sacramentorum effectum intendere non debeant, ſed tantum eorundem validitatem reſpicere, intendendo ſcilicet facere, quod facit Eccleſia.

III. Probatur rationibus I. Hæretici non intendunt Sacramenti Baptiſmi effectum, & nihilominus Baptiſmus ab ipſis collatus, eſt validus: ergo ad validitatem Sacramentorum non requiritur, quod miniſtri intendant producere eorundem effectum. Probatur antecedens. Hæretici negant effectum Sacramentorum: ergo illum non intendunt. Antecedens eſt certum, quia negant characterem, & negant pariter productionem gratiæ ſanctificantis per Sacramenta: Conſequentia ſequitur; quia non poſſunt intendere, quod negant. II. Concilium Tridentinum requirit in miniſtro Sacramentorum ſolam intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; ſed intentio faciendi, quod facit Eccleſia non eſt voluntas finis, propter quem agit Eccleſia, nec eſt volitio effectus, qui per ſacramentalem actionem producitur: ergo Concilium Tridentinum per ſuam definitionem non requirit in miniſtro Sacramentorum vel voluntatem finis, vel volitionem effectus. III. Si eſſet neceſſaria in miniſtro Sacramentorum intentio finis, vel effectus eorundem, quaſi ſemper incerti eſſemus de eorundem validitate; ſed hoc non permittit infinita Dei benignitas erga genus humanum a Filio ſuo redemptum: ergo ad validitatem Sacramentorum non exigitur intentio finis, vel effectus eorundem. Probatur major; quia ſemper dubitare poſſemus, an habuerimus hanc intentionem, vel finis, vel effectus Sacramenti; quod tamen dici non poteſt de intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quia hæc, quum non debeat eſſe actualis, facillimum quidem eſt, ut ſaltem ſit virtualis, ut mox videbimus. IV. Effectus non eſt de eſſentia Sacramenti: ergo poteſt intendi Sacramentum, etiamſi non intendatur effectus; ſed non eſt neceſſe ad valorem Sacramenti, ut intendatur quod non eſt de ejus eſſentia: ergo non eſt neceſſe ad valorem Sacramenti, ut a miniſtro intendatur ejus effectus.

Obſtant I. Miniſter, qui non vult producere effectus ſacramentales, nec etiam vult facere, quod facit Eccleſia; ſed qui non vult facere, quod facit Eccleſia, reddit Sacramentum nullum: ergo miniſter, qui non intendit effectum ſacramentalem facit pariter Sacramentum nullum. II. Effectus ſacramentalis eſt eſſe ſacramentale; ſed nequit miniſter in ſua intentione præſcindere ab eſſe ſacramentali: ergo nequit pariter præſcindere ab effectu Sacramenti. III. Intentio inducendi effectum Sacramenti eſt intentio faciendi Sacramentum; ſed Miniſter debet habere intentionem faciendi Sacramentum: ergo pariter debet habere intentionem inducendi effectū Sacramenti IV. S. Thomas 3. par. quæſt. 64. art. 8. docet, quod Miniſter intendere debeat eſſe Sacramenti: ergo ex Angelico miniſter debet intendere effectum Sacramenti. V. Ex Tridentino eſt neceſſaria intentio faciendi, quod facit Eccleſia; ſed Eccleſia vult facere verum Sacramentum: ergo requiritur intentio faciendi verum Sacramentum: atqui verum Sacramentum includit effectum Sacramenti: ergo ex Tridentino intendi debet a Miniſtro effectus Sacramenti. VI. Miniſter ſimulans ac fingens ritum Chriſti, Sacramentum non perficit: ergo pariter qui ſimulat, & qui fingit producere effectum Sacramenti, Sacramentum non perficit. VII. Libera voluntas Miniſtri facit, ut Sacramenta valide fiant; ſed libera voluntas Miniſtri debet reſpicere Sacramentum perfectum & completum, quod fieri non poteſt, niſi reſpiciatur effectus Sacramentorum: ergo libera voluntas miniſtri, ut terminetur ad perfectionem Sacramentorum, terminari debet ad eorundem effectum. VIII. Illud eſt neceſſarium ad perfectionem Sacramenti, quod Concilium Tridentinum definivit contra Novatores illud ipſum negantes; ſed Novatores non negabant, neceſſariam eſſe intentionem

PAR. VI. M 2 ope-

operis externi Eccleſiæ, ſed tantum intentionem finis, ſeu effectus Sacramenti: ergo ipſum definivit Concilium.

Reſpondemus ad I., quod Miniſter qui, non vult producere effectus ſacramentales, non habet quidem intentionem ultimam Eccleſiæ, habet tamen proximam. Intentio ultima Eccleſiæ eſt volitio effectus Sacramenti, intentio proxima eſt effectio Sacramenti. Miniſter igitur vult conficere Sacramentum, ſicut vult proxime Eccleſia conferre, ex quo debite collato infallibiliter ſequitur ex divina inſtitutione, velit aut nolit ipſe Miniſter, characteris & gratiæ ſanctificantis productio.

Ad II., dicitur, aliud eſſe effectum Sacramenti, aliud eſſe effectum Miniſtri conficientis & conferentis Sacramentum. Eſſe ſacramentale eſt quidem effectus Miniſtri, non eſt autem effectus Sacramenti; unde qui intelligunt per effectum ſacramentalem effectum Sacramenti, non ad rem loquuntur, & magna in æquivocatione verſatur, & propterea contra nos nihil concludunt.

Ad III. S. Thomas intelligit ipſum eſſe Sacramenti perfectum & completum, quod quidem intendit Miniſter in operando, quatenus illud producit, ſed non eſt neceſſe, ut intendat volendo, quia non requiritur, ut habeat explicitam intentionem producendi, quod producit. Et ſic explicat Angelicum Doctorem Bellarminus lib. 1. de Sacrament. in genere cap. 27. circa medium.

Ad IV. Intentio inducendi effectum Sacramenti vel eſt directa, vel eſt indirecta. Indirecta non diſtinguitur ab intentione conficiendi Sacramentum, & hanc dicimus eſſe neceſſariam, ſicuti in preterita concluſione probavimus: directam vero contendimus neceſſariam non eſſe, ut uſque modo pariter dictum & probatum eſt.

Ad V. Ex Tridentino requiritur intentio generalis, non autem particularis faciendi, quod facit Eccleſia. Propterea ſatis eſt, ut quis intendat opus externum ſub generali ratione operis Eccleſiæ; & ratio eſt, quia per hanc intentionem ſatis actio Miniſtri determinatur ad ritum non vulgarem & profanum, ſed ſacrum & divinum.

Ad VI. Negatur paritas; & diſparitas eſt, quia qui vult tantum ritum Chriſti ſimulare non determinat illum, qui eſt ex ſe indifferens ad plura: at qui vult illum ſerio intus exercere nomine Chriſti, illum determinat ad aliquod ſacrum & divinum, quanvis aliud velit agere vel producere ſua privata intentione.

Ad VII. Reſpondet Tournely, quod qui ſerio vult opus externum exercere tanquam Chriſti & Eccleſiæ Miniſter, agendo nomine Chriſti ritum elevat ad dignitatem Sacramenti; quod a Miniſtro Sacramenti non amplius dependet.

Ad VIII. Idem Tournely duo reponit ad hanc ultimam objectionem, & ſunt quæ ſequentibus ejus verbis continentur: „ reſpondeo I., ut canon Triden-
„ tinus merito adverſus Novatores con-
„ ditus dicatur, ſatis eſt, quod illi viſi
„ fuerint prorſus negare neceſſariam in
„ MiniſtroSacramentorum intentionem,
„ itaut Sacramentum etiam per jocum
„ & irriſionem manifeſtam datum ap-
„ probaverint. Ita porro videtur Lu-
„ therus docuiſſe, quamquam iſtam fa-
„ cti quæſtionem Concilium non attige-
„ rit, ſuppreſſo ſemper ac tacito ſuis
„ in Canonibus Lutheri, vel Calvini
„ nomine. Reſpondeo II. nego mino-
„ rem. Novatores etenim aſſerebant,
„ aut aſſerere ſaltem videbantur, Mini-
„ ſtrum, qui joco abſolverat, ideſt, qui
„ intus fingeret abſolutionem, non au-
„ tem eam dare vellet, vere tamen ab-
„ ſolvere; quam ſententiam anathema-
„ te percellit Synodus Tridentina Can. 9.
„ ſeſs. 14.

Dicimus IV. Ad validitatem Sacramentorum intentionem Miniſtri habitualem non eſſe ſufficientem, actualem non eſſe neceſſariam, virtualem eſſe neceſſariam, atque ſufficientem.

Explicatur Concluſio. Actus voluntatis, quo quis rem aliquām eligit ſeu vult, & quem diximus eſſe intentionem, vel eſt de præſenti, & vocatur actualis intentio; ſi autem eſt de præterito, vel paulo ante fuit, & in virtute illius fit operatio, eſt virtualis; vel multo ante fuit, interrupta tamen, quanvis non revocata, & quia interrupta in virtute illius non fit operatio, & appellatur habitualis. Iterum actualis intentio dicitur duplex, directa ſcilicet, & in actu exercito, & eſt illa, quæ fertur ad rem, quam volumus; vel eſt reflexa, & in actu ſignato, & eſt ad

actum.

actum, quo voluntas rem ipſam vult. Jueninus dicit, intentionem virtualem eſſe etiam præſentem rei volitionem, ſed abſque mentis attentione, quum actu alis ſit & præſens rei volitio, & cum mentis attentione. Sed revera præſens non eſt niſi virtualiter, quia ſi actu aliter non eſt attentio mentis, neque præſens actualiter eſt volitio. Rectius autem explicat Cacheranus dicens, quod actualis intentio eſt actus phyſice præſens in ſe ipſo, virtualis non eſt phiſice præſens in ſe ipſo, ſed in ſuo effectu, ſeu in ſua virtute; habitualis denique neque eſt phyſice præſens in ſe ipſo, neque in ſuo effectu, ſed totaliter præteritus, non tamen retractatus. Tandem addunt alii intentionem interpretativam, qua quis vult rem non in ſe ipſa, ſed in cauſſa. Harum omnium intentionum, ut facilior res evadat, exempla ſcribimus. Dum ego profero verba Conſecrationis, adverto & volo conſecrare Corpus Chriſti, dicor habere intentionem actualem directam; adverto & volo habere intentionem conſecrandi; dicor habere intentionem actualem reflexam. Paulo ante habui intentionem, hoc eſt antequam Miſſam inciperem, & poſtea dum profero verba non habeo, propter nimirum mentis evagationem, quæ non advertit ſe conſecrare, dicor habere intentionem virtualem: ſi autem heri habui intentionem conſecrandi hodie, & non retractavi hanc intentionem, & hodie conſecro abſque nova intentione, dicor habere intentionem habitualem. Tandem ſi quis ſciens in ludo ſe ſolitum eſſe blaſphemare, & ludit, dicitur habere interpretativam intētionem blaſphemiæ. De hac intentione interpretativa nulla eſt quæſtio, quia omnes conveniunt, quod in confectione Sacramentorum ad nihil inſerviat.

I. probatur Concluſio quoad omnes ſui partes. Intentio habitualis non reddit actionem humanam; ſed actio ſacramentalis debet eſſe humana; ergo intentio habitualis non ſufficit. Major eſt certa, nam poteſt eſſe in amentibus, in dormientibus &c.; non enim procedit a voluntate libera. Intentio actualis non eſt in noſtra poteſtate, quia non eſt in noſtra poteſtate poſitum, ne mens noſtra a cogitationibus diſtrahatur: hoc autem requirit actualis intentio: nō eſt ergo in noſtra poteſtate poſitum, ut ipſam habeamus, adeoque neceſſaria non eſt: optandum tamen eſt, & ſtudioſe quoque curandum, actualem intentionem habere, quando poſſibile eſt, ut habeamus. Denique intentio virtualis eſt humana, & vere influit in actum ſacramentalem, & eſt vera illius cauſſa: ergo eſt ſufficiens ad illius validitatem. Inſuper; quum intentio virtualis ſufficiat ad alios actus humanos pariter religioſos & pios, qualis eſt oratio etiam de præcepto, hinc nos recte poſſumus colligere, quod ſatis quoque ſit ad Sacramenti valorem. Tandem virtualis intentio non eſt ita difficilis, ut habeatur, quemadmodum eſt actualis, nec etiam eſt ita commnunis, & ad modum operandi humanum non accommodata, ut eſt habitualis: ergo ad illius differentiam eſt neceſſaria, & ad hujus diſcrimen eſt ſufficiens.

II. Probatur. Intentio virtualis eſt ipſamet actualis intentio, quatenus non eſt revocata, & ſupra habitualem dicit perſeverantiam actualis intentionis, quæ per breve tempus non eſt impoſſibile, ut duret ac perſeveret, quemadmodum de habituali judicatur: ergo quum virtualis intentio dicat aliquid ſupra habitualem, ratione cujus habitualis non ſufficit, quum ab ipſa non habeatur, quia virtualis illud ipſum habet, dicere tuto poſſumus, quod ipſa ſufficiat; Et quanvis ab actuali aliquid detrahat, quia hæc in ſe ipſa perſeverat, & virtualis perſeverat in virtute illius, quia tamen hoc quod detrahit eſt minimi temporis duratio, & quæ ſuppletur per virtutem & per effectum, dicendum eſt quoque, ipſam eſſe neceſſariam & ſufficientem.

Opponunt I. S. Thomas 3.par. q 64.art.8 ad 3. docet, intentionem habitualem ad valorem Sacramenti ſufficere. Hæc ſunt ejus verba: *Dicendum, quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia. Unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum. Quanvis ſtudioſe curare debeat Sacramenti Miniſter, ut etiam actualem intentionem adhibeat, ſed*

hoc

hoc non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate, quia præter intentionem, cum homa vult multum intendere, incipit alia cogitare. II. In ſuſcipiente Sacramenta ſufficit intentio habitualis; ergo pariter ſufficit in miniſtrante. III. Ad applicationem ſacrificii ſufficit pariter intentio habitualis: ergo pariter ſufficere debet ad valorem Sactamenti. IV. Nemo poteſt eſſe ſecurus de intentione actuali, vel virtuali alterius, poteſt autem eſſe de habituali; ergo ne noſtra ſalus in maximum diſcrimen inducatur, dependere non debet ab alterius intentione, de qua certi eſſe non poſſumus; quemadmodum eſt actualis, & virtualis. V. Nullum diſcrimen revera intercedit inter virtualem & habitualem intentionem: ergo ſi ſufficit virtualis, ſufficit etiam habitualis. Probatur antecedens, quia non ſatis explicatur, quæ & qualis ſit virtus illa, quæ ab actuali relinquitur, & ratione cujus dicitur actualem virtualiter permanere, & virtualē dici. VI. Ideo intentio habitualis non ſufficit, quia eſt intentio præterita & non præſens: ſed etiam virtualis eſt intentio præterita & non præſens: ergo nec etiam ſufficit iſta. VII. Ad humanam actionem ſufficit libertas præterita: ergo quanvis intentio habitualis ſit præterita, includit tamen libertatem, quæ ſit ſufficiens ad actionem ſacramentalem, quatenus hæc eſt actio humana. VIII. Intentio interpretativa ad Sacramenti valorem non ſufficit: ergo ſaltem ſufficit intentio habitualis, quæ dicit aliquid plus ſupra intentionem interpretativam.

Reſpondemus ad I. S. Thomas ſub nomine habitualis intellexit virtualem intentionem, ut ex illius explicatione colligitur. Et ratio eſt, quia tempore Angelici Doctoris non adhuc introducta erat in Scholas hæc vox virtualis, quæ a Scholaſticis ſubſequentibus fuit poſtmodum uſitata; adeoque omnis intentio, quæ actualis non erat, habitualis dicebatur. Alii dicunt, fuiſſe vel Amanvenſis, vel Typographi mendum, qui, ut ponerent virtualem, habitualem poſuerunt. Nos autem revera ſtamus pro prima reſponſione, quia Scotus, qui poſt S. Thomam ſcripſit, primus inter Scholaſticos fuit, qui vocem illam virtualem uſurpavit. Quod autem S. Thomas, aliique Theologi, qui ante Scotum ſcripſerunt, nomine habitualis intentionis intellexerint virtualem, prout modo hæc a Theologis explicatur, patet ex exemplo, quod idem Angelicus in loco ab objectione citato adducit; & eſt hoc: *puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia. Unde ſi poſiea in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.*

Ad II., dicitur, quod ſuſcipiens Sacramenta mere paſſive ſe habet, ſi pœnitens excipiatur; unde non mirum, quod in ipſo ſufficit habitualis intentio, quæ non ſufficit in Miniſtro, qui etiam agit, & humano modo agit, quando ſacramentalem exercet actionem.

Ad III., dicitur, diſparitatem eſſe, quia in applicante ſacrificia non eſt nudum propoſitum applicandi, ſed applicatio ipſa; unde etiamſi ante viginti annos ſacrificia facienda applicet, applicatio durat. Non ſic autem in eo, qui hodie habet intentionē cras conſecrandi, qui quidem habet propoſitum, ſed hodie non conſecrat, ſicut ille, qui hodie applicat; & ratio horum omnium eſt, quia propoſitum in virtute durat & in habitu; intentio autem durat quidem in habitu, non in virtute.

Ad IV., dicimus ſufficere certitudinem moralem, quam habere poſſumus per virtualem intentionem, quam in actionibus exterioribus Miniſtrorum eſſe & perdurare conſpicimus. Cæterum nos non debere eſſe in hac vita omnimode de noſtra ſalute certos Scripturæ docent, & Patres affirmant; unde poteſt ſufficiens eſſe moralis certitudo, abſque eo quod ulteriorem exigamus.

Ad V. Dicitur, quod volitio virtualis præter id, quod præteritum eſt, includit etiam aliquid, quod eſt præſens, hoc eſt, continuationē volitionis, quam actualis intentio in principio operationis exterioribus potentiis impreſſerat. Et hæc eſt virtus illa, quæ ab actuali intentione relinquitur, actus nimirum potentiarum externarum, quatenus referuntur ad volitionem intentivam præteritam, & quatenus procedunt a potentiis, ſeu membris, per illam præteritam applicatis, ad ſe movendum, & ad operandum. Hoc pacto explicant intentionem virtualem plerique Theologi, ab aliis vero diverſimode implicatur potius, quam explicetur.

Ad VI. Intentio habitualis eſt omnimode præ-

præterita, & quoad operationem, & quoad effectum, quum nulla virtus ejus ex ipſius poſitione actuali remaneat, quæ faciat illam perſeverare, & concurrere ſuo modo ad effectum illum producendum, quem produxiſſet actualis intentio, ſi in actu, & non tantum in virtute perſeveraſſet. At virtualis, etſi præterita, quoad operationem, perſeverat nihilominus in effectu, ratione perſeverantiæ motionis ab ea productæ in potentiis exterioribus, & in membris externis ad operandum.

Ad VII. Sufficit ſane ad actionem humanam actus liber præteritus, ſed requiritur, ut humano modo perſeveret, videlicet, appareat in actu aliquo, qui ſit hominis liberi & libere operantis. Exemplum hjus rei, & pariter hujuſce reſponſionis, quæ ſua eſt, affert Tournely verbis hiſce:,, exemplum ſit in Sa-
,, cramentis: forma profertur ad expri-
,, mendum, quid ſentiat hic & nunc Mi-
,, niſter de actione externa, quam opera-
,, tur,& quæ ob diverſos fines poſſet uſur-
,, pari, niſi a Miniſtro determinaretur;
,, locutio enim humana nata eſt ad ſigni-
,, ficandum quid actu ſentiat ille, qui lo-
,, quitur. Si ſit virtualis intentio, ſuffi-
,, cit ad exprimendum mentem actua-
,, lem Miniſtri, quia, ſive in potentia ex-
,, terna, quæ manet applicata ad actum,
,, ſive in actibus confuſis,qui a mente eli-
,, ciuntur, continuo perſeveret voluntas
,, explicita ante habita de actione, quæ
,, nunc ſit, Miniſter exprimit mentem
,, quam habet derivatam humano modo
,, ex priori magis explicita, & id ſufficit:
,, At vero verba, quæ profert dormiens,
,, nullo modo apta ſunt ad exprimendum
,, quæ nam ſit hic & nunc ejus propria,
,, & genuina voluntas, nullam enim ha-
,, bet actu deliberatam,nec humano mo-
,, do perſeverat antea habita, quia nul-
,, lius eſt cauſſa effectus liberi, qui actu
,, exiſtat.

Ad VIII., conceditur antecedens, & negatur conſequentia. Verum eſt, quod ad Sacramenti valorem intentio indirecta, ſeu interpretativa non ſufficit; & ratio eſt, quia ſacramentalis actio æque conſiſtit in actione externa & interna, & per conſequens utraque debet eſſe humana & moralis, ideſt libere & advertenter poſita, cujuſmodi non eſt intentio interpretativa & indirecta. Habitualis dicit aliquid plus, quia aliquando fuit libere & advertenter poſita, ſed quia deinde non eſt, quando ſcilicet conficitur Sacramentum, proinde reputatur inſufficiens ad Sacramenti valorem, quemadmodū dicitur inſufficiens indirecta,& interpretativa.

Dicimus V. Ad Sacramenti valorem non requiri in Miniſtro intentionem explicitam & expreſſam faciendi, quod facit Eccleſia Catholica Romana.

I. probatur Concluſio, quia ſi hæc intentio eſſet neceſſaria, omnes Baptiſmi collati a Lutheranis, a Calvinianis, & ab aliis Hæreticis, qui materias & formas Sacramentorum obſervant, & intentionem habent faciendi in communi & generatim, quod facit vera Eccleſia, eſſent nulli, & invalide collati; ſed hoc nemo dicit, & Eccleſiæ praxis contrarium obſervat: ergo non eſt neceſſaria ad validam Sacramentorum confectionem in Miniſtris intentio faciendi, quod facit Eccleſia Catholica Romana. Major negari non poteſt,quia Hæretici illi præfati a Romana Eccleſia ſunt extorres,& illam ut veram non recognoſcunt.

II. Probatur. Ad Sacramentorum valorem ſufficit, ut miniſtri habeant intentionem faciendi,quod facit vera Eccleſia: ergo non eſt neceſſe, ut habeant intentionem in particulari faciendi,quod facit Eccleſia Catholica Romana. Antecedens negari non poteſt, quia hoc ipſum, & non aliud exigit Concilium Tridentinum, dum de miniſtro loquitur Seſs. 7. Can. 11. *Si quis dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Conſequentia ſequitur; quia intentio faciendi, quod facit Eccleſia Catholica Romana, eſt intentio circa particularem Eccleſiam,quæ a Concilio non exigitur, quanvis exigat tantum intentionem faciendi, quod facit vera Eccleſia, quæ eſt Eccleſia Romana.

III. Probatur. Eccleſia voluit omnibus Chriſtianis facilem reddere Baptiſmū, utpote Sacramentum omnibus neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem; & hoc tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ: ergo pariter ex parte intentionis Miniſtri; atqui facilem Baptiſmum non reddidiſſet, ſi exegiſſet in Miniſtro intentionem faciendi, quod facit Eccleſia Romana; ergo &c. Antecedens eſt certum, quia ut redderet facilem Baptiſmum ex

parte

parte materiæ, ſtatuit, ut hæc ſit quælibet aqua naturalis, quæ omnibus eſt obvia; & ut redderet facilem ex parte formæ, pauca determinavit verba, quæ ab omnibus poſſunt abſque difficultate memoria complecti, atque retineri. Minor ſubſumpta probatur; quia ad facilitatem intentionis requiritur, ut hæc poſſit ab omnibus haberi, ſive Catholici, ſive Hæretici ſint, ſive Fideles, ſive Pagani, ſive Chriſtiani, ſive Gentiles: at non poſſet ab omnibus haberi, ſi intentio deberet eſſe faciendi, quod facit Eccleſia Romana: ergo ut hæc facile habeatur ſufficit, quod ſit intentio faciendi, quod facit vera Eccleſia, abſque eo quod in particulari intendat facere, quod facit Eccleſia Romana. Minor probatur; quia Infidelis, Gentilis, Hæreticus, Eccleſiam Romanam ut veram non fatentur; adeoque nollent baptizare cum intentione faciendi, quod facit hæc Eccleſia, & per conſequens vel non baptizarent, vel invalide baptizarent, & ſic Baptiſmus ex parte intentionis difficilis eſſet, quando Deus illum facile aſſequendum inſtituit.

Arguunt I. Eſt neceſſaria intentio faciendi, quod facit vera Eccleſia; ſed Eccleſia Romana eſt vera Eccleſia: ergo eſt neceſſaria intentio faciendi, quod facit Eccleſia Romana. II. Eſt pariter neceſſaria intentio faciendi, quod facit Eccleſia Catholica, & Orthodoxa; ſed Eccleſia Catholica, & Orthodoxa eſt Eccleſia Romana: ergo eſt neceſſaria intentio faciendi, quod facit Eccleſia Romana. III. Si non eſt neceſſaria intentio faciendi, quod facit Eccleſia Romana, neque neceſſarii ſunt ritus, quos in Sacramentis conficiendis & adminiſtrandis præſcribit Eccleſia Romana; ſed ii ſunt neceſſarii, & prætermitti non poſſunt: ergo pariter eſt neceſſaria intentio faciendi, quod facit Eccleſia Romana, & prætermitti neque poteſt. IV. Si intentio faciendi, quod facit Eccleſia Romana in Sacramentorum adminiſtratione, non eſſet neceſſaria, quis habens hanc ipſam intentionem, vel invalide, vel illicite baptizaret; atqui hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur ſequela; quia haberet intentionem, quam non præſcribit Eccleſia, adeoque Eccleſiæ intentioni opponeretur: atqui hoc ſufficit, ut vel invalide, vel illicite Sacramenta conficeret, ſive adminiſtraret: ergo ſi quis haberet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia Romana in Sacramentorum adminiſtratione, vel invalide, vel illicite, Sacramenta conficeret & adminiſtraret.

Reſpondemus ad I., quod quantum attinet ad præſentem caſum vera Eccleſia importat veram Eccleſiam in genere, præſcidendo ab unaquaque in particulari. Eccleſia vero Romana dicit Eccleſiam veram in particulari, quæ eſt talis, hoc eſt Romana. Præcipitur intentio faciendi, quod facit vera Eccleſia; quia hæc intentio eſt univerſalior & facilior, ut dictum eſt; intentio vero faciendi, quod facit Eccleſia Romana, eſt particularior & difficilior; quia non omnes eam fatentur eſſe veram Eccleſiam, quamvis omnes teneantur eam ut talem agnoſcere, ac confiteri. Cæterum, quando dicitur vera Eccleſia, non intelligitur Eccleſia Romana explicite; intelligitur autem implicite; & hoc ſufficit, ut Miniſter habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia Romana ſaltem implicite, quando habet intentionem faciendi, quod facit vera Eccleſia; & ideo in Concluſione poſitum eſt, ad Sacramenti valorem non requiri in Miniſtro intentionem explicitam & expreſſam faciendi, quod facit Eccleſia Romana.

Ad II. Verum eſt apud nos Catholicos idem eſſe, & pro eodem haberi, Eccleſiam Orthodoxam Catholicam, & Eccleſiam Romanam; attamen non ita eſt apud Schimaticos, & apud Heterodoxos, quia hi collectiones ſuas, quæ ſunt Synagogæ Diaboli, Orthodoxas jactant, atque Catholicas. Unde ex his aliqui videntes, quod nos habemus intentionem faciendi, quod facit Eccleſia Romana, ipſi etiam haberet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia Lutheri, vel Eccleſia Calvini, & periculo invaliditatis exponerent Sacramenta. Quod ne unquam eveniat, dicimus ſufficere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, abſque eo quod determinemus talem, vel talem Eccleſiam.

Ad III. Si omittantur ritus, qui præciſe ſunt ritus, in adminiſtratione Sacramentorum, non redduntur Sacramenta nulla, ſed illorum adminiſtratio dicitur illicita. Non ſic autem diſcurrendum eſt de intentione, quia ſi

ſemel

ſemel talis intentio dicitur neceſſaria, omittens illam, reddit Sacramentum nullum, & ipſe peccat; & hæc eſt differentia inter ritum, qui eſt accidentalis Sacramento, & inter intentionem, quæ eſt Sacramento eſſentialis.

Ad IV. Aliud eſt eſſe neceſſarium, aliud eſt eſſe contrarium. Intentio actualis non eſt neceſſaria ad Sacramenti valorem, & tamen ſi quis eam haberet, non male, ſed potius melius faceret, ut dictum eſt ſuo loco: Ita pariter, non eſt neceſſaria ad validitatem Sacramenti in Miniſtro intentio faciendi, quod facit Eccleſia Romana, quum ſit ſufficiens intentio faciendi, quod facit vera Eccleſia; attamen ſi quis haberet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia Romana, quæ eſt vera Eccleſia, non male faceret, ſed potius bene, immo melius, & rectius, ageret.

DISSERTATIO CCCXII.

De intentione Miniſtri in Sacramentis. An ſit pars intrinſeca conſtitutiva Sacramenti, vel ne? Num ſufficiat intentio conditionalis, aut requiratur abſoluta? Et an intentio Miniſtri eſſe debeat determinata circa perſonam, atque materiam?

Pro prima Diſſertationis parte, quanvis cōveniant Theologi de Schola, quod intentio Miniſtri ſit pars Sacramenti, diſconveniunt tamen in aſſignando, qualis pars eſſe debeat? Unde nos hic primitus ipſorum opiniones afferimus, & deinde in Concluſione noſtram mentem aperiemus.

Primo ſunt Cardinalis de Lugo, Arriaga, Eſparza, aliique cum ipſis, qui partem affirmativam tuentur; & eo ducuntur principio, quia, ablata Miniſtri intentione, tollitur Sacramentum, & illa poſita, ponitur Sacramentum; ergo, inferunt, intentio Miniſtri eſt pars intrinſeca conſtitutiva Sacramenti.

Secundo alii, inter quos ſunt Vaſquez, Amicus, Gonetus, &c., volunt, quod intentio Miniſtri non ſit pars intrinſeca conſtitutiva Sacramenti, at potius extrinſeca, quæ tamen eſſentialiter ad ipſum conſtituendum concurrat.

Tertio inter hos prædictos, qui extrema ſequuntur, ſunt alii, qui per viam mediam incedunt; & præcipue Cacheranus tenet, quod ſi Sacramentum ſumatur pro compoſito ex materia & forma partialibus, intentio Miniſtri non eſt de intrinſeca conſtitutione ipſius; ſecus vero ſi accipiatur pro compoſito ex materia & forma totalibus. Ita etiam affirmat Caregna in M. S.; & quanvis ambo variis terminis, & vocibus loquantur, in re tamen conveniunt.

Dicimus I.; Intentionem Miniſtri non eſſe intrinſecā partem conſtitutivam Sacramenti, ſi Sacramentum ſumatur pro compoſito ex materia & forma partialibus: eſſe vero, ſi Sacramentum accipiatur pro compoſito ex materia & forma totalibus.

I. Probatur. Sacramentum acceptum pro compoſito ex materia & forma partialibus, importat ſignum ſacramentale: ergo intentio Miniſtri non eſt de intrinſeca conſtitutione Sacramenti. Probatur conſequentia. Signum ſacramentale eſt illa entitas ſenſibilis, quam Deus inſtituit ad ſacramentaliter ſignificandum; ſed intentio Miniſtri non eſt pars conſtitutiva & intrinſeca illius entitatis, quam Deus impoſuit ad ſacramentaliter ſignificandum: ergo ſi Sacramentum accipiatur pro compoſito ex materia & forma partialibus, intentio Miniſtri nō eſt de intrinſeca cōſtitutione ipſius. Major eſt certa, quia quemadmodum, ſignum vocale eſt illa ſenſibilis vox quam homines ad civiliter ſignificandum impoſuerunt, ita etiam Sacramentum, quatenus illo modo acceptū, eſt ſignum ſacramentale, & pariter il-

la entitas ſenſibilis, quam Deus inſtituit ad ſacramentaliter ſignificandum. Probatur Minor. Illa entitas eſt collectio ex materia proxima & ex forma verbali; ſed hujus collectionis non eſt pars intrinſeca intentio Miniſtri: ergo neque eſt pars intrinſeca illius entitatis ſenſibilis, quam Deus inſtituit ad ſacramentaliter ſignificandum.

II. Probatur. Intentio Miniſtri nec immediate, nec mediate eſt ſenſibilis: ergo nequit eſſe pars intrinſeca conſtitutiva Sacramenti, prout eſt ſignum ſenſibile. Probatur antecedens. Non eſt immediate ſenſibilis, & per ſe, quia eſt ſpiritualis, & interna; neque mediate, & per aliud, quia ſic deberet eſſe per materiam & formā; ſed non poteſt eſſe ſenſibilis per materiam & formam: ergo neque immediate, nec mediate, eſt ſenſibilis. Probatur minor quoad ſecundam partem. Materia & forma, nec ex natura ſua, nec ex Chriſti inſtitutione, intentionem ſignificant: ergo per materiam & formam mediate intentio Miniſtri non poteſt eſſe ſenſibilis. Probatur antecedens. Materia & forma ex inſtitutione Chriſti non ſignificant aliquid ex parte conferentis Sacramentum, ſed aliquid tantum ex parte ſuſcipientis, gratiæ nimirum infuſionem; ſed intentio eſt ex parte conferentis: ergo materia & forma ex inſtitutione Chriſti non ſignificant intentionem Miniſtri.

III. Probatur. Intentio aliud non eſt, quam voluntas efficax utendi hoc ſigno ſacramentali, juxta ſignificationem a Deo ipſi datam; ſed talis voluntas nequit eſſe intrinſeca pars ipſius ſigni ſacramentalis: ergo intentio Miniſtri non eſt pars intrinſeca conſtitutiva Sacramenti, prout Sacramentum eſt compoſitum ex materia & forma partialibus. Probatur minor; quia illa voluntas non eſt voluntas utendi ſe ipſa, ſed eſſet voluntas utendi ſe ipſa, ſi ipſa eſſet pars intrinſeca illius ſigni, quo vult uti: ergo talis voluntas nequit eſſe intrinſeca pars ipſius ſigni ſacramentalis.

Dicimus II.; Intentionem Miniſtri eſſe intrinſecam partem conſtitutivam Sacramenti, ſi Sacramentum accipiatur pro compoſito ex materia & forma totalibus: hoc eſt pro concreto ex re ſignificante, & ſignificatione, vel, quod idem eſt, pro termino reduplicative accepto ſupra totam denominationem Sacramenti, & actualitatem ipſius.

I. Probatur. Id, quo præciſe ablato tollitur Sacramentum, eſt pars intrinſeca conſtitutiva Sacramenti, ſi Sacramentum hoc ſecundo modo accipiatur; ſed præciſe ablata intentione miniſtri, auſertur Sacramentum hoc modo ſumptum: ergo intentio Miniſtri eſt pars intrinſeca conſtitutiva Sacramenti hoc modo ſumpti. Probatur minor. Præciſe ablata intentione miniſtri, quanvis remaneant materia, & forma, non tamen remanent ut procedentes ab intentione Miniſtri, quam Chriſtus petit; ſed materia & forma, ſeu res & verba, ſunt materia & forma ut procedentes ab intentione miniſtri, quam Chriſtus petit: ergo præciſe ablata intentione miniſtri, non permanent in Sacramento materia & forma; atqui non permanentibus materia & forma, non permanet Sacramentum: ergo ſi ablata intentione Miniſtri non permanent materia & forma, nec etiam permanet Sacramentum.

Objiciunt I. Concilium Florentinum in Decreto Unionis hæc habet: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*; ergo intentio Miniſtri eſt pars intrinſeca conſtitutiva Sacramenti, ſicuti ſunt partes eſſentiales conſtitutivæ ipſius materia & forma. II. Peccatum nequit eſſe pars conſtitutiva Sacramenti: ſed intentio Miniſtri poteſt eſſe peccatum: ergo intentio Miniſtri non poteſt eſſe pars conſtitutiva Sacramenti. Minor probatur, & in Miniſtris, qui dirigunt intētionem faciendi Sacramentum ad finem pravum, & in illis, qui mortali peccato ſunt irretiti, & non dolent de eo, quando Sacramentum conficiunt: in omnibus his caſibus intentio Miniſtri eſt peccaminoſa: ergo &c. III. Quocunque modo ſumatur Sacramentum, ſi tollatur intentio Miniſtri, tollitur hoc ipſo Sacramentum; ſed hoc non eveniret, ſi intentio Miniſtri non eſſet pars conſtitutiva intrinſeca ipſius Sacramenti: ergo intentio Miniſtri eſt pars intrinſeca conſtitutiva Sacramenti, quomodocunque Sacramentum accipiatur. IV. Materia & forma partia

tiales ita dependent ab intentione Miniſtri, ut ſine hac nequeant conſtituere Sacramentum: ergo ſi materia & forma partiales ſunt de intrinſeca conſtitutione Sacramenti, ita pariter eſt intentio Miniſtri, etiam ſi accipiatur pro forma & materia partialibus, ut dictum eſt.

Reſpondemus ad I.; qnod ſi verba illa Concilii intelſigantur, ut jacent, potius ex ipſis ſequeretur, perſonam Miniſtri, quam Miniſtri intentionem, ad intrinſecam Sacramenti conſtitutionem concurrere, quemadmodum Concilium dicit de materia & forma. Ait enim: *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum*; & quanvis Concilium ſubdat, *cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia* nihilominus Concilium primo, & per ſe recenſet perſonam Miniſtri, intentionem vero ipſius ſolum concomitanter exigit, & tanquam ex illius parte ſe tenentem. Cæterum non dicit Concilium, *conſtituuntur, componuntur*, &c quod ſane debuiſſet dicere, ſi tria illa eſſent ſingula intrinſeca componentia; dicit tamen *perficiuntur*, per quod verbnm importat potius cauſſalitam extrinſecam, & efficientem.

Ad II Diſtinguitur major: peccatum nequit eſſe pars conſtitutiva Sacramenti, quatenus eſt pars conſtitutiva Sacramenti, conceditur; quatenus non eſt pars conſtitutiva Sacramenti, negatur. Sic pariter diſtinguitur minor; intentio Miniſtri quatenus eſt pars conſtitutiva Sacramenti poteſt eſſe peccatum, negatur, quatenus non eſt pars, conceditur minor, & abſolute negatur conſequentia. Diſtinctio eſt Caregnæ, quam his verbis ipſemet explicat „ In
„ illa intentione Miniſtri peccaminoſa
„ diſtinguitur duplex formalitas; altera
„ explicans actualem malitiam, altera
„ malitiam non explicans. Per primam
„ formalitatem intentio peccaminoſa
„ non eſt conſtitutiva pars Sacramenti;
„ per ſecundam formalitatem eſt con-
„ ſtitutiva pars Sacramenti. Prima for-
„ malitas explicat relationem ad pra-
„ vum finem, vel oppoſitionem cum
„ lege, ſecunda formalitas explicat ſo-
„ lam intentionem faciendi, quod Ec-
„ cleſia facit, ſive operandi ſacramen-
„ taliter. Clarius, in ea hypotheſi Mi-
„ niſter intendit duo, videlicet confi-
„ cere Sacramentum, & conſequi ma-
„ lum finem, ſive ponere tranſgreſſio-
„ nem legis; hoc ſecundum eſt imper-
„ tinens ad Sacramentum, & reſpicit
„ ſolum primam; unde illa intentio,
„ quatenus intentiva pravi finis, aut tran-
„ ſgreſſiva prohibitionis non eſt conſti-
„ tutiva Sacramenti: ea autem ratione,
„ qua non eſt conſtitutiva Sacramenti,
„ in Sacramento non ponit malitiam
„ ſuam.

Ad III. Negatur abſolute minor; ratio eſt, quia etſi intentio non ſit pars intrinſeca Sacramenti, quatenus Sacramentum accipitur pro compoſito ex materia & forma partialibus, eſt tamen ipſius cauſſa efficiens moralis; & ablata cauſſa efficiente morali, etiam tollitur effectus, quia non eſt a qno hujuſmodi effectus producatur; & hoc eo magis, quando talis cauſſa eſt inſtituta a Deo ad effectum hunc producendum, quemadmodum eſt inſtituta hæc intentio in miniſtro ad conficiendum Sacramentum; unde non mirum, ſi deficiente intentione Miniſtri, non eſt amplius Sacramentum, quanvis intẽtio Miniſtri non ſit pars intrinſeca conſtitutiva ipſius Sacramenti.

Ad IV. Dependent qnidem ab intentione materia, & forma in Sacramentis, quatenus Miniſter determinat materiam, & profert formam determinativam materiæ; ſed hoc eſt potius agere extrinſece, quam intrinſece, quemadmodum agit agens extrinſecum, qui materiam combuſtibilem approximat igni, & ex illa approximatione reſultat combuſtio; & tamen nemo dixit, quod agens extrinſecum approximans materiam combuſtibilem igni ſit pars intrinſeca ipſius combuſtionis.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, in qua quæritur, an ſufficiat in Miniſtro intentio conditionalis, an vero ſemper requiratur abſoluta? Conveniunt unanimiter Theologi, quod ſi intentio conditionalis contineat conditionem, vel de præterito, vel de præſenti, Sacramentum valet, dummodo tamen talis conditio ſit a Miniſtro humano modo cognoſcibilis. Si autem conditio ſit de futuro, Sacramentum non valet, ſi matrimonium excipiatur.

Dicimus III.; In Miniſtro Sacramento-

rum ſufficere conditionalem intentionem, ſi conditio ſit vel de præterito, vel de præſenti; requiri autem intentionem abſolutam, ſi conditio ſit de futuro.

Probatur ſimul, & explicatur Concluſio; quia ſi conditio eſt de præſenti, vel de præterito, neceſſe eſt, ut vel deſtruat intentionem, vel illam abſolutam relinquat. Et ratio eſt, quia ſi conditio illa non fuit, nec eſt, non eſt amplius intentio; ſi vero fuit, vel eſt, intentio eſt abſoluta. Exemplum ponamus, ut res clarior evadat. Si quis dicat: ſi non es baptizatus, ego te baptizo &c.; aut ille eſt baptizatus, & nulla intentio habetur, & nullum etiam Sacramentum efficitur; aut non eſt baptizatus, & intentio eſt abſoluta, & Sacramentum conficitur. Sic pariter ſi quis dicat; ſi es capax baptiſmi, ego te baptizo; vel ille eſt capax, vel incapax: ſi ſecundum, nulla eſt intentio, nullus baptiſmus, ſi primum; intentio eſt abſoluta, baptiſmus eſt abſolutus. Si vero quis dicat: ego te abſolvo, ſi reſtitues, quæ eſt conditio de futuro; nullum eſt Sacramentum, quia non fuit Sacramentum de præſenti, quum de præſenti non ſit intentio, quam ſuſpendit conditio; nec fiet Sacramentum, quando conditio purificabitur, quia tunc non aderunt materia & forma Sacramenti, quæ jam præterierunt: ergo nunquam fit Sacramentum. Igitur ſemper ad Sacramentorum valorem requiritur abſoluta intentio, quia intentio debet eſſe efficax, ſola autem abſoluta eſt efficax; & ſi non eſt formaliter abſoluta, ſaltem æquivalenter debet eſſe talis, ut diximus de conditionata, vel de præterito, vel de præſenti, quæ abſolutæ æquivalet. Si vero quis dicat: ego te baptizo, ſi es prædeſtinatus, ſi es Catholicus, ſi Turca ſaltat &c., nolunt communiter Sacramentum valere, quia conditio, quæ apponitur in actionibus, vel contractibus humanis, debet eſſe talis, ut humano modo cognoſci poſſit, alioquin ſemper eſſemus incerti de valore contractuum. In Matrimonio denique apponi poteſt conditio de futuro, quia ipſi competit ſpecialis ratio contractus, cui Sacramēti ratio ſupervenit, adeoque Conjugibus contrahentibus Matrimonium ſub conditione de futuro, matrimonium, ſicut in ratione contractus, ita etiam in ratione Sacramenti tunc perficitur, quando conditio purificatur. Cætera autem Sacramenta ſuſpendi non poſſunt: unde non mirum &c.

Opponunt I. Si Confeſſarius in abſolutione pœnitentis hanc apponat conditionem: ego te abſolvo, ſi Deus ſcit te relicturum occaſionem peccandi; te redditurum rem, quam per furtum abſtuliſti; te veram pœnitentiam facturū de peccato tuo; ſed hæ omnes conditiones ſunt de futuro: ergo valet Sacramentum pœnitentiæ cum intentione Miniſtri non abſoluta, ſed conditionata de futuro. II. Sententia alicujus Judicis ſubſiſtit, & valet, quando Judex apponit illi conditionem de futuro; ſed abſolutio, quam Confeſſarius pœnitenti impartitur, eſt admodum judicii: ergo pariter valet, ſi habeat Confeſſarius intentionem conditionatam de futuro. III Prioribus Eccleſiæ ſæculis nunquam Sacramentorum Miniſtri appoſuerunt conditionem formis Sacramentorum, ergo nunquam habuerunt intentionem conditionatam: ergo neque modo licitum eſt uti intentione conditionata in Sacramentorum adminiſtratione; ſive hæc ſit de præterito, ſive præſenti, ſive de futuro. IV. Peccat Miniſter, qui apponit conditionem in adminiſtratione alicujus Sacramenti: ergo non eſt licitum apponere conditionem in Sacramentis conferendis; atqui hoc non aliunde, quam quia exponeret Sacramentum invaliditati, & nullitati: ergo quandocunque Sacramentum cum conditione adminiſtratur exponitur ſemper periculo invaliditatis & nullitatis. V. Intentio Miniſtri debet eſſe determinata; ſed conditio operatur ut non ſit determinata: ergo nunquam poteſt eſſe cum conditione, ſive hæc ſit de præſenti, ſive de præterito, ſive de futuro. VI. Error in Miniſtro Sacramentum conficiente reddit Sacramentum nullum: ergo pariter conditio. Conſequentia ſequitur; quia ſi conditio non eſt ad rem, ſi conditio non purificatur, ſi conditio eſt ſuſpenſiva, ſemper importat errorem in Sacramento: ergo ſi error in Miniſtro conficiente Sacramentum reddit Sacramentum nullum, ita pariter conditio, quomodocunque ſit, reddit Sacramentum nullum.

Reſpondemus ad I. Conditiones illas non eſſe

Digitized by Google

eſſe de futuro, ſed eſſe de præſenti, quia Deus hic & nunc ſcit, quid deinceps facturus ſit pœnitens, quanvis actiones ejus ſint futuræ. Non enim dicit Confeſſarius, ſi occaſionem dimittes, ſi ablata reſtitues, ſi pœnitentiam ages; quæ quidem omnes ſunt conditiones de futuro, & quibus appoſitis, Sacramentum non valet; ſed dicit, ſi Deus ſcit, te hæc facturum. Deus vere nunc ſcit, & non de futuro ſciet: ergo conditio eſt de præſenti, & non de futuro.

Ad II., dicitur, quod quanvis abſolutio Confeſſarii in aliquibus aſſimiletur ſententiæ Judicis, non tamen aſſimilatur in omnibus; & revera non aſſimilatur in his, quæ addimus; quia ſententia Judicis poteſt proferri ſcripto, abſolutio tamen debet proferri voce; ſententia Judicis poteſt proferri in abſentem, abſolutio proferri debet in præſentem. Ita pariter ſententia Judicis poteſt eſſe cooditionata, non ſic vero abſolutio Confeſſarii. Et ratio eſt, quia ſic voluit Chriſtus, quando inſtituit, ut non eſſet Sacramentum, ſi non eſſent ſimul materia forma, & intentio. Non poſſunt autem eſſe ſimul, quando intentio eſt ſuſpenſiva Sacramenti, uſque ad conditionis futuræ poſitionem.

Ad III. Reſpondet Hennos cum duplici retorſione, quarum prima eſt, quia prioribus Eccleſiæ ſeculis nunquam fuit facta mentio extremæ unctionis. At hoc falſum eſt; ut quando de Sacramento extremæ unctionis agemus, videbimus. Secunda vero eſt, quia ſeculis illis non erant in Eccleſia Rituales, & ideo de aliis quoque Sacramentorum ritibus poſſet facere retorſionem; ſed nec etiam hæc ratio ſubſiſtit, quia apud Patres legimus, quæ in Ritualibus legeremus, & apud Patres conditiones appoſitas in Sacramentorum adminiſtratione pro illo tempore non invenimus. Vera igitur reſponſio eſt, quod uſum illum adminiſtrandi Sacramenta per conditionem, poſterioribus ſeculis approbavit Eccleſia; & hoc ſufficit, ut nos etiam in caſibus permiſſis poſſimus illa facultate licite uti, & eo magis, quando ſunt Sacramenta neceſſaria neceſſitate medii, ut tutius æternæ ſaluti ſuſcipientium conſulamus.

Ad IV. Peccat quidem Miniſter, quando adminiſtrat Sacramentum ſub conditione, vel quando Sacramentum non eſt capax conditionis, vel quando non eſt neceſſitas apponendi illam, vel quando non eſt caſus permiſſus ab Eccleſia, ut eadem apponatur. Quæ quidem omnia non rejiciunt conditionem, qua conditio eſt, ſed potius ob alias rationes, quæ poſcunt, conditiones non eſſe apponendas.

Ad V.: quanvis intentio miniſtri debeat eſſe determinata ad perſonam præſentem, non tamen debet eſſe determinata ad omnia, quæ perſonam præſentem reſpiciunt. Sic non debet eſſe determinata potius ad marem, quam ad mulierem, ſi matrimonium excipiatur. Inſuper conditio non impedit determinationem intentionis, ſi conditio ſit de præſenti, vel de præterito; impedit vero ſi ſit de futuro; ſed hanc, niſi in matrimonio admittendam eſſe, non diximus.

Ad VI. Intentio miniſtri verſari debet circa materiam, vel perſonam præſentem, quia intentio miniſtri ferri debet in id, quod a forma deſignatur; forma autem vel materiam, vel perſonam præſentem deſignat, ut quando dicitur: ego te baptizo; ego te abſolvo; hoc eſt corpus; hic eſt ſanguis. At error ſubſtantialis perſonæ noo irritat Sacramentum, niſi in matrimonio. Ratio eſt, quia Confeſſarius intendit abſolvere pœnitentem ſibi præſentem; quod autem pœnitens ſit Fabricius, non vero Terentius, quem ipſe putabat, per accidens ſe habet ad Sacramenti valorem, dummodo ipſe habuerit intentionem abſolvendi pœnitentem ſibi præſentem. Secus ůero ſi habuit intentionem abſolvendi unum determinatum individuum, & excludendi cætera alia; quia tunc illud determinatum individuum eſſet abſolutum, & nullum aliud. Matrimonium excipitur, quia contrahentes intẽdunt directe matrimonium inire cum tali perſona, omnibus aliis excluſis; unde ſi una perſona alteri ſubſtitueretur, matrimonium non valeret. Excipitur etiam caſus, in quo perſona non eſſet illius Sacramenti capax; ut ſi Epiſcopus ordinaret fœminam, putans ordinare virum, Sacramentum eſſet nullum, quia fœmina ordinis eſt incapax. Hic error perſonæ a Becano non vocatur ſubſtantialis, ſed accidentalis; ſed lis eſt de nomine, in re tamen convenit.

Pro

Digitized by Google

Pro tertia Diſſertationis parte, diximus jam in reſponſione ad quintam objectionem, quod per ſe loquendo intentio miniſtri debet eſſe determinata ad perſonam præſentem, non vero ad perſonam in individuo; & diximus quoque nihil facere contra hanc determinationem Miniſtri intentionem, etiamſi ſit conditionata. Nunc remanet ut Concluſionem pro eadem tertia Diſſertationis parte ponamus, eamque probemus.

Dicimus III. Intentionem miniſtri debere eſſe determinatam ad perſonam præſentem, quanvis non ad perſonam in individuo, & etiam ad materiam præſentem debere eſſe determinatam.

Prima Concluſionis pars probatur. Materia in Sacramentis determinatur a forma, & forma determinatur ab intentione miniſtri: ergo intentio miniſtri debet eſſe determinata, & quidem eo modo, quo determinat formam; ſed determinat formam ad perſonam præſentem: ergo intentio miniſtri debet eſſe determinata ad perſonam præſentem. Probatur minor ſubſumpta. Miniſter, quando baptizat, dicit: ego te baptizo; quando confirmat, dicit: ego te confirmo; quando abſolvit, dicit: ego te abſolvo; ſic pariter in aliis Sacramentis, & præcipue in Ordinibus, quando illos ſuſcipientibus confert; ſed hic modus loquendi denotat perſonas, quæ ſint præſentes: ergo intentio miniſtri determinat formas Sacramentorum ad perſonas præſentes: ergo multo magis ipſa quoad perſonas præſentes debet eſſe determinata.

Secunda Concluſionis pars probatur. Nulla Sacramentorum forma determinatur ab intentione Miniſtri ad perſonam in individuo: ergo intentio miniſtri non debet eſſe determinata in individuo. Probatur antecedens. Validus eſt Baptiſmus, ſi baptizans habet intentionem baptizandi Livium, & baptizat Marcum: ſed in hoc caſu nulla eſſet determinatio ad perſonam in individuo, ſed tantum ad perſonam præſentem: ergo nulla forma Sacramentorum eſt determinata ad perſonam in individuo, ſed tantum ad perſonam præſentem.

Tertia Concluſionis pars probatur. Sicut intentio miniſtri determinat formam, ita pariter forma determinat materiam; ſed intentio miniſtri determinat formam ad perſonam præſentem: ergo etiam forma determinat materiam præſentem. Et quanvis non requiratur ad Sacramentorum valorem, ut hæc, vel alia materia in eorundem confectione adhibeatur, quia tamen materia debet eſſe præſens, inde eſt, quod ſemel ipſa adhibita ut præſenti, eam pariter ut præſentem, non quidem ut talem in individuo, determinat forma.

Opponunt I. Tam baptizans, quam confirmans, exprimunt nomen, & baptizandi, & confirmandi; ſed nomen importat perſonam in individuo: ergo intentio miniſtri determinat perſonam in individuo. II. Poteſt Miniſter baptiſmi determinare in individuo perſonam, quæ ſuſcipit Baptiſmum, ſi adſit aliqua gravis neceſſitas: & eſſet caſus, ſi volens baptizare Filium Regis, qui Patri debet ſuccedere in Regno, & dubitat, an ipſi offeratur ad baptizandum Infans alterius Patris, qui ſimulet illum eſſe filium Regis: in hoc caſu poteſt determinare intentionem ſuam ad Filium Regis; ſed hic eſſet perſona in individuo: ergo determinaret intentionē ſuam ad perſonam in individuo. III. Contrahentes matrimonium non ſufficit ut ſint præſentes, ſed etiam requiritur, ut ſint cogniti, quia debet unuſquiſque ipſorum ſcire in individuo, cui dat aſſenſum, & a quo recipit: ergo eſt neceſſaria determinatio perſonæ in individuo in intentione Miniſtri. IV. Si quis diſtans incurreret evidens periculum vitæ, vel ob præcipitium, vel ob occiſionem, & abſolutionem a Sacerdote pariter diſtanti peteret, poſſet hic a Sacerdote etiam a longe abſolvi: ergo non requiritur ut perſona ſit præſens.

Reſpondemus ad I., quod pronomen illud *Te* ſignificat perſonam illam præſentem, non vero in individuo determinatam. Et ratio potiſſimum eſt, quia in Baptiſmo non denotat nomen impoſitum, ſed imponendum, & etiam in Confirmatione, quando nomen mutatur ob cauſas, quæ illius mutationem expoſcunt; unde ex pronunciatione nominis, non fit, ut determinetur perſona in individuo, ſed tantum, ut determinetur perſona præſens.

Ad II.; quanvis Hennus reſpondens admittat caſum, qui proponitur, nobis tamen non videtur neceſſe, ut caſum concedamus, adhoc ut ad objectionem

reſpon-

reſpondeamus. Dicitur enim, quod in caru illo retinetur intentio, ſi alius ſit a Filio Regis, & Baptiſmus non ſit; ſi vero ſit Filius Regis, verificatur intentio ad ſuprabundantiam, & Baptiſmus ſit. Et quanvis Hennus dicat, quod Concluſio intelligatur *per ſe* loquendo, adeoque non comprehendatur in ea caſus ille extraordinarius; nos tamen dicimus, quod quum caſus hic ſit particularis, & appareat exceptus a Concluſione, quam ponimus, inde eſt, quod illum a Concluſione noſtra removemus, & aſſerimus, vel Baptiſmum non fieri ob intentionis defectum, vel fieri ob intentionis ſuper abundantiam, ut dictum eſt.

Ad III. Jam diximus, quod a Concluſione poſita matrimonium debet excipi, ob rationes peculiares, quæ in ipſo ſunt, & quas objectio vere proponit; unde nihil ad reſpondendum nobis incumbit.

Ad IV., dicitur, quod pro præſentia intelligitur non intima quidem præſentia, ſed illa, qua a Miniſtro perſona videri poſſit, ſive ſit intime præſens, ſive parum diſtans. Ea enim requiritur præſentia, quæ ſufficiat ad determinationem perſonæ; ſed in perſona parum diſtanti habetur præſentia, quæ ſufficiat ad determinationem prædictam: ergo præſentia parum diſtans ſufficit ad determinationē perſonæ præſentis.

DISSERTATIO CCCXIII.

De Fide in Miniſtris Sacramentorum. Quis nam primus aſſeruerit requiri Fidem in Miniſtro, ut valide ab eo Sacramenta conficiantur & conferantur? De Donatiſtis, eorundemque Authore, & de ipſorum erroribus. De Sancto Stephano Papa, & an contra Rebaptizantium errores recte ſe geſſerit?

PRimo dicitur Tertullianus, qui floruit circa finem ſecundi ſeculi, & quando adhuc ab Orthodoxa Communione non defecerat, & quod ſcripſerit, nullum eſſe Baptiſmum, qui ab Hæreticis conferatur; adeoque ad Sacramenti valorem exegiſſe fidem in Miniſtro. Afferuntur pro hoc probando ejuſdem Tertulliani verba lib. de Bapt. cap. 17. *Hæretici nullum habent conſortium noſtræ diſciplinæ, quos extraneos utique teſtatur ipſa ademptio Communicationis: non debeo in illis agnoſcere, quod mihi eſt præceptum; quia non idem Deus, & nobis, & illis, nec unus Chriſtus ideo idem, ideoque nec Baptiſmus unus, quia non idem, quem cum rite non habeant, ſine dubio non habent &c.*

Secundo fuit Agrippinus, Carthaginenſis Epiſcopus, qui non ſolum cenſuit, ſed etiam definivit, eſſe rebaptizandos illos, qui Baptiſmum ab Hæretico Miniſtro acceperant. Definitionis ab illo editæ, cum quibuſdam Africæ, & Numidiæ, Epiſcopis anno 217. meminit Cyprianus Epiſt. ad Quintum per hæc verba: *Quandoquidem Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum cæteris Coepiſcopis ſuis, qui in illo tempore in Provincia Africæ, & Numidia Eccleſiam Dei gubernabant, ſtatuit, & librato conſilii communis examine, firmavit: quorum ſententiam, & religioſam, & legitimam, & ſalutarem fidei, & Eccleſiæ Catholicæ congruentem, nos etiam ſecuti ſumus*. Inſuper ex Auguſtino habemus lib. 2. de Bapt. cap. 7. hoc ipſum feciſſe Agrippinum, & male feciſſe: *Hanc conſuetudinem ſuſcipiendi ab Hæreticis baptizatos, credo ab Apoſtolica traditione venientem; ſicut multa, quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab Apoſtolis tradita, & commendata creduntur. Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem dicit S. Cyprianus per Agrippinum prædeceſſorem ſuum, quaſi cœpiſſe corrigi. Sed ſicut diligentius inquiſita veritas docuit,*

quæ

quæ poſt magnos dubitationis fructus ad plenarii Concilii confirmationem perducta eſt, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe, non corrigi. Habemus etiam ex Vicentio Lirinenſi in Commonitorio cap.6. *Quondam venerabilis memoriæ Agrippinus, Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium Conſacerdotum, contra morem, ac inſtituta majorum, rebaptizandum eſſe cenſebat: quæ præſumptio tantum mali invexit, ut non ſolum hæreticis omnibus formam Sacrilegii, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præbuerit erroris*!

Tertio Cyprianus, Carthaginenſis Epiſcopus, Concilio Carthagine celebrato, cum multis aliis Africanis Epiſcopis ſibi adherentibus, decrevit, ab Hæreticis baptizatos eſſe rebaptizandus. Teſtatur Euſebius lib.7. Hiſt. cap.2.; immo ipſemet Cyprianus fatetur in Epiſtolis ſuis ad Quintum, ad Pompejum, & ad Jubajanum.

Quarto Donatiſtæ volebant, quod Sacramenta a Catholicis adminiſtrata, quos ipſi Hæreticos putabant, & appellabant, nullius eſſent valoris, ac virtutis. Teſtes habemus Ambroſium ad Caput I. prioris Epiſtolæ ad Corinthios, & Auguſtinum cont. Epiſtulam Parmeniani lib.3. cap.2., & cont. Creſconium lib.2. cap.28.

Quinto Luciferiani admittebant Baptiſmum ab hæreticis collatum; reſpuebāt tamen Ordinationem, quam iidem Hæretici faciebant, & quencunque Ordinem ab ipſis datum nullum eſſe dicebant. Teſtis eſt Hieronymus in Dialogo cont. Luciferianos.

Sexto Inſimulantur etiam ejuſdem erroris aliqui antiqui Patres, qui tamen ab aliis defenduntur: et ſunt Dionyſius Alexandrinus, Athanaſius, Alexandrinus Epiſcopus, Optatus Milevitanus, S. Baſilius, aliique legendi apud P. Boucat.

Dicimus I. Primum, qui exegerit in Sacramentorum Miniſtro fidem, adeoque docuerit, nullum eſſe Baptiſma ab hæreticis collatum, fuiſſe Tertullianum, ſecundum Agrippinum, tertium Cyprianum, quem errorem deinde Donatiſtæ excitarunt.

I. Probatur Concluſio de Tertulliano lib. Bapt. cap.17. verbis ejuſdem, quæ retulimus nuper: *Hæretici nullum habent conſortium noſtræ diſciplinæ, quos extraneos utique teſtatur ipſa ademptio Communicationis: non debeo in illis agnoſcere, quod mihi eſt præceptum, quia non idem Deus, & nobis, & illis, nec unus Chriſtus ideo idem; ideoque nec Baptiſmus unus, quia non idem, quem cum rite non habeant, ſine dubio non habent, nec capit numerari, quod non habetur*. Quibus verbis diverſum procul dubio facit Baptiſmum ab hæreticis a Baptiſmo a Catholicis collato, & rationem attingit, quia in Hæreticis non eſt eadem, ac in Catholicis Fides. Idem Tertullianus l. de Pudicitia, hæc ſcribit: *Ethnico par, ita & ſuper Ethnicum Hæreticus etiam per Baptiſma veritatis admittitur*. Et per hæc verba æque videtur aſſerere, & Baptiſmum ab Hæreticis, & Baptiſmum ab Ethnicis collatum nullum eſſe.

II. Probatur de eodem Tertulliano. Si Tertullianus non fuiſſet primus, qui errorem hunc ſcripſiſſet, ideo eſſet, quia ante ipſum hunc eundem errorem docuiſſet Agrippinus, Carthaginenſis Epiſcopus; ſed hoc eſt falſum: ergo Tertullianus fuit primus. Probatur minor. Si Agrippinus hunc errorem primus omnium docuiſſet, ideo eſſet, quia Cyprianus ſic affirmaſſet: ſed Cyprianus hoc non affirmavit: ergo &c. Probatur minor. Cyprianus non dixit, quod Agrippinus primus omnium hunc errorem ſcripſerit, ſed quod ſtatuerit: At nos non loquimur de primo ſtatuente, ſed de primo ſcribente: & propterea ultro concedimus, quod Agrippinus primus omnium hunc errorem ſtatuerit in Concilio, quod cum ſuis Epiſcopis celebravit, at negamus, quod primus omnium ipſe hunc errorem excogitaverit, ſcripſerit, & publicaverit, quia hic talis non fuit Agrippinus, at Tertullianus.

III. Probatur de Agrippino, & afferuntur verba Cypriani, in quibus apparet, quod Agrippinus hunc errorem primus omnium ſtatuerit. Hæc igitur habet Cyprianus, quæ etiam retulimus nuper, & habet in Epiſtola ad Jubajanum: *Apud nos non nova, aut repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam perveniunt, cum multi jam anni ſint, & longa ætas (ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Epiſcopi plurimi ſtatuerunt, atque exinde in*

hodier-

hodiernum tot millia Hæreticorum in Provinciis noſtris ad Eccleſiam converſi, ſalutaris Baptiſmi gratiam conſequuti ſint.

IV. Probatur de Cypriano ex Auguſtino lib.6. de unico Baptiſmo cont. Petilianum cap.14. *Erant duarum eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romanæ ſcilicet, & Carthaginenſis, Epiſcopi duo, Stephanus, & Cyprianus, ambo in unitate Catholica conſtituti; quorum Stephanus Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat; Cyprianus autem in hæreſi vel ſchiſmate baptizatos, tanquam non habentes Baptiſmum Chriſti, baptizandos eſſe in Eccleſia Catholica exiſtimabat.*

V. Probatur de eodem Cypriano, exponendo hiſtoriam, quæ de eo, ejuſque errore, circumfertur, & quæ validis documentis confirmatur. Celebris admodom apud eruditos omnes eſt controverſia, quæ ex una parte inter Cyprianum, Africanoſque Epiſcopos, & Firmilianom, & Orientales Epiſcopos exarſit, & ex altera inter Stephanum, Romanum Pontificem. Illi primi volebant, nullum eſſe ab Hæreticis collatum Baptiſmum, & ſic ab Hæreticis baptizatos, iterum baptizabant; Stephanus vero e contra Hæreticorum Baptiſma, ſi formam in Eccleſia adhiberi ſolitam ſervaſſent, validum eſſe affirmavit. Cyprianus igitur medio ſeculo tertio tribus Conciliis Carthagine celebratis errorem firmavit; errori autem quis ortum dederit, ſunt qui dicunt, quod fuerit Magnus, homo laicus, qui, occaſione Novatianorum eandem cum Catholicis baptizandi formam obſervantium, dubitavit, num a Novatianis tincti iterum eſſent tingendi? Alii vero aſſerunt, quod quum Novatiani, & ante eos Cataphrygi, ſoliti eſſent iterum baptizare, ut immundos, illos, qui ab Eccleſia Catholica deſciverant, hoc ipſum ad æmulationem provocavit quoſdam Epiſcopos in Africa, ut ipſi quoque illos, quos ex Novatianis ad Eccleſiam recipiebant, tanquam hæretico Baptiſmate potius maculatos, quam mundatos, denuo baptizarent, ſeu potius ſimpliciter baptizarent, ut ipſi dicebant; eis enim rebaptizationis nomen ſemper inviſum erat, ut Cyprianus ſcribebat ad Quintum. Numidiæ Epiſcopi ad Synodum anno 258., Valeriano, & Gallieno Imperatoribus, Carthagine a Cypriano coactam, literas de hac quæſtione ſcripſerunt, aliis quidem affirmantibus, aliis vero negantibus. In ea Synodo definitum eſt, neminem extra Eccleſiam baptizari poſſe, & definitio Synodi Numidiæ Epiſcopis miſſa fuit cum ſynodica epiſtola, quæ directa eſt Januario. Anno eodem aliud Concilium coegit Cyprianus, ad quod ſeptuaginta & unus Epiſcopi ex Provinciis Africæ & Numidiæ convenerunt, & in ipſis prima definitio confirmata eſt; & hujus Concilii ſynodicam epiſtolam Cyprianus ad Stephanum Papam porrexit, qua illum de rebus in Concilio actis certiorem fecit. Eodem pariter anno Kal. Septembris Cyprianus tertium Concilium habuit Carthagine, ad quod octoginta ſeptem Epiſcopi ex Africana Provincia, & Numidia, & ex Mauritania, convenerunt. In hoc Concilio lectæ fuerunt literæ Stephani Papæ, quibus ad ſynodicam ſecundi Concilii reſcribens prohibuerat, ne quid novi circa Hereticorum Baptiſma tentaretur. At adunati Epiſcopi nullam Stephani rationem habentes priora decreta confirmarunt, ut conſtat ex epiſtola Cypriani ad Pompejum, in qua ſtylo ſane acerbiori, quam par eſſet, Stephani reſponſum perſtringit, atque, Stephanum erraſſe, & Hæreticorum cauſſæ patrocinari. Et hæc in Africa a Cypriano geſta ſunt; quæ quidem manifeſte probant, Cyprianum & amplexatum fuiſſe Rebaptizantium errorem, ac inſuper illum propugnaſſe.

VI. Probatur de aliis, qui in Aſia eundem errorem amplexi ſunt. Firmilianus, Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, acceptis a Cypriano literis per Rogatianum Diaconum, quibus de Stephani decreto, & de lata a Patribus Carthaginenſibus ſententia certior fiebat, eidem Cypriano reſpondit, ſe ſuo Concilio, non Stephano Papæ ſubſcripſiſſe. Firmiliani ſententiam ſequuta eſt nedum Cæſarienſis in Cappadocia Provincia, ſed & plures aliæ Aſianorum Eccleſiæ receperunt. In Concilio namque Iconienſi in Phrygia contra Cataphrygas anno 258. habito decretum eſt, *nihil eorum, quæ ab Hæreticis facta ſunt, ab Eccleſia Catholica recipiendum eſſe: Ordinationes, Baptiſmum, manuum impoſitiones, aliudve ſacrum quodvis ab Hæreticis adminiſtratum, invalidum eſſe.* Huic Concilio Cappadoces, Cilicii, &

Galatæ ſubſcripſerunt, & illius acta Firmilianus ad Cyprianum miſit. Eodem tempore, quo Iconienſe Concilium habitum eſt, aliud Synadis in Aſia legimus celebratum, in quo idem plane, quod in illo, ſtatutum fuit; & utriuſque meminit Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. cap. 6. Ultra horum Conciliorum decreta variæ hinc inde apparuerunt epiſtolæ, tum a Cypriano, aliiſque Africanis Epiſcopis, tum a Firmiliano, & Orientalibus Antiſtitibus, ad Stephanum directæ, tum ab ipſo Stephano ad eoſdem, qui tamen ſemper firmiter in errore ſuo perſeverarunt, donec plenarium Concilium, in quo lis finita eſt, celebraretur, ut teſtatur Auguſtinus lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 4. Ex his patet manifeſte Cyprianum in Africa, & Firmilianum in Aſia, Rebaptizantium errori non ſolum faviſſe, ſed & patrocinatos quoque fuiſſe.

VII. Probatur & explicatur de aliis. Equidem non idem eſſe debet judicium de Dionyſio Alexandrino, de Baſilio, de Athanaſio, de Optato Milevitano, de Cyrillo Hieroſolymitano, qui ab aliis accuſantur, & ab aliis defenduntur. Dionyſium, qui Firmiliano, & Cypriano coævus fuit, cum eiſdem etiã ſenſiſſe vult poſt Hieronymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Baronius, cui Natalis Alexander adhæret. Jueninus vero in Commentario ipſum vindicat, atque defendit. De Baſilio idem Jueninus hanc firmat Concluſionem: Baſilius Baptiſmum in forma a Chriſto præſcripta ab aliquibus extra Eccleſiam collatum reijecit, admiſit tamen a quibuſdam aliis datum; verum alii Scriptores Baſilium omnimode vindicant, & idem cum Stephano Papa ſenſiſſe, contendunt. Athanaſium Jueninus accuſat, Natalis Alexander defendit. Optatum Milevitanum ait Jueninus rejeciſſe Baptiſma ab Hæreticis datum, ſed a Schiſmaticis collatum admiſiſſe: Natalis vero Alexander tuetur in omnibus. Tandem de Cyrillo ait Jueninus: apud Cyrillum Hieroſolymitanum Baptiſma ab Hæreticis datum non valuit; attamen ab aliis Scriptoribus vindicatur.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, quæ eſt circa Donatiſtas, & de eorundẽ hæreſi, & hujus authore, præmittimus, quod poſt annos 45. a Martyrio Cypriani, qui paſſus eſt anno 261., ortum eſt ſchiſma Donatiſtarũ anno ſcilicet 306., quod poſtmodum in apertam hæreſim prorupit. Duo autem erant hæreſis hujuſce principaliora capita, primum, quo dicebant, Eccleſiam ob contagionem cum Traditoribus, qui erant illi, qui ſacros libros Gentilibus tradiderãt, per totum mundum fuiſſe extinctam, & tantum in Africa penes Donati Sequaces integram remanſiſſe; ſecundum vero, quia rebaptizabant non ſolum ab Hæreticis, ſed etiam a Catholicis baptizatos, quos ut ſacrorum Codicum, & vaſorum Traditores infamabant. Iſti autem in varias ſectas diviſi ſunt, ut obſervat Auguſtinus Hæreſi 69. Aliqui dicebantur Maximianiſtæ a Maximiano Carthaginenſi Pſeudo-Epiſcopo; alii Primianiſtæ a Primiano ejuſdem Urbis Pſeudo-Epiſcopo; alii Rogatiſtæ a Rogato Epiſcopo in Mauritania Cæſarienſi; alii Campitæ, ſeu Campenſes, Montenſes etiam, ſeu Rupitani, quia ſcilicet in ſpeluncis montium, vel rupium conventus ſuos agebant. His affines fuerunt Circumcelliones, qui ne dum in alios, ſed in ſe ipſos inſæviebant per varias mortes, præcipitiorum maxime, aquarum, & ignium, ſe ipſos necantes, ut Martyres crederentur, aliosque ad hujuſmodi furorem provocarent. Iſti omnes, quum veram Eccleſiam apud ſe tantum eſſe crederent, nullum eſſe apud Catholicos Sacramentum exiſtimabant, unde iterum baptizabant, iterum ungebant, iterum manus imponebant, non ſolum inferioribus Clericis, ſed quoque Sacerdotibus, & Epiſcopis, quorum nonnullos inter Laicos relinquebant. His poſitis

Dicimus II., Cyprianum, Firmilianum, aliosque Patres, ſi qui fuerunt, tum Africæ, tum Orientis, exiſtimaſſe, controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum non ad fidem, ſed ad diſciplinam tantum pertinere: certum tamen non eſſe, an ipſi ante mortem reſipuerint, & ab errore ſuo receſſerint.

Prima Concluſionis pars probatur I. Hæc eſt differentia inter diſciplinam, & fidem, quod diſciplina poteſt eſſe varia & multiplex, tam pro varietate temporum, quam pro diverſitate locorum: fides vero ſemper eſt eadem, quovis tempore, & ubique locorum: atqui

atqui enunciati Patres controverſiam de rebaptizatione putarunt eſſe variam pro varietate temporum, & locorum; ergo putarunt pariter controverſiam pertinere ad diſciplinam, & non ad fidem. Major patet ex verbis Auguſtini Epiſt. 54. ad Januarium: *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum; & propter eorum, inter quos vivitur, ſocietatem ſervandam eſt.* Antecedenter autem ſcripſerat: *nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam forte devenerit* Minor probatur. Enunciati Patres in controverſia illa ſcripſerunt, eſſe varietatem in praxi, libertatem in ſentiendo, & ſocietatem atque communionem in diſſentiendo; ſed hæc tria ſatis ſuperque comprobant, controverſiam eſſe de diſciplina, & non de fide: ergo enunciati Patres intelligebant, controverſiam eſſe de diſciplina, & non de fide. Probatur major; & primo circa varietatem in praxi, eam fatetur Cyprianus in Epiſt. 71. ad Quintum, 72. ad Stephanum, 73. ad Jubajanum, & in præfatione Concilii III. Carthaginenſis; teſtatur pariter Firmilianus in ſua Epiſtola ad Cyprianum, quæ eſt 75. inter illas Cypriani. Fatentur quoque Dionyſius Alexandrinus in 3. ad Philemonem Epiſtola apud Euſebium lib.7. cap.7., Baſilius cap. 1. Epiſtolæ ad Ampilochium; pro vero libertate ſentiendi fatetur pariter Cyprianus in citata epiſtola ad Stephanum, & in citata præfatione ad Concilium tertium Carthaginenſe; & pro ſervata pace & communione fatetur idem met Cyprianus in Epiſt. ad Jubajanum num. 73. ubi habet: *Nos quantum in nobis eſt, propter Hæreticos cum Collegis & Coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus divinam concordiam, & Dominicam pacem tenemus..... ſervatur a nobis patienter & firmiter charitas animi, collegii honor, & vinculum fidei, & concordia ſacerdotii.*

Secunda Concluſionis pars probatur etiã de Cypriano verbis Auguſtini lib.2. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 4.: *Si Petrum laudat, & prædicat, ab uno poſteriore collega patienter concorditerque correctum, quanto citius ipſe cum Concilio Provinciæ ſuæ univerſi Orbis auctoritati patefacta veritate ceſſiſſet? quia profecto & uni verum dicenti & demonſtranti poſſet faciliime conſentire tam ſancta anima, tam pacata; & fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus. Neque enim omnia, quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ literiſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus.* Et Epiſt. 93. alias 48 cap. 10. *Cyprianus autem ſenſiſſe aliter de Baptiſmo, quam forma & conſuetudo habeat Eccleſiæ, non in Canonicis, ſed in ſuis, & in Concilii literis invenitur; correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur. Non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.*

Objiciunt I. Cyprianus nullum citat Scriptorem pro Rebaptizantium errore, qui fuerit Agrippino antiquior, ut legitur in citata epiſtola ad Jubajanum: ergo non fuit primus Tertullianus, qui Agrippinum præceſſit. II. Auguſtinus ſimiliter lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas cap.7., *Agrippinum*, ait, *fuiſſe primum ejuſdem erroris authorem*. III. Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ primum authorem facit Cyprianum ipſum. IV. Auguſtinus pluribus in locis docet, Cyprianum peccaſſe; ſed non peccaſſet, ſi controverſia fuiſſet de diſciplina, & non de fide: ergo controverſia non fuit de diſciplina, ſed de fide. V. Cyprianus errorem ſuum definivit pariter in Concilio, & Stephano Romano Pontifici reſtitit, & obedire pertinaciter noluit: ergo peccavit. VI. Quanvis Cyprianus non erraverit, quia lis terminata non erat in Concilio plenario, attamen peccarunt alii, qui poſt idem Concilium plenarium eundem errorem amplexi ſunt; ut fuit Athanaſius, & cum eo Baſilius, & Cyrillus Hieroſolymitanus. VII. Auguſtinus Epiſt. 48. docet, Cyprianum aliquando depoſuiſſe ſuam opinionem de Hæreticis rebaptizandis, & hæc ſunt ejus verba: *Correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto veluti patrocinio carere noluerunt.* VIII. Dionyſius Alexandrinus anno 259. in epiſtola ad Stephanum Papam, quam refert Euſebius lib. 7. cap. 3., aſſerit, quod Orientales omnes, inter quos principem locum obtinebat Firmilia-

nus, errorem ſuum de rebaptizatione Hæreticorum depoſuerant; & hæc ſunt ejus verba: *Jam ſcito omnes Orientales Eccleſias, quæ antea fuerant propter errorum perverſitatem nonnulla diſſentione diſtractæ, ad concordiam denuo eſſe reductas. Omnes etiam Eccleſiarum Præſides, quæ ubique locorum ſunt, ſummo animorum conſenſu conſpirare, & ob pacem hanc præter omnium expectationem conſtitutam incredibili lætitia affici*. IX. Hieronymus ſcribens adverſus Luciferanios ſcrit, quod *illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos Hæreticos cum Cypriano ſtatuerunt, ad antiquam conſuetudinem revoluti novum emiſerunt decretum*: ergo &c. X. Athanaſius ſcribens ad Euſtachianos vult, ut Meletiani, qui ante Meletii promotionem ad Epiſcopatum Antiochenum baptizati fuerunt ab Arianis, rebaptizari non debeant: ergo Athanaſius depoſuit errorem ſuum.

Reſpondemus ad I., quod Cyprianus loquebatur de illo primo, qui errorem hunc ſtatuerat, & quidem in Pſeudo-Concilio quod coegerat, & hic fuit ſane Agrippinus; nos autem loquimur de Tertulliano, qui primus omnium, pro huc errore privato nomine ſcripſerat; hæc ſunt verba Cypriani in Epiſt. ad Jubajanum num. 73. *Apud nos non nova, aut repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam veniunt, quando multi jam anni ſunt & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint*.

Ad II. Auguſtinus loquebatur de illis, qui pro rebaptizandis Hæreticis ſtabant, & cum Stephano Papa controverſiam habuerunt, qui quidem fuerunt Cyprianus, & Firmilianus, non vero Tertullianus, qui nullam de hoc controverſiam, vel cum Pontifice Romano, vel cum alio quoquam excitavit. Hæc ſunt Auguſtini verba lib. 6. de unico Baptiſmo cont. Petilianum cap. 14., quæ nuper pariter recitavimus: *Erant duarum eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romanæ ſcilicet, & Carthaginenſis, Epiſcopi duo, Stephanus, & Cyprianus, ambo in unitate catholica conſtituti: quorum Stephanus Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat; Cyprianus autem in hæreſi, vel ſchiſmate baptizatos, tanquam non habentes Baptiſmum Chriſti, baptizandos eſſe in Eccleſia catholica exiſtimabat*.

Ad III. Euſebius lib. 7. cap. 3. loquitur de tempore, quo ſedente Stephano Papa controverſia, de qua loquimur, celebris facta eſt, quia fuit a Cypriano excitata; & verum dicit, quia ſub Pontificatu prædicti Stephani Tertullianus, & Agrippinus non vivebant, antea enim deceſſerant. Et hæc eſt reſponſio Tourneiy, qui hæc ſcribit; „ cum igitur „ Euſebius lib. 7. Hiſt. cap. 3. ait, Cyprianum „ omnium primum, *non niſi per Baptiſmum* „ *ab errore prius emundatos, admittendos eſſe cenſuiſſe*; loquitur de „ tempore, quo ſedente Stephano S. „ Pontifice controverſia hæc celeberrima, „ auctore Cypriano, excitata fuit.

Ad IV. Auguſtinus non dicit, Cyprianum peccaſſe, quia errorem illum docuerat, ſed quia Stephano reſtitit, & eundem pertinaciter obtrectavit, & durius, quam par erat, eidem literas dedit. Et hoc patet ex lib. 5. de Bapt. cont. Donatiſtas cap. 25., ubi loquens de epiſtola Cypriani ad Pompejum hæc habet; *jam illa, quæ in Stephanum irritatus Cyprianus effudit, retractare nolo, quia & non opus eſt. Ea præterire melius eſt, quæ periculum pernicioſæ diſſentionis habuerunt*.

Ad V. Cyprianus non peccavit, quando in pluribus Conciliis cum ſuis Coepiſcopis opinionem ſuam definivit, quia putabat eſſe rem pertinentem ad diſciplinam, & de qua poterat provinciale Concilium judicium ferre. Quod autem peccaverit ob reſiſtentiam & irreverentiam Stephano Papæ illatam, jam diximus nuper; at hoc non eſt errare in fide, ſed eſt peccare in moribus.

Ad VI, dicitur, quod illi Patres Concilii plenarii definitionem, ſive hoc fuerit Arelatenſe, ſive Nicænum primum, tanquam oeconomice factam intellexerunt, ideoque non putarunt errorem, definitioni illi non adhærere, ut videre eſt apud Jueninum lato calamo de hoc ſcribentem. Cæterum Patres illos ob alias rationes plerique excuſant, ut nos etiam modo diximus.

Ad VII. Hæc reponit Jueninus primo: „ „ Auguſtinum de ea Cypriani correctione „ nihil ſtatuiſſe: eam S. Doctor ex S. Martyris „ pietate collegit, ſed non omnino „ neceſſaria videtur hujuſmodi illatio: „ Cyprianus quippe praxim de rebaptizandis „ Hæreticis, multis titulis commentitiam „ habuit, conſuetudinem,

quæ

„ quæ in ſua Eccleſia ab Agrippini tem-
„ poribus obtinebat, Epiſcoporum tum
„ Africanorum, tum Orientalium Con-
„ ciliis, quibus probata fuerat, quæque
„ a plenaria aliqua Synodo rejecta non
„ fuerant; apparēti cum Scripturis con-
„ formitate, quam ſanctiſſimus Martyr
„ ſæpiſſime laudavit. Secundo, Catholi-
„ ci, qui apud Afros Stephano Papæ
„ adhæſerunt, (neque enim omnes Epi-
„ ſcopi Africani conſenſerant Rebapti-
„ zantibus) factam a Cypriano prioris
„ ſententiæ correctionem ſuis Eccleſiis,
„ ac poſteritati tradidiſſent; quam ta-
„ men eos aliquando tradidiſſe nullo
„ poſſe veterum monumento probari.

Ad VIII. Dionyſius loquutus eſt de extincto Novatianorum Schiſmate, ſcilicet, quod Epiſcopi, qui occaſione Novatiani erroris inter ſe diſſidebant, inter ſe ipſos poſtmodum, exploſa novitate, conciliati fuerint. Sic reſpondet Baronius, ejuſque reſponſionem Jueninus pluribus rationum momenti, probat.

Ad IX. Idem Jveninus per hæc verba reſpondit: „ factum, quod in medium
„ profert Hieronymus, qui extra Afri-
„ cam verſabatur, Auguſtinum in Afri-
„ ca Epiſcopum in dubium revocaſſe,
„ nec enim illud unquam aſſerere auſus
„ eſt, *fortaſſe*. (inquit lib. 2. de Bapt. cont.
„ Donatiſtas,) *factum eſt, ſed neſcimus*.
„ Omnibus pergratum feciſſet Hierony-
„ mus, ſi commentaria, ubi id legerat,
„ quæque in Auguſtini manus nunquam
„ venerant, poſteritati commendaſſet.

Ad X. Periti dicunt, Athanaſium loquutum fuiſſe per œconomiam, ut pacem ſcilicet cum Antiochenis non frangeret. Alii vero reſpondent, quod conſuetudo illa rebaptizandi Hæreticos in Eccleſia Antiochena non erat, adeoque non erat neceſſe, ut de ea ſcriberet Athanaſius ad Epiſcopum Antiochenum.

Pro tertia Diſſertationis parte, in qua quæritur, quiſnam fuerit Donatiſtarum origo, & Author, ipſorumque errores?; primo, quæ ſunt certa præmittimus, & deinde, quæ ſunt controverſa reſolvemus. Menſurius erat Carthagine Epiſcopus, quando evocatus Romam a Maxentio, omnia Eccleſiæ ſuæ vaſa ſenioribus Sacerdotibus, præcipue aurea & argentea, tradidit cuſtodienda, ut ea deinde ſucceſſori ſuo conſignarent. Mortuus eſt in itinere Manſurius, & electus eſt Epiſcopus Carthaginenſis Cæcilianus. Carthagine morabatur Lucilla, mulier hiſpana dives & potens, quæ Cæciliano odium fovebat ob reprehenſionem ſibi factā, quod ante Euchariſtiæ ſumptionem, oſcularetur oſſa cujuſdam, cujus Sanctitatem Eccleſia non adhuc probaverat. Proinde Cæciliani electioni, quanvis totius Populi votis factæ, non acquievit, ejuſque ſententiæ ſe conjunxerunt Botrus, & Cæleſius, qui eandem Sedem implere cupiebant, quando illa Cæcilianus implevit.

Menſurius in ſuo diſceſſu reliquerat ſeniori cuidam fideli Aniculæ indicem vaſorum aureorum & argenteorum, quæ Sacerdotibus ſenioribus tradiderat, ad hoc ut eundem indicem Succeſſori ejus in Epiſcopatu conſignaret. Mortuo proinde Menſurio, & in ejus locum Cæciliano electo, hic petiit, & accepit indicem, quem Menſurius reliquerat, vigore cujus repetens a ſenioribus Sacerdotibus vaſa prædicta, illos admodum irritavit. Unde ſe conjunxerunt cum Lucilla, cum Botro, & cum Cæleſio, & a Cæciliani communione ſe ſepararunt. His tribus adjuncti ſunt plures Epiſcopi traditores, qui ſcilicet ſacros Libros Infidelibus tradiderant, ut mortem effugerent, quod in Concilio Numidiæ faſſi fuerant, qui pariter ſe a Cæciliani communione ſeparantes convenerunt Carthagine, & illius Civitatis Pſeudo-Epiſcopum creaverunt Majorinum Lectorem, qui erat Lucillæ domeſticus, & pro cujus electione Lucilla ipſa magnam pecuniæ quantitatem erogaverat. Hæc omnia refert Auguſtinus lib. 1. contra Parmenianum cap. 3. verbis hiſce: *Legant qui volunt, quæ narret, & quibus documentis quam multa perſuadeat venerabilis memoriæ Milevitanus, Epiſcopus catholicæ communionis, Optatus, ſive de Lucilla pecunioſiſſima tunc & factioſiſſima fœmina, quam pro Eccleſiæ diſciplina Sanctus Cæcilianus, adhuc Diaconus, læſerat: vel de cæteris factioſis ejus conſortibus, ſive furibus eccleſiaſtici argenti, ſive ad Epiſcopatum ſe non perveniſſe dolentibus, & ſibi prælatum Cæcilianum inſidiis, quibus poterant, inſectantibus; ſive de Numidis Epiſcopis, quos iſta factio conſecraverat ad perniciem Cæciliani, ut, illo depoſito, alter ex eis ordinaretur: qui venientes cum Primate ſuo tunc*

Secun-

Secundo Tigiſitano, & aliis, quibus traditionis confeſſa crimina Secundus ipſe donaverat, veluti pacem conſulens, (ſicut Eccleſiaſtica geſta teſtantur,) abſentem Cæcilianum ſine ulla dilatione diligentioris inquiſitionis, nullo reſponſionis loco ſervato, traditorem eſſe cenſuerunt, ut ei videlicet obeſſent abſenti traditionis crimina tantummodo objecta, cum ſibi metipſis præſentes confeſſa donaverint. Illi iidem Epiſcopi, qui Majorinum elegerant, Cæcilianum abſentem & non auditum, damnarunt. Schiſmatis ergo Conflatores præcipui fuerunt Butrus, & Cæleſius poſt Lucillam præfatam; fautor vero ejuſdem primarius factus eſt Secundus, Epiſcopus Tigiſitanus, & Numidiæ Primas. A nemine tamen ex his nomen ſumpſerunt Donatiſtæ, ſed a Donato, non Maſculitano, aut Calamenſi, qui adverſus Cæcilianum cum aliis Epiſcopis traditoribus convenerant, ſed ab alio Donato, qui ſucceſſerat Majorino, ut Pſeudo-Epiſcopus Carthaginenſis. Quod aſſerit Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap.69. de Donatiſtis hæc ſcribens: *hujus hæreſis principem accepimus fuiſſe Donatum; qui de Numidia veniens, & contra Cæcilianum chriſtianam dividens plebem, adjunctis ſibi ejuſdem factionis Epiſcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Epiſcopum, cui Majorino Donatus Epiſcopus alius in eadem diviſione ſucceſſit, qui eloquentia ſua ſic confirmavit hanc hæreſim, ut multi exiſtiment propter ipſum potius eos Donatiſtas vocari.*

Interea reddita Eccleſiæ pace ob Catholicam Religionem, quam Conſtantinus Magnus amplexus fuerat, Donatiſtarum quæſtio ad aures ejus pervenit; & ipſe, etſi rogatus, noluit in illam meſſem manus immittere, quam ultro ſuam non eſſe fatebatur. Quapropter hoc exemplare & notandum reſponſum dedit illis, qui pro hoc eodem ipſum rogabant, & quod refert Optatus Milevitanus lib.1.cont. Parmenianum: *Petitis a me in ſeculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem.* Fuerunt proinde varia Concilia coacta pro hac cauſſa determinanda, & quorum unum S. Auguſtinus appellat plenarium, & quæſtio eſt inter Eruditos, quodnam ipſum fuerit. Verum hoc in ſubſequenti Diſſertatione videbitur; & interim de Stephano Papa, ut in Diſſertationis titulo notatur, aliqua dicamus.

Pro ultima igitur Diſſertationis parte, in qua quæritur de Sancto Stephano Papa, & an contra hos errores recte ſe geſſerit? hæc examinanda occurrunt; primum, an Stephanus quæſtionem de Baptiſmo ab Hæreticis collato cenſuerit pertinere ad Fidem, & eam an ſaltem implicite definiverit? Secundum, an Cyprianum, Firmillanum, alioſque Rebaptizantes, excommunicaverit, an vero tantum excommunicationem iiſdem comminatus fuerit? Tertium, an idem Stephanus inciderit in errorem contrarium errori Cypriani, approbando ſcilicet Baptiſmum indiſtincte ab omnibus Hæreticis collatum?

Dicimus III., Stephanum Papam cenſuiſſe, controverſiam de Baptiſmo ab Hæreticis dato pertinere ad fidem, eamque ſaltem implicite definiviſſe; non autem Cyprianum, Firmilianum, alioſque Rebaptizantes excommunicationis gladio feriiſſe, ſed intra ſolas minas hæſiſſe, non per hoc tamen in contrarium errorem incidiſſe, ſed approbaſſe tantum Baptiſmum Hæreticorum, qui verbis evangelicis conferebatur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Prima Concluſionis pars probatur I. Stephanus judicavit controverſiam, de qua agebatur, dirimendam eſſe ex traditione; ſed non ex traditione, quæ reſpiciebat diſciplinam: ergo ex traditione, quæ reſpiciebat Fidem. Major patet ex Decreto Stephani ad Cyprianum directo, & quod ipſemet Cyprianus refert in ſua epiſtola ad Pompejum nu.64. *Si quis a quacunque hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pænitentiam.* Minor probatur; & quidem primo, quia Stephanus comminabatur Epiſcopis Rebaptizantibus excommunicationem; hoc certe nec debuiſſet facere, nec feciſſet, ſi quæſtio illa ad ſolam diſciplinam pertinuiſſet. Secundo, quia Epiſcopi illi Stephano reſpondebant, rem eſſe de diſciplina, & non de Fide, & nihilominus Stephanus iiſdem non acquievit: ergo ſignum eſt, quod intelligebat, rem eſſe de fide, & non de ſola diſciplina. Tertio, quod pro hac re definienda poſterioribus temporibus plenarium Concilium coactum fuit, & quod ſæpe commemorat Auguſtinus,

& in

&c. in quo Stephani decretum receptum & conclamatum ab omnibus fuit; ſi res autem fuiſſet ad ſolam diſciplinam pertinens, Concilium eam declaraſſet, & Stephani Decretum nec recepiſſet, nec conclamaſſet.

II. Probatur teſtimonio Vicentii Lirinenſis in Commonitorio primo cap. 9. ubi hæc ſcribit. *Quondam venerabilis memoriæ Agrippinus, Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium Conſacerdotum, contra morem, ac inſtituta majorum, rebaptizandum cenſebat... Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua verſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum cæteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit; dignum, ut opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat. Denique in epiſtola, quæ tunc ad Africam miſſa eſt, his verbis ſanxit, nihil novandum, niſi quod traditum eſt; intelligebat enim vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi ut omnia, quæ fide a Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur,.... Quis ergo tunc univerſi negotii exitus? Quis utique, niſi uſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa novitas*. Quibus verbis declarat Vincentius Stephani judicium per vocem illam *ſanxit*, & innuit præterea per verba illa, quæ ſubdit; ſed univerſa, (illa ſcilicet, quæ opponebant Cyprianus, Firmilianus, & alii Epiſcopi rebaptizantes), tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.

III. Probatur. Concilium Tridentinum in ſeſſione 7. Can. 4. de Bapt. errorem Rebaptizantium damnavit verbis hiſce: *Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum; anathema ſit*. Ubi aperte declarat Concilium, rem non eſſe ad ſolam diſciplinam, ſed etiam ad Fidem ſpectantem, tum quia non poſuiſſet eam in Canone, ſed in capitibus de Reformatione; tum pariter, quia aliter non comminatum fuiſſet excommunicationem illis, qui contrarium exiſtimarent, ac dicerent.

Pro ſecunda Concluſionis parte, Baronius ad annum 258. cenſet, fuiſſe a Stephano latam excommunicationis ſententiam, ac executioni etiam demandatam contra Firmilianum, non vero contra Cyprianum, cui aſſerit ſolas minas objeciſſe. At Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 10. autumat, Stephanum nec cum Africanis, nec cum Aſiaticis, rupiſſe pacem; & ipſum ſequuntur Henricus Valeſius, Emmanuel a Schelſtrate, Natalis Alexander, Du-Hamel, Jueninus, aliique. Cæteri vero, ut ſunt, Rigaltius, Tilmontius &c. contrarium ſentiunt. Igitur

Secunda Concluſionis pars probatur I. auctoritate Auguſtini lib. 5. de Bapt. cap. 25. *Stephanus abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis Hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur; iſte autem quæſtionis ipſius difficultate permotus, & ſanctis charitatis viſceribus præditus, in unitate cum eis manendum, qui diverſa ſentirent. Ita quamvis commotius, ſed tamen fraterne indignarentur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut nullum inter eos Schiſmatis malum oriretur*. Et lib. de unico Bapt. cap. 14. *Cum ergo Stephanus non ſolum non rebaptizaret Hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos eſſe cenſeret, ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani literæ oſtendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit.... Nec ulla facta eſt a Cypriano, & eis, qui pariter de Baptiſmo ſentiebant, ab illorum Communione diviſio*. Et lib. 6. cap. 1. *Iſta quæſtio contra veterem conſuetudinem diſputationibus, ſalva charitate atque unitate, altercantibus diſcutiebatur*. Ex quibus verbis deducitur, quod Stephanus Papa vel ſententiam excommunicationis non tulit, vel exequutioni non demandavit: tum quia pax in cordibus diſſentientium perduravit, tum etiam quia nullum factum eſt Schiſma inter illos, tum denique, quia neque inter eoſdem ulla communionis diviſio apparuit, quod apertiſſime teſtatur Auguſtinus.

II. Probatur. Patres, aliique antiqui Scriptores, qui diſſidium, de quo loquimur, narrant, nullam excommunicationis præfatæ mentionem faciunt: ergo revera Stephanus Papa illius fulmen in diſſidentes Epiſcopos non vibra-

bravit. Antecedens probatur, adducendo teſtimonium Euſebii, Hieronymi, & Vincentii Lirinenſis, qui de diſſidio hoc loquuti ſunt, & de excommunicatione altum exhibent ſilentium. Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ cap. 3. ait. *Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginenſem regebat Eccleſiam, nonniſi per Baptiſmum ab errore prius emundatos, admittendos eſſe cenſuit. Verum Stephanus nihil adverſus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, graviſſime id tulit.* Hieronymus Dial. adverſus Luciferianos; *Conatus eſt B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcirco Hæreticorum Baptiſma reprobans, ad Stephanum, tunc Romanæ Urbis Epiſcopum, qui a B. Petro Vigeſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanum Synodum direxit, ſed conatus ejus fruſtra fuit.* Vincentius Lirinenſis in Commonitorio cap. 9. *Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua verſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum cæteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen præcæteris reſtitit; dignum (ut opinor) exiſtimans, ſi aliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat.*

III. Probatur ex ipſomet Cypriano, qui queritur quidem de Stephano, quod comminatus ei fuerit excommunicationis fulmen, ſed non dicit tamen quod jecerit. Hæc ſunt verba ejus in Epiſtola ad Pompejum ou. 74. *Dat honorem Deo, qui Hæreticorum amicus & inimicus Chriſtianorum Sacerdotes, Dei veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem tenentes abſtinendos putat?* Non dicit *abſtinet*, vel *abſtinuit*, ſed *abſtinendos putat*; quod comminationem innuit, non fulminationem; quæ ſi facta fuiſſet, acriores de eo querelas abſque dubio feciſſet. Teſtimonio Cypriani accedit alterum, quod exhibet Dionyſius Alexandrinus ad Sixtum ſcribens, qui fuerat Stephani Succeſſor, & legitur apud Euſebium lib. 7. Hiſt. cap. 5. *Antea quidem litteras ſcripſeram de Heleno, & de Firmiliano, de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctaſque finitimas Provincias conſtitutis, ſe ſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum, quod Hæreticos rebaptizarent.* Addit Dionyſius: *Vide, quæſo, gravitatem negotii. Revera enim, ut audio, in maximis Epiſcoporum Conciliis decretum eſt, ut qui ab Hæreticis ad Catholicam Eccleſiam accedunt, primum Catechumeni fierent &c: De his omnibus ego ad illum Epiſtolam miſi, rogans atque obteſtans.* Ad quæ verba ſubdit Tournely, quod ipſemet Dionyſius rogabat, atque obteſtabatur „ ne ſcilicet Stephanus tot ac
„ tam florentes Eccleſias a ſua commu-
„ nione ſepararet: quod quidem ſuis pre-
„ cibus effeciſſe Dionyſium, eo veriſimi-
„ lius eſt, quod de toto illo Stephanum
„ inter ac Cyprianum, alioſque Reba-
„ ptizantes diſſidio, altum ſubinde ſit
„ apud Veteres ſilentium. Quis vero in
„ animum facile induxerit, adeo gra-
„ vem ac ſplendidam controverſiam
„ tam ſubito ſopitam & compoſitam
„ fuiſſe, niſi Stephanus mitiori conſilio,
„ ac precibus Dionyſii victus, aut a feren-
„ da ſententia excommunicationis, aut
„ ab ea executioni demandanda, ſapien-
„ ter abſtinuiſſet?

IV. Probatur Rationibus & conjecturis I. Sixtus, Romanus Pontifex, qui fuit Stephani in Pontificatu Succeſſor, ſemper cum Cypriano communicavit, quod teſtatur apertiſſime Pontius, qui fuit diligentiſſimus Cypriani vitæ ſcriptor; non autem communicaſſet, ſi Cyprianus fuiſſet a Prædeceſſore ſuo excommunicatus. II. Cæteri per Orbem Catholicum Epiſcopi cum Cypriano, & Firmiliano omni tempore communicarunt; neque pariter hoc iidem Epiſcopi præſtitiſſent, ſi Cyprianus, & Firmilianus fuiſſent a Stephano excommunicati, quia obſtabat Canon, & Conſuetudo Eccleſiæ, qua cautum erat, ne qui ab uno Epiſcopo fuiſſet excommunicatus, ab alio admitteretur. III. Cyprianus, & Firmilianus, ut ſupra probatum eſt, errorem ſuum nunquam ante mortem depoſuerunt: ergo in excommunicatione poſiti extremū diem obiiſſent. IV. Stephanus vel cum prævia monitione Epiſcopos illos excommunicaſſet, vel ſine illa: non primum, quia nullū hujus monitionis veſtigium apud Scriptores legitur; neque ſecundum, quia aliter Stephanus nimis imprudenter hoc egiſſet, & contra Eccleſiæ legem, & conſuetudinem. V. Donatiſtæ objiciebant Catholicis Cypriani, & Firmiliani exemplum; at Catholici nunquam iiſdem objecerunt Cy-

priani

priani, & aliorum excommunicationem, quod debuiſſent facere, ut melius Donatiſtarum objectio rejiceretur. VI. Catholici opponebant Donatiſtis unitatẽ Eccleſiæ ab ipſis ruptam, quam tamen nunquam ruperat Cyprianus. Hoc vero non potuiſſent jure & veridice dicere, ſi Cyprianus in Eccleſiæ communione non fuiſſet mortuus.

Tertia Concluſionis pars probatur I. Stephanus Papa approbavit Baptiſmum collatum ab Hæreticis, ut illum probabat Traditio; ſed Traditio nunquam probavit Baptiſmum Hæreticorum, qui verbis evangelicis *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* non conferebatur: ergo neque hunc approbavit Stephanus: ergo in errorem oppoſitum Cypriani errori non incidit. Major patet ex Stephani Decreto, quod Cyprianus refert epiſt. 74. ad Pompejum: *Si quis ergo a quacunque Hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Minor negari non poteſt, ut cuilibet Eccleſiæ hiſtoriam vel e limine ſalutanti notum eſt. Conſequentiæ ſequuntur.

II. Probatur. Tota Eccleſia fuiſſet in errore poſita, ſi Stephanus ex una parte, & Cyprianus aliique ex altera in errores oppoſitos incidiſſent; ſed hoc dici nequit: ergo neque dici poteſt, quod Stephanus inciderit in errorem, qui fuerit Cypriani errori oppoſitus. Probatur major, quia omnes Epiſcopi, immo omnes Fideles, qui tunc temporis erant in Eccleſia, vel Stephanum ſequebantur, vel Cypriano adhærebant: ergo ſi hi ambo in errores oppoſitos inciderant, omnes Epiſcopi, & omnes Fideles, qui Eccleſiam componebant, fuiſſent in errore poſiti. Quod autem hoc dici nequeat, patet, quia aliter in Eccleſia deperdita fuiſſet vera Fides, nec amplius in ea inventa fuiſſet circa Baptiſmum vera Traditio.

Objiciunt I Auguſtinus lib. 2. de Bapt. cap. 4. docet, nullam factam fuiſſe definitionem circa controverſiã Rebaptizantium: ergo Stephanus non definivit illam. Probatur antecedens adducendo verba ipſius Auguſtini: *Satis oſtendit facillime ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis ei demonſtraret, Baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab iis, qui foras exierunt, quemadmodum admitti non potuit, cum foras exirent. Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati, cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur. . . . Quomodo enim potuit iſta res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentã illuſtrationem, confirmationemque perduci, niſi primo diutius per Orbis Terrarũ regiones multis hinc atque hinc diſputationibus & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret?* II. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. Hiſt. cap. 5. ſcribit ad Sixtum, Stephani Succeſſorem, quod lis circa rebaptizationem Hæreticorum non erat adhuc deciſa: ergo eam Stephanus non definivit. III. Firmilianus in Epiſtola ad Cyprianum aſſerit, quod Stephanus rupit pacem Eccleſiæ: ergo revera Stephanus Epiſcopos rebaptizantes excommunicavit. Probatur antecedens. In Epiſtola Firmiliani, quæ invenitur inter illas Cypriani nu. 75. hæc leguntur: *Secundum quod in cæteris plurimis Provinciis, multa pro locorum & nominum diverſitate variantur: nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando diſceſſum eſt: quod nunc Stephanus auſus eſt facere, rumpens adverſus vos pacem, quam ſemper Anteceſſores ejus vobiſcum amore & honore mutuo cuſtodierunt.* Poſt quæ quaſi alloquens Stephanum hæc addit: *Lites, & diſſenſiones quantas paraſti per Eccleſias totius mundi? Peccatum vero quam magnum tibi exaggeraſti, quando te a tot gregibus ſcidiſti? Excidiſti enim te ipſum: noli te fallere; ſiquidem ille vere eſt Schiſmaticus, qui ſe a communione Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam fecerit; dum enim putas omnes a te abſtinere poſſe, te ſolum ab omnibus abſtinuiſti.* Et paulo poſt: *Hæc Apoſtoli mandata & monita ſalutaria quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem ſenſus, & lenitatem primo in loco ſervans? Quid enim humilius aut lenius, quam cum tot Epiſcopis per totum mundum diſſenſiſſe, pacem cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus (quod nec vos latere confidimus,) modo vobiſcum, qui in Meridie eſtis? a quibus Legatos Epiſcopos patienter ſatis, & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret, adhuc inſuper dilectionis, & charitatis memor, præciperet fraternitati univerſæ, ne quis eos in domum*

ſuam reciperet, ut venientibus non ſolum pax, & communio, ſed & tectum, & hoſpitium negaretur. Hoc eſt ſervaſſe unitatem Spiritus in communione pacis, abſcindere ſe a charitatis unitate &c. IV. Cyprianus in Epiſtola ad Pompejum refert, ac reicit Stephani decretum, ſcribens: *Præcepit nihil aliud innovari, niſi quod Traditum eſt. Quis ſis innovet, qui unitatem tenens, Baptiſma uni Eccleſiæ vindicat, & non ille utique, qui unitatis oblitus mendacia & contagia profanæ tinctionis uſurpat ..... Dat honorem Deo, qui unitatem & veritatem de divina lege venientem non tenens, Hæreſes contra Eccleſiam vindicat? Dat honorem Deo, qui Hæreticorum amicus, & inimicus Chriſtianorum, Sacerdotes Dei veritatem Chriſti & Eccleſiæ unitatem tuentes, abſtinendos putat? Si ſic honor Dei datur, ſi ſic a cultoribus, & Sacerdotibus ejus timor Dei & diſciplina ſervatur, abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus Diabolo ordinationem Evangelii.* V. Stephanus Legatos ad ſe miſſos a Concilio Carthaginenſi, in quo Rebaptizatio definita fuerat, nec audire voluit, nec paſſus eſt, ut Romæ apud Fideles hoſpitarentur: ergo habuit illos, ut excommunicatos. VI. Etiam excommunicationis minas inferendo, Stephanus exceſſit vel æquitatis ſuæ, vel poteſtatis limites: ergo ſemper vel imprudenter, vel injuſte egit. VII. Sicut Cyprianus erravit Hæreticorum omnium Baptiſmum repudiando, ita etiam erravit Stephanus Hæreticorum omnium Baptiſma approbando, etiam illorum, qui in Baptiſmi forma proferenda eſſentialiter errabant. VIII. In rebus de mera diſciplina, & non ad Fidem ſpectantibus, nunquam fuit mos Eccleſiæ excommunicationis fulmen vel minari, vel vibrare; atqui Epiſcopi rebaptizantes putabant, controverſiam illam eſſe de diſciplina, & non de Fide: ergo contra regulas Eccleſiæ egit Stephanus excommunicationis minas iiſdem inferendo. IX. Traditione Eccleſiarum Africanarum, & Aſianarum habebatur, nullum eſſe Baptiſma, quod ab Hæreticis conferebatur: ergo vel Stephani decretum, qnod traditioni innitebatur, favebat Cypriano, & aliis, vel nullius ponderis habendum erat. X. Stephanus approbavit Baptiſma *venientium a quacumque Hæreſi*: ergo etiam approbavit Baptiſma illorum, qui in Baptiſmi forma errabant XI. Omnes Hæretici, vel qui erant tempore Stephani, vel qui ante illa fuerant, errabant in forma Baptiſmi, quia errabant in ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis Perſonis, in quarum invocatione forma ipſa conſiſtit: ergo ſi Stephanus horum Hæreticorum Baptiſmum approbavit in Fide erravit. XII. Benedictus XII. in reſpoſione ad objecta Fraticellorum contra Conſtitutionem Joannis XII, quam Eymericus poſuit in ſuo directorio Inquiſitorum par. 2. quæſt. 17., affirmat, quod tum Cyprianus, tum Stephanus, in extremos & oppoſitos errores lapſi fuerint; & quod deinde Concilium Nicænum utriuſque opinionem correxerit.

Reſpondemus ad I, ommiſſis aliorum reſponſionibus, quod decretum Stephani, tanquam a Sede Apoſtolica latum, potuit ab Auguſtino nomine Concilii tranſmarini appellari, ob auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, quæ cujuſcumque Concilii definitioni prævalebat. Et in illo quidem decreto ſola ſolemnitas non fuit, quanvis fuerit tota authoritas, & hujus ſolemnitatis defectum, dicit Tournely „ fuiſſe cauſſam „ & rationem, cur & Auguſtinus di„ xerit, nullum tunc temporis celebra„ tum fuiſſe Concilium tranſmarinum, „ & Cyprianus tam dure ac pertinaci„ ter Stephano fuerit reluctatus.

Ad II; dicitur, verum non eſſe, quod in multis Epiſcoporum Conciliis aliter ſtatutum eſſet, quam Stephano viſum fuerat. Cæterum, quod Stephanus controverſiam ſuo judicio ſaltem implicite definierit, legitur in citata Dionyſii epiſtola ad Sixtum Papam apud Euſebium. *Ad hunc ſecundam de Baptiſmo ſcripſit epiſtolam, in qua Stephani ſimul, ac reliquorum Epiſcoporum ſententiam ac judiciam exponit.*

Ad III. Hæc reponit Tournely „ Ad Au„ ctoritatem vero Firmiliani, cum „ ille, ut ſolent Orientales, fervidioris „ eſſet indolis, rem totam paulo acer„ bius exaggeravit, & quæcunque in „ Stephanum dura, aſpera, injurioſa, & „ falſa congeſſit, omnem ipſi fidem de„ trahunt. Quis enim patienter audiat, „ Stephanum, Romanum Pontificem, Ju„ dæ proditori comparari, eum auda„ ciæ, inſolentiæ, ſtultitiæ, improbita„ tis, violatæ fidei, ac traditionis ac-

cuſari

„ coſari? Verum hæc omnia, ait ſapienter S. Auguſtinus lib.5.de Bapt.cap.25. retractanda non ſunt, ſed potius omittenda. Firmilianus igitur umbram pro veritate conſectatus, minas excommunicationis pro ipſamet excommunicatione interpetratus, dura illa in Stephanum protulit. Neque porro, ſi verum eſſet, quod ille narrat, a Stephano in colloquium admiſſos non fuiſſe Legatos Cypriani, denegatum ipſis tectum, & hoſpitium, certum adhuc & indubitatum foret latæ excommunicationis argumentum; quia ſcilicet ex œconomia id prudenter feciſſet Stephanus, ut nempe hac ſeveritate Africanos ab errore naſcente revocaret; neve Legatos illos benignius excipiendo, viſus fuiſſet illorum errotem approbare; aut etiam ipſis occaſionem dediſſet alios ſuo commercio, & colloquio in errorem inducendi. Non abſimili de cauſa S. Epiphanius Conſtantinopolim veniens noluit aut in ædibus Chryſoſtomi, quanquam humaniſſime invitatus, commorari, aut in Eccleſia ſimul cum ipſo orare, ne forte videretur erroribus Origenis, quibus Chryſoſtomum errore facti addictum putabat, favere, & ut ipſum a patrocinio Origeniſtis dando facilius hac agendi ratione revocaret: „

Ad IV. Cyprianus intelligendus eſt de unitate Baptiſmatis, quam ipſe putabat in ſolo baptiſmo a Catholicis dato ſervari, & qua proinde a Stephano ſublata, idem Cyprianus credebat, quanvis falſo, Eccleſiæ unitatem fuiſſe a Stephano violatam. Non eſt ergo, ut a Cypriani verbis eruamus, ut Stephanus per excommunicationem Rebaptizantium unitatem Eccleſiæ fregerit, ſed potius, quod Cyprianus in errore ſuo perſiſtens exiſtimaverit, non poſſe unitatem Eccleſiæ ſervari, niſi in unitate Baptiſmi, quam credebat in uno Baptiſmo, qui collatus fuiſſet a Catholicis, contineri.

Ad V. Etſi Legati illi excommunicati non eſſent, erant tamen contumaces & obſtinati in errore ſuo, immo inobedientes, ac refractarii Stephani, Summi Pontificis, monitis atque decretis. Proinde potuit, immo debuit, Stephanus illos ſic aſpere ac dure tractare, ut eos Romæ audire noluerit, ac prohibere inſuper, ne a Catholicis Romæ reciperentur.

Ad VI. Quemadmodum potuit Tridentina Synodus Rebaptizantes, eorumque errorem damnare, ita etiam potuit, immo debuit Stephanus iiſdem, qui ſuo tempore erant, excommunicationis minas immittere & poterat etiam excommunicationem ipſam vibrare, eadem enim cauſſa erat unde; conſonum, videbantur eodem remedio uti, nec Injuſtum, nec imprudens conſilium cuiquam apparere debuiſſet.

Ad VII., dicitur, falſum eſſe, quod Stephanus approbaverit omne baptiſma ab Hæreticis collatum, etiam ab illis, qui in Trinitatis forma errabant. Et ratio eſt, quia Stephanus illum ſolum Baptiſmum approbavit, quem eccleſiaſtica traditio approbabat; ſed eccleſiaſtica traditio non approbabat Baptiſmum illum, qui conferebatur ab Hæreticis in Baptiſmi forma errantibus: ergo neque ipſum approbavit Stephanus. Major ex Stephani decreto ſatis ſuperque innoteſcit.

Ad VIII: Diximus jam, quod quanvis Epiſcopi rebaptizantes putaſſent controverſiam eſſe de mera diſciplina, Stephanus tamen tenebat eſſe de fide; & proinde poterat pro ea definienda excommunicationis pænam intentare, & comminari. Cæterum Concilium Tridentinum ita pariter exiſtimavit, rem adeo eſſe ad fidem pertinentem, ut definitionem ipſius in Canone poſuerit, & contrarium ſentientes excommunicationis fulmine percuſſerit. Denique, ut ait Iueninus, primis Eccleſiæ ſeculis etiam circa res de mera diſciplina anathemata ferebātur, ut cum Quartodecimanis a Victore Pontifice factum eſt. Immo Tertullianus lib. de Monogomia antecedenter ſcripſerat; *Adverſarius Spiritus ex diverſitate prædicationis apparet. Primo regulam adulterans diſciplinæ. Quia cujus gradus prior eſt, ejus corruptela antecedit: ideſt fidei, quæ prior eſt diſciplina. Ante quis de Deo Hereticus ſit neceſſe eſt, quam de inſtituto.* Et Synodus Eliberitana in ſuo Canone ſtatuit: *pravam inſtitutionem emendari placuit, juxta authoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecoſtes poſt Paſcha celebremus, non Quadrageſimam, ſed Quinquageſimam. Quod qui non fecerit, novam hæreſim induxiſſe notetur.* Cæterum Victoris definitionem Concilium generale Nicænum I. recepit, & quanvis

PAR. VI.

ejus

ejus definitio expreſſe in ejus Canone non appareat, eruitur tamen ex Scriptoribus, qui Hæreticorum Catalogum ſcripſerunt, & inter ipſos poſuerunt etiam Quartodecimanos, uti ſunt Philaſtrius cap. 11., & 39., Auguſtinus cap. 29., Epiphanius Hæreſi 30.

Ad IX. Quanvis pro Cypriano, Firmiliano, aliiſque Epiſcopis rebaptizantibus ſtarent quinquaginta tantum Orientales, & nonaginta Africani Epiſcopi, pro Stephano tamen ſtabant cæteri omnes Orbis Antiſtites, ut Auguſtinus teſtatus eſt lib. 3. cont. Creſconium cap. 3. Proinde nemo aſſeret unquam, quod ſtandum ſit centum & quadraginta Epiſcoporum traditioni, potius quam aliorum Epiſcoporum, qui per totam Eccleſiam diffuſi erant. Re vera traditionibus aliarum Eccleſiarum prævalebat traditio Eccleſiæ Romanæ, & de hac loquebatur Stephanus, quando in ſuo decreto dixit; *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt* Romana enim Eccleſia traditionis depoſitum ſemper intemerate ſervavit, quod de aliis Eccleſiis dici non poteſt; quia in Romana Eccleſia nullæ unquam exortæ fuerunt Hæreſes, quæ potuerint illam labefactare, & quæ profecto in aliis Eccleſiis exortæ ſunt, & eas turpiter dehoneſtarunt.

Ad X. Stephani decretum quanvis conceptum indefinite, reſtringitur tamen ad Baptiſmum ſolum illorum Hæreticorum, quem traditio probabat, ut dictum eſt: Et ſi in Stephani decreto ſuſpecta videntur verba illa: *a quacunque hæreſi, & quomodocunque*; illorum ſuſpicionem tollit Auguſtinus per verba illa, quæ ſcripſit lib. 5. cont Donatiſtas cap. 5. *Homines occulta quadam inſpiratione Dei deteſtari, ſi quis iterum Baptiſmum accipiat, quem ubicunque jam acceperat*. Idem enim importare videtur verbum Auguſtini *ubicunque*, ac verbum Stephani *quomodocunque*: & ſicuti Auguſtinus noluit ſignificare, ratum eſſe Baptiſmum quocunque ritu vel forma collatum, ſed illum tantum, qui ab Hæreticis per verba evangelica conferebatur, validum eſſe & ratum; ita pariter Stephanus hoc idem intendit, & pronunciavit.

XI. Si verum fuiſſet, quod objectio ſupponit, nunquam profecto tam acriter diſputaſſent cum Stephano Epiſcopi rebaptizantes, quia quæſtio non fuiſſet de ſola Fide, quæ deficiebat Hæreticis baptizantibus, ſed de defectu etiam formæ ſacramentalis, contra quam nemo Catholicus, & multo magis Stephanus ipſe, auſus eſt diſputare. Non eſt autem credendum, quod Cyprianus Stephano opponebat, non tanquam ab eo dictum, ſed tanquam a Cypriano ipſo illatum ex Stephani verbis per illegitimam quidem & invalidam ſequelam. Et hoc multo magis quia, ut Auguſtinus aſſerit lib. 6. de Bapt. cap. 25., *Facilius inveniri Hæreticos, qui omnino non baptizent, quam qui verbis evangelicis non baptizent*. Oppoſuit etiam Stephano Cyprianus, quod approbaverit Baptiſmum collatum in nomine Chriſti, quod fuit omnino falſum ut oſtendit Tournely verbis hiſce.

„ Et certe S Cyprinus citata epiſtola
„ 74. dicit, idcirco Baptiſmum Marcio-
„ nis, Valentini &c, validum Stephano
„ fuiſſe, quia in nomine Chriſti, hoc
„ eſt virtute, auctoritate, & ritu a
„ Chriſto præſcripto collatus fuiſſet, &
„ Sanctus ipſe Irænęus loco citato, a ſo-
„ lis Colorbaſeanis, & Marcitis refert
„ vitiatam fuiſſe conſuetam baptizandi
„ formam, non vero a Menandro, Ba-
„ ſilide, Carpocrate, Cerintho, Ebio-
„ ne, Cerdone, quanquam iſti impie
„ admodum de Deo ſentirent. Nec be-
„ ne ſequitur eos Baptiſmatis formam
„ vitiaſſe, quod errarent contra fidem
„ Trinitatis: nonne Ariani etiam con-
„ tra idem Myſterium errabant? Eo-
„ rum tamen Baptiſmus rejectus non
„ fuit a Concilio Nicæno Quantum ve-
„ ro ad Praxeanos pertinet, Sanctus
„ Hieronymus D al. adverſus Lucifera-
„ nos teſtatur, ab ipſis baptizatos receptos
„ in Eccleſia fuiſſe ſine novo Baptiſmo.
„ Optatus quidem lib 5. contra Parme-
„ nianum ait, apud illos *aquam mendicem*
„ *eſſe*: at vel inutile & omni effectu Spi-
„ rituali vacuum, vel ſi nullum quoad
„ ſubſtantiam intelligit Sacramentum,
„ dicendum, inter eos Praxeanos ali-
„ quos formam baptizandi conſuetam
„ non retinuiſſe, de quibus Optatus,
„ aliquos vero retinuiſſe, de quibus S.
„ Hieronymus. S. Igitur Cyprianus, &
„ Firmilianus, quaſi per conſequentiam
„ ex generali propoſitione Stephani de-
„ duxerunt admiſſum ab ipſo Baptiſma
„ eorum omnium Hæreticorum, quos
„ nominant: quanquam Stephani propo-

ſitio

„ ſitio, ſeu decretum exceptionem pati-
„ tur, eorum ſcilicet Hæreticorum Ba-
„ ptiſma pro rato habendum, quod tra-
„ ditio admittit: atqui non aliud admit-
„ tit, quam quod in forma conſueta in-
„ vocationis ſanctiſſimæ Trinitatis con-
„ ſecratum eſt: ergo &c.

Ad XII. Idem Tournely dicit quod Benedictus XII. ſcriptum illud compoſuit & edidit, quando Cardinalis erat, non vero quando erat Pontifex; unde vult ipſum in errorem facti incidiſſe. At nos rectius dicere poſſumus, quod Cardinalis ille, qui poſtea fuit Benedictus XII. loquutus fuit verbis potius Cypriani, quam Stephani, cujus mentem non fuit aſſequutus, vel quia noluit, vel quia non potuit. Et vere de illo ſuo ſcripto nullam habuit rationem, quando ad Pontificatum aſſumptus eſt.

Remanet tandem pro Diſſertationis complemento, ut Donatiſtarum & errores & mores exponamus, ad hoc ut Lectores ex ipſis agnoſcant, quam maxime Cyprianus, Firmilianus, cæterique Epiſcopi tunc rebaptizantes, a Donatiſtarum credendi, & operandi ratione & quam longe diſtarent. Et errores, & mores Donatiſtarum ex P. Boucat exſcribimus; & hi ſunt. „ Errores Do-
„ natiſtarum. Primus error Chriſti Ec-
„ cleſiam nullibi, niſi in Africa, immo,
„ & inter ſe dūtaxta extare præſumebant
„ Auguſt. lib. de Hæreſ. cap. 69. Optatus
„ lib. 2. Gregorius in 4. Pſalmum, Secun-
„ dus. Baptiſma quodcunque non valere
„ ſuam extra Eccleſiam cenſebant quo-
„ circa etiam Catholicos rebaptizabant;
„ utrumque refert errorem optatus Mi-
„ levitanus lib. a. Auguſt. lib. de unitate
„ Eccleſiæ, cap. 16. Gregorius in 4. Pſal-
„ mum Pœnitentialem. Tertius. Ta-
„ metſi Donatus Filium Dei agnoſceret
„ Patri conſubſtantialem, ipſum tamen
„ Patre minorem, ſicut & Spiritum
„ Sanctum Filio prædicabat. S. Auguſti-
„ nus Hæreſi 59. Quartus. Sacramenta a
„ Catholicis effecta nullius virtutis eſſe
„ effutiebant Donatiſtæ; hinc ipſos Ca-
„ tholicos rebaptizabant. Ita S. Ambro-
„ ſius in caput primum I. ad Corinthias.
„ Quintus. Eccleſiam nonniſi ex bonis
„ conſtare, & nullos in eo malos reperiri
„ opinabantur. Baronius anno 306. Se-
„ xtus. Arguebant Catholicos, quod
„ divina Cantica ex Prophetis excer-
„ pta decantarent, & quod ſacro Chriſ-
„ mate uterentur. Ita Baronius, & alii.
„ Mores Donatiſtarum. Primo. Eccle-
„ ſiæ Sacramenta ſummo proſequeban-
„ tur odio, ut vel ipſam Sacram Eucha-
„ riſtiam canibus projicere, & ſanctum
„ Chriſma in terram effundere, non ſine
„ ſcandalo, & ſacrilegio auderent.
„ Optatus Milevitanus lib a. pag. 55. Se-
„ cundo. Sacra Altaria profanare, &
„ ſubvertere non dubitabant: quod ſi ab
„ iſto exceſſu quandoque temperarentur,
„ ea ſacrilego ritu, quaſi a Catholicis
„ violata radebant. Optatus lib. 6. pag.
„ 93., & 94. Tertio. Sacros frangere ca-
„ lices non erubeſcebant. Idem ibidem
„ pag 98. Quinto. Uſurpata Catholico-
„ rum templa, veluti immunda benedi-
„ ctione purganda eſſe, autumabant.
„ Idem ibidem. Sexto. Cogebant Virgines
„ quæ in Eccleſia Catholica quædam
„ emiſerant vota, impoſita prius pœni-
„ tentia, alteram profeſſionem emittere.
„ Idem ibidem pag. 96. Septimo. Ma-
„ gnam ergo Catholicos exercuere cru-
„ delitatem tempore Juliani Apoſtatæ.
„ Idem lib. 2. pag. 55. Octavo. Nec in vi-
„ vos tantum, ſed & in defunctos ſævie-
„ bant ita ut, & contumeliam corpori-
„ bus inferrent, & ipſa privarent ſepul-
„ tura. Idem lib. 6. pag. 99. Nono. Sibi
„ ipſis mortem quandoque inferebant,
„ ut veluti Martyres celebrarentur. Hoc
„ ipſum fuſe delineat S. Auguſtinus lib. 1.
„ cont. Gaudentium Donatiſtam cap. 28.
„ Denique, pro more Hæreticorum,
„ Monachos inſectabantur. S. Auguſti-
„ nus in Pſal. 132.

DISSERTATIO CCCXIV.

De Fide in Miniſtro Sacramentorum. An ſit neceſſaria Fides in Miniſtro, ut Sacramenta valide conficiat? Quodnam fuerit Concilium plenarium, in quo fuit Donatiſtarum Hæreſis proſcripta, atque damnata? Quiſnam fuerit Donatiſtarum progreſſus, & interitus?

DIcimus I. Fidem non requiri abſolute in Miniſtro ad validitatem Sacramentorum.

I. probatur ex Scripturis. Joannis I. *Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit; ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum; Hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto*; & hæc verba dicuntur de Chriſto, qui & baptizabat tunc temporis, & nunc quoque baptizat per Miniſtrorum manus. Et I. ad Corinthios 3. *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Matthæi 7. *nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus?* immo num. 22. legitur, quod Balaam, etſi fuiſſet Idololatra, tamen prophetabat. I. ad Corinthios I. reprehenduntur illi ab Apoſtolo, qui gloriabantur de Miniſtris, a quibus Evangelium audierant, aut Baptiſmum acceperant; & alia ibi dicit Apoſtolus ut manifeſte oſtendat, nihil ad Baptiſmi effectum conferre Miniſtros, ſed a Deo ſolo præſtari, & eumdem effectum recipi, ſive Baptiſmus ſuſcipiatur a bono, vel a malo Miniſtro, ab Hæretico, vel a Fideli, a Schiſmatico, vel a Catholico, quum hi præſtent actionem extrinſecã cum intentione debita, nimirum corporis ablutionem, & nihil internum operentur, quo Baptiſmi character imprimatur, vel juſtificationis gratia conferatur.

II. Probatur a Bellarmino ex veteris teſtamenti figuris I. ex aqua e Paradiſo voluptatis fluente, de qua Auguſtinus lib.2. contra Creſconium cap.13.; quod quemadmodum fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, & inde dividebantur in quatuor capita extra Paradiſum, & non per hoc aqua Paradiſi non dicebatur, ita, ait ipſe, *Aqua Baptiſmatis quamvis Eccleſiæ, tamen etiam foras profluit, eum apud illos invenitur, qui ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.* II. Ex aqua Diluvii, quæ juxta etiam Auguſtinum lib. 6. de Bapt. cap.36. intra Arcam conſtitutis ſalutaris fuit, extra Arcam vero mortifera, eadem tamen fuit, *cur ergo* inquit ipſe, *non ſuſcipiunt aliquid cæleſte vel Schiſmatici, vel Hæretici?* III. Ex filiis Jacobi, quorum aliqui ex legitimis uxoribus, alii autem ex Ancillis nati, ad eamdem tamen hæreditatem vocati ſunt, ut ait Auguſtinus QQ. ſuper geſtis cum Emerito.

III Probatur ex Traditione. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo cap.24. tradit hanc regulam pro agnoſcenda apoſtolica traditione: *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate apoſtolica traditum certiſſime creditur*; Atqui tempore Stephani Papæ nullũ adhuc Conciliũ fuerat convocatum pro neceſſitate, vel non neceſſitate Fidei in Sacramentorum Miniſtro, & nihilominus Stephanus proponebat traditionem ad probandum, fidem non eſſe neceſſariam in illo; ergo ſignum eſt quod Stephanus de apoſtolica traditione loquebatur. Quod ulterius probat Pſeudo-Concilium ab Agrippino celebratum, in quo decrevit Fidei neceſſitatem in Miniſtro: ergo ſignum eſt, quod ante tempora Agrippini nulla altera definitio de hoc inveniebatur. Et hoc confirmat Auguſtinus lib.2. de Bapt. cap 9. his verbis: *Ubi certe quid fieri ſoleret, etſi non fieri vellet, ſatis oſtendit, & eo ipſo, quo Concilium Agrippini*

pini commemorat, aperte indicat, fuiſſe aliam conſuetudinem Eccleſiæ. Et lib. 2. de Bapt. cap.7. *Nolite ergo Nobis auctoritatem objicere Cypriani ad Baptiſmi repetitionem, ſed tenete nobiſcum exemplum Cypriani ad unitatis conſervationem; nondum enim erat diligenter illa Baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia, in ipſis quoque Schiſmaticis, & Hæreticis corrigere quod pravum eſt; non iterare, quod datum eſt; ſanare; quod vulneratum eſt; non curare, quod ſanum eſt: quam conſuetudinem, credo, ex Apoſtolica traditione venientem; ſicut multa, quæ non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis poſteriorum: & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur. Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem per Agrippinum prædeceſſorem ſuum dicit S. Cyprianus quaſi cæpiſſe corrigi. Sed ſicut diligentius inquiſita veritas docuit, quæ poſt magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta eſt, verius creditur, per Agrippinum corrumpi cæpiſſe, non corrigi.* Inſuper Auguſtinus de Agrippino ait: *primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium Conſacerdotum, contra morem, atque inſtituta majorum, baptizatos ab Hæreticis rebaptizandos eſſe cenſuit.* Et lib.4. de Bapt. cap.6. ſcribit, Cyprianum egiſſe adverſus totius orbis morem; & l.2. cap.7. 8 & 9. appellavit Stephani praxim totius Eccleſiæ praxim ſaluberrimam, conſuetudinem univerſalem, conſuetudinem robuſtam; & hanc conſuetudinem ex apoſtolica traditione venire, docet.

IV. Probatur ex Romanis Pontificibus. Stephanus I. in ſuo Decreto approbat Baptiſmum datum ab Hæreticis juxta verba evangelica; refert Euſebius l.7. Hiſt. cap.2.; & quanvis Stephani epiſtola ad Cyprianum, ejuſque Collegas, in qua ejuſmodi Decretum continebatur, non extet integra, legitur tamen illius pars apud Cyprianum ipſum in epiſtola ad Pompejum, in qua hæc habentur: *Si quis a quacunque hæreſi venerit ad vos, nihil innovetur, ſed teneatur, quod traditum eſt:* & in Epiſtola, quæ ad Africanos miſſa eſt, pariter hæc continentur: *Nihil novandum, niſi quod traditum eſt.* Siricius in epiſtola ad Hymerium, Tarraconenſem Epiſcopum, cap.1. ſcribit: *prima paginæ tuæ fronte ſignaſti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam feſtinare, & quoſdam de Fratribus noſtris eoſdem denuo baptizare velle, quod non licet.* Innocentius I. Epiſt. 2. ad Victricium, Rothomagenſem Epiſcopum, c.8. loquens de Novatianis, & Montenſibus, inquit: *ſi reſipiſcentes, & ruinam ſuam cogitantes, redire voluerint, ſub longa pœnitentiæ ſatisfactione admittendi ſunt.* Quibus verbis pœnitentiam quidem exigit, non vero rebaptizationem. Idem Innocentius I. Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ cap. 4. Leo Magnus Epiſt. 79. ad Nicetam, Aquilejenſem Epiſcopum, ad Neonam, Ravennatem Epiſcopum. Anaſtaſius II. Epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem cap. 7. *Nam ſecundum Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem ſacratiſſimum Serenitatis tuæ pectus agnoſcat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acatius, vel quos Sacerdotes, ſive Levitas, ſecundum Canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acatii portio læſionis attingit, quo forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia, minus firma videatur. Nam & Baptiſmum, quod procul ſit ab Eccleſia, ſive ab adultero, ſive a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum; quia vox illa, quæ per columbam ſonuit, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur, ac dicitur: Hic eſt qui baptizat Spiritu Sancto, & igne. Nam ſi viſibilis ſolis radii, cum per loca fœtidiſſima tranſeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multa magis illius, qui iſtum viſibilem fecit, virtus nulla Miniſtri indignitate conſtringitur. Nam & Judas, cum fuerit ſacrilegus, atque fur, quicquid egit inter Apoſtolos pro dignitate commiſſa, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta ſenſerunt: declarante hoc Domino manifeſtiſſima voce: Scribæ, inquit, & Phariſæi ſuper Cathedram Moyſi ſedent: quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere; dicunt enim, & non faciunt. Quicquid ergo ad hominum profectum quilibet in Eccleſia Miniſter officio ſuo videtur operari, hoc totum contineri, implente divinitatis effectu, ita ille, per quem Chriſtus loquitur, Paulus affirmat: Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit; neque enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. A Deo autem non quæritur, quis, vel qualis prædicet;*

ſed

ſed quem prædicet, ut invidos etiam bene prædicare Chriſtum confirmes, quo malo Diabolus ipſe dejectus eſt, & hoc ipſo prædicare non deſinit. Gregorius Magnus lib. 9. epiſt. 61. ad Quirinum, & alios Hiberniæ Epiſcopos.

V. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum generale primum Can. 8. præcipit ſuſcipi Novatianos pœnitentes cum ſola manuum impoſitione. Concilium Arelatenſe primum cap. 8. de Arianis hæc præſcribit: *De Arianis, qui propria lege ſua utuntur, ut rebaptizentur placuit, Si ad Eccleſiam aliqui de hac hæreſi venerint, interrogent eos noſtræ fidei Sacerdotes Symbolum. Et ſi perviderint in Patre, Filio, & Spiritu Sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, ut accipiant Spiritum Sanctum. Quod ſi interrogati non reſponderint hanc Trinitatem, baptizentur*. Concilium Carthaginenſe primum circa medium quarti ſeculi celebratum cap. 1. hæc habet: *Ergo ſi vobis placet, conſideremus primum titulum rebaptizationis. Unde ſanctitatem veſtram poſtulo, ut mentis veſtræ placita producatis ad deſcendentem in aquam, & interrogatum in Trinitate, ſecundum Evangelii fidem, & Apoſtolorum doctrinam, & confeſſum bonam conſcientiam in Deum, de Reſurrectione Jeſu Chriſti, ſi liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aquam iterum intingi. Univerſi Epiſcopi dixerunt: Abſit, abſit. Illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes, & ſatis eſſe alienum a ſyncera fide, & Catholica diſciplina*. Concilium Laodicenum Can. 7. *Novatianos, vel etiam Quartodecimanos ... non recipi, prius quam condemnent omnem hæreſim, in qua detinebantur. Et nunc, qui apud eos Fideles dicantur, Symbolum fidei doceantur, atque ita unctos etiam ſancto Chriſmate divino Sacramento communicare convenit*. Et in ſecunda Editione Binii hæc leguntur: *De his, qui ab Hæreticis convertuntur, id eſt Novatianis ... uncti Sancto Chriſmate, ſic Myſteriis communicent*. His accedunt Concilium Capuanum, anno 289. celebratum, & refert Concilium tertium Carthaginenſe Can. 38. verbis hiſce: *placuit, quod etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum, quod non liceat fieri rebaptizationes, & recordationes, vel translationes Epiſcoporum*. Arelatenſe ſecundum Can. 16., & 17. Concilium Florentinum in decreto unionis, & Tridentinum Seſs. 6. Can. 4. de Bapt. *Si quis dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit*. Hinc eſt, quod merito ſacri Canones irregularitatis pœnam, & in Rebaptizantes, & in Rebaptizatos decreverunt; ut legitur cap. *qui bis*, Diſtinc. 4. *de Conſecrat.* cap. *eos*, cap. *licet*, extra *de Bapt. & ejus effectu*: & in Concilio Lateranenſi contra Græcos Schiſmaticos, qui baptizatos a Latinis aliquando rebaptizare auſi fuerant, excommunicationis, & depoſitionis ab officio, & a Beneficio, pœna ſtatuitur. Denique cap. *Ex literarum* extra *de Apoſtatis*, de Juniori Acolitho, qui Presbytero rebaptizāti miniſtraverat, Alexander III. reſpondit, illum ad Superiores Ordines non eſſe promovendum, ſi facinus ſit publicum, niſi vitam religioſam profiteri voluerit, cujus gratia cum ipſo diſpenſari valeat: ſi vero facinus ſit occultum, promoveri poſſe, & crimen ſuum dignis pœnitentiæ luctibus expiare. Tandem legibus quoque imperialibus Rebaptizantium crimen punitum fuit, & pœna capitis in ipſos lata eſt, ut legitur in Codice Juſtiniani ſub titulo; ne ſanctum Baptiſma iteretur.

VI. Probatur ex Patribus. Optatus Milevitanus lib. 5. cont. Parmenianum: *Cujus de Sacramento non leve certamen innatum eſt, & dubitatur, an poſt Trinitatem in eadem Trinitate iterum hoc liceat facere; vos dicitis, licet; nos dicimus, non licet*. Hieronymus Dial. adverſus Luciferianos: *eſt præterea aliud, quod inferemus, adverſum quod, ne mutire quidem audeat Hilarius Deucalion orbis; ſi enim Hæretici Baptiſma non habent, & ideo rebaptizandi ab Eccleſia ſunt, quia in Eccleſia non fuerunt, ipſe quoque Hilarius non eſt Chriſtianus; in ea quippe Eccleſia baptizatus eſt, quæ ſemper ab Hæreticis Baptiſmum recepit ..... Synodus quoque Nicæna, cujus paulo ante fecimus mentionem, omnes Hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samozateni diſcipulis*. Auguſtinus lib. 2. de Bapt. cap. 7. *Nolite ergo nobis auctoritatem objicere Cypriani ad Baptiſmi repetitionē, ſed tenete nobiſcum exemplum Cypriani ad unitatis conſervationem; nondum enim erat diligenter illa Baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia, in ipſis quoque Schiſmaticis, & Hæreticis*

corri-

corrigere, quod pravum eſt, non iterare, quod datum eſt, ſanare, quod vulneratum eſt, non curare, quod ſanum eſt: quam conſuetudinem, credo, ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa, quæ non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis poſteriorum: & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur. Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem per Agrippinum prædeceſſorem ſuum dicit Cyprianus cœpiſſe corrigi. Sed ſicut diligentius inquiſita veritas docuit, quæ poſt magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta eſt, verius creditur, per Agrippinum corrumpi cœpiſſe, non corrigi. Eadem habet lib. 4. de Bapt. cap.6., & multis aliis in locis. Iſidorus Hiſpalenſis de divinis officiis lib.2.c.24. *Hæretici, ſi tantum in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti atteſtatione docentur Baptiſma ſuſcepiſſe, non iterum baptizandi, ſed ſolo Chriſmate, & manus impoſitione purgandi ſunt: Baptiſmus enim non hominis eſt meritum, ſed Chriſti; ideoque nihil intereſt, Hæreticus, an Fidelis baptizet. Habet quidem Baptiſmum Chriſti hæreticus; ſed quia extra unitatem fidei eſt, nihil ei prodeſt. At ubi ingreſſus fuerit, ſtatim Baptiſma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit illi jam prodeſſe ad ſalutem.*

VII. Probatur Rationibus. I. Apoſtata, qui ab Eccleſia recedit, bene poteſt retinere Baptiſmnm, quem receperat antea in Chriſtiana Religione perſiſtens: ergo Hæreticus extra Eccleſiam poſitus poteſt valide miniſtrare Baptiſmum, quem antea receperat. Antecedens admittebatur a Donatiſtis; conſequentia bene inferebatur ab Auguſtino lib.7. Bapt.cap.1. verbis hiſce: *Dum autem Apoſtatis redeuntibus, & per pœnitentiam converſis non redditur, amitti non potuiſſe judicatur .... Quod ſi habere foris poteſt, cur etiam dari non poteſt?* II. Epiſcopi, & Presbyteri in hæreſim lapſi non per hoc amittunt characterē, & poteſtatem Sacramenta conficiendi: ergo Fides Miniſtri non eſt neceſſaria ad valide conficiendum Sacramenta. Ratio eſt pariter Auguſtini citato loco nu.2. *Sic & illi, qui per ſagrilegium Schiſmatis ab Eccleſiæ Communione diſcedunt, habent utique Baptiſmum, quem, priuſquam diſcederent, acceperunt; nam & ipſis, ſi redeant, non eis iterum datur; unde oſtenditur illud, quod acceperant in unitate poſiti, non potuiſſe amittere ab unitate ſeparatos.* Et paucis interjectis ita concludit. *Nulli enim Sacramento injuria facienda eſt: ſi diſcedit a malis, utrumque diſcedit: ſi permanet in malis, utrumque permanet; ſicut ergo acceptatur Baptiſmus, quem non potuit amittere, qui ab unitate diſceſſerat, ſic acceptandus eſt Baptiſmus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi, cum diſcederet, non amiſerat poteſtatem. Nam ſicut redeuntes, qui priuſquam recederent baptizati ſunt, non rebaptizantur; ita redeuntes, qui priuſquam recederent ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur, ſed adminiſtrant, quod adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ utilitas poſtulat.* III. Apud Hæreticos, & apud Catholicos æque remanent integræ Scripturæ, etiamſi ab Hæreticis aliter quam a Catholicis intelligantur; ergo pariter æque remanent integra Sacramenta, ſi ab Hæreticis per variationem formæ non vitientur. Argumentum eſt pariter Auguſtini l. 3.cont Donatiſtas cap.15. *Sacramenta ſi eadem ſunt, utique integra ſunt, etiam ſi prave intelligantur, & diſcordioſe tractentur: ſicut Scriptura ipſius Evangelii, ſi eadem ipſa eſt, utique integra eſt, etiamſi innumerabili falſarum opinionum varietate aſſeratur.* Supra autem ſcripſerat. *Quod ſi Marcion verbis evangelicis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Baptiſmum conſecraſſet, integrum fuiſſet Sacramentum, quamvis ejus fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas doceat, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata.* IV. Sacramentum eſt opus Dei, qui ipſius eſt cauſſa principalis, non autem eſt opus hominis, qui ipſius eſt cauſſa tantumodo inſtrumentalis: ergo non pendent ab homine, ſed a Deo: homo enim agit ut Miniſter in perſona Chriſti. Et hanc rationem adhibet Catechiſmus Tridentini Concilii par.2. n. 22. ubi hæc habentur. *Atque hi quidem Miniſtri, quoniam in ſacra illa functione non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerunt, ea re fit, ut ſive boni, ſive mali ſint, modo ea forma & materia utantur, quam ex Chriſti inſtituto ſemper Eccleſia Catholica ſervavit, idque facere propoſuerant, quod Eccleſia in adminiſtratione facit, vere Sacramenta conficiant, & conferant.... Quod ſi etiam Scripturæ teſtimonia quærimus, ipſum Apoſtolum his verbis loquentem audiamus: Ego, inquit*

quit, plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit: neque enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. *Ex quo loco ſatis intelligitur, quemadmodum arboribus nihil obeſt eorum improbitas, quorum manu ſatæ ſunt; ita nihil vitii aliena culpa contrahi illis poſſe, qui malorum hominum miniſterio Chriſto inſiti ſunt. Quare, ut ex D. Joannis Evangelio SS. Patres nos docuerunt, Judas etiam Iſcariotes plures baptizavit; ex quibus tamen neminem iterum baptizatum fuiſſe legimus: ita ut præclare D. Auguſtinus ſcriptum reliquerit: dedit Baptiſmum Judas, & non baptizatum eſt poſt Judam: dedit Joannes, & poſt Joannem baptizatum eſt; quia quod datum eſt a Juda, Baptiſma Chriſti erat; quod autem a Joanne datum eſt, Joannis erat: Non Judam Joanni, ſed Baptiſmum Chriſti etiam per Judæ manus datum, Baptiſmo Joannis, etiam per manus Joannis dato, recte præponimus.* V. Donatiſtæ non rebaptizabant ab impiis & perverſis Miniſtris baptizatos: ergo neque baptizare debebāt baptizatos ab Hæreticis. Conſequentia eſt Auguſtini lib.4. cont. Donatiſtas cap.4. *Sicut urgeri videor, cum mihi dicitur: ergo Hæreticus dimittit peccata? Sic & ego urgeo cum dico; ergo qui cœleſtia mandata non ſervat, avarus, raptor, fœnerator, invidus &c. peccata dimittit? Si per vim Sacramenti Dei, ſicut ille, ita & ille: ſi per meritum ſuum, nec ille, nec ille.* Et l.3. cap.10. *Non eſt aqua profana & adultera, ſuper quam nomen Dei invocatur: ... Quia nec ipſa Creatura, nec ipſum nomen adulterum eſt. Baptiſmus vero Chriſti verbis evangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamvis illi ſint impudici, & immundi, quia ipſa ejus ſanctitas pollui non poteſt, & Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit, ſive ad ſalutem bene utentium, ſive ad perniciem male utentium.* Hoc ipſum idem Auguſtinus probat quibuſdam ſimilitudinibus per hæc verba: *An vero Solis, vel etiam lucernæ lux, cum per cœnoſa diffunditur, nihil inde ſordium contrahit; & Baptiſmus Chriſti poteſt cujuſdam ſceleribus inquinari?* Et Tractatu 5. in Joannem: *per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas; in canali lapideo nihil generat, ſed tamen hortis plurimum fructum affert. Ita purum eſt, quod per malum Miniſtrum fluit Sacramentum; quod per illum tranſit liquidum venit ad ſertilem terram.* VI. Probatur ex abſurdis, quæ ſequerentur ex contrario Donatiſtarum errore. I. Sequeretur, quod Baptiſma eſſet varium & multiplex, non unum. II. Sequeretur, quod ſemper eſſemus incerti & anxii de Sacramenti validitate. III. Sequeretur, quod melius eſſet Sacramentum in uno, quam in altero, ſicuti melior eſt unus Miniſter, quam alter. Quæ omnia abſurda infert Auguſtinus, & quidem primum lib.3. cont. Creſconium cap.6. *Ad hominem baptizandum & ſanctificandum, ſi tanta eſt melius, quod accipitur, quanto melior eſt, per quem traditur; tanta eſt in accipientibus Baptiſmorum varietas, quanta in Miniſtris diverſitas meritorum.* Secundum lib.1. cont. literas Petiliani cap.3. *Quomodo de iſtis ſecuri erant, ſi conſcientia dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi? Ita ſecundum eorum ſententiam fit ſalus illa ſpiritalis incerta .... Et ſpem rebaptizandorum auferunt a Domino Deo, & in homine ponendam eſſe perſuadent.* Tertium lib. 2. contra literas Petiliani c.6. *Si ex innocentia baptizantis expectatur, ut ſit innocentia baptizati, tanto erit quiſque innocentior, quanto innocentiorem, a quo baptizetur, invenerit, & tanto minus ipſe erit innocens, quanto & ille, a quo baptizatur. Et ſi forte contra aliquem tenet odium, qui baptizat, hoc & illi, qui baptizatur, imputabitur.*

Arguunt I. Eccleſiaſt.34. habetur: *qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid prodeſt lavatio illius?* ſed Hæretici, & Schiſmatici mortui ſunt: ergo non poſſunt valide baptizare. II. In Canonibus Apoſtolorum hæc leguntur; & quidem in Can.45 *Epiſcopum, vel Preſbyterum, qui Hæreticorum baptiſmum admiſerit, deponi jubemus; quæ eſt enim conventio Chriſti cum Belial? vel quæ pars Fideli cum Infideli?*; & in Canone 46. *Epiſcopus, vel Presbyter ſi eum, qui ab impiis pollutus eſt, non baptizaverit, deponatur*: nec dici poteſt, hos Canones Apoſtolorum non eſſe, quia nemo ſaltem negare poteſt antiquiſſimos eſſe in Eccleſia, adeoque magnæ etiam eſſe in Eccleſia auctoritatis. III. Hieronymus in Caput 4. Epiſtolæ ad Epheſ. ſcribit. *Hæreticos non habere Baptiſmum, ſed in una Chriſti Eccleſia fontem eſſe vitalem*: ergo ex Hieronymo Baptiſmus ab Hæreticis collatus non eſt validus, IV. Hæretici,

utpo-

utpote excommunicati, ſunt extra Eccleſiam, & ab ea ſeparati; ergo nullum jus habent ad Eccleſiæ Sacramenta; adeoque Eccleſiæ perſonam in Sacramentorum adminiſtratione gerere non poſſunt. V. Non minus Fides Chriſti ab Apoſtolo dicitur una, quam Baptiſmus ab eodem quoque vocatur unus: ergo ſicut hoc non obſtante Fides amitti & recuperari iterum poteſt, ita pariter Baptiſmus. VI. Quotieſcunque de Baptiſmo in Scriptura fit ſermo, ſemper dicitur dari in Spiritu Sancto: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto. Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto. Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto &c.*; ſed hæretici Spiritum Sanctum conferre non poſſunt: ergo neque Baptiſmum. VII. Ex Concilio VI. generali in Trullo Can. 95. habemus: *venientes ad Eccleſiam ab Hæreſi baptizamus*: ergo ab Hæreticis baptizati iterum debent baptizari. VIII. Ex Concilio Nicæno generali I. Can. 8. ſtatuitur, Cataros, id eſt Mundos, ſi qui veniſſent ad Eccleſiam, debere iterum ordinari, vel impoſitionem manus recipere; quod altera Editio dicit quoque de Novatianis: ergo quemadmodum Ordinationes Hæreticorum iterandæ ſunt, ita etiam Baptiſmata. IX. Anaſtaſius, Romanus Pontifex, divina ultione percuſſus eſt, quod admiſerit ab Hæreticis baptizatos; legitur enim in Gratiano diſt. 19. cap. 9., quia voluit occulte revocare Acatium, & non potuit, nutu divino percuſſus eſt. Adde, & quia probavit Sacramenta ab ipſo collata, ut patet in eadem diſtinctione capite præcedenti, ubi refertur idem Anaſtaſius Epiſt. 1. cap. 7. & 8. ad Anaſtaſium Auguſtum ſcribens. X. Leo Magnus Epiſt. 37., Innocentius I. Epiſt. 18., Pelagius Papa, aliique Pontifices, decreverunt, iterandas Ordinationes ab Hæreticis, vel Schiſmaticis, factas. IX. Apoſtoli baptizaverunt iterum illos, quos baptizaverat Joannes Baptiſta; ſed Hæretici nec ſunt majores, nec meliores eodem Joanne: ergo ſacramenta ab ipſis collata denuo conferri debent. XII. Traditio, quam præferebat Stephanus Papa, nec erat divina, nec apoſtolica, ſed tantum humana: ergo non erat ſufficiens ad controverſiam illam definiendam. XIII. Si iterandum non eſt Baptiſma ab Hæreticis collatum, vix ſalvari poſſunt ab errore plures ex Patribus, nimirum Cyprianus, Firmilianus, Dionyſius Alexandrinus, Baſilius, Athanaſius, Optatus Milevitanus, Cyrillus Hieroſolymitanus. XIV. Gregorius Magnus lib. 11. Epiſt. 67. jubet, repetendum eſſe Bonoſianorum Baptiſmum; Bonoſiani autem erant Hæretici: ergo ex Gregorio Magno Sacramenta ab Hæreticis collata iteranda ſunt. XV. Baptiſmus comparatur aquis diluvii, quæ quidem ſalvaverunt eos, qui erant intra Arcam; illi vero, qui extra Arcam reperiebantur, perierunt; ſed per Arcam intelligitur Eccleſia: ergo qui intra Eccleſiam baptizantur ſalvantur; & qui baptizatur extra Eccleſiam pereunt.

Reſpondemus ad I., verba illa Eccleſiaſtici perperam ad Baptiſmum ab Hæreticis collatum detorqueri; literalis enim illorum ſenſus eſt: ſi quis juxta legem abluitur, & purgatur ab immunditia contracta ex tactu cadaveris, & mox iterum tangit mortuum, nihil prodeſt ei ſua lotio: quibus ſignificatur moraliter, nihil prodeſſe expiationem peccati, ſi quis illud iterum committat. Unde ſequitur: *qui jejunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius, quis exaudiet?* vel ſi locus ille Baptiſmo accommodetur, dicitur cum Auguſtino lib. contr. Parmenianum, *eum qui ab Hæretico baptizatur, non baptizari a mortuo; vivit enim Chriſtus, jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, de quo dictum eſt; ipſe eſt qui baptizat in Spiritu Sancto*.

Ad II. Sunt qui dicunt, Canones illos, qui Apoſtolici vocantur, nec ab ipſis Apoſtolis, nec ab una aliqua particulari Synodo fuiſſe conditos; nihil enim ſunt aliud, quam collectio Canonum, qui per tria priora ſecula in variis orientalibus Eccleſiis editi fuerunt. Illos ipſos, qui in objectione citantur, aut in Iconienſi Synodo, aut in Synadenſi, editos fuiſſe, cenſent plures eruditi Viri; adeoque, quanvis antiquos eſſe fateantur, nullius tamen eſſe auctoritatis affirmant. At re vera ſenſus primi Canonis poteſt eſſe, non licere Sacramenta ab Hæreticis recipere, quantumvis ab eis confecta & adminiſtrata rata ſint & valida. Aliud quippe eſt Sacramentum legitimum acci-

accipere, & aliud legitime accipere. Senſus vero alterius Canonis eſt, baptizandum eſſe eum, qui ab impiis pollutus eſt, ideſt verbis evangelicis non baptizatus.

Ad III. Hieronymus intelligitur non de Sacramento Baptiſmi, ſed de ejus effectu. Baptiſma etenim ab Hæreticis collatum non juſtificat adultos propter hæreſim, vel Schiſma, aut conjunctionem cum Hæreticis, vel Schiſmaticis.

Ad IV., dicitur, quod Miniſtri Eccleſiæ perſonam gerunt, quatenus Sacramenta ſecundum Eccleſiæ intentionem conficiunt atque diſpenſant, quanvis ejus membra non ſint: nam poteſtas miniſtrandi Sacramenta, docet S. Thomas in reſponſione ad 3., pertinet ad ſpiritualem Characterem, qui indelebilis eſt, & ideo per hoc, quod aliquis ab Eccleſia ſuſpenditur, vel excommunicatur, non amittit poteſtatem conferendi Sacramentum, ſed peccat conferendo, & ſimiliter ille, qui ab eo accipit Sacramentum, peccat, & per conſequens non percipit rem Sacramenti, quæ eſt gratia, niſi forte ab ignorantia excuſetur.

Ad IX. Uno modo fides dicitur una, & alio modo dicitur unum Baptiſma. Fides eſt una non reſpectu ſubjecti, ſed ratione objecti, quatenus nimirum objectum Fidei eſt unum, ſcilicet Deus, qui unus eſt. Baptiſma vero eſt unum ratione ſui, eo quod per ipſum homo Religioni Chriſtianæ conſecratur, & Eccleſiæ Dei Civis adſcribitur, & talis actus iterationem non admittit.

Ad VI., dicitur quoque, quod argumentum non diſtinguit Sacramentum ab effectu Sacramenti, nec diſtinguit Sacramentum legitimum a Sacramento legitime collato. Utique Hæretici nequeunt conferre Spiritum Sanctum, qui eſt effectus Sacramenti, conferunt tamen Sacramentum, quando verbis evangelicis utuntur, & intentionem habent faciendi, quod facit Eccleſia. Unde ſcribebat Auguſtinus lib. 6. cont. Donatiſtas cap. 1.: *non diſtinguebatur Sacramentum ab effectu, vel uſu Sacramenti. Et quia ejus effectus atque uſus in liberatione a peccatis, & cordis rectitudine apud Hæreticos non inveniebatur, ipſum quoque Sacramentum non illic eſſe putabatur*. Cæterum idem Auguſtinus docet, falſo ſupponi Spiritum Sanctum non conferri ab Hæreticis & malis Miniſtris iis, qui pura conſcientia Sacramentis communicant; & hæc ſunt ejus verba lib. citato cap. 5. *Poteſt tradere ſeparatus, ſicut poteſt habere ſeparatus, ſed quam pernicioſe habere, tam pernicioſe tradere. Ille autem, cui tradit, poteſt ſalubriter accipere, ſi ipſe non ſeparatus accipiat: ſicut pleriſque accidit, ut catholico animo, & corde ab unitate pacis non alienato, aliqua neceſſitate mortis urgentis in aliquem Hæreticum irruerent, & ab eo Chriſti Baptiſmum ſine illius perverſitate perciperent, & ſive defuncti, ſive liberati, nequaquam apud eos remanerent, ad quos nunquam corde tranſierant.* Denique docet Auguſtinus, hæreticum hominem, qui Spiritum Sanctum non habet, poſſe illum aliis per Sacramenta conferre, quemadmodum malus Miniſter poteſt; quia ſcilicet non ſua, ſed virtute Chriſti, nec ſuo, ſed nomine Eccleſiæ Sacramenta, diſpenſat. Et hæc pariter ſunt ejus verba lib. 3. de Bapt. cap. 10. *Non eſt aqua profana & adultera ſuper quam Dei nomen invocatur, etiamſi a profanis & adulteris invocetur, quia nec ipſa creatura, nec ipſum nomen adulterum eſt. Baptiſmus vero Chriſti verbis evangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quanvis illi ſint impudici, & immundi, quia ipſa ejus Sanctitas pollui non poteſt, & Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit ſive ad ſalutem bene utentium, ſive ad perniciem male utentium.* Et lib. 6. de Bapt. cap. 4. *Cum malus tradit bona, ideſt in unitatis vinculo, veraci converſione mutato, inter bonum Sacramentum, quod traditur, & bonum fidelem, cui traditur, tradentis malitia non ſeparat.*

Ad VII, dicimus, quod diverſiſſimus eſt Canon Trullanus, qui vere fuit in eo Concilio editus, ab illo, qui in objectione affertur, atque laudatur. Verus Canon Trullanus admittit Baptiſmum ab Hæreticis collatum in forma debita, repudiat vero Baptiſmum ab iiſdem datum in forma non debita.

Ad VIII. Per impoſitionem manus in præfato loco aliqui intelligunt Confirmationem, quam Catari, ſeu Novatiani, negabant, ut Theodoretus refert lib. 3. hæreticarum fabularum: alii vero accipiunt manus impoſitionem non ordinatoriam, ſeu conſecratoriam, ſed tantum reconciliatoriam, ſcilicet benedictionem, per quam Clerici, qui

ad ec-

ad eccleſiaſtica munia inhabiles erant, ad eadem obeunda recipiebantur. Sic explicatur hic Canon a Hieronymo Dial. cont. Luciferanos, quemadmodum a Nicæna Sinodo II. act.1.

Ad IX. Gratianus deceptus fuit, quia legerat, quod ab Anaſtaſii Papæ communicatione multi Clerici, & Præsbyteri ſe ſeparaverant, eo quod ſine Epiſcoporum, & Presbyterorum conſilio communicaſſet cum Photino, Diacono Theſſalonicenſi, qui communicaverat cum Acatio; & quia occulte voluit revocare Acatium, & non potuit, nutu divino percuſſus eſt. Sed revera Acatius multo antea mortuus fuerat, tempore nimirum Felicis III., qui ipſum excommunicaverat; Felici autem ſucceſſit Gelaſius, & Gelaſio Anaſtaſius, ut narrant Evagrius lib. 31. cap.25., & Nicephorus lib. 16. cap. 12. Quomodo autem ſtare poteſt, quod Anaſtaſius voluerit Acatium revocare, & ideo nutu divino percuſſus fuerit? quod vero Sacramenta ab Acatio collata probaverit, ideo fecit, quia in legitima forma & materia ab Acatio adminiſtrata eſſe invenerat, quod ipſe quidem Anaſtaſius rationibus probat. Num autem Anaſtaſius Imperator fuerit Acatii fautor, an potius perſecutor apud Eruditos non conſtat.

Ad X., dicitur, vel quod præfati Pontifices damnaverunt Ordinationes Hæreticorum ut illicite, non autem ut invalide factas; & ex hoc inferri non poteſt, quod Adverſarii inferunt, fuiſſe ſcilicet ordinationes illas iterandas; vel loquuti fuerunt de exercitio Ordinum, quod ipſis ſuſpenſum ſupponebant, non autem de eorundem invaliditate. Verum de his fuſius loquemur, quando de Sacramento Ordinis tractabimus.

Ad XI.: conceditur major, & diſtinguitur minor: Hæretici baptizantes non ſunt meliores Joanne Baptiſta, quantum ad Fidei integritatem, & vitæ ſanctimoniam, conceditur; quantum ad Baptiſmi dignitatem & efficaciam, negatur: Baptiſmus enim Hæreticorum eſt Baptiſmus Chriſti, qui Baptiſmo Joannis longe melior eſt.

Ad XII. Traditio, quam præſeferebat Stephanus Papa, vere erat traditio Apoſtolica, & in Eccleſia Romana ſemper intemerate ſervata, quemadmodum pariter in aliis Eccleſiis, præter illas quæ in Africa, & in Aſia ſub Cypriano, & Firmiliano erant, ut in probationibus diximus.

Ad XIII. Omnes quidem fatentur, Cyprianum, & Firmilianum in hac controverſia aliquid humani fuiſſe paſſos; cæteri vero Patres vel excuſantur, vel explicantur, ut videre eſt apud Juenīnum, Natalem Alexandrum, Tournely, alioſque. Cæterum illi ante Eccleſiæ definitionem ſcripſerunt; unde ſi errarunt, bona fide & ſine pertinacia errarunt.

Ad XIV. Bonoſiani, ipſomet Gregorio Magno teſte, non baptizabant in nomine Trinitatis, & ideo decretum fuit a Gregorio, ut baptizati ab illis iterum baptizarentur. Attamen idem Sanctus Pontifex declarat, antiquam eſſe Patrum traditionem, qua habetur, rebaptizandos non eſſe, qui ab Hæreticis per evangelica verba baptizantur.

Ad XV. Auguſtinus lib.5.cont.Donatiſtas cap.28. ſic reſpondebat. *Sicut non alia, ſed eadem aqua in Arca poſitos ſalvos fecit, & extra Arcam poſitos interemit, ſic non alio, ſed eodem Baptiſmo, & boni Catholici ſalvi fiunt, & mali Catholici, ſeu Hæretici, pereunt.* Ex quibus verbis hæc deducit Tournely. „ Qui ergo extra uni-
„ tatem baptiſantur, & hæreſi, vel Schi-
„ ſmati, conſentiunt, ii nullum ex Bapti-
„ ſmo fructum reportant: e contra, qui
„ neceſſitate compulſi ab Hæreticis, vel
„ Schiſmaticis, baptiſantur, Baptiſmi fru-
„ ctum percipiunt, & ad veram Eccle-
„ ſiam pertinent, ſi nec hæreſi, nec ſchi-
„ ſmati adhæreant.

Pro Secunda Diſſertationis parte, quæ eſt, quod nam fuerit Concilium plenarium, in quo fuit Donatiſtarum Hæreſis proſcripta, atque damnata? Antequam ad illud ſtatuendum deveniamus, conſonum ducimus antecedenter enunciare Concilia, & quæ ipſi Donatiſtæ celebrarunt, & quæ contra ipſos celebrata fuerunt. Prima ſic enumerantur a P. Boucat. „ Anno Chri-
„ ſti 344., Siricio Pontifice Maximo,
„ Theodoſio Imperatore, defuncto Par-
„ meniano tertio Donatiſtarum Epiſco-
„ po, Primianus in ejus locum ſuffectus
„ eſt, adverſus quem poſtea ab aliis Do-
„ natiſtis creatus eſt Maximianus Diaco-
„ nus; ſicque, inquit P. Alexander Hi-
„ ſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeculi 4.cap.3. §.5.,
„ magnum inter eos cæpit eſſe ſchiſma,

„ ita

„ ita ut alii Primianiſtæ, alii Maximia-
„ niſtæ appellarentur; tunc adunatum
„ eſt Concilium ex quinquaginta tribus
„ Epiſcopis conflatum apud cavernas Su
„ ſis prope Carthaginem anno 394., quod
„ Maximiani partes agebat; alterum
„ contra Primianum celebratum eſt Ce-
„ barſitſi ex centum Epiſcopis compoſi-
„ tum, de quo meminit S. Auguſtinus
„ lib. 4. adverſus Creſconium cap. 6. Ter-
„ tium pro Primiani factione fuit, in
„ quo aderant 130. Epiſcopi apud Ba-
„ gaim Numidiæ Civitatem adunatum
„ anno 394., quod quidem Concilium
„ Bagajenſe dictum eſt, & ibi prævaluit
„ Primiani factio; attamen poſt multum
„ temporis Maximianiſtas ſuis reſtitutos
„ honoribus ſuſceperunt Primianiſtæ,
„ & collatum ab eis extra communio-
„ nem, tametſi ſuam, Baptiſma ratum
„ habuerunt anno 305. Jam jam Donati-
„ ſtæ Cirtæ in Numidia Concilium cele-
„ braverant, in quo Cæcilianum depo-
„ ſuerant; ibi præerat Secundus, Tigiſi-
„ tanus Numidiæ primas. De eo Con-
„ cilio loquitur S. Auguſtinus lib. 3. cont.
„ Creſconium grammaticum cap. 26. &
„ 27. Actum eſt quoque in eo de Eccleſiæ
„ ſupellectili paganis non ſine proditio-
„ ne data. Duo quoque Concilia Car-
„ thagine, anno ſcilicet 311., adunaverant
„ Donatiſtæ. In primo quidem Cæcilia-
„ num a Sede deturbaverunt, & Majo-
„ rinum in ejus Sedem, ut refert Opta-
„ tus Milevitanus lib. 1., & S. Auguſtinus
„ in Breviculo collationis diei 3. cap. 10.,
„ ſuffecerunt: aliud vero ſub Donato,
„ Carthaginenſi Pſeudo Epiſcopo anno
„ ſatis incerto. In iſto Traditores ad
„ communionem receperunt, etiamſi
„ rebaptizari nollent: hujus Concilii ge-
„ ſta refert S. Auguſtinus ex Tyconii Do-
„ natiſtæ commentariis epiſt. 48. ad Vin-
„ centium.

Concilia vero contra Donatiſtas celebrata illa fuerunt, in quibus Donatiſtæ damnati ſunt. Et de his hæc ſcribit citatus P. Boucat. „ Damnati ſunt Do-
„ natiſtæ in Concilio Romano ſub Sancto
„ Melchiade anno 313., & Cæciliani
„ ordinatio juridica conclamata eſt. Sic
„ colligitur ex epiſtola Conſtantini Ma-
„ gni ad Melchiadem, quam refert Eu-
„ ſebius lib. 19. Hiſt. Eccl. cap. 5., quæ-
„ que legitur in capite Concilii. Sed ite-
„ rum provocarunt a Melchiade ad Con-
„ cilium Arelatenſe celebratum anno
„ 314. Eccleſia, ait S. Auguſtinus, ce-
„ deus protervitati eorum conceſſit, non
„ quod neceſſe foret, ſed volens omni-
„ bus modis eorum compeſcere auda-
„ ciam. Ibi Cæcilianus iterum a falſo
„ crimine canonice purgatus eſt; & Can.
„ 8. prohibetur, redeuntes ab hæreſi ite-
„ rum rebaptizari. Verum nihilo me-
„ liores facti, contra promiſſa, Dona-
„ tiſtæ perduelles appellarunt Conſtanti-
„ num; tum tandem in Concilio Me-
„ diolanenſi iterum atque iterum pro-
„ ſcripti juſſu Imperatoris exulaverunt,
„ ut teſtatur S. Auguſtinus lib. 1. cont.
„ epiſtolam Parmeniani cap. 6.. His nihilominus non obſtantibus, Auguſtinus ſæpe ſæpius meminit plenarii Concilii, in quo Donatiſtarum Hæreſis damnata fuit, ſed quodnam illud fuerit, non ediſſerit. Auguſtino etenim cont. Donatiſtas arguenti & contra Baptiſmi iterationem, Donatiſtæ reponebant, hanc etiam fuiſſe Cypriani, Firmiliani, aliorumque ſanctorum Epiſcoporum ſententiam; at Auguſtinus Epiſcopos illos excuſans, & Donatiſtas redarguens, inſtabat, tunc temporis non eſſe rem deciſam, quæ deinde in plenaria Synodo definita eſt. Augustino igitur hanc plenariam Synodum non nominante, nobis provinciam fecit, ut eam inveſtigemus ac proponamus.

Separanda autem ſunt certa ab incertis. Et quidem primo certum eſt, hanc plenariam Synodum non fuiſſe Concilium Alexandrinum ſub Athanaſio, non Conſtantinopolitanum I. ſub Damaſo Papa, non Capuanum ſub Siricio. Et ratio eſt, quia, ex eodem Auguſtino lib 2. de Bapt. cap. 9., plenaria illa Synodus coacta eſt poſt Cypriani mortem, & ante ipſius Auguſtini ortum; & hæc ſunt verba: *poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus*: atqui Auguſtinus natus eſt anno 355., vel ſecundum alios 354., vel juxta alios 357.; Alexandrinum vero Concilium celebratum eſt anno 362., Conſtantinopolitanum 381.; Capuanum 389., juxta Baronium, vel ſecundum alios 377.: ergo nequit illa plenaria Synodus ab Auguſtino laudata intelligi, vel de Alexandrino, vel de Conſtantinopolitano, vel de Capuano Concilio. Difficultas igitur reſtat pro Arelatenſi I.; quod fuit habitum anno 314., & pro Nicæno I., quod fuit coactum anno

no

no 321., vel ſecundum alios probabilius 325. Pro Arelatenſe ſtant Lanojus, Lambovius, Sirmondus, de Marca, Albaſpineus, Du-Hamel &c.: pro Nicæno autem certant Bellarminus, Nicolai, Natalis Alexander, Fraſſen, aliique. Tertiam ineunt viam P. Boucat, Jueninus, Tournely, qui quaſi problematice ſe gerunt.

Dicimus II. Concilium plenarium, de quo in præſenti loquitur Auguſtinus, fuiſſe Nicænum generale I.

I. Probatur. Auguſtinus lib. 1. de Bapt. cap. 7. nominat hoc Concilium, de quo loquimur, plenarium totius Orbis Concilium; & cap. 8. dicit: univerſale Concilium; & paulo infra; totius Eccleſiæ conſenſionem; & l. 2. de Bapt. cap. 4. Univerſæ Eccleſiæ concordiſſimam auctoritatem; Univerſi Orbis auctoritatem &c.; Sed hæc omnia nequeunt convenire Concilio Arelatenſi, in quo tantum viginti ſex Epiſcopi ſubſcripſerunt; bene vero Nicæno, quod fuit Œcumenicum Concilium ex 318. Patribus conſtans; ergo Concilium plenarium, de quo loquutus eſt Auguſtinus non fuit Concilium Arelatenſe, ſed Concilium Nicænum generale I.

II. Probatur. Hieronymus in Dial. cont. Luciferianos cap. 9. Nicænam etiam Synodum Rebaptizantibus opponit. Quum enim a Luciferianis interrogatus eſſet, quare ab Hæreticis baptizati recipiuntur? poſt prolixam reſponſionem, in qua meminit quoque controverſiam inter Sanctos, Stephanum, & Cyprianum, tandem concludit: *Synodus quoque Nicæna, cujus paulo ante fecimus mentionem, omnes Hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis, & quod bis majus eſt Epiſcopo Novatianorum, ſi converſus fuerit, Presbyteri gradum ſervat*: ergo de eadem Synodo Nicæna intelligendus eſt Auguſtinus.

III. Probatur. Athanaſius in epiſt. de Synodis Ariminenſi, & Seleucienſi data ad Conſtantium Imperatorem, & in epiſt. ad Africanos aperte aſſerit, quod in Concilio generali Nicæno I. non ſolum Ariana hæreſis damnata eſt, verum etiam aliæ, quæ tunc temporis per Catholicum Orbem graſſabantur; ergo multo magis damnata eſt illa Donatiſtarum, quæ ſupra alias ſe extendebat. In prima epiſtola hæc habet Athanaſius: *non Ariana ſolum, ſed & reliqua deſtructæ ſunt hæreſes*. Et in ſecunda pariter hæc habet: *Solum apud vos auctoritatem obtineat Nicæna Patrum de fide Confeſſio: ipſa enim Nicæna Synodus revera trophæum eſt, ſive columna triumphalis, inſcripta contra omnes Hæreſes, quaſi eas exponens oſtentui*.

IV. Probatur. Romani Pontifices non aliam, quam Nicænam Synodum laudarunt, ejuſque Canones, quoties contra Rebaptizantes egerunt; ſic Innocentius I. in epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ cap. 5., & Siricius in epiſtola decretali ad Himerium, Tarraconenſem Epiſcopum, cap. 1., ubi legitur: *prima pagina tuæ fronte ſignaſti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem Catholicam feſtinare, & quoſdam de fratribus noſtris eoſdem denuo baptizare velle: quod non licet, cum hoc fieri & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant, & poſt caſſatum Ariminenſe Concilium miſſa ad provincias a venerandæ memoriæ prædeceſſore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos Nos cum Novatianis, aliiſque Hæreticis, ſicut in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam Septiformis Spiritus Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conventui ſociamus. Quod etiam totus Oriens Occidenſque cuſtodit &c.*

V. Probatur. De illa Synodo, dici debet, quod loquutus fuerit Auguſtinus, in qua reperiuntur Canones, qui vel Dogma contra Rebaptizãtes ſtatuunt, vel Rebaptizantes ipſos damnant; ſed hi Canones in Nicæna Synodo, non in Arelatenſi, reperiuntur: ergo Auguſtinus de Nicæna Synodo, non de Arelatenſi loquutus eſt. Probatur minor. In Nicæna Synodo reperitur Canon 8., qui præcipit, Novatianos Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes ſola manuum impoſitione recipiendos, & Canon 19., qui decernit, Paulicianos iterum baptizandos: ſed hoc non ideo, quia Pauliciani in Baptiſmatis forma errabant, ut dictum eſt, non vero Novatiani: ergo in Nicæna Synodo reperiuntur Canones, & qui Dogma contra Rebaptizantes approbant, & qui Rebaptizantium errorem damnant.

VI. Probatur. Omnes fere, qui varias Auguſtini operum Editiones perluſtrarunt, in illis locis, in quibus Auguſtinus de hoc plenario Concilio loquebatur, in margine poſuerunt *Nicænum*, & non *Arelatenſe*; unde Maldonatus ex innumeris ejuſdem Auguſtini teſtimoniis oſtendit, ipſum vere de plenaria

Nicæ.

Nicæna Synodo, & non de Arelatenſi fuiſſe loquutum.

Objiciunt I. Auguſtino non fuerunt noti Canones Nicæni Concilii ante Concilium Carthaginenſe VI.: ergo loqui non poterat de Nicæno Concilio, cujus Canones non adhuc perluſtraverat. II. In Nicæno Concilio nullus reperitur expreſſus Canon contra Rebaptizantes, & qui adducti ſunt obſcure admodum loquuntur de Donatiſtarum controverſia: ergo de Nicæno Concilio loqui non poterat Auguſtinus. III. Epiphanius, & Baſilius ea ſcribunt, quæ nullam indicant condemnationem Rebaptizantium in Nicæna Synodo factam: ergo neque de illa intelligi poteſt Auguſtinus. IV. Auguſtinus illud intelligit Concilium, in quo Donatiſtarum cauſſa diſcuſſa eſt atque deciſa; ſed in Concilio Nicæno I. Donatiſtarum cauſſa neque diſcuſſa fuit neque deciſa: ergo non potuit Auguſtinus de illo loqui.

Reſpondemus ad I. Auguſtinum cognoviſſe ex fama, non autem ex nicænorum canonum lectione, Donatiſtarum controverſiam fuiſſe in Nicæno Concilio damnatam, & hoc vel ex eo magis, quod multi Canones Nicænæ Synodi deperierant, & modo tantum ex ſuperſtitibus colligitur Donatiſtarum erroris damnatio, non autem aperte oſtenditur.

Ad II., dicitur, quod plures Canones in Nicæno Concilio editi a Patribus laudantur, qui tamen in nicænorum canonum collectione, quam modo habemus, non reperiuntur, uti ſunt Interdictio Ordinationis Bigamorum, ut ait Ambroſius in Epiſt. ad Vercellenſem Eccleſiam; ne duo Epiſcopi ſimul in eadem Civitate ſederent, ut ſcribit Auguſtinus in epiſt. 110.; quod Liber Judith in numero ſacrorum librorum poni debeat, ut docet Hjeronymus in præfatione ad librum Judith.

Ad III. negatur aſſumptum: Baſilius enim ſolum dixit Concilum non indicaſſe, quid dicendum ſit de iis Hæreticis, qui quanvis ore profiteantur Trinitatis invocationem, mente tamen impie, & abſurde de illa ſentiebant; Epiphanius vero non loquitur abſolute, quod nihil Eccleſia ſtatuerit circa Baptiſmum illorum, qui ab hæreſi ad Eccleſiam veniebant, ſed circa Baptiſmum particularium Hæreticorum, Africanorum ſcilicet, vel Aſianorum, de quorum forma in Baptiſmo ab ipſis adhibita dubitabatur.

Ad IV., dicitur, quod utique in Nicæno Concilio cauſſa Donatiſtarum liquata fuit; & quamvis Donatiſtæ Concilio non adfuerint, illis tamen abſentibus, potuit cauſſa definiri, & terminari; ut cum Lutheranis, & Calvinianis in Tridentino Concilio factum eſt.

Tandem circa poſtremam Diſſertationis partem, in qua quæritur de Donatiſtarum progreſſu, & interitu, ſcire oportet, quod poſtquam Donatiſtæ in varias partes ſe dilatarunt, in varias quoque factiones ſe diviſerunt; & hæc principalis fuit ipſorum interitus cauſſa, vel occaſio, ſicuti pariter fortaſſis fuit dilatationis eorundem. Igitur Parmenianus, qui erat tertius Donatiſtarum Epiſcopus, anno Chriſti 343., Siricio Eccleſiam regente, & Theodoſio Imperium, mortuus eſt. In ejus locum a quibuſdam Donatiſtis electus eſt Maximianus, a quibuſdam aliis Primianus; unde Donatiſtæ diviſi fuerunt in Primianiſtas, & Maximianiſtas. Plura Concilia ab utraque factione celebrata ſunt, quæ adnumerat & refert Natalis Alexander in ſeculo quarto cap. 3. §. 6., & ſequentibus; ſicuti pariter Romæ, & alibi alia Concilia contra utranque factionem Romanus Pontifex, & Catholici Epiſcopi, ut dictum eſt, celebrarunt. At ab iiſdem nunquam potuerunt pertinaces Hæretici ad meliorem frugem adduci; unde Chriſtiani Imperatores contra illos procedere juſtum & laudabile eſſe exiſtimarunt. Sicque Conſtantinus Magnus primo in eos capitis ſententiam tulit, quam deinde commutavit in exilium, & Baſilicarum privationem, quas Fiſco applicavit; quod teſtatur Auguſtinus lib. 1. cont. epiſt. Parmeniani cap. 8: *quin etiam audet conqueri Parmenianus, quod eos Conſtantinus ad Campum, ideſt ad ſupplicium duci juſſit ..... & hoc enim tanquam immaniter juſſiſſe, Hiſpano Oſio ſuggerente, criminatur, ſuſpicionibus videlicet ſuis, ſicut ſemper, damnando inauditos: quaſi vero non humanius ac probabilius aliud crediderit, Oſio tanquam Epiſcopo ſuggerente, potius factum, ut in leviorem coercitionem, quamvis immaniſſimi ſceleris, ideſt ſacrilegi Schiſmatis, ſententiam flecteret Imperator*. Et libro 2. contra epiſtola Petiliani cap. 92. *Conſtantinus vobis Baſili-*

ſilieat juſſit auferri, *Julianas reſtitnit*.
Poſtmodum Conſtans Imperator anno
348 miſit Paulum, & Macarium Le-
gatos in Africam, ut Donatiſtas ad
concordiam cum Catholicis revocaret.
At Donatus, Epiſcopus Donatiſtarum
Carthaginenſis, reluctavit, & in Maca-
rium injurioſus fuit, quæ fuit cauſſa, ut
Silveſter Comes armata manu in eum,
& in ejus aſſeclas irrueret, & Conſtans
Imperator Donatiſtas omnes exilio
mulctaverit, a quo poſtmodum a Juliano
Apoſtata revocati ſunt. Deinde Valen-
tinianus Auguſtus anno 373. contra
eoſdem hanc legem tulit, quæ in Codi-
ce Theodoſiano legitur: *Antiſtitem, qui
ſanctitatem Baptiſmi illicita nſurpatione
geminaverit, & contra inſtituta omninm,
eom gratiom iterando contaminoverit,
Sacerdotio indignum cenſemus*. Et Gra-
tianus hanc aliam dedit, quæ in eodem
Codice continetur: *eorum condemnamus
errorem, qui Apoſtolorum præcepta calcan-
tes, Chriſtiani nominis Sacramenta ſorti-
tot, alio rurſus Baptiſmate non purificant,
ſed inceſtant, lavacri nomine pollnentes.
Eos igitur auctoritas tua erroribus miſeris
jubebit abſtinere, Ecclesiis, quas contra
fidem retinent, reſtitutis Catbolicis*: quos
deinde ſequuti ſunt Theodoſius Se-
nior, Honorius, & Arcadius Impera-
tores, ut legitur apud Auguſtinum
epiſt.5. ad Bonifacium Comitem: *Jam
enim lex fuerot promalgata, ut tantæ im-
manitatis bæreſis Donatiſtarnm, cui cru-
delius parci videbatur, quam ipſa ſævie-
bat, non tantum violenta eſſe, ſed omnino
eſſe non ſineretur impune: non tamen ſup-
plicio capitali, propter ſervandam etiam
circa indignos manſuetudinem chriſtia-
nam, ſed pecuniariis damnis propoſitis, &
in Epiſcopos, vel Miniſtros eorum, exilio
conſtituto*. Denique Theodoſius, & Va-
lentinianus Imperatores ſeveriſſimam
legem tulerunt contra Donatiſtas, quæ
habetur lib. 65. *de Hæreticis* in Codice
Theodoſiano. Poſt hæc, Honorii juſſu
habita eſt Collatio Carthaginenſis inter
Catholicos, & Donatiſtas, ut hi ad uni-
tatem perducerentur; ſed quanvis fue-
rint nõ pauci ex illis ad Eccleſiæ ſinum
reducti, plures tamẽ in ſua obſtinatione
permanſerunt, qui nihilominus paulo
poſt dictam collationem extincti ſunt.
Quod teſtatur Natalis Alexander in ſe-
culo 4.cap.3. §.15. verbis hiſce. „ Etſi,
„ graſſante per Africam Ariana, & Pe-
„ lagiana hæreſi, nulla ferme fieret Do-
„ natiſtarum mentio, non ſtatim tamen
„ poſt Collationem Carthaginenſem ne-
„ faria hæreſis extincta eſt. Nã & S.Gre-
„ gorii Magni temporibus multos adhuc
„ ſuperſtites fuiſſe Donatiſtas, fidem fa-
„ ciunt ejus epiſtolæ. Libro enim 3. epi-
„ ſtol. 32. Indict. XII. ad Pantaleonem,
„ Africæ Præfectum, data ſcribit: *In illis
„ partibus, quontum didicimus, ita Dona-
„ tiſtorum crevit audacia, ut non ſolum de
„ ſuis Eccleſiis auctoritate peſtifera ejiciant
„ Catholicæ fidei Sacerdotes, ſed & quos ve-
„ rs confeſſione oqua regenerationis abluerot,
„ rebaptizare non metnant*. Tum Præfe-
„ ctum rogat S. Gregorius, eorum ut ex-
„ ceſſus coerceat. Et lib. 5. epiſt. 36. ad
„ Columbum, Numidiæ Epiſcopum, data:
„ *Præterea, res ad not omnino dura, & re-
„ ctæ fidei inimica pervenit, quia, quod dici
„ nefas eſt, Catbolici bominet, & Religioſi,
„ quod eſt deterius, filios, mancipiaque ſua,
„ vel alios, quos in poteſtate babent, in Do-
„ natiſtarum bæreſi baptizari conſentiunt.
„ Et ideo ſi verum eſt, boc fraternitas ve-
„ ſtra ſummopere ſtudeat emendare*. Deni-
„ que lib 6.epiſt.63 ad Mauritium Impe-
„ ratorem data: *Qualiter pietatis veſtra
„ Serenitas contra Donatiſtarum flagitioſiſ-
„ ſimom pravitatem conſideratione juſtitiæ,
„ & ſinceriſſimæ Religionis zelo, commota ſit,
„ directarum lucidiſſime tenor inſinuat juſ-
„ ſionum; ſed venientes viri reuerendiſſimi ex
„ Africona Prouincia Epiſcopi aſſerunt, ita
„ eſſe incauta diſſimulatione poſtpoſitos, ut
„ nec Dei illic judicium baberetur in metu,
„ nec principales bactenus juſſiones ſortiren-
„ tur effectum: boc etiom ſubjungentes, quod
„ in præfata Prouincia Donatiſtorum, præ-
„ miis prævalentibus, Fides Catbolica pu-
„ blice venundetur*.

DISSERTATIO CCCXV.

De Sanctitate in Miniſtro Sacramentorum. An in Miniſtro Sacramentorum ſit neceſſaria Sanctitas, ut valide Sacramenta conficiat? An ſit neceſſaria, ut conficiat licite? An liceat aliis Sacramenta petere, & accipere a Miniſtris, qui ſancti non ſunt, immo potius ſunt Peccatores?

PRrimo, errarunt Donatiſtæ, qui omnes Peccatores arcebant a Sacramentorum adminiſtratione. Teſtantur Ambroſius ad caput I. prioris ad Corinth., Auguſtinus cont. epiſt. Parmeniani libro 3.cap.2.,& cont. Creſconium lib.2, cap. 28.

Secundo, Pſeudo-Apoſtolici negabant, homines malos poſſe efficaciter Sacramenta adminiſtrare. Teſtis eſt Bernardus Serm.66. ſuper Cantica. Hi ab aliis dicuntur Henriciani, qui tempore ejuſdem Bernardi florebant, & ſe ipſos apoſtolicos nominabant; unde ab aliis Pſeudo-Apoſtolici dicti ſunt.

Tertio, Waldenſes a quodam Waldo lugdunenſi dicti anno 1106. dicebant, non modo per Sacerdotes, ſed etiam per Laicos, corpus Chriſti confici poſſe, dummodo juſti & probi eſſent, & per malos, etiam Sacerdotes, confici poſſe negabant. Refert Rogerius in Annalibus Anglis. Præterea S. Thomas lib.4. contra Gentes, Nicolaus Lyranus ad caput 7.epiſt. ad Hebræos, Guido Waldenſis, Æneas Silvius Hiſtoriæ Bohemicæ cap. 35, S. Antoninus 4.parte Summæ tit.11.cap.7.§ 2., & 5., de Waldenſibus narrant, quod dicerent, Presbyteros, qui graviter peccant, nec Euchariſtiam conficere, nec alios a peccatis abſolvere; quod Presbyterorum non dignitas, ſed vitæ meritum faceret, & omnis poteſtas tam laicalis, quam clericalis, per peccatum mortale amittatur. Narrat Coccius de Sacram. lib. 5. art. 2.

Quarto, Wicleſitæ, & Huſſitæ, qui ſub finem XIV. ſeculi fuerunt, requirebant quoque, ut Miniſtri Sacramentorum eſſent de numero Prædeſtinatorum, & omnes præſcitos, ac reprobos a Sacramentorū adminiſtratione repellebant; unde Joannes Wicleſus art 4: *Si Epiſcopus, vel Sacerdos eſt in mortali peccato, non conficit, non ordinat, non baptizat, non conſecrat*. Et 2. par Sermonum Domini in mente: *valde injuſtus, propter indignitatem perſonæ, pro qua oratur, communiter non auditur. Quæ ergo evidentia neceſſitandi Deum ad audiendum Sacerdotem reprobum, mediante Oratione blaſphema taliter deprecantis?* Joannes Huſſus de Decimis: *Quid ergo mirum, ſi ad bonum ſenſum conceditur, quod nullus exiſtens in peccato mortali eſt Epiſcopus, Sacerdos, vel Chriſtianus? Patet verum eſſe articulum. Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non baptizat.*

Quinto, Anabaptiſtæ volunt pariter, quod ſi Sacramenta non adminiſtrentur a fidelibus & probis Miniſtris, non ſint efficacia. Refert Kemnitius part.2.Examinis Concil Trident; & confirmat Bullingerius adverſus Anabaptiſtas libro 3 cap.7., ut pariter videre eſt apud Coccium præfatum,

Sexto, Piccardi in reſponſione edita adverſus Lethicienſes dixerunt, *malum Sacerdotem Sacramenta polluere*. Et in Confeſſione ſua dicunt, res iſtas miniſteriales ex ſe non conferre ſanctitatem, & eas pollui, ſi ad earum adminiſtrationem malus Sacerdos acceſſerit. Narrat Antonius Poſſevinus in examine Sectæ Piccardicæ.

Septimo, Gaſpar ZuencKfeldius lib.de Sacra Scriptura pag.22. dicebat: Miniſtri Eccleſiæ inepti & non timentes Deum miniſterū ſuū in docêdo verbo,& porrigendis Sacramêtis expedire non poſſunt, Idē Coccius teſtis eſt loco citato,

Octa-

Octavo, adnumerantur pariter ab eodem Coccio his dictis Albigenſes, qui florebant anno 1200., & dicebant, quod obeſt ſubdito, & Sacramento, vita mala Prælatorum, & quod nullus malus poteſt eſſe Epiſcopus; & laudat S. Antoninum 4.part.tit.11.cap.7.§.5..

Dicimus I., non eſſe neceſſariam Sanctitatem in Miniſtro, ut valide Sacramenta conficiat.

I. Probatur ex Sciipturis. Matth.23.: *ſuper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt*. Quibus verbis diſtinguit Chriſtus, quod mali Sacerdotes dicunt ab eo, quod faciunt, & vult, obſervandum eſſe, quod dicunt, non vero quod faciunt; ſed Sacramentorum confectio ſpectat ad illud, quod dicunt, non vero ad illud, quod faciunt: ergo &c. Item Joannis 11. legimus de Caipha, *quod cum eſſet Pontifex anni illius prophetavit*, & nihilominus Caiphas improbus erat, & impius Sacerdos. Pariter Matth. 7. peccatores quidam Chriſto dicebant: *nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus?* Inſuper Joannis 1. de Chriſto dicitur: *hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto*: ergo non ſunt miniſtri, niſi tantum miniſterialiter; unde ipſorum improbitas non invalidat, quod Chriſti nomine faciunt. Et I. ad Corinth. 3. *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*. His adduntur quoque Teſtimonia veteris Teſtamenti, nempe Num.22., ubi narratur, quod Balaam prophetavit, etſi peſſimus eſſet inter homines; & I. Regum 11. de Saule habetur; *nunquid Saul inter Prophetas?*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magous epiſt.92. cap 16. *Hi autem, de quibus ſcripſiſti, qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cujus fidei fuerint, qui eos baptizavere ſe neſcire profitentur, quolibet modo formam Baptiſmatis acceperint, non ſunt rebaptizandi; ſed per manus impoſitionem, invocata virtute Spiritus Sancti, quam ab Hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi ſunt*. Anaſtaſius II. epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem cap. 7. *Nam ſecundum Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem ſacratiſſimum Serenitatis tuæ pectus agnoſcat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acatius, vel quos Sacerdotes, ſive Levitas, ſecundum Canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acatii portio læſionis attingat, quo forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur. Nam & Baptiſma, quod procul ſit ab Eccleſia, ſive ab adultero, ſive a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum; quia vox illa, quæ per Columbam ſonuit, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur, ac dicitur: Hic eſt qui baptizat Spiritu Sancto, & igne. Nam ſi viſibilis Solis radii, cum per loca fœtidiſſima tranſeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multo magis illius, qui [illegible] viſibilem fecit, virtus nulla Miniſtri indignitate conſtringitur. Nam & Judas cum fuerit ſacrilegus, atque fur, quicquid egit inter Apoſtolos, pro dignitate commiſſa, beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta ſenſerunt: declarante hoc Domino manifeſtiſſima voce: Scribæ, inquit, & Phariſæi ſuper Cathedram Moyſi ſedent: quæ dicunt facite: quæ autem faciunt nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Quicquid ergo ad hominum profectum quilibet in Eccleſia Miniſter officio ſuo videtur operari, hoc totum contineri, implente Divinitatis effectu, ita ille, per quem Chriſtus loquitur, Paulus affirmat; Ego plantavi; Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Neque enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. A Deo autem non quæritur, quis, vel qualis prædicet, ſed quem prædicet, ut invidos etiam bene prædicare Chriſtum confirmet, quo malo Diabolus ipſe dejectus eſt, & hoc ipſa prædicare non deſinit*. Et cap. 8. *Ideo ergo & ipſe Acatius, cujus nomen dicimus eſſe reticendum, male bona miniſtranda ſibi tantum nocuit. Nam inviolabile Sacramentum, quod per ipſum datum eſt, aliis perfectionem ſuæ virtutis obtinuit; ei autem obfuit &c.* Gregorius Magnus qui refertur in C. *multi* 1. q. 1. *Multi ſecularium hominum, cum plus Sacerdotis vitam, quam ſuam diſcutiunt, in magnum contemptionis divinorum Sacramentorum crimen incurrunt. Magna enim trabe vulneratos habentes oculos, eamque negligentes, feſtucam tenuem in aliorum conſpiciunt oculis, quam dum incaute feſtinant avellere, erroris in foveam delabuntur &c. Unde fit, ut non ſolum ab iis dicta reſpuant, ſed etiam, (quod eſt deterius) divina Myſteria contemnant, ut nec corporis communionem, nec Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti eorum miniſterio confectam aſſumant ii, putantes*

hanc minus eſſe ſanctificatam, ſi illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu in quam magnum laqueum incidunt, ut divina & occulta Myſteria plus ab aliis ſanctificata poſſe fieri credant, cum unus idemque Spiritus Sanctus in Eccleſia ea ſanctificet, & benedicat. Gregorius III. Epiſt. ad Bonifacium. *Quoſdam abſque interrogatione Symboli ab adulteris & indignis Presbyteris faſſus es baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem Eccleſiæ; quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus eſt, rebaptizari eum minime liceat. Non enim in nomine baptizantis, ſed in nomine Trinitatis hujus gratiæ donum percepit. Et teneatur, quod Apoſtolus ait: unus Deus, una fides, unum Baptiſma. Doctrinam vero ſpiritalem talibus ſtudioſius ut impertias demandamus.* Zacharias Papa epiſt. 1. ad Bonifacium: *Retulerunt nuntii tui, quod fuit in eadem Provincia Sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, neſciens latini eloquii infringens linguam diceret; Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta, & per hoc tua reverenda fraternitas conſideravit rebaptizaro; ſed, ſanctiſſime Frater, ſi ille, qui baptizavit, non errorem introducens aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia romanæ locutionis infrigendo linguam (ut diximus) hoc baptinans dixiſſet, non poſſumus conſentire, ut denuo baptizentur; quia baptizatus ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nullo modo rebaptizari debet, ſed per ſolam manus impoſitionem purgari debet.* Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 71. *Sciſcitantibus vobis, ſi a Sacerdote, qui ſive comprehenſus eſt in adulterio, ſive de hoc fama ſola reſperſus eſt, debeatis communionem ſuſcipere, nec ne; reſpondemus, non poteſt aliquis, quantumlibet pollutus ſit, Sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum exiſtunt. Nec poteſt Solis radius per cloacas, & latrinas tranſiens aliquid exinde contaminationis attrahere; proinde qualiſcunque Sacerdos ſit, quæ ſancta ſunt, coinquinare non poteſt; idcirco ab eo, uſquequo Epiſcoporum judicio reprobetur, communio percipienda eſt; quoniam mali bona miniſtrando, ſe tantummodo lædunt, & cerea ſua accenſa ſibi quidem detrimentum præſtat, aliis vero lumen in tenebris adminiſtrat; & unde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet. Sumite igitur intrepide ab omni Sacerdote Chriſti Myſteria, quoniam omnia in fide purgantur.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Carthaginenſe I. cap. 1. *Ergo ſi vobis placet, conſideremus primum titulum rebaptizationis. Unde ſanctitatem veſtram poſtulo, ut mentis veſtræ placita prodatis ad deſcendentem in aquam, & interrogatum in Trinitate, ſecundum Evangelii fidem, & Apoſtolorum doctrinam, & confeſſum bonam conſcientiam in Deum, de reſurrectione Jeſu Chriſti, ſi licet iterum interrogari in eadem fide, & in aqua iterum intingi. Univerſi Epiſcopi dixerunt: abſit, abſit; illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes, & ſatis eſſe alienum a ſincera fide, & catholica diſciplina.* Concilium Nicænum I. generale præcipit, Novatianos pœnitentes recipi cum ſola manuum impoſitione. Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 45., ubi damnatur Wiclefi error n. 4. *Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.* Concilium Trident. ſeſſ. 7. can. 12. *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia quæ ad Sacramentum conficendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit.* Et ſeſſ. 7. can 4. de Bapt. *Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum; anathema ſit.* His adſtipulantur, ut ait Pater Boucat, Arelatenſe. II. Can. 17., Capuanum Can. 38., Carthaginenſe III. &c.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Euſebius apud Damaſcenum lib. 3. cap. 44. hæc habet. *Multi peccatores, cum Presbyteri ſint, ſacris operantur, nec Deus eos averſatur, verum per Spiritum Sanctum propoſita dona conſecrant, ac panis quidem pretioſum Corpus Dominis efficitur, poculum autem pretioſus Domini Sanguis. Sunt igitur, qui ferem aquam, ac rationi conſentaneam facere putent, eum ab ipſis epulo ſacro excipi recuſant, neſcientes videlicet, hinc ſe gravius condemnari. Quis enim es tu, qui præfectum tuũ atque Antiſtitem judices?* Gregorius Nazianzenus Orat. 40, quæ eſt Oratio in Sanctum Baptiſma. *Ne dicas baptizet me Epiſco-*

Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopus, atque is Metropolitanus, aut Hieroſolymitanut, (non enim locorum eſt gratia, ſed Spiritus,) iſque etiam nobili, aut claro genere ortus; (grave enim fuerit nobilitati meæ, ob ejus, qui baptizat, obſcuritatem, labem ac dedecus inferri,) aut ſi Presbyter, ſaltem qui celebs ſit, qui continentiæ laude, atque angelica vivendi ratione floreat: grave enim fuerit, ſi in purgationis tempora inficiar, atque cammaculer. Ne Concionatoris, aut Baptizantis auctoritatem inquirat. Alius horum Judex eſt, ac rerum obſcurarum explorator, quandoquidem homo faciem, Deus autem cor intuetur. Tibi autem quivis ad purgationem ſatis idoneus eſt, qui modo inter probatos cenſeatur, ac non aperte condemnatus ſit, atque ab Eccleſia alienus; qui curatione indiges, ne judices judicium ne arripe, nec eorum, a quibus purgaris, dignitates excute, nec inter genitores delectum habe. Eſt quidem alius alio præſtantior, vel inferior, te autem quivis eſt ſuperior. Sic tecum reputa. Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atque amba eandem Imperatoris imaginem inſculptam habeant, ac deinde ceram imprimant. Quid tandem hoc ſignum ab illo differt? nihil. Materiam in cera internoſce qualibet ſingulari ſolertia ſis. Dic utrum e duobus ſignis aureo annula, utrum ferro expreſſum ſit, quoque modo unum, idemque exiſtat. Diſcrimen enim in materia eſt, non in ſigno. Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamvuis enim alius alium vitæ probitate anteccellat, eadem tamen Baptiſmi vis eſt; ac quivis tibi initiator eſt, qui malo eadem fide eſt informatus. Joannes Chryſoſtomus in Joannem homil. 85. *Hæc dico, non quod indignos ad Sacerdotium aſſumi probem, ſed miſereſcens ac lacrymans; non tamen propterea a ſubditis judicandi ſunt, etiamſi male & vitioſe vivant. Tu autem, ſi tibi conſules, nihil in his, quæ illis a Deo commiſſa ſunt, damni accipies. Nam ſi aſinum loqui fecit, & per vatem benedictiones ſpirituales largitus eſt, & in muto ore, & lingua immunda Balaam propter offendentes Judæos operatus eſt; multo magis propter vos fideles, etiamſi pravi ſint Sacerdotes, Deus omnia per eos perficiet, & mittet Spiritum Sanctum. Neque enim pura mens propter propriam puritatem Spiritum attrahit, ſed gratia omnia operatur. Omnia enim, inquit, vos, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas. Quicquid enim concreditum habet Sacerdos, ſolius Dei donum eſt; & ubi humanam exercet ſapientiam, minor illius gratia apparet. Neque hoc dico, ut pigrius vivamus, ſed ut pigre qui vobis præpoſiti ſunt viventibus, vos his commiſſi aliquando mala vobis comparetis. Et quid Sacerdotes dico? Neque Angelus, neque Archangelus quicquam in his, quæ a Deo data ſunt efficere poteſt; ſed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnia facit. Sacerdos & linguam & manus præbet. Neque enim juſtum eſt, propter alterius malitiam, ad ſalutis noſtræ Symbola fidei accedentes offendi.* In prioris ad Corinth. Homil. 8. *Contigit quidem Principes eſſe malos & ſceleratos, eos autem, qui illorum parent imperio, bonos & moderatos, & Laicos quidem, in pietate vitam agere, Sacerdotes autem in improbitate, & nequitia; & neque futurum eſſet Baptiſma, nec Corpus Chriſti, nec oblatio per illos, ſi ubique dignitatem ac merita requireret gratia. Nunc autem etiam per indignos Deus ſolet operari, neque Baptiſmatis gratia quicquam læditur a vita Sacerdotis. Nam, qui accipit, minus eſſet habiturus. Quamobrem etiamſi hæc rara fiunt, fiunt tamen. Hæc autem dico, ne quiſquam ex iis, qui adſtant, de vita Sacerdotis curioſe inquirens offendetur in Myſteriis, quæ peraguntur. Nihil enim adfert Sacerdos ad ea, quæ ſunt propoſita, ſed univerſum eſt opus Dei virtutis, & ille eſt, qui nobis exhibet Myſteria.* Homil. 11. in epiſt. ad Theſſalon. *Gratia Dei per indignos operatur, non propter ipſos, ſed propter eos, quibus opitulandum eſt.* Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſtola 120. *Euſebii temeritatem, & Zoſimi audaciam ne mireris, verum Dei lenitatem ad pœnitentiam nos ita expectantis, atque ex impura manu incenſum accipientis. Nam ſi quis in ſceleribus educatus, atque omni ſordium, ac peccatorum genere compunctus, & injuſtus Dei aras attingit, ac Sancta profane tractat; ipſe quidem pœnas luet, divinum autem Sacrarium improbis ipſius actionibus minime contaminatur.* Lib. 2. epiſt. 37. *Quandoquidem Zoſimi Presbyteri vita offenſus, ut ſcripſiſti, eos, qui ab eo baptizantur, graviſſimis, ac maximi momenti detrimentis mulctari exiſtimas, reſcribendum ad te quam celerrime duxi; nimirum, quod is qui initiatur, quantum ad ſalutaria Symbola ſpectat, ex improba Sa-*

cer-

cerdotis vita nullo damno afficitur, verum ipſe prorſus atque omnino, [aſſeveratione quippe uti oportet,] divinis atque omne dicendi facultate præſtantioribus beneficiis fruetur. Sacerdos autem graviores vitæ ſuæ rationes ſubibit, tantuſque ad ipſius pœnam, atque cruciatum cumulus accedat, quantus prius in eum honor collatus eſt &c. Hæc autem dico, non tanquam omnes Sacerdotes tales ſint, verum ut illud oſtendam, quod, etiamſi omnes ejuſmodi eſſent, nihil tamen hinc ad eum, qui baptizatur, detrimenti redit. Quod ſi hæc hominum duntaxat rationes eſſe arbitraris, a divinis oraculis fidem tibi facere conabor. Quid enim Balaam illo impurius ac ſceleſtius exiſtit?; & tamen ipſius lingua Deus ad benedictiones uſus eſt. Quid rurſus Cajapha ſceleratius? & tamen vaticinatus eſt, & gratia linguam quidem ipſius tetigit. Quod ſi quid etiam, quod magis mirandum ſit, intelligere cupis, per corvum, hoc eſt, immundam avem, cœlipetam illum Heliam paſcebat. Quocirca ne dubites, quin per flagitioſos quoſdam Sacerdotes divina & natura ſublimiora beneficia tribuuntur. Lib.3.epiſt.340. *Nullo detrimento is, qui ſuſcipit ſacroſancta Myſteria, afficitur, etiamſi is, qui tribuit, indignus eſſe videatur, neque incontaminata Myſteria conſpurcantur, etiamſi Sacerdos omnes mortales improbitate ſuperaret. Quod ſi mihi diffidis, corvum cogita, impurum inquam illud atque in pullos ſuos crudele animal, cujus opera ille in Cœlum excurrens, ac Cœli Civis Elias alebatur.* Teophylactus ad Caput 20. Joannis. *Vide inſuper Sacerdotum dignitatem, quod divina ſit: Dei enim eſt remittere peccata. Sic igitur illi honorandi ſunt, ut Deus. Nam quamvis indigni ſint, quid hoc?; divinorum donorum miniſtri ſunt, & gratia operatur per eos, ſicut & per aſinam Balaam locutus eſt. Non enim indignitas noſtra gratiam prohibet: atque ita, quia per Sacerdotes gratia ſuppeditatur, honorandi ſunt.* Euthymius ad Caput 11. Joannis: *Cajaphas, non quod dignus eſſet, vaticinatus eſt, ſed quod Pontifex eſſet anni illius: non propter propriam virtutem, ſed propter pontificalem dignitatem. Adhuc enim divina gratia in templo permanebat, quæ ore illius utens, cor non tetigit.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Ambroſius de iis, qui Myſteriis initiantur cap.5 *Cum tibi Scriptura, teſtetur quod ad Hjerobaal preces ignis deſcenderit de Cælo; & rurſus precante Helia ignis eſt miſſus, qui ſacrificium conſecravit, non merita perſonarum conſideres, ſed officia Sacerdotum. Et ſi merita ſpectes, ſicut Heliam conſideres, Petri quoque merita ſpectato, vel Pauli, qui acceptum nobis a Domino Jeſu hoc Myſterium tradiderunt.* Et lib.1. de Spiritu Sancto in Prologo. *Non mundavit Damaſus, non mundavit Petrus, non mundavit Ambroſius, non mundavit Gregorius. Noſtra enim ſervitia, ſed tua ſunt Sacramenta. Neque enim humanæ opis eſt, divina conferre, ſed tuum Domine munus, & Patris eſt, qui locutus eſt per prophetas dicens: effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii, & filiæ eorum.* Auguſtinus lib. 3. cont. Donatiſtas cap. 10. *Baptiſmus Chriſti verbis evangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamvis illi impudici ſint & immundi, quia ipſa ejus ſanctitas pollui non poteſt, & Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit, ſive ad ſalutem bene utentium, ſive ad perniciem male utentium. An vero Solis, vel etiam Lucernæ lux, cum per cænoſa diffunditur, nihil inde ſordium contrahit, & Baptiſmus Chriſti poteſt cujuſquam ſceleribus inquinari?:* & lib.4.cap.4. *Si per vim Sacramenti Dei aaarus dimittis peccata, etiam hæreticus; ſi per vitæ meritum, nec iſte, nec ille.* Tractatu 5. in Evangelium Joannis: *aliud eſt baptizare per miniſterium, aliud baptizare per poteſtatem. Baptiſma enim tale eſt, qualis eſt ille, in cujus poteſtate datur &c. Quid tibi facit Miniſter malus; ubi bonus eſt Dominus?; ſint Miniſtri juſti, ſi volunt; ſi autem noluerint, ſecurum me fecit Magiſter meus, de quo Spiritus ejus dixit: hic eſt qui baptizat; quomodo ſecurum me fecit? Scribæ, inquit, & Phariſæi ſuper Cathedram Moyſi ſedent, quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt: Si fuerit Miniſter juſtus, computo illum cum Paulo, computo illum cum Petro, cum iſtis computo juſtos Miniſtros: qui vero fuerit ſuperbus Miniſter, cum Zabula computatur; ſed non contaminatur donum Chriſti, quod per illum fluit purum &c. Baptiſma, quod dabatur a Paulo, & quod dabatur a Petro, Chriſti eſt, & quod datum eſt a Juda, Chriſti erat. Dedit Judas, & non baptizatum eſt poſt Judam, dedit Joannes, & baptizatum eſt poſt Joannem. Quia, quod datum eſt a Juda, Baptiſma Chriſti erat, quod autem a Joanne datum eſt,*

Joan-

Joannis erat. Non Judam Joanni, ſed Baptiſmum Chriſti, etiam per Judæ manus datum, Baptiſmo Joannis, etiam per manus Joannis dato recte præponimus. Etenim dictum eſt de Domino, antequam pateretur: quia baptizabat plures, quam Joannes; deinde ſubjunctum eſt: quanuis ipſe non baptizaret, ſed diſcipuli ejus. Ipſe, & non ipſe. Ipſe poteſtate, illi miniſterio. Ergo baptizabant Diſcipuli ejus, & ibi adhuc erat Judas inter diſcipulos ejus. Quos baptizauit Joannes, baptizauit Joannes; quos autem baptizauit Judas, Chriſtus baptizauit. Sic ergo, quos baptizauit ebrius, quos baptizauit homicida, quos baptizauit adulter, ſi Baptiſma Chriſti erat, Chriſtus baptizauit. Non timeo adulterum, non ebrioſum, non homicidam; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic eſt qui baptizat. Proſper Aquitanicus lib. Sententiar. ex Auguſtino cap. 325. *Regenerationis gratiã ita etiam hi non minuunt, qui ejus dona non ſeruant; ſicut lucis nitorem loca immunda non polluunt. Qui ergo gaudes Baptiſmi perceptione, viue in noui hominis ſanctitate, & tenens fidem, quæ per dilectionem operatur, habe bonum, quod nondum habes, ut proſit tibi bonum, quod habes.* Iſidorus Hiſpalenſis lib. 6. Etymol. cap. 18. *Sacramenta ideo fructuoſe penes Eccleſiam fiunt, quia Sanctus in ea manens Spiritus eorundem latenter Sacramentorum operatur effectum. Unde ſeu per bonos, ſeu per malos Miniſtros intra Dei Eccleſiam diſpenſentur; tamen quia Spiritus Sanctus myſtice illa viuificat, qui quondam Apoſtolico in tempore viſibilibus apparebat operibus, nec bonorum meritis diſpenſatorum hæc dona amplificantur, nec malorum attenuantur. Quia neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Unde & græce* μυστήριον *dicitur, quod ſecretam & reconditam habeat diſpenſationem.*

VI. Probatur Rationibus I. Miniſtri Sacramentorum conficiunt Sacramenta vel ratione poteſtatis, quam a Deo acceperunt, vel ratione characteris, qui in ipſorum Ordinatione fuit iiſdem a Deo Animæ impreſſus; ſed nec Hæretici, ob fidem deperditam, nec impii & mali homines, ob amiſſam charitatem, amittunt poteſtatem illam, vel characterem: ergo etiamſi ſint hæretici, vel Peccatores, ſemper ſunt habiles, ut Sacramenta conficiant. Hæc ratio eſt Auguſtini lib. 1. de Bapt. cap. 1: *ſic & illi, qui per ſacrilegium Schiſmatis ab Eccleſiæ communione diſcedunt, habent utique Baptiſmum, quem prius quam diſcederent acceperunt; nam & ipſis, ſi redeant, non eis iterum datur; unde oſtenditur, illud, quod acceperant in unitate poſiti, non potuiſſe amittere ab unitate ſeparatos .... Nulli enim Sacramento injuria facienda eſt: ſi diſcedit a malis, utrunque diſcedit: ſi permanet in malis, utrunque permanet: ſicut ergo acceptatur Baptiſmus, quem non potuit amittere, qui ab unitate diſceſſerat, ſic acceptandus eſt Baptiſmus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi, cum diſcederet, non amiſerat poteſtatem. Nam ſicut redeuntes, qui, priuſquam recederent baptizati ſunt, non rebaptizantur, ita redeuntes, qui, priſquam recederent ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur, ſed adminiſtrant, quæ adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ utilitas poſtulat.* Et lib. 3. de Bapt. cap. 18.: *Epiſcopos, qui poſt Ordinationem in fide peruertuntur, habere ab Apoſtolis poteſtatem indelebilem conferendi Sacramenta, cum vel ipſi Apoſtoli habuerint, virtute ſuæ miſſionis eam aliis conferendi.* Et lib. 1. de Bapt. cap. 1. & 5, ubi eis exponit, *Felicianos a Maximianis, & aliis Donatiſtis in communione diuulſos, ipſos tamen poſtea miſericordiæ forte affectu in ſuam recepiſſe communionem, abſque Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinationis, reiteratione.* II. Sicut ſacra Scriptura ſemper eſt eadem, quanvis non eodem modo ab omnibus intelligatur, ita pariter Sacramentum ſemper eſt idem, quanvis non eadem fide, & eadem probitate, ſemper ab omnibus, & ſingulis, vel non efficiatur, vel non conferatur: ergo nihil obſtat ad Sacramentorum validitatem Miniſtri vel infidelitas, vel improbitas, ſicut nihil obſtat Scripturæ veritati Interpretum error, atque fallacia. Et hæc eſt ratio pariter Auguſtini lib. 3. de Bapt. cap. 15. *Quamobrem, ſi euangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quanvis ejus Fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata .... Sacramenta tamen, ſi eadem ſunt, ubique integra ſunt, etiamſi praue intelligantur, & diſcordioſe tractantur: ſicut Scriptura ipſius Euangelii, ſi eadem ipſa eſt, ubique integra eſt, etiamſi innumerabili falſarum opinionum varietate aſſeratur.* III. Sacramentum ſi eſſet opus homi-

Digitized by Google

hominis dependeret ab homine; ergo quia eſt opus Dei, dependet a Deo, & non ab homine: ergo ſive homo ſit fidelis, ſive infidelis, ſive catholicus, ſive hæreticus, ſive iuſtus, ſive peccator, ſemper Sacramentum eſt idem, quia ſemper idem eſt Deus, cujus eſt opus, quanvis homo non ſit idem. Et hæc eſt ratio Catechiſmi Concilii Tridentini par. 2. n. 22. *Atque hi quidem Miniſtri, quoniam in ſacra illa functione, non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerunt, ea re ſit, ut ſiue boni, ſiue mali ſint, modo ex forma & materia utantur, quam ex Chriſti Inſtituto ſemper Eccleſia Catholica ſervavit, idque facere proponant, quod Eccleſia in adminiſtratione facit, vere Sacramenta conficiant & conferant .... Quod ſi etiam Scripturæ teſtimonia quærimus, ipſum Apoſtolum his verbis loquentem audiamus. Ego plantaui, Apollo riganit, ſed Deus incrementum dedit: neque enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Ex quo loco ſatis intelligitur, quemadmodum arboribus nihil obeſt eorum improbitas, quorum manu ſatæ ſunt: ita nihil vitii alieni culpa contrahi illis poſſe, qui malorum hominum miniſterio Chriſti inſiti ſunt. Quare, ut ex D. Joannis Euangelio SS. Patres nos docuerunt, Judas etiam Iſcariotes plures baptizauit; ex quibus tamen neminem iterum baptizatum fuiſſe legimus: ita ut præclare D. Auguſtinus ſcriptum reliquerit: dedit Baptiſmum Judas, & non baptizatum eſt poſt Judam; dedit Joannes, & poſt Joannem baptizatum eſt, quia, quod datum eſt a Juda, Baptiſma Chriſti erat; quod autem a Joanne datum eſt, Joannis erat. Non Judam Joanni, ſed Baptiſmum Chriſti, etiam per Judæ manus datum, Baptiſmo Joannis, etiam per manus Joannis dato, recte præponimus.* IV. Parum, aut nihil refert, ſi clavis ſit aurea, vel argentea, vel etiam ferrea, dummodo ad aperiendum ſit apta; parum quoque, aut nihil refert, ſi canalis ſit aureus, vel plumbeus, dummodo eadem ſit aqua: parum denique, aut nihil refert, ſi inſtrumentum ſit vile, vel pretioſum, dummodo ad operandum ſit aptum; ſed MiniſterSacramenturum eſt inſtrumentum, eſt canalis, eſt clavis in Sacramentis conficiendis & conferendis: ergo eadem de eo currit ratio. Argumentum eſt S. Thomæ 3. parte q. 64. art. 9. *Quia Miniſter in Sacramentis inſtrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, ſed in virtute Chriſti. Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis charitas, ita & fides. Unde ſicut non requiritur ad perfectionem Sacramenti, quod Miniſter ſit in charitate, ſed poſſunt etiam peccatores Sacramenta conferre, ut ſupra dictum eſt, ita non requiritur ad perfectionem Sacramenti fides ejus.* V. Militiæ cingulum etiam confertur legitime ab iis, qui militiam deſerunt, quales ſunt deſertores: ergo quanvis Miniſtri Sacramentorum ſint militiæ Chriſti deſertores, ſive fidem deſerentes, ſive charitatem amittentes, ſemper tamen poſſunt chriſtianæ militiæ cingulum per Sacramenturum adminiſtrationem & confectionem conferre. Sic ſcribit Auguſtinus lib. 1. de Bapt. cap. 4. *Jam vero ſi quis non intelligit, quomodo fieri poſſit, ut quod ibi eſſe confitemur, non ibi recte dari dicamus, illud attendat: quia nec recte ibi eſſe dicimus, quod & illi dicunt in his, qui ab eorum communione diſcedunt. Intueatur etiam ſimilitudinem notæ militaris, quia extra militiam a deſertoribus & haberi, & accipi poteſt; ſed tamen extra militiam nec habenda, nec accipienda eſt, & reducto, vel perducto ad militiam, nec mutanda, nec iteranda eſt.* VI. Æque inter Zizania, ac inter alias herbas, creſcit triticum, quando eadem eſt pluvia, quæ terram irrigat: ergo pariter æque producitur, & creſcit gratia, quando eadem ſunt Sacramenta, quanvis Miniſtri ſint varii, & quidem etiam ſive in credendo, ſive in operando oppoſiti. Quod Auguſtinus inculcabat lib. 4. de Bapt. cap. 9. *Sicut ipſe Dominus ait, inimicus homo hæc fecit, qui ſuperſeminavit zizania. Sicut ergo, & intus quod Diaboli eſt, arguendum eſt, ſic & foris quod Chriſti eſt, agnoſcendum eſt. Nec quiſquam dixerit: quid enim frumenti habent zizania? ſi enim hoc ita eſt, & intus, & foris ad hoc duntaxat par conditio eſt: neque enim in zizaniis exterioribus non inveniuntur grana frumenti, & interioribus inveniuntur De Sacramento autē cum quæritur, non utrum habeant aliquid frumenti zizania quæritur, ſed utrum habeant aliquid Cœli: & exterioribus enim, & interioribus zizaniis cum tritico eſt pluvia communis, quæ celeſtis & dulcis eſt ipſa, etiamſi ex ea zizania ſteriliter creſcunt: ſic & Evangelium Chriſti Sacramentum divinum & ſuave eſt; neque propter eorum ſterili-*

tatem

tatem, quos etiam foris complait, improbandum. Rurſus lib. 1. de Bapt, cap. 12. fuſo calamo probat num. 18. & 19., quod ſicut recedente fictione non reiteratur Baptiſma,ita quoque, quando idem a malo Miniſtro collatum eſt.

Opponunt I. Ex Scripturis. Eccl. 34. *Ab immundo quis mundabitur? .... qui baptizatur a mortuo, quid proficit laudatio ejus*. Pſal.140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*. Joan.9. *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit*. Matth. 7. *Arbor bona fructus bonos facit, arbor mala malos fructus facit*. Lucæ 11. *Qui non colligit mecum, diſpergit*. Joannis 1. cap.2., vocat ſive Hæreticos, ſive malos Chriſtianos, Antichriſtos. Et tandem Num. 16. Core, Dathan, & Abiron, quia cum peccato offerebant Sacrificium, a Deo percuſſi, abſorpti ſunt a terra: *dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos*. II. Auguſtinus lib.5. de Bapt. contra Donatiſtas c.22. *Proinde conſentimus Cypriano, Hæreticos remiſſionem dare non poſſe; Baptiſmum autem dare poſſe, quod quidem illis & dantibus & accipientibus valeat ad perniciem, tanquam tanto munere Dei male utentibus; ſicut etiam maligni & invidi, quos & intus eſſe teſtatur ipſe, remiſſionem peccatorum dare non poſſunt, eum, eos Baptiſmum dare poſſe, omnes fateantur*. Et lib.3. cap.18. loquens de malis Miniſtris ait. *Tales ipſis Cypriani temporibus baptizabant, quos Coepiſcopos ſuos cum magno ſuiſſe gemitu confitetur.... remiſſionem tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum, ideſt, per columbæ gemitus, datur.... Non enim raptoribus ac fæneratoribus diceret Dominus; ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur. Foris quidem nec ligari quidem aliquid poteſt, nec ſolvi, ubi non ſit, qui aut ligore poſſit, aut ſolvere, ſed ſolvitur, qui cum columba fecerit pacem, & ligatur, qui cum columba non habet pacem, ſive aperte foris ſit, ſive intus eſſe videatur*. Lib.6. cap.4. *Per hoc nihil idoneum dici, cur non poſſit malus etiam tradere Baptiſmum, qui poteſt habere; & ſicut pernicioſe habet, ita etiam pernicioſe tradere: non quia tale aliquid tradit, nec quia talis tradit, ſed quia tali tradit. Nam cum malus tradit bono, id eſt, in unitatis vinculo veraci converſione mutato, inter bonum Sacramentum, quod traditur, & bonum fidelem, cui traditur, tradentis malitia non ſeparat. Et cum illi veraciter ad Deum converſa peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipſa veraci converſione conjungitur*. Ex quibus verbis habetur, quod ſecundum Auguſtini mentem,licet mali Miniſtri poſſint baptizare, non poſſunt tamen abſolvere. Ulterius habetur, quod ſi ex Auguſtino malus Miniſter non poteſt effectum Sacramenti conferre, hoc eſt, gratiam producere, neque poteſt Sacramentum valide miniſtrare; quia eadem actio ſacramentalis eſt, per quam Sacramentum conficitur, & per quam Sacramenti effectus producitur: ergo ſi malus Miniſter non poteſt facere hoc ſecundum, neque poteſt facere primum. III. Ambroſius lib. de Initiandis, ſeu de Myſteriis cap.14. ſcribit: *in aliquibus aquam eſſe mendacem, ac Baptiſmum perfidorum non mundare, ſed polluere*; atqui S. Doctor loquitur de impiis ac perfidis Miniſtris: ergo hi nec veraciter, nec valide baptizant. IV. Hieronymus in Caput 3. Sophoniæ: *Sacerdotes, qui Euchariſtiæ ſerviunt, impie agere in legem Chriſti, putantes Euchariſtiam imprecantis verba facere, non vitam, ac neceſſariam eſſe tantum ſolemnem orationem, & non merita Sacerdotum*: ergo ſi ex Hieronymo ad valide Euchariſtiam efficiendam requiruntur merita Sacerdotum, Miniſtri, qui merita non habent,Euchariſtiam non conficiunt. V. Impii ſunt filii Diaboli, juxta illud: *Vos ex patre Diabolo eſtis*: ergo nullo modo poſſunt eſſe inſtrumenta Chriſti. Probatur conſequentia. Non poſſunt eſſe inſtrumenta Chriſti, qui cum Chriſto non ſunt conjuncti; ſed impii, quia ſunt filii Diaboli,cum Chriſto non ſunt conjuncti: ergo impii, quia ſunt filii Diaboli, non poſſunt eſſe inſtrumenta Chriſti. VI. Actio, per quam impius Miniſter conficit Sacramentum, eſt mala; ſed per actionem malam nequit ſanctitas produci: ergo per malum Miniſtrum nequit Sacramentum valide miniſtrari. De majori propoſitione non eſt dubium, quia per actionem illam ſacrilegium committitur. VII. Nemo dat, quod non habet; ſed impiis deeſt gratia ſanctificans: ergo non poſſunt illam aliis dare; atqui darent, ſi valide Sacramenta conficerent,

rent, & adminiſtrarent: ergo ſi non dant, ſignum eſt, quod valide nec conficiunt, nec miniſtrant.

VIII. In Sacramento pœnitentiæ remittuntur peccata per Spiritum Sanctum, qui inhabitat in Miniſtro ejuſdem Sacramenti; ſed in impio Sacerdote Spiritus Sanctus non habitat: ergo impius Sacerdos non poteſt peccata dimittere: ergo non poteſt Pœnitentiæ Sacramentum conficere, & miniſtrare.

Reſpondemus ad I., explicando Scripturas in objectione poſitas. Et quidem verba Eccleſiaſtici verificarentur de impio Miniſtro, ſi proprio nomine Sacramenta conficeret, & miniſtraret; at quia illa conficit nomine Chriſti, & Chriſtus ſive in bono, ſive in malo Miniſtro, ſemper eſt idem, inde eſt, quod æque valide Sacramentum conficit, & confert, ſive bonus, ſive malus ſit Miniſter. Inſuper ad alia verba Eccleſiaſtici reſpondebat Auguſtinus lib.3. cont. literas Petiliani cap 7., non baptizari a mortuo, qui ab impio Miniſtro baptizatur, quia baptizatur Baptiſmo Chriſti viventis, non Baptiſmo hominis mortui. Et lib 2. cont. Creſconium c.24., hanc retorſionem argumenti Donatiſtis opponebat: peccator occultus etiam eſt mortuus, & nihilominus per Donatiſtas valide baptizabat; ergo etiam peccator publicus, etſi mortuus ſit, valide baptizat. Verba Pſalmi, Auguſtinus docet lib.2. cont. literas Petiliani cap.103, nullo modo poſſe intelligi de Sacramentorum Miniſtris, quia aliter nullus homo viator poſſet valide Sacramenta conficere, quia nullus homo viator eſt a peccato immunis. Igitur verba Pſalmi intelligi debent de adulatoribus, ut ex contextu patet: *corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*; & ſic Auguſtinus explicat. Verba Joannis, dicit Auguſt. lib.2. cont epiſt. Parmeniani c.8., non eſſe verba Chriſti, ſed Cæci nati, qui fuit a Chriſto illuminatus. Verba Matthæi, negat Auguſtinus lib.2. cont. lit. Petiliani cap.6., applicari poſſe Miniſtro improbo, quia hic, etſi malus in ſe ipſo, non eſt tamen arbor mala; arbor enim mala eſt homo de ſuo faciens, non ex virtute Chriſti; at Miniſter improbus non de ſuo, ſed ex virtute Chriſti facit. Utique Antichriſti dici debent, ſive hæretici, ſive mali Chriſtiani, qui reduplicative operantur ut tales, at mali Catholici, qui Sacramenta conficiunt, non operantur reduplicative ut mali: ergo nequeunt ut tales Antichriſti nominari. Faciunt aptiſſime ad rem verba Auguſtini lib. 3. de Bapt. cap.10. *Non eſt autem aqua profana & adultera, ſuper quam nomen Dei invocatur, etiamſi a profanis & adulteris invocetur, quia nec ipſa creatura, nec ipſum nomen adulterum eſt: Baptiſmus vero Chriſti verbis euangelicis conſecratus & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamvis illi ſint impudici & immundi, quia ipſa ejus ſanctitas pollui non poteſt, & Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit, ſive ad ſalutem bene utentium, ſive ad perniciem male utentium. An vero Solis, vel etiam lucernæ lux, cum per cœnoſa diffunditur, nihil inde ſordium contrahit, & Baptiſmus Chriſti poteſt cujuſquam ſceleribus inquinari? Si enim ad ipſas res viſibiles &c.* Dei ique Core, Dathan, & Abiron, mulctati a Deo fuerunt, quia abſque miſſione ſacrificium offerebant, & abſque deputatione ſacris ſe immiſcebant, non vero quia præciſe erant mali & impii Miniſtri. Audiatur quoque Auguſtinus lib. 3 de Bapt. cap. 18. *Dathan vero, Core, & Abiron, qui ſibi licentiam ſacrificandi uſurpare conati ſunt, contra unitatem populi Dei, & filii Aaron, qui alienum ignem altari impoſuerunt, novimus, quod impune non fecerint, nec nos talia ſcelera dicimus impunita remanere.*

Ad II. Multæ ſunt reſponſiones ad Auguſtini verba in objectione poſita, quas congerit, & affert Tournely, & nos ex ipſo referimus. Prima eſt, quod Auguſtinus neget, illam ſolam gratiam a malis Miniſtris conferri, quæ a Deo impetratur per Sanctorum orationes, non vero illam, quæ producitur virtute Sacramenti: Vel, ut Scholaſticorum verbis dicamus, negat Auguſtinus conferri a malo Miniſtro gratiam, quæ dicitur ex opere operantis, non vero gratiam, quæ dicitur ex opere operato. Secunda reſponſio eſt, quod Auguſtinus loquatur de ſuſcipientibus Sacramenta, qui participant de malitia Miniſtri, & his ſuſcipientibus vult gratiam non conferri, ex defectu ſcilicet diſpoſitionis ipſorum, non autem ex Miniſtri defectu: Et in

hoc

hoc ſenſu volunt dixiſſe Auguſtinum lib.6. de Bapt. cap.4., *non quia tale aliquid tradit, nec quia talis tradit, ſed quia tali tradit*, quicquid aliter Lovanienſes legant, ut apud eundem Tournely. Tertia reſponſio eſt, quod Auguſtinus intelligi debet, quod Miniſter malus non conferat gratiam ſuo proprio nomine, & virtute, ſed nomine, & virtute Chriſti, & Eccleſiæ. Unde docet lib.3. de Bapt.cap.18. *Pax Eccleſiæ dimittit peccata, & ab Eccleſiæ pace alienatio tenet peccata, non ſecundum arbitrium hominum, ſed ſecundum arbitrium Dei, & orationes Sanctorum ſpiritalium.... Pax autem hujus unitatis in ſolis bonis eſt..., in malis autem non eſt, ſive foris tumultuentur, ſive intus tolerentur*. Et lib.5. cap.21. *Quapropter Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipſam vero gratiam nonniſi per ſe ipſum, vel per Sanctos ſuos. Et ideo remiſſionem peccatorum vel per ſe ipſum facit, vel per illius Columbæ membra, quibus ait, ſi cui dimiſeritis &c.* Quarta demum reſponſio eſt, quod Auguſtinus arguebat contra Donatiſtas ad hominem, ex eorum ſcilicet doctrina, praxi, & ſententia; ut ait Tournely. „ Alii denique reſpondent,
„ Sanctum Auguſtinum citatis in locis
„ arguere Donatiſtas argumento, ut
„ ajunt, ad hominem, ex eorum nen-
„ pe praxi, atque ſententia. Scilicet
„ rejiciebant Donatiſtæ Sacramenta ab
„ Hæreticis, & publicis peccatoribus
„ data, hoc prætextu, quod cum Spiri-
„ tum Sanctum illi non haberent, eum
„ aliis conferre non poſſent; porro nul-
„ lum eſſe putabant Sacramentum quoad
„ ſubſtantiam, quod Spiritu Sancto ca-
„ reret: atqui, reponebat S. Doctor,
„ peccatores occulti, raptores, homi-
„ cidæ &c., Spiritum Sanctum pariter
„ non habent: ergo eum conferre aliis
„ non poſſunt: ergo nec verum habent,
„ & conferunt Sacramentum. Attamen
„ datum ab ipſis Sacramentum non reji-
„ ciebant Donatiſtæ: ergo, concludebat
„ S. Auguſtinus, nec rejicere debent da-
„ tum ab Hæreticis, & publicis pecca-
„ toribus: par enim eſt eorum omnium
„ ratio; ſiquidem omnes illi gratia pa-
„ riter privati ſunt. Ita fere urgebat
„ Donatiſtas lib.4. adverſus eos cap.4.
„ *Non itaque, inquiebat, Hæreticorum*
„ *Baptiſmo acceptamus, quando poſt eos*
„ *non baptizamus, ſed quod Chriſti eſſe*
„ *cognoſcimus, etiam in malis homini-*
„ *bus, ſive aperte foris, ſive intus occul-*
„ *te ſeparatis, illis in ea re, in qua de-*
„ *viabant, correctis, debita veneratione*
„ *ſuſcipimus. Sicut autem urgeri videor,*
„ *cum mihi dicitur: ergo Hæreticus de-*
„ *mittit peccata?; ſic & ego urgeo, cum*
„ *dico: ergo, qui cœleſtia mandata non*
„ *ſervat, avarus, raptor, fænerator,*
„ *invidus..... peccata dimittit?; ſi per*
„ *vim Sacramenti Dei, ſicut ille, ita*
„ *& ille, ſi per meritum ſuum, nec ille,*
„ *nec ille.*

Ad III. Ambroſius non eſt intelligendus de Miniſtro, ſed de Subjecto Baptiſmi, de quo ultro concedimus, quod, ſi fidem non habuerit, nullum ex Baptiſmo fructum percipiet. Unde dicit: *baptizatus es in nomine Trinitatis, confeſſus es Patrem, confeſſus es Filium, & Spiritum Sanctum, tene ordinem rerum in hac fide.*

Ad IV. Hieronymus loquitur de ſignificato Euchariſtiæ ſecundum vocis ſenſum, quod eſt gratiarum actio, & aſſerit, quod ad hanc gratiarum actionem requiritur in Miniſtro probitas, ac ſanctitas morum:

Ad V. Impii Miniſtri ſunt cum Chriſto conjuncti, vel per fidem, quam adhuc habent; vel per intentionem, qua intendunt facere, quod Chriſtus inſtituit; vel per Ordinationem, qua Chriſti Miniſtri conſecrati ſunt.

Ad VI. Diſtinguitur major; actio, per quam impius Miniſter miniſtrat, eſt mala quoad ſubſtantiam, negatur; quoad modum, conceditur. Non enim eſt mala quatenus actio illa eſt applicatio formæ ſupra materiam, ſecundum quam Miniſter eſt inſtrumentum, quo Deus utitur ad ſacramentalis effectus productionem. Eſt vero mala, quia eſt ſacrilega, quatenus impius Miniſter ſancta non ſancte tractet, & animam ſuam occidit, quando aliis præbet pharmaca ſalutis.

Ad VII., diſtinguitur etiã major; nemo dat, quod non habet, & dat ut cauſſa principalis, & ex propria virtute, conceditur; & dat ut cauſſa inſtrumentalis, & in virtute alterius, negatur. Sacramenta ſunt, quæ continent gratiam; unde quanvis gratia in Miniſtro non reperiatur, confertur nihilominus ſuſcipientibus Sacramenta, quia illam, non ut pote in Miniſtro contentam, ſed ut contentam in Sacramentis,

tis, quæ ſuſcipiunt, recipere dicendum eſt.

Ad VIII. Spiritus Sanctus habitat in Miniſtro ratione characteris, quo inſignitus eſt, & ratione Ordinis, quem ſuſcepit, & cum eo etiam Spiritum Sanctum recepit: unde poſtmodum, quando lethiferi peccati labe ſe maculavit, perdidit quidem Spiritum Sanctum, hoc eſt, gratiam ſanctificantem, non vero amiſit Spiritum Sanctum, quem in ſua Ordinatione recepit.

Dicimus II., illicitum eſſe Miniſtro Sacramentorum peccati mortalis conſcio Sacramenta conficere, adeoque neceſſariam illi eſſe gratiam ſanctificantem, quotieſcunque Sacramenta ex officio conſecrat, & diſpenſat.

I. Probatur ex Scripturis. Exodi 10. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos.* Levit. 21. *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus; incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt.* Et cap. 22. *Omnis homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra* (Aaronis) *ad ea, quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.* Iſa. 53. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Pſal. 49. *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Malachiæ 2. Miniſter dicitur *Angelus Domini*, quia Angelorum habere debet puritatem. I. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei, jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Fidelitas autem communiter ab Interpretibus per vitæ probitatem, ac per morum ſanctitatem, intelligitur & explicatur.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Gregorius Magnus lib. 1. Epiſt. 25. *Neceſſe eſt, ut eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere ſordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet .... ſcriptum nanque eſt; mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Anaſtaſius II. in epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem cap 8. *Ideo ergo et ipſe Acatius, cujus nomen dicimus eſſe reticendum, male bona miniſtrando, ſibi tantum nocuit. Nam inviolabile Sacramentum, quod per ipſum datum eſt, aliis perfectionem ſuæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit &c.* Gregorius III. epiſt ad Bonifacium. *Quosdam abſque interrogatione Symboli ab adulteris & indignis Presbyteris faſſus es baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem Eccleſiæ, quia quiſquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus eſt, rebaptizari eum minime liceat. Non enim in nomine baptizantis, ſed in nomine Trinitatis, hujus gratiæ donum percepit. Et teneatur, quod Apoſtolus ait; unus Deus, una Fides, unum Baptiſma. Doctrinam ſpiritalem talibus ſtudioſius ut impertias, demandamus.* Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum cap. 71. *Sciſcitantibus vobis, ſi a Sacerdote, qui ſive comprehenſus eſt in adulterio, ſive de hoc fama ſola reſperſus ſit, debeatis communionem recipere, nec ne; reſpondemus, non poteſt aliquis, quantumlibet pollutus ſit, Sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum exiſtunt. Nec poteſt Solis radius per cloacas & latrinas tranſiens aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiscunque Sacerdos ſit, quæ ſancta ſunt coinquinare non poteſt; idcirco ab eo, uſquequo Epiſcoporum judicio reprobetur, communio percipienda eſt. Quoniam mali bona miniſtrando, ſe tantummodo lædunt, & cerea fax accenſa ſibi quidem detrimentum præſtat, aliis vero lumen in tenebris adminiſtrat; unde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet. Sumite igitur intrepide ab omni Sacerdote Chriſti Myſteria, quoniam omnia in fide purgantur.* Immo Alexander VII. anno 1666. inter damnatas ab eo propoſitiones proſcripſit etiam has, quæ num. 38, & 39. leguntur. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, eſt conſilium, non præceptum. Illa particula quamprimum intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Illiberitanum, celebratum poſt Decii perſecutionem, hoc exigit, probitatem ſcilicet in Miniſtro, ut licite Sacramenta conficiat. Concilium Africanum, de quo loquitur P. Boucat, & cui præerat Secundus, in Numidia Epiſcopus, Epiſcopos Comprovinciales monebat, ut ſedulo diſcuterent, num ſacrorum Codicum traditionis criminis reus foret ille, quem Epiſcopum electum ſciebant, antequam manus ei imponerent. Concilium Tridentinum ſeſs. 13. cap 7. *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem*

nem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non ſit illis copia Confeſſoris; quod ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur. Et ejuſdem Concilii Cathechiſmus p.2. n.23. *Meminiſſe ſemper debent Paſtores, Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis ineſt, nunquam amittere; at vero impure ea miniſtrantibus æternam perniciem, & mortem afferre. Sancta enim ... ſancte, & religioſe tractanda ſunt: peccatori, ut apud Prophetam, dixit Deus; quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?; tu vero odiſti diſciplinam. Quod ſi homini peccatis contaminato minus licet de rebus diuinis agere, quantum ab eo ſcelus concipi exiſtimandum erit, qui ſibi multorum ſcelerum conſcius, nec tamen ſacra Myſteria polluto ore conficere, vel in fœdas manus ſumere, contrectare, atque aliis porrigere, & miniſtrare vereatur? ... Sanctitatem igitur ſacrarum rerum Miniſtri in primis ſectentur, pure ad Sacramenta miniſtranda accedant, atque ita ſe ad pietatem exerceant, ut ex eorum frequenti tractatione & uſu uberiorem in dies gratiam, adjuvante Deo, conſequantur.*

IV. Probatur ex Patribus. Auguſtinus concione 1. in Pſal. 103. de malis Miniſtris loquens, ait: *videant qualem rationem habituri ſunt cum Deo, qui ſanctis non ſancte utuntur.* Et Tract. 5. in Joannem; *ego dico, & omnes dicimus, quia juſtos eſſe oportet tanti Judicis Miniſtros.* Et lib. 2. cont. epiſt. Parmeniani cap. 10. *omnia Sacramenta, cum obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus.* S. Bernardus lib. de Converſione ad Clericos cap. 10. *Væ Miniſtris infidelibus, qui, nec dum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia apprehendunt.* Adjungimus S. Thomam, qui rationem, quam affert 3. par. q. 64. art. 6. in corp. deſumpſit ab Auguſtino lib. 2. cont epiſt. Parmeniani cap. 13. Hæc ſunt verba S. Thomæ. *Non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe Miniſtros Dei, & Eccleſiæ, in diſpenſatione Sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum eſt ex parte ipſius peccatoris, (licet Sacramenta ſecundum ſe ipſa incontaminabilia ſint,) conſequens eſt, quod tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale.* Hæc ſunt verba Auguſtini. *Unde conſequenter intelligitur, perverſitatem hominum eſſe corrigendam, ſanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverſo eſſe violandam. Conſtat enim, eam in perverſis & ſceleratis hominibus, ſive in eis, qui intus ſunt, ſive in eis, qui foris ſunt, impollutam atque inviolabilem permanere, & quia dicuntur ea mali polluere, quantum in ipſis eſt, dicuntur, cum illa impolluta permaneant; ſed in bonis permanent ad præmium, in malis permanent ad judicium. Nam & de Spiritu, qui nullo modo extingui poteſt, dictum eſt tamen, Spiritum nolite extinguere, ideſt, quantum in vobis eſt, nolite ſic agere, tanquam conemini Spiritum extinguere.*

V. Probatur rationibus I. Qui ſancta non ſancte tractat, peccat; ſed qui peccat, illicite agit: ergo qui ſancta non ſancte agit, illicite agit; atqui, qui ſcit ſe eſſe in peccato mortali, ſancta non ſancte agit; ergo illicite Sacramenta conficit. II. Nequit componi improbitas Miniſtri cum ſanctitate Chriſti, cujus eſt Miniſter, abſque ejuſdem Miniſtri culpa; ergo injuriam facit Chriſto Miniſter, qui lethalis peccati conſcius Sacramenta conficit & miniſtrat. III. Injuriam facit quoque Miniſter impius ſanctitati Sacramenti, quod conficit & miniſtrat: ergo vel ex hoc etiam capite peccat. IV. Injurius eſt quoque Miniſter in peccato lethali exiſtens in ſanctitatem gratiæ, quam per Sacramenti confectionem & adminiſtrationem alteri confert: ergo & ſimiliter ex hoc capite peccat, & illicite operatur. V. Peccat, qui ritus & cæremonias ab Eccleſia inſtitutas in Sacramentorum adminiſtratione pervertit, vel ſcienter, vel negligenter: ergo multo magis peccat, qui conſcientiam ſuam non emundat, antequam ad Sacramenti confectionem accedat. Conſequentia ſequitur, quia ritus ſpectant ad diſpoſitionem externam, puritas vero conſcientiæ ad diſpoſitionem internam, & ritus ipſi conſcientiæ puritatem indicant, & admonent. Antecedens vero eſt Trident. ſeſs. 7. can. 13. *Si quis dixerit*

rece-

receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Eccleſiæ Paſtorem mutari poſſe; Anathema ſit.

Objiciunt I. Quamvis peccet Miniſter, qui ex officio operatur, quando cum alicujus peccati mortalis conſcientia Sacramentum conficit, non ſic tamen dicendum erit de miniſtro, qui non ex officio, ſed ex neceſſitate miniſtrat: atqui in utroque eſt par ratio: ergo vel nemo, vel uterque peccat, & illicite operatur. II. Impius Miniſter, qui Sacramenta ab aliis facta diſpenſat, non peccat, & nihilominus ſancta ſancte non tractat: ergo non eſt ratio, ut peccet impius Miniſter, qui Sacramenta conficit, quia ſancta non ſancte tractat. III. Non peccat Concionator, qui in peccato mortali exiſtens verbum Dei populis enunciat: ergo neque peccat Miniſter, qui in peccato mo tali exiſtens Sacramenta conficit, vel miniſtrat. IV. Non peccat mortaliter Diaconus, neque Subdiaconus, qui publice Evangelium, vel Epiſtolam canit in Miſſa ſolemni, quando eſt peccati mortalis conſcius: ergo neque peccat Miniſter, qui in eodem ſtatu Sacramenta conficit, ac diſpenſat. V Obſtetrix etiam ex officio miniſtrat Sacramentum Baptiſmi Infantulo ſtatim morituro, & ſi eſt in peccato mortali, non illicite operatur: ergo non eſt verum, quod Miniſter Sacramentorum ex officio Sacramenta conficiens & diſpenſans debeat eſſe in gratia. VI Sponſus, & Sponſa ſunt Miniſtri Sacramenti Matrimonii, & nihilominus, quando contrahunt, non requiritur, ut ſint in gratia, ut licite, & ſine peccato operentur: ergo non eſt neceſſaria in Miniſtro Sacramentorum ſanctitas habitualis, ut licite Sacramenta conficiat, & adminiſtret.

Reſpondemus ad I., quod duplex adeſt diſcrimen in caſu propoſito, quorum unum eſt, quia Miniſter ex officio tenetur facere Sacramentum, & non poteſt ſe excuſare, alius vero non tenetur, & poteſt ſe dicere impeditum; aliud vero diſcrimen eſt, quod in hoc alio ſupponitur neceſſitas reſpectu ſuſcipientis, quæ non ſupponitur in primo, unde hujuſce neceſſitatis reſpectu aliter in uno, aliter in altero caſu loquendum eſt. Audiatur S. Thomas 3. par. q. 64. art. 6, ad 3.: *in articulo neceſſitatis non peccaret baptizando in caſu, in quo etiam poſſet Laicus baptizare: ſic enim patet, quod non exhiberet ſe Miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti. Secus autem eſt in aliis Sacramentis, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis.* Et in 4. diſt. 24. q. 1. art. 3. in ſolutione quæſtiunculæ quintæ. *Quicunque ſanctum Miniſterium, ad quod ſpecialiter deputatus, & conſecratus eſt, indigne tractat, reus eſt gravis peccati.*

Ad II. Sunt, qui putant, nec pariter licere Sacerdoti cum peccato mortali exiſtenti Euchariſtiam ab alio confectam miniſtrare, & illum, qui aliter facit, graviter peccare; unde ſecundum hos Sacerdos, qui in peccato mortali celebraret, tria ſacrilegia committeret, unum quando conficeret Sacramentum, aliud quando reciperet, & aliud quando ſibimetipſi miniſtraret. Alii tamen docent, quod ſanctitas ſit tantum neceſſaria in conficiente, non vero in adminiſtrante Sacramenta, & adducunt exemplum, quia prioribus Eccleſiæ ſeculis laici propriis manibus Euchariſtiam tangebant, ad alios deferebant, immo etiam ſibimetipſis in propriis domibus miniſtrabant; & tamen nemo in illis ſanctitatem requirebat, quæ modo ab aliis in Sacramentorum Miniſtro, qui tantum diſpenſat, & non conficit Euchariſtiam, requiritur.

Ad III. S Thomas in 4. diſt. 19. queſt. 2. art. 2. ad 2. hæc reponit. *Docere ſacram Scripturam dupliciter contingit; uno modo ex officio prælationis. . . ; alio modo ex officio Magiſterii, ut Magiſtri Theologiæ docent. Dicũt ergo quidam, quod ille, qui primo modo docet, peccat mortaliter, ſi ſit in peccato mortali notorio, non autem ille, qui ſecundo modo docet. Sed hoc eſt falſum, quia eorum, qui docent ſacram Scripturam, eſt idem finis, & eorum qui ſacram Scripturam ediderunt: unde cum ad hoc ordinetur Scripturæ editio, ut ad vitam æternam homo perveniat . . . , quicunque impedit finem doctrinæ docendo peccat; impedit autem, qui ſacram Scripturam in peccato docet, quia ore profitetur, ſe noſſe Deum, factis autem negat; & dicendum, quod ille, qui eſt in peccato notorio, peccat, ſive ſic, ſive ſic doceat; ſed ille, qui eſt in pec-*

Digitized by Google

cato occulto, *peccat ſi primo modo doceat, non autem ſi ſecundo*.

Ad IV. De Diaconis, & Subdiaconis hæc aſſerit Tournely. „ Ex his facile eſt inferre, Diaconum, qui ex officio Sacerdoti celebranti miniſtrat, niſi puram „ habuerit a lethali peccato conſcientiam, graviter peccare; quapropter „ Apoſtoli Act.6, non alios viros voluerunt in Diaconos ordinandos, quam „ plenos Spiritu Sancto, & ſapientia. „ Unde S.Auguſtinus epiſt.21.: *nihil eſſe* „ *in hac vita difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut* „ *Diaconi officio; ſed apud Deum nihil* „ *beatius, ſi recte obeatur; ſi vero perfunctorie, atque adulatorie, nihil miſerius & triſtius & damnabilius*. Idem „ de Subdiaconis, aliiſque inferioribus „ Miniſtris, ita ſecure ac certo pronuntiare non poſſumus, quia certum & „ exploratum non eſt apud omnes, illos „ Ordinum gradus ſacros eſſe, ſeu vera „ Sacramenta, quorum officia exercere „ Laici poſſunt. Verum ſumma etiam „ cura ipſis inferioribus Miniſtris hoc „ commendandum, ut quantum fieri poteſt, non niſi pura conſcientia ad ſuas „ exercendas functiones accedant, alias „ indignos ſe oſtenderent, qui ad ſuperiores gradus promoverentur. „ Nos quidem de Diaconis dicimus, peccare mortaliter, ſi lethalis culpæ conſcii ſuū munus exercent, quia debent eſſe parati ſacrificium perficere, etiam per Corporis,& Sanguinis Chriſti ſumptionem, ſi Sacerdoti celebranti aliquod inſuperabile adveniat impedimentum, per quod non poſſit Sacrum complere; & hæc eſt communis omnium ſententia. De Subdiaconis vero non ita, ut citatus aſſerit Tournely.

Ad V., negatur, quod obſtetrix ex officio Sacramentum Baptiſmi miniſtret parvulo morituro, ſed tantum miniſtrat ob neceſſitatem, quia mors imminet Infanti, & ne ipſe ſine Baptiſmo moriatur. Et nihilominus etiam in neceſſitatis caſu cum ordine procedendum eſt, quia ſemper præferri debet maſculus fœminæ, Clericus Laico, in Sacris exiſtens Clerico, dummodo Baptiſmi formam calleant, ut cum de Baptiſmo, dicetur.

Ad VI. Non eſt eadem apud omnes ſententia, quod Sponſi ſint Miniſtri Sacramenti Matrimonii; attamen dato, quod ſint, non ſunt Miniſtri conſecrati ad hoc Sacramentum perficiendum, ſicuti ſunt Miniſtri cæterorum Sacramentorum, ad quos præcipue incumbit ſancta ſancte tractare. Et hoc nihilominus non obſtante, praxis Eccleſiæ eſt, ut Sponſi, quando Matrimonium contrahunt de præſenti, ab omni labe mortalis peccati purificati ad contrahendum accedant; ut cum de Matrimonio erit ſermo.

Pro tertia Diſſertationis parte, in qua quæritur, an ſit licitum a Miniſtro improbo Sacramenta petere?; varii diſtinguendi ſunt caſus, quorum primus eſt, an ſit neceſſitas, vel ne?, Alter, an Miniſter ſit malus, vel publice, vel occulte, vel tolleratus, vel nō tolleratus?, & alius, an ei ex officio incumbat Sacramentaminiſtrare, vel non? Unde.

Dicimus III., licere alicui Sacramenta petere a Miniſtro improbo ſive publico, ſive occulto, ſive tollerato, ſive non tollerato, ſive ſit Parochus, cui hoc ex officio incumbat, ſive ſit alius Sacerdos, qui ad miniſtrandum ſit paratus, dummodo ſit juſta cauſſa petendi, quæ ſola eſt neceſſitas; hac autem ſecluſa, non licere.

I. Probatur ex Romanis Pontificibus. Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum c.71. docet, poſſe recipi communionem a facinoroſo Sacerdote, *uſquequo Epiſcoporum judicio reprobetur*. Lucius III., qui refertur lib 3. Decretal. tit. 2. de *cohabitatione Clericorum*, ait: *ſine dubitatione teneatis, quod a Clericis, & Præsbyteris, quanquam fornicariis, quandiu ab Eccleſia tolerantur, nec habent operis evidentiam, licite divina Myſteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta eccleſiaſtica*.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Baſileenſe anno 1435. celebratum ſeſs 20. innovat Conſtitutionem Martini datam anno 1418., quæ incipit, *ad evitanda ſcandala*, in qua Martinus V. ſic ſtatuit: *nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum participatione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque divinis, pretextu cujuſcunque ſententiæ, aut cenſuræ eccleſiaſticæ a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum eccleſiaſticum obſervare, niſi cenſura .... vel ſententia hujuſmodi fuerit facta in, vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, Communitatem, vel locum certum, a Judice publicata, vel denuntiata*

ſpe-

ſpecialiter, aut expreſſe, aut ſi aliquem ita notorie in excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo modo Juris ſuffragio, excuſari. Concilium Lateranenſe V. ſub Leone X anno 1512. eandem Conſtitutionē innovavit, quæ inſerta eſt in concordatis factis inter Leonem X, Summum Pontificem, & Franciſcum primum, Galliarum Regem. Concilium Trident. ſeſs. 14. c. 7. ait: *ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſuis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.*

III. Probatur ex Patribus. Auguſtinus lib. 6. de Bapt. cap. 5. *Poteſt tradere ſeparatus, ſicut poteſt habere ſeparatus; ſed quam perniciose habere, tam perniciose tradere. Ille autem, cui tradit, poteſt ſalubriter accipere, ſi ipſe non ſeparatus accipiat: ſicut pleriſque accidit, ut catholico animo, & corde ab unitate pacis non alienato, aliqua neceſſitate mortis urgentis, in aliquem Hæreticum irruerent, & ab eo Chriſti Baptiſmum ſine illius perverſitate perciperent, & ſive defuncti, ſive liberati nequaquam apud eos remanerent, ad quos nunquam corde tranſierant.* Et lib. 1. c. 2. *Si quem forte coegerit extrema neceſſitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit; & in anima pace catholica cuſtodita, per quem aliquem extra unitatem catholicam poſitum acceperit, quod erat in ipſa catholica unitate recepturus, ſi ſtatim etiam de hac vita migraverit, non eum niſi Catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali malo morte liberatus, cum ſe catholicæ congregationi etiam corporali præſentia reddiderit, unde nunquam corde diſceſſerat, non ſolum non improbamus, quod fecit, ſed etiam ſecuriſſime, veriſſimeque laudamus.* Et lib. 1. de Bapt. c. 2. *Si quis, cum poſſit in ipſa Catholica accipere, per aliquam mentis perverſitatem eligit in Schiſmate baptizari; etiamſi poſtea venire ad Catholicam cogitat, quia certus eſt ibi prodeſſe Sacramentum, quod alibi accipi quidem poteſt, prodeſſe autem non poteſt, procul dubio perverſus eſt, iniquus eſt, & tanta pernicioſius, quanta ſcientius. Ita enim non dubitat recte illic accipi, ſicut non dubitat illic prodeſſe, etiam quod alibi acceperit.*

IV. Probatur Rationibus I, quod non liceat extra caſum neceſſitatis recipere Sacramenta a Miniſtro impio, a quo diſpenſantur tantum ex commiſſione. Hic talis Miniſter vel eſt paratus ad diſpenſandum, vel non; ſed a neutro licet Sacramenta petere extra caſum neceſſitatis: ergo extra hunc caſum abſolute non licet. Probatur minor. Non eſt licitum petere a parato, quia abſque peccato non poſſumus alicui præbere occaſionem faciendi actionem peccaminoſam; nec poſſumus a non parato, quia non licet ſine peccato præbere alicui materiam peccandi.

II. Probatur, quod ſcilicet cuique ſit licitum extra caſum neceſſitatis petere Sacramenta a proprio Parocho, etiam impio, ſi non adſit alius Sacerdos, a quo peti poſſint. Cuilibet licet uti jure ſuo, quanvis ex hoc alterius damnum per accidens proveniat; ſed qui petit Sacramenta a proprio Parocho, etiam impio, utitur jure ſuo: ergo quanvis hic peccet adminiſtrando Sacramenta, non peccat tamen ille, qui ab eo petit etiam extra caſum neceſſitatis. Multa alia ſimilia ponit Jueninus in Commentario de Sacram. apud ipſum videnda. Si tamen adſit alius Sacerdos, ab hoc debet petere Sacramenta, quia hoc modo poteſt conſequi ſuum finem abſque detrimento alterius; & aliter facere, eſſet facere contra charitatem.

III. Probatur, quod ſcilicet non liceat extra periculum mortis petere Sacramenta a Miniſtro vel ſuſpenſo, vel excommunicato, liceat vero, quando periculum mortis imminet. Et hæc ſunt verba, que pro probatione adducit Juenirus citato loco. „ Auguſtinus „ lib. 1. de Bapt. cap. 2. *Si quis, cum poſſit* „ *in ipſa Catholica accipere, per aliquam* „ *mentis perverſitatem eligit in Schiſmate* „ *baptizari . . . procul dubio perverſus eſt* „ *& iniquus, & tanto pernicioſius, quanto ſcientius*. Secundo S Thomas eum, „ qui in caſu, de quo concluſio, Sacramentā petit, non Eccleſiæ, ſed confeſſo „ rentis peccato communicare contendit. Huc adduci poſſunt exempla Ca„ tholicorum, qui, (ut narrat Baronius,) „ ſeculo quarto ita ſollicite cavebant, ne „ aliquibus in rebus ſacris cum Arianis „ communicarent, ut ad id, ne morte „ quidem intenta ab Imperatoribus Hæ„ reticis, compelli potuerint „. Ab eodem Juenino probatur eodem loco, „ pro „ abſolutione ſacramentali urgente im„ pium morte, I. ex verbis his Concilii „ Trident. Seſs. 14. cap. 7. *Pie admodum,* „ *ne hac occaſione* (loquitur de caſuum „ reſer-

,, reſervatione *ne, aliquis pereat, in Eccleſia*
,, *Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit re-*
,, *ſervatio in articulo mortis, atque adeo om-*
,, *nes Sacerdotes quoslibet pænitentes a qui-*
,, *buſvis caſibus, & cenſuris abſolvere poſſunt.*
,, Nec valet, quod nonnulli reponunt,
,, ſcilicet Concilium intelligendum eſſe
,, tantum de Catholicis Sacerdotibus,
,, quibus a caſibus non reſervatis abſol-
,, vendi Ordinarius facultatem non fe-
,, cit. Primo enim ubi lex non diſtin-
,, guit, nec nos debemus diſtinguere,
,, preſertim quum agitur de revocatione
,, coarctationis in jure communi factæ,
,, ut eſt caſuum reſervatio; favores quip-
,, pe eſſe ampliandos, & odia reſtringen-
,, da, una eſt Canoniſtarum vox. Secun-
,, do, ideo ex Auguſtino licitum eſt adul-
,, tis, Baptiſmum ab hæreticis, quum ne-
,, ceſſitas urget, expoſcere, quia Baptiſ-
,, mus ad regenerationem neceſſitate
,, medii requiritur. Sed pariter ad ſpiri-
,, tualem reſurrectionem pœnitentia ſa-
,, cramentalis eſt neceſſaria, neceſſitate
,, medii. Nec audiendi ſunt aliqui Tho-
,, miſtæ aſſerentes, Sacerdotis abſolutio-
,, nem poſſe per contritionem pœniten-
,, tis ſuppleri, quum id idem de Baptiſmo
,, dici poſſit. Catechumenus enim adul-
,, tus, baptiſmatis actu recepti defectum,
,, ſaltem quoad juſtitiam conſequendam,
,, per contritionem cum voto Sacramen-
,, ti conjunctam ſupplere poteſt. „

Obſtant I. Non poſſumus alicui ſcandalum facere, & occaſionem peccandi dare; ſed qui ab impio Miniſtro, etiamſi ejus ſit proprius Parochus, Sacramenta petit, illi ſcandalum facit, & peccandi occaſionem præbet: ergo neque etiam a proprio Parocho licet Sacramenta petere, quando eſt peccator & improbus. II. Miniſtro, qui ab Eccleſia toleratur, qui communicat, non peccat, ſi ab eo Sacramenta petit; ſed Miniſtrum Sacramenti impium ſupponimus ab Eccloſia toleratum: ergo non eſt illicitum ab eo Sacramenta petere. Major eſt Doctrina S. Thomæ in 3. par. q. 64. art. 6. ad 2. *Quandiu ab Eccleſia toleratur in Miniſterio, ille, qui ab eo ſuſcipit Sacramentum, non communicat peccato ejus, ſed communicat Eccleſiæ, quæ eum tanquam Miniſtrum exhibet.* III. Si quis eſſet mutus, vel neſciret formam Baptiſmi, poſſet ab Hæretico petere, ut baptizaret filium ſuum: ergo in hoc caſu ſaltem eſſet licitum, non ſolum ab impio, ſed etiam ab Hæretico Miniſtro Sacramenta petere. IV. Conſtantinus Magnus recepit Baptiſmum ab Euſebio, Nicomediæ Epiſcopo, qui erat perditiſſimus Arianus, & acerrimus Arii fautor, & nihilominus hoc Conſtantino nemo unquam vitio vertit: ergo ſignum eſt, quod illicitum non fecit. V. De excommunicatis non eſt una Theologorum mens, an ſcilicet liceat ab eis Sacramenta petere, quando non ſunt ab Eccleſia tolerati, & in excommunicationis pœnam incidiſſe Eccleſia declaravit: ergo ſaltem ab his in nullo caſu, etiam neceſſitatis extremæ, licitum eſt Sacramenta petere. VI. Ex Apoſtolo ad Romanos 1. *digni ſunt morte non ſolum qui peccata faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*; ſed illi, qui ab impiis Miniſtris Sacramenta petunt, conſentiunt peccata facientibus; illi enim Miniſtri impii Sacramenta conficiendo ſacrilegia committunt: ergo conſentientes peccata facientibus peccant.

Reſpondemus ad I, quod ſcandalum, ſi quod eſſet, eſſet potius a Miniſtro acceptum, quam a petente Sacramenta datum; hic enim utitur jure ſuo Sacramenta petendo; at Parochus non bene fungitur munere ſuo male vivendo; quia debet ſemper bene agere, & vivere, ut ſemper ſit ad bene & meritorie Sacramenta conficienda & miniſtranda paratus.

Ad II. S. Thomas intelligitur de caſu neceſſitatis; ſicut intelligendus eſt, ait Jueninus, quando aſſerit, non peccare eum, qui, ut ſuam ſublevet miſeriam, pecunias ſub uſuræ onere poſtulat a fœneratore ad id accincto & parato.

Ad III. Caſus neceſſitatis eſt maxime urgens in allato exemplo, ut ab Hæretico Baptiſmus petatur, ne Infans ſine Baptiſmo decedens pereat. Et ſi quod ſcandalum eveniret, eſſet pariter potius acceptum, quam datum, quia, qui bene facti circumſtantias conſideraret, omnino excuſaret illum ſic facientem, immo commendaret providentiam illius, qua Infantis æternæ ſaluti conſuleret.

Ad IV. Incertum eſt, an Conſtantinus fuerit Nicomediæ ab Euſebio, an vero Romæ a Silveſtro, baptizatus. Quomodocunque tamen fuerit, peculiares ſunt rationes, quæ in ea facti ſpecie pro Conſtantino ſtabant, & quæ pro aliis ſtare non poſſunt. Præter quam

quod Euſebius ſe Catholicum eſſe ſimulabat, & a Conſtantino Catholicus putabatur.

Ad V. Juenimus hæc reponit. „ Reſpondeo I., ante tempora Martini V. excommunicatos, dequibus agitur, fuiſſe Miniſtros, qui etiam occulte, ſeu coram paucis teſtibus ſcelus admiſerant, propter quod jura *ipſo facto* infligebant excommunicationis pœnam. Reſpondeo II., Martini V. conſtitutione quæ incipit, *Ad evitanda ſcandala*, mutatam fuiſſe illam antiquam praxim in aliam, quam ſic expreſſit laudatus Pontifex. *Ad evitanda ſcandala, & multa pericula, quæ conſcientiis timoratis contingere poſſunt, Chriſtifidelibus tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorũ adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcunque divinis, prætextu cujuſcunque ſententiæ, aut cenſuræ eccleſiaſticæ a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem evitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervere, niſi cenſura, vel ſententia hujuſmodi, fuerit facta contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, Communitatem, vel locum certum, aut certam perſonam, a Judice publicata, vel denunciata ſpecialiter & expreſſe, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrariũ facientibus nonobſtantibus quibuſcunque, niſi quem pro ſacrilega manuum injectione in Clericum in ſententiam latam a Canone adeo notorie conſtiterit incidiſſe, quod factum nulla poſſit tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari. Nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abſtineri, juxta Canonicas Sanctiones.* Reſpondeo III. ſancitæ a Martino V. diſciplinæ mutationem, ſeu antiquæ reſtitutionem, tentatam fuiſſe in Concilio Baſileenſi, in Lateranenſi ſub Leone X., in Concordatis inter eundem Leonem, & Franciſcum hujuſce nominis primum, Gallorum Regem, initis, in Pragmatica ſanctione. Conditio enim ad denunciationem ſpectans, a Martino V. requiſita, prætermiſſa fuit, ac iis locis ſimpliciter hæc clauſula appoſita fuit: *aut ſi notorie in excommunicationis ſententias conſtiterit incidiſſe, quod nulla tergiverſatione celari poſſit, aut aliquo juris ſuffragio excuſari, eum a communione illius abſtinere volumus, juxta canonicas ſanctiones.* Dictum eſt in reſponſione, per ea poſtrema decreta tentatam fuiſſe juris antiqui reſtitutionem, non autem re ipſa factam fuiſſe. Nullibi enim obtinuerunt illa decreta. Apud Gallos, Hiſpanos, ipſos etiam Italos, laudata ſuperius Martini V. conſtitutio, *Ad evitanda ſcandala*, obſervatur in praxi; cum hac tamen exceptione, quod in Francia Clerici percuſſor notorius, non vitetur, niſi poſt ſententiam, qua Judex Eccleſiaſticus eum in excommunicationem incidiſſe, ſervata juris ſolemnitate, declaravit. „

Ad VI. S. Thomas 3 p. q. 64. art. 6. ad 2. hæc reponit: *quod ille, qui ad Sacramenta accedit, ſuſcipit Sacramenta a Miniſtro Eccleſiæ, non in quantum eſt talis perſona, ſed in quantum eſt Miniſter Eccleſiæ. Et ideo, quandiu ab Eccleſia toleratur in miniſterio, ille, qui ab eo ſuſcipit Sacramentum, non communicat peccato ejus, ſed communicat Eccleſiæ, quæ eum tanquam Miniſtrum exhibet. Si vero ab Eccleſia non toleratur, puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel ſuſpenditur, peccat, qui ab eo accipit Sacramentum, quia communicat peccato ipſius.*

DISSERTATIO CCCXVI.

De Subjecto Sacramentorum. Quodnam, & quale ſit Sacramentorum Subjectum? An, & quæ in ipſo requiratur intentio, ut Sacramenta ſuſcipiat? Quæ neceſſariæ ſint diſpoſitiones, & ut valide, & ut licite, & ut cum fructu & utiliter Sacramenta percipiat?

PRimo, circa Sacramentorum ſubjectum errarunt Hæretici quidam, Apoſtolici immerito & perperam dicti, qui temporibus S. Bernardi docebant, illicitum eſſe Infantes baptizare, adeoque e numero Baptiſmum ſuſcipientium, & Sacramenti ſubjectorum, Infantes expellebant. Teſtatur Bellarminus controver. 2. de Sacram Bapt. lib. 1. cap. 8. Contra hos Hereticos egit idem Bernardus ſerm. 66. in Cantica, & epiſt. 240.

Secundo, eundem errorem proximis temporibus docuerunt Anabaptiſtæ, qui volunt, non licere Baptiſmum tradere, niſi Adultis, qui Baptiſmum per ſe flagitant. Et in hoc errore Anabaptiſtas omnes convenire, quanvis in alıis inter ſe diſſideant, idem Bellarminus citato loco aſſerit. Sed de his plura dicemus, quando de Baptiſmo tractabimus.

Tertio, Joannes Wiclefus, & Joannes Hus voluerunt, ſolos prædeſtinatos eſſe Sacramentorum ſubjectum. Referuntur a Cacherano Tract. 8. dè Sacram. in genere cap. 3. §. 1.

Quarto, alii Novatores Hæretici, qui ab eodem Cacherano afferuntur, in ſolis juſtis Sacramentorum ſuſcipiendorum capacitatem agnoſcebant.

Quinto, Lutherus voluit in quolibet baptizato fidem actualem. Affertur ab Henno Tract. de Sacram. diſput. 5. quæſt. 2. Concl. 1.

Sexto, Eraſmus in præfatione Paraphraſis in Matthæum ſcripſit, baptizatos in Infantia habendos eſſe pro non baptizatis, ſi in adoleſcentia Baptiſmum non ratificaverint. Hennus citatus refert.

Septimo, inter Scholaſticos Vanroy Tom. 4., apud Hennum, voluit, poſitivum reluctantis animi diſſenſum non officere Sacramento Ordinis, & hoc ideo, quia putabat, plures ad ſacros Ordines promotos invitos, & nihilominus valide fuiſſe ordinatos. Sed de his in reſponſionibus ad objectiones loquemur.

Octavo, Cajetanus, Serra, Ledeſma, & pauci alii, voluerunt, non eſſe neceſſariam aliquam præviam in ſubjecto Sacramentorum intentionem, ſeu voluntatem, illa recipiendi; ut narrat Cacheranus loco nuper citato. His narratis.

Præmittimus I., Sacramentorum ſubjectum eſſe materialem cauſſam extrinſecam Sacramentorum, & idem eſſe, ac Sacramenta ſuſcipientem. Multa ſunt, quæ ſubjecta particularium Sacramentorum reſpiciunt, & illa tractanda remittimus ad propria loca, in quibus de iiſdem peculiaribus Sacramentis ſermonem habebimus. Hìc vero tantum in communi agimus de ſubjecti capacitate, prout omnia Sacramenta reſpicere poteſt; quæ quidem capacitas vel eſt phyſica, quæ etiam dicitur remota & ſecundum ſe, vel eſt moralis, quæ proxima nominatur; illa deſignant, quinam poſſint eſſe Sacramentorum ſuſceptores; hæc vero connotat, quænam requiſita in iiſdem ſuſcipientibus ſint neceſſaria?

Præmittimus II., ab aliis capacitatem phyſicam & materialem ſubjectorum Sacramenti explicari, quod in eo ſit poſita, quod poſſit homo eos ſenſibiles ritus in ſe pati, quibus Sacramenta conſtant; capacitatem vero moralem deſcribi illam, quæ ex inſtitutione Chriſti certas exigit adjunctas circumſtantias, & conditiones. Sic utranque explicat Tournely, & ejus explicatio fere cum noſtra coincidit, & aliam,

aliam, quam verborum divertitatem non præfefert. Quando igitur quæritur, quodnam, & quale ſit Sacramentorum ſubjectum?, non intelligitur quæſitum, idem Tournely citatus ait, an ſolus, & quilibet homo ſit immediate & proxime capax cujuslibet Sacramenti?: certum enim eſt, quod Baptiſmus ſit Sacramentorum omnium janua, ac proinde non habere homines aditum ad cætera Sacramenta ſuſcipienda, niſi Baptiſmum antecedenter receperint. Unde laudatus Theologus quæſtionem reſtringit ad hoc; an ſcilicet ſolus homo viator ſit moraliter capax Sacramentorum novæ Legis, ſive immediate, ſive mediate, recipiendorum?

Dicimus I., ſolos homines viatores eſſe capaces Sacramentorum novæ Legis, & quidem regulariter omnes omnium.

I. Probatur ex Scripturis. Ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Si igitur pro hominibus indefinite ſic dictis omnis Pontifex ex hominibus etiam indefinite dictis aſſumitur: ergo ſignum eſt, quod omnes & ſoli homines viatores ſunt Sacramentorum ſubjecta.

II. Probatur ex Trid. ſeſs 7. in præfatione, ubi ſic legitur: *per hæc* (intelligit Sacramenta) *omnis vera juſtitia, vel incipit, vel cepta augetur, vel amiſſa recuperatur*; atqui hæc verba ſolos & omnes homines reſpiciunt: ergo ſoli & omnes homines ſunt Sacramentorum ſuſcipiendorum ſubjecta.

III. Probatur Rationibus I. Ratio ſigni, & ratio effectus ſignificati, qui eſt gratia, maxime in Sacramentis novæ Legis cōſiderantur; ſed hæc ad ſolos & omnes homines viatores ſunt pertinent: ergo ſoli & omnes homines viatores Sacramentorum novæ Legis capaces. Probatur Minor. Non poſſunt pertinere ad creaturas irrationales, quæ ad cognitionem intellectualem per res ſenſibiles excitari non poſſunt, nec per gratiam ſanctificari: non poſſunt pertinere ad Angelos, & ad animas ſeparatas, quia utrique carent ſenſibus; & quia ſunt in termino, novæ gratiæ acquirendæ non ſunt capaces: ergo ad omnes & ſolos homines viatores pertinent. II. Illi omnes & ſoli ſunt Sacramentorum capaces, quibus voluit Chriſtus, ut Sacramenta darentur; ſed Chriſtus voluit, ut ad omnes & ſolos homines viatores Sacramenta darentur: ergo hi omnes & ſoli ſunt Sacramentorum capaces. Probatur minor. Chriſtus ad hoc Apoſtolos miſit, ut ſcilicet ſolos homines, non autem cæteras creaturas, Sacramentis initiarent; Chriſtus inſuper propter ſolos homines factus eſt homo, atque illos tantum ſanguine ſuo redemit, Chriſtus denique ex ſolis hominibus Eccleſiam ſuam congregavit, quam proprii ſanguinis effuſione locupletavit: ergo &c. III. Soli homines ſunt æternæ ſalutis capaces: ergo ſolis ipſis æternæ ſalutis remedia, quæ ſunt Sacramenta, Chriſtus aptavit. IV. Nec ex vi inſtitutionis Chriſti, nec ex natura rei, aliquis homo viator eſt per ſe alicujus Sacramenti incapax: ergo abſolute nullus homo e ſubjectorum Sacramenti numero excludi regulariter poteſt. Probatur antecedens. Non ex vi inſtitutionis Chriſti, quia Sacramenta Chriſtus pro omnibus viatoribus inſtituit indefinite, nec ullam exceptionem fecit, quam ſi feciſſet, eam utique ex Eccleſiæ traditione haberemus. Nec ex natura rei, quia capacitas, de qua nunc loquimur, eſt remota, quæ non aliud requirit, quam quod Subjectum poſſit recipere tum paſſionem materialem, ſcilicet ablutionem, unctionem &c., tum novam gratiam, ſive primam, ſive ſecundam, quod utrunque omnibus hominibus convenit. Diximus autem *regulariter*, primo, ut exciperemus illos, qui propter aliqua impedimenta alicuius Sacramenti incapaces redduntur, præcipue Matrimonii, & etiam aliorum, qui tamen per accidens tantum incapaces dicuntur. Secundo, ut exciperemus alios, qui, vel propter ætatem, vel propter alias circumſtantias, ſunt incapaces; ut rationis impotes poſſunt quidem aliqua Sacramenta recipere, ſed non omnia; ſic Infantes, amentes, qui ſemper tales fuerunt, poſſunt recipere Baptiſmum, Confirmationem &c.; ſic mulieres poſſunt omnia recipere, præter Ordinem; ſic Infantes in utero matris exiſtentes nulla poſſunt recipere, quia vere non ſunt viatores; hoc eſt, viſibiliter, ſenſibiliter, & in faciem Eccleſiæ; ſic demum monſtra, quæ ex mulierum ventre exeunt, baptizantur, quando dubitatur, an ſint homi-

homines, non vero quando certum eſt, homines non eſſe.

Objiciunt I. De Euchariſtia dicitur ab Eccleſia, a Patribus, & etiam a Scripturis, quod ſit *panis Angelorum*: ergo non ſoli homines, ſed etiam Angeli, poſſunt ſaltem Euchariſtiæ eſſe ſubjecta, quum poſſint eam ſuſcipere. II. Si aliquod Brutum conſecratum vinum biberet, & conſecratum panem comederet, vere eſſet Sacramentorum ſubjectum: ergo ſub nomine Sacramentorum ſubjecti non ſoli homines viatores veniunt III. Angeli, ex dictis a nobis, poſſunt Sacramenta miniſtrare, ſaltem de poſſibili: ergo ſaltem de poſſibili poſſunt etiam Sacramenta recipere. IV. Sacramentorum moſaycæ Legis non erant ſoli & omnes homines capaces: ergo nec pariter Sacramentorum novæ Legis. Antecedens patet, quia purificationes, & libamina, etiam in brutis animantibus fiebant, præcipue in illis, quæ erant immunda. Conſequentia ſequitur, quia quemadmodum hæc fuerunt inſtituta pro hominibus, qui Eccleſiam componunt, ita quoque inſtituta fuerunt illa. V. Saltem de poſſibili, & de potentia Dei extraordinaria, poterit aliqua beſtia eſſe Sacramentorum capax; & probatur; quia communiter Theologi de Schola docent, quod potuiſſet Verbum de potentia extraordinaria naturam irrationalem aſſumere: ergo in illo caſu de poſſibili fuiſſet illa natura Sacramenti capax. VI. Aliqui Scholaſtici docent, quod Deus de potentia ſua abſoluta potuiſſet inſtituere ſenſibilia aliqua Sacramenta, quorum Angeli potuiſſent eſſe capaces: ergo in hoc caſu etiam Angeli fuiſſent Sacramentorum ſubjecta: ergo non ſoli homines.

Reſpondemus ad I., quod Chriſtus dicitur *panis Angelorum*, non quatenus eſt in Euchariſtia latens ſub ſpeciebus panis, & vini, ſed quatenus eſt in Cœlo manifeſtus iiſdem Angelis, qui eundem intuitive vident, eodemque fruuntur. Vel dicitur *panis Angelorum* Chriſtus abſconditus in Euchariſtia, non quia Angeli ipſum comedunt; ſubjungitur enim: *panem Angelorum manducavit homo*: ſed quia Sacerdotes, qui Sacramentum illud conficiunt, & adminiſtrant, debent eſſe Angeli, non quidem natura, ſed vitæ puritate, & morum integritate.

Ad II. Bruta in caſu illo biberent, & comederent materialiter tantum, non vero ſacramentaliter, quatenus ſcilicet illa ſunt præciſe res comeſtibiles & potabiles, non vero quatenus ordinantur ad gratiam conferendam, cujus Bruta animantia omnino ſunt incapacia.

Ad III. Totum concedit Hennus, quia in utroque caſu nulla ipſi apparet contradictio. At nos in duobus caſibus propoſitis diverſitatem agnoſcimus; tum quia in adminiſtratione Sacramentorum non importatur gratiæ ſuſceptio, vel augmentatio, cujus Angeli ſunt incapaces; & tamen in Sacramentorum perceptione importatur: tum etiam quia per aliqua Sacramenta denotatur ſecundarius ipſorum effectus, qui eſt character, cujus Angeli ſunt incapaces; & quanvis animæ ſeparatæ cum eodem charactere perſeverent, illis tamen impreſſus a Deo fuit, quando Eccleſiam conſtituebant, quam Angeli nec conſtituerunt unquam, nec conſtituere ullo modo poſſunt.

Ad IV. Quanvis Cacheranus dicat, quod ſanctitas imperfecta & legalis, quam conferebant Sacramenta veteris Legis, non videatur omnino improportionata irrationalibus creaturis, nec alligata ſtatui vitæ, attamen deinde ſe clarius explicans ſubdit: „ nihilominus in re illa ſanctitas imperfecta, „ cum Sacramenti ſuſceptorem ordinaret ad Dei cultum, & veræ Religionis „ profeſſionem, creaturis irrationalibus non conveniebat, & cum conſecraret in ordine ad miniſteria extra „ viam non exercenda, ſtatui viæ alligabatur; ſicque etiam Sacramenta antiqua ad ſolos homines viatores, tum „ ratione rei ſignificantis, tum etiam „ ratione effectus ſignificati, pertinebant. Unde abſolute antecedens negatur, & ad probationem dicitur, quod purificationes illæ, & libamina, erant mere externi ritus, qui ad homines, non ad bruta ipſa, ordinabantur.

Ad V. In illa hypotheſi nullo modo potuiſſet Chriſtus Sacramenti alicujus eſſe ſubjectum, nec ratione naturæ divinæ & increatæ, cui nulla poterat accidere nova gratiæ acceſſio; nec ratione naturæ creatæ, quæ omnimode erat gratiæ incapax; ſicque hypo-

Digitized by Google

hypotheſis illa, etſi poſſibilis admittatur, nihil tamen probat, quod a nobis dictis vere opponatur.

Ad VI. Quicquid ſit de Scholaſticis illis, quorum objectio dicit eſſe doctrinam illam, nos reſpondemus hypotheſim omnino negantes; quod quidem coherenter volumus dictum ad ea, quæ in ſuperioribus Diſſertationibus diximus, atque probavimus.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, quæ reſpicit capacitatem moralem in ſubjecto Sacramentorum, non replicantes ea, quæ ſuperius diximus de intentione actuali, virtuali, & habituali; jam enim fuerunt ſuo loco dicta & explicata; ſolum advertimus, quod quæſitum non procedit de Infantibus, quia de his in Diſſertationibus de Baptiſmo peculiaris & longus erit ſermo; ſed de Adultis, qui ſunt rationis compotes, & capaces ſunt, ut habeant intentionem, ſaltem aliquam. Et ut certa ab incertis ſejungantur, tranſcribimus ea, quæ de hac re aſſerit Tournely verbis hiſce. „ Qua in
„ controverſia omnes de his tribus ca-
„ pitibus, conſentiunt. I. Ad perci-
„ piendum Sacramenti fructum, nempe
„ ſanctificantem gratiam, neceſſarium
„ pleue eſſe recipientis conſenſum : quia
„ docent Patres Tridentini ſeſſ.6.cap.7.,
„ *Juſtificationem eſſe renovationem interio-*
„ *ris hominis per voluntariam ſuſceptionem*
„ *gratiæ, & donorum*. II. Conſentiunt,
„ ad veritatem Sacramenti Euchariſtiæ
„ neceſſariam non eſſe ſuſcipientis in-
„ tentionem, quia Sacramentum hoc in
„ re permanenti conſiſtit, & poteſt vel
„ caſu ab inſcio, vel ab invito, verum
„ percipi corpus Chriſti, quanquam ſine
„ fructu, cum hujuſmodi perceptio Eu-
„ chariſtiæ vere non ſit ſacramentalis,
„ ad effectum gratiæ producendum or-
„ dinata. III. Fatentur omnes, habitua-
„ lem, ſeu interpretativam voluntatem,
„ certis in caſibus ſufficere ad validam
„ Sacramentorum Baptiſmi, Pœniten-
„ tiæ, & Unctionis extremæ perceptio-
„ nem. Diſputant igitur I., an neceſſa-
„ rius ſit conſenſus in ritum Eccleſiæ,
„ qui percipitur ? ; an ſufficiat, ut aliqui
„ loquuntur cum Cajetano, *capacitas*
„ *ſine contrarietate*, hoc eſt, quod quis
„ mere paſſive ſe habeat, licet neque
„ velit, neque nolit poſitive talem ri-
„ tum percipere ? . II. Ad quid fer-
„ ri, ſeu terminari, debeat ille con-
„ ſenſus, ſicut jam expoſitum fuit ?

Dicimus II., in Adultis eſſe neceſſariam veram & internam intentionem, ſeu voluntatis conſenſum in ritum Eccleſiæ, quem percipit, ut Sacramenta valide & vere percipiat.

I. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius III. reſpondens Archiepiſcopo Arelatenſi, a quo conſultus fuerat circa Baptiſmum datum amentibus, dormientibus, invitis, ac reluctantibus, hæc ſcripſit, quæ referuntur in cap. *Majores* de Bapt., & ejus effectu. *Sunt autem nonnulli, qui dicunt, quod Sacramenta, quæ per ſe ſortiuntur effectum ut Baptiſmus, & Ordo, cæteraque ſimilia, non ſolum dormientibus, & amentibus, ſed invitis, & contradicentibus, etſi non quontum ad rem, quantum tamen ad characterem, conferuntur, cum non ſolum parvuli, qui non conſentiunt, ſed & ficti, qui quamvis ore, corde tamen diſſentiunt, recipiont Sacramentum. Sed opponitur talibus, quod qui fuiſſent inviti & reluctantes immerſi, ſaltem ratione Sacramenti, ad juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinerent: unde ad ſervandam regulam fidei chriſtianæ forent rationabiliter compellendi. Verum id eſt Religioni chriſtianæ contrarium, ut ſemper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam, & ſervandam chriſtianitatem, aliquis compellatur. Propter quod inter invitum, & invitum, coactum, & coactum, alii non abſurde diſtinguunt, quod is, qui terroribus, atque ſupliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis, (ſicut & is, qui ficte ad Baptiſmum accedit,) characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei chriſtianæ: in quo caſu debet intelligi decretum Concilii Toletani, ubi dicitur, quod qui jam pridem ad chriſtianitatem coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſibuti, quia jam conſtat eos Sacramentis divinis aſſociatos, & Baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & Chriſmate unctos eſſe, & corporis Domini extitiſſe participes, oportet, ut fidem, quam neceſſitate ſuſceperint, tenere cogantur .... Ille vero, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti, quia plus eſt expreſſe contradicere, quam minime conſentire: ſicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus & reclamans thurificare Idolis*

cogi-

cogitur violenter . Dormientes autem , & amentes , ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent , quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare , etſi fuerint ſic immerſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti; ſecus autem, ſi prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi : unde tales in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptiſare . Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem . Ex quibus verbis hæc citatus Tournely deducit „ I.,
„ eos, qui ſimpliciter , & omnino inviti
„ ac reluctantes baptiſantur , vere non
„ baptizari , nec proinde cogi poſſe ad
„ legem Chriſtianam obſervandam ,
„ quemadmodum rei non ſunt idololatriæ , qui plane inviti ac reclamantes
„ coguntur exterius thus idolis adolere ,
„ II. Eos , qui tantum inviti ſunt ſecun-
„ dum quid , ſeu qui minis , aut tormen-
„ tis, adducuntur , ut magis eligant ba-
„ ptiſari , quam cruciari , eos , inquam ,
„ tanquam conditionaliter volentes va-
„ lide baptiſari; ac ſi poſtea reluctentur,
„ ſibi que illatam violentiam obtendant ,
„ nihilominus ad chriſtianam legem ob-
„ ſervandam cogendos eſſe , quia ſuffi-
„ cienter in Baptiſmum conſenſerunt ,
„ III. Dormientes , & amentes , qui nu-
„ ſquam Baptiſmum petierunt , immo
„ reluctati ſunt , ſi hac durante reſiſten-
„ tia baptiſentur , vere non baptiſari ;
„ ſecus vero,ſi poſt quam Baptiſmum pe-
„ tierunt , in amentiam , & phrænesim
„ verſi ſunt : quo caſu tanquam infantes
„ baptiſari valide poſſunt , ac debent.
„ IV. Cum Innocentius III. ait , *chara-*
„ *cterem imprimi per ſacramentalem opera-*
„ *tionem, quando hæc obicem voluntatis con-*
„ *trariæ non invenit obſiſtentem* , ſenſus
„ ejus non eſt , ſufficere ad veritatem re-
„ cepti Baptiſmatis, quod exterius homo
„ non contradicat , quaſi vellet interio-
„ rem conſenſum non eſſe neceſſarium ,
„ utrunque enim exigit Summus Ponti-
„ fex , & non reſiſtentiam externam , &
„ internum conſenſum . *Qui nunquam*
„ *conſentit* , inquit, *ſed penitus contradicit,*
„ *nec rem , nec characterem ſuſcipit Sacra-*
„ *menti* . In ea igitur non reſiſtentia , ſeu
„ contradictione æterna , includit , ac
„ ſupponit Innocentius , poſitivum vo-
„ luntatis conſenſum „ Innocentius IV. q.10. de Bapt. & ejus effectu , manifeſte aſſerit,ſine conſenſu aliquem nec baptizari, nec matrimonium contrahere. Paulus V. ſtatuit , quod ſi quis Adultus incidat in amentiam , aut in repentinum morbum, nullo modo baptizetur, niſi prius baptizari petierit , quando rationis compos erat, & ſanus vivebat.

II. Probatur ex Conciliis . Ex Carthaginenſi III. anno 397.c.34. , ubi jubetur . *Ægrotantes , ſi per ſe reſpondere non poſſunt,cum voluntatis eorum teſtimonium,hi qui ſui ſunt, periculo proprio dixerint, baptiſentur* . Ex Carthaginenſi IV. anno 398. caput 76. *Is , qui pœnitentiam in infirmitate petit , ſi caſu , dum ad eum Sacerdos invitatus venit , oppreſſus infirmitate obmutuerit , vel in phrænesim verſus fuerit , dent teſtimonium , qui eum audierunt , & accipiat pœnitentiam* . Ex Arauſicano I. anno 442 Can.12.quo ſic ſtatuitur : *ſubito obmuteſcens,prout ſtatus ejus eſt , baptiſari , aut pœnitentiam accipere poteſt , ſi voluntatis , aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet , aut præſentis in ſuo nutu* . Ex Aurelianenſi III. anno 538. Can. 7. *Si invitus, vel reclamans fuerit ordinatus , ab officio quidem deponatur , ſed non a communione pellatur . Epiſcopus autem , qui invitum , aut reclamantem præſumpſerit ordinare , annuali pœnitentia ſubditus Miſſas facere non præſumat* .

III. Probatur ex Patribus . Auguſtinus lib.4.cont.Donatiſtas cap.24. : *ideo cum alii pro eis* (parvulis) *reſpondeant , ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti , valet utique ad eorum conſecrationem,quia ipſi reſpondere non poſſunt . At ſi pro eo , qui reſpondere poteſt alius reſpondeat, non itidem valet.Ex qua regula illud in Evangelio dictum eſt , quod omnes, cum legitur, naturaliter movet : ætatem habet , ipſe pro ſe loquatur* . Et lib.7. cap 53. *Nequaquam dubitarem , habere eos Baptiſmum , qui ubicunque , & a quibuſcunque illum verbis Evangelicis conſecratum , ſine ſua ſimulatione , cum aliqua fide accepiſſent* . Per hæc verba nomine Fidei intelligit Auguſtinus intentionem , ſeu voluntatem, Sacramentum percipiendi , ſicut pariter intellexit in epiſt. 98. ad Bonifacium per hæc alia verba . *Nec te moveat , quod quidam non ea fide ad Baptiſmum percipiendum parvulos ferunt , ut gratia ſpirituali ad vivam regenerentur ætatem* . S. Proſper in lib. ſentent. ex Auguſt. cap.325. *Regenerationis gratiam ita etiam hi non minuunt , qui ejus dona non ſervant : ſicut lucis nitorem loca im-*

munda

Digitized by Google

munda non polluunt. Qui ergo gaudes Baptiſmi perceptione, vive in novi hominis ſanctitate, & tenens fidem, quæ per dilectionem operatur, habe bonum, quod nondum habes, ut proſit tibi bonum, quod habes.

V. Probatur ex Scholaſticis Doctoribus. S. Thomas in 4. diſt.6. q.1. art.2. quæſtiuncula 3., *in adultis*, inquit, *& in habentibus uſum rationis, in quibus poteſt eſſe contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur & contritio, ſive devotio ad percipiendam rem Sacramenti, & intentio vel voluntas ad recipiendum Sacramentum. In pueris autem abſque utroque percipitur & Sacramentum, & rem Sacramenti, & ſimiliter eſt in carentibus uſu rationis, niſi contraria voluntas habitu inſit, etſi non actu. Tamen ſciendum, quod non requiritur in Adulto voluntas abſoluta ſuſcipiendi, quod Eccleſia confert, ſed ſufficit voluntas conditionata, ſicut eſt in voluntariis mixtis .... Et ideo, ſi ſit coactio ſufficiens, ita quod principium ſit ex toto extra nihil conferente vim paſſo, (ut cum aliquis reclamans immergitur violenter,) tunc talis nec Sacramentum ſuſcipit, nec rem Sacramenti: ſi autem ſit coactio inducens ſicut minis, vel flagellis, ita quod baptiſatus potius eligat Baptiſmum ſuſcipere, quam talia pati, tunc ſuſcipit Sacramentum, ſed non rem Sacramenti*. Et in ſumma q.68. art.7 ad 2., *dicendum, quod ſi in Adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptiſandus: ſi tamen hoc non conſtaret, eſſet dicendum; ſi non es baptiſatus, ego te baptiſo*. Et in Supplemento q 45. art 4. in corp. *Sicut ſe habet ablutio exterior ad Baptiſmum, ita ſe habet expreſſio verborum ad hoc Sacramentum;* (Matrimonii) *unde ſicut ſi aliquis ablutionem exteriorem reciperet non intendens recipere Sacramentum, ſed ludum & dolum facere, non eſſet baptiſatus, ita expreſſio verborum ſine interiori conſenſu, Matrimonium non facit*. S. Bonaventura lib.4. Sent. diſt.5. q.1. *Malus Sacerdos non tantum Sacramentum, ſed & rem dat, non ipſe, ſed Deus; cum Sacramenta ſunt bona & impolluta. In Baptiſmo enim non mundas, neque interius baptizat Miniſter, ſed Deus. Sed cum Deus lavat interius, præcedente lotione exteriori, & exterior diſpliceat, quomodo conſequens eſt, ut lavante malo Sacerdote exterius, Deus lavet interius?: & ad illud notandum eſt, quod eſt quoddam opus, quod habet virtutem a charitate interna ſolum, quoddam, quod habet ab inſtitutione divina. Primum opus eſt virtutis, & vitii, & a Deo penſitur ſecundum qualitatem voluntatis. Secundum eſt opus Sacramenti, & hoc penſitur ſecundum meritum, & dignitatem Chriſti inſtituentis, & tale ſemper remanet eſt ... & impollutum, nec poteſt aliquo malo polluì, ſicut nec meliorari. Habet enim virtutem a Chriſto, & non a Miniſtro, ſicut ſemen jactum in terram æqualiter fructificat ſive ſit bonus, qui ſeminat, ſive malus. Nam Sacramenta ſunt benedictiones Dei, non malorum*. Joannes Scotus in lib. 4. Sentent. diſt.5. q 1. *Veritas illius quæſtionis patet ex auctoritatibus multis, quod quacunque malitia Miniſter ſit malus, ſive hæreſeos, ſive Schiſmatis, ſive morum, ſalva unitate Eccleſiæ, ſi intendit facere, quod facit Eccleſia, & ſervet modum Eccleſiæ, vere confert Baptiſmum, vere habet effectum in baptizato, non obſtante malitia Miniſtri, niſi obſtet malitia ſuſcipientis in hoc, quod recipit a tali Miniſtro. Veritas autem iſtius ſolutionis non habet niſi rationem unam, propter quid ſcilicet: quia ſic placuit Chriſto inſtituere, ut malitia Miniſtri non impediret Sacramentum, nec ejus effectum &c: Quod autem ita fuerit baptiſmus inſtituendus, ſunt plures rationes congruæ. Prima, quod rationabile eſt, Deum aſſiſtere ſuo ſigno practico ad cauſandum ſignatum ex denominatione voluntatis ſuæ præcedente omnem conditionem Miniſtri, ut ſicut illa determinatio ſua, qua tribuit ſigno eſſe certum, eſt ſignum ab ipſo immediate, omnino, & primo, ita & aſſiſtentia conſequens illam determinationem ad cooperandum ſit immediate ab ipſo. Secunda congruentia ſumitur ex fine: quia ſi Baptiſmus non poſſet conferri niſi a bono, non eſſet in magnum remedium viatoris, ſed quaſi communiter in detrimentum. Cum enim quaſi nullus poſſet eſſe certus de bonitate propria, multo magis nec de bonitate alterius. Ergo ſi ex bonitate Miniſtri dependeret Baptiſmus, nunquam poſſet aliquis eſſe certus, ſe vere recipiſſe Baptiſmum: quod eſt inconveniens*.

VI. Probatur Rationibus I. Illud neceſſarium dici debet in Sacramentorum ſuſceptione, quod ſemper conſuevit Eccleſia; ſed Eccleſia conſuevit ſemper dare Sacramenta petentibus illa, ſi eſſent Adulti, qui ſuſciperent & peterent: ergo ex praxi Eccleſiæ conſtat, quod aliqua intentio ſaltem requiratur in ſubjecto Sacramentorum. II. Deus non juſtificat Adultum, nec ipſi gratiam majorem confert, niſi

idem

idem ipſe & animo conſentiat, & velit gratiam recipere: ergo pariter nullum vult Adultum per Sacramenta accipere gratiam, niſi & ipſe velit, atque conſentiat. III. Sacramenta, aliquam imponunt obligationem ſuſcipientibus illa, & quidem alia majorem, alia minorem; ſed obbligationem ſibi imponere non poſſunt, niſi volentes: ergo ſemper in ſuſceptione Sacramentorum neceſſaria eſt intentio ſuſcipientium. IV. Homines per Sacramenta adſcribuntur militiæ, vel familiæ Chriſti; ſed non convenit, ut quis reluctans militiæ adſcribatur, & familiæ alicujus nolens immittatur: ergo ſuſcipientes Sacramenta debent cum aliqua ſaltem intentione ac voluntate accedere ad illa. V. Per aliqua Sacramenta imprimitur in ſuſcipientibus character; ſed character imprimi non poteſt, niſi iis, qui volunt, ut ipſis imprimatur: ergo ratione characteris in ſuſcipientibus Sacramenta, quæ characterem imprimunt, eſt neceſſaria intentio. Minor eſt Innocentii III. cap. *Majores, de Baptiſmo* ubi dicitur: *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenerit obſiſtentem*. VI. Ideo in parvulis & in amentibus non exigitur intentio; quia illorum impotentiam ſupplet Eccleſia, quæ quidem ſupplet per ſuſceptorum, ſeu Patrinorum voces: ergo ubi hæc impotentia non reperitur, Eccleſia non ſupplet, nec Suſceptorum, ſeu Patrinorum vocibus utitur: ergo iidem ſuſcipientes debent ſuam intentionem habere, ac manifeſtare.

Obſtant I. Auguſt. lib. 7. cont. Donatiſtas cap. 53., docet; quod valeat Baptiſmus fallaciter, ac ficte receptus; ſed Baptiſmus fallaciter, ac ficte receptus, eſt receptus abſque intentione, & voluntate ſuſcipientis: ergo &c. Idem Auguſt. hoc idem confirmat lib. 1. de Bapt. cap. 12. *ſicut ficti veraciter, non ficte recipiunt, nec eorum Baptiſma reprobatur*. Et Tract. 26. in Joan. docet, nolentem poſſe recipere Sacramentum. II. Innocentius III. relatus in cap. *Majores, de Bapt.* dicit: *Cum non parvuli ſolum, qui non conſentiunt, ſed adulti, qui quamvis non ore, corde tamen diſſentiunt, recipiant Sacramentum*. Ergo ex Innocentio, non ſolum non requiritur in ſuſcipiente conſenſus, ſed nec etiam reprobatur diſſenſus. III. Poteſt aliquis in Religione exiſtens in Superiorem eligi, quamvis reluctans, & invitus: ergo pariter poteſt aliquis ad Sacramenta admitti, quamvis reluctans, & invitus. IV. Plures ordinati fuerunt vel inſcii, vel inviti, ut Eccleſiæ monumenta teſtantur: ergo abſque intentione, & voluntate ipſorum. Probatur antecedens. S. Epiphanius promovit ad ſacros Ordines Diaconatus, & Presbyteratus Fratrem S. Hieronymi; quamvis invitum, & reluctantem, ut ipſemet Hieronymus teſtatur epiſt. 60. Valerius, Hipponenſis Epiſcopus, invitum etiam promovit ad Sacerdotium S. Auguſtinum. Salamanus Eremita ordinatus fuit Presbyter, quamvis omnino inſcius, ut narrat Morinus p. 3. de Ordine. Macedonius, etiam Eremita & invitus, promotus fuit ad Presbyteratum a Flaviano, ut refert Theodoretus c. 13. Hiſt. V. Concilia requirunt in Sacramentorum adminiſtratione intentionem Miniſtri, non vero intentionem ſuſcipientis; ut videre eſt in Concilio Florentino in Decreto pro unione Armenorum. VI. Nebridius erat ſenſibus deſtitutus, & nihilominus teſtatur Auguſtinus lib. 4. Confeſs. cap. 4., fuiſſe illum valide baptizatum: ergo non habuit intentionem, & nihilominus validus fuit Baptiſmus ipſi collatus. VII. In hominis generatione nulla eſt neceſſaria intentio: ergo nec pariter in hominis regeneratione, quæ per Baptiſmum habetur. VIII. Quum in parvulis non ſit neceſſaria intentio, non eſt ratio, ut dicamus eſſe neceſſariam in Adultis, quia idem eſt Baptiſmus, idem eſt Sacramentum: ergo ſi in illis ſine intentione valide confertur, ita pariter in iſtis. IX. Eccleſia cogit baptizatos ad Chriſtianæ Religionis obſervantiam, etiamſi in receptione Baptiſmi, nullam habuerint intentionem recipiendi illum: ergo ſignum eſt, quod intentio non eſt neceſſaria. X. Ut Sacramenta valide recipiantur, ſufficit, ut a ſuſcipiente nullus ponatur obex; ut patet ex citato cap. *Majores, de Bapt.*; ſed non poni obicem idem eſt, ac nec conſentire, nec diſſentire: ergo ſufficit, ut valide fiat Sacramentum, ſi ſuſcipiens nec cõſentiat, nec diſſentiat: ergo non requiritur intentio, quæ poſitivum importat conſenſum.

Reſpondemus ad I., quod per fallaciam, & fictionem, quam dicit Auguſtinus, non intelligitur cordis diſſenſio, ſed ſimulatio diſpoſitionis ad recipiendum Sacramenti effectum, quæ non eſt in illo, qui fingit ſe illam habere, & debet eſſe, ad hoc ut recipiat non Sacramentum, ſed Sacramenti effectum. Verba Auguſtini, quæ referuntur lib. 1. de Bapt. cap. 12., ait Hennus, quod apud Auguſtinum non inveniuntur, quamvis inveniantur Can. 55. t. q. 1., & tanquam ab Auguſtino ſcripta legantur. Denique Auguſtinus Tract. 26. in Joan. loquitur de Euchariſtia, quæ apponitur ori reluctantis, & per vim apponitur, quod quidem cum noſtra Concluſione nihil commune habet.

Ad II. Innocentius non ſcribit illa verba in objectione allata tanquam ex propria perſona, ſed ex aliorum opinione recitat, & illa potius impugnat, quam approbet: unde immediate poſt illa ſubdit. *Sed opponitur talibus*. Poſt hæc autem ſubdit Hennus Tract. de ſacram diſp. 5. q. 2. Concl. 2. „ Dixi in „ Concluſione *Omnino reluctans*, ſeu in„ vitus, quia ſi tantum ſit invitus ſecun„ dum quid, id eſt, habeat quidem vel„ leitatem ſuſceptioni contrariam, qua„ tenus mallet non recipere, ſi non ti„ meret Patris indignationem, aut quid „ aliud, & interim recipit, valide re„ cipit, ſicut Matrimonium, de quo „ poſtea excipiatur. Cujus ratio eſt, „ quod equidem de facto conſentiat in „ receptionem, ut vitet malum ſibi im„ minens, ſicut conſentit Mercator in „ projectionem mercium, mortem vi„ taturus. Eſtque noſtra reſolutio Eccle„ ſiæ doctrina, & praxis, declarata in „ cap. *Majores, de Bapt.*; & ideo Can. de „ *Judæis* diſt. 45. dicuntur Judæi obligan„ di ad ſervandam Chriſtianorum Le„ gem, etſi metu coacti conſenſiſſent in „ receptionem Baptiſmi. Ibidem tamen „ prohibetur, ne deinceps inviti bapti„ zentur.

Ad III. Diverſitatem deſumit Hennus ex Chriſti inſtitutione; quia ſcilicet Chriſtus inſtituit, ut in Sacramentorum ſuſceptione ad ejus validitatem neceſſaria eſſet ſuſcipientium intentio; non ſic vero in Superiorum electionibus, quæ in Religioſis Ordinibus fiunt. Attamen hac admiſſa Henni reſponſione, adhuc reſpondendum remanet, quare Chriſtus in uno caſu ſic inſtituerit, in alio vero non. Et nos diverſitatem eſſe putamus, quia in Sacramentorum omnium ſuſceptione recipitur gratia, quæ ſanctificat, & in aliquorum imprimitur character: quæ quidem gratiæ ſuſceptio, & characteris impreſſio, ſine aliqua ſuſcipientium intentione, haberi non poſſunt, ut a nobis non ſemel eſt dictum.

Ad IV. Pro primo exemplo dicitur, quod non fuit in S. Hieronymi Fratre omnimoda reluctantia, ſed aliqualis, quæ & poſtmodum etiam fuit victa per perſuaſiones Epiſcopi, & aliorum ſibi aſſiſtentium. Unde Hieronymus, & humilitatem ejus commendat, per quam Ordinationi contradicebat: *valde quippe obnitebatur, indignum ſe eſſe conteſtans*: & docilitatem ejus quoque laudat, per quam perſuaſionibus ceſſit: *vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus teſtimoniis Scripturarum, & propoſitione Mandatorum Dei .. iiſdem verbis, quibus antea ſuaſeramus*. Pro Auguſtino dicitur, quod non fuit invitus ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quatenus ſcilicet Populi preces eum adduxerunt, etſi antea reluctantem, ut ordinationi ſuæ conſentiret. Pro aliis reſpondemus, ob humilitatem reluctaſſe; habuiſſe tamen animum Eccleſiæ ſubditum in omnibus, adeoque virtualiter conſentierunt in Ordinationem ſibi datam Eccleſiæ nomine, & auctoritate. Et revera, ſemoto Eccleſiæ præcepto, nunquam conſenſiſſent; & hac ratione reluctantes & inviti non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, dici poterant.

Ad V. Primo dicitur, quod Concilia requirunt, quæ ſunt neceſſaria pro omnibus Sacramentis; intentio vero non eſt neceſſaria in Baptiſmo, qui datur Infantibus, & perpetuo amentibus. Secundo ſubditur, quod Concilia præſcribunt ea, quæ ſe tenent ex parte Sacramenti, qualis eſt intentio Miniſtri, non autem ea, quæ ſe tenent ex parte ſubjecti; quia aliter ſi præſcriberent, quæ ſe tenent ex parte ſubjecti, debuiſſent quoque in Sacramento Ordinis recipere ſexum maſculinum, & repellere fœmininum, quod non fecerunt.

Ad VI. Nebridius antecedenter habuerat Baptiſmi deſiderium, quia antecedenter habuerat rectam fidem, a qua, etſi

etſi ab aliis impulſus ut recederet, nunquam tamen receſſit; & proinde ratione hujuſce deſiderii Auguſtinus rectè judicavit, habuiſſe Nebridium intentionem recipiendi Baptiſmum, ut ipſemet citato loco teſtatur.

Ad VII. In generatione noſtra nullas contrahimus obbligationes, per quas ad aliquid faciendum, vel non faciendum, adſtringamur: in regeneratione vero multas accipimus, quæ quidem non poſſunt invito & nolenti imponi. Et hoc eſt diſcrimen, ratione cujus in generatione non requiritur intentio; requiritur autem in regeneratione. Hæc eſt reſpoſio Henni: attamen quæ intentio haberi poteſt ab eo, qui nondum eſt? Certe qui generatur non eſt; & ſi intentio non exigitur ab iis, qui ſunt, & non ſunt capaces habendi illam, multo magis exigi non habet ab iis, qui nondum ſunt.

Ad VIII. Impotentia, quæ parvulos excuſat, non excuſat Adultos; & incapacitatem Infantium quum ſuppleat Eccleſia, quia intentionem illi habere non poſſunt, nequit eam ſupplere in Adultis, quia illam ſunt capaces ut habeant. Reſponſio eſt Auguſtini lib.4. de Bapt. cap. 24. *Cum pro parvulis alii reſpondent.... valet utique ad eorum Conſecrationem, quia ipſi pro ſe reſpondere non poſſunt. At ſi pro eo, qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet.*

Ad IX Eccleſia judicat de iis, quæ extrinſecus fiunt, non vero de illis, quæ intrinſecus operantur. Quum igitur intentio pertineat ad ea, quæ intrinſecus facimus, ſupponitur ab Eccleſiâ per ea, quæ extrinſecus operamur. Unde ſi quis extrinſecus non reluctat, non diſſentit, recte cogitur ab Eccleſia ad obſervantiam illorum, quæ promittit, etſi intrinſecus diſſentiat, quod ab Eccleſia nec videtur, nec attenditur.

Ad X. Reſpondet Hennus: „ Innocentium non loqui ibi abſolute, ſed relative ad verba præcedentia; dixerat enim, baptizatos in amentia recipere characterem, ſi prius habuiſſent propoſitum Baptiſmi. Huic autem propoſito contrariatur, ſaltem moraliter, non tantum diſſenſus poſitivus, ſed etiam negativus, quando nempe quis de Baptiſmo recipiendo cogitans, habet ſe negative: quod addo, quia ubi de Baptiſmo non cogitat, cenſetur prius propoſitum, ſaltem habitualiter, remanere; quod ſufficit ad Baptiſmi valorem, ut dicemus poſtea.

Dicimus III. In Adultis, qui Sacramenta ſuſcipiunt, non ſufficere intentionem percipiendi mere externum & materialem Eccleſiæ ritum; non requiri, ut eum intendant expreſſe tanquam verum Sacramentum; ſed ſufficere, ut velint percipere id, quod facit Eccleſia. Intentionem habitualem in aliquibus Sacramentis eſſe ſufficientem, puta in Baptiſmo, Confirmatione, Pœnitentia, & extrema Unctione; in aliis autem requiri ſaltem virtualem.

Prima Concluſionis pars probatur I.; & quidem verbis Tournely exponitur, remittitur, & roboratur: „ Concluſio hæc tam affinis eſt ac connexa cum iis, quæ ſupra de intentione Miniſtri neceſſaria dicta ſunt, ut non tam probanda, quam paucis exponenda videatur. Si quis itaque externo Eccleſiæ Sacramento exterius duntaxat ſe ſubjiceret, interius tamen ficte ac illuſorie vellet agere, ille verum non perciperet coram Deo Sacramentum: quia tamen exterius eodem modo ſe gerit, ac ſi vellet re ipſa Sacramenta percipere, coram Eccleſia, quæ de internis non judicat, præſumitur verum percepiſſe Sacramentum, ac conſequenter cenſuris, ac pœnis Eccleſiaſticis cogendus foret ad ea omnia obſervanda, quibus tenentur, qui Sacramentorum fiunt participes. Neque, ut alias obſervavimus, ei, qui conteſtaretur, ſe in Sacramenti perceptionem vere & ex animo non conſenſiſſe, fides tam facile habenda foret, aut ab obligatione, quam exterius contraxit, tanquam liber dimittendus, (quantis enim abuſibus & incommodis ſic aditus aperitur!), ſed cogendus potius, ut ſuo conſenſu ratum tandem faciat, quod ejus defectu irritum fuerat; Matrimonium V. G., votum ſolemne &c. Quod ſi de Baptiſmo ageretur, (quod certe rarum eſt) conferendus iterum foret ſub conditione, ſicut docet S. Thomas q. 68. art.7. ad 1. Neceſſe tamen abſolute non eſt, ut qui ritum externum Eccleſiæ percipit, eum intendat vel quatenus Sacramentum eſt, vel quatenus ſanctificantem gratiam impertitur; ſed „ ſatis

„ ſatis eſt, quod vere & ex animo velit „ ritum hunc generatim ſuſcipere, quatenus eſt ritus Eccleſiæ; ſeu velit percipere id, quod facit Eccleſia. Revoca „ quæ ſuperius dicta ſunt, ubi de intentione Miniſtri.

II. Probatur. Adulti, qui nec conſentiunt, nec diſſentiunt poſitive, ſed mere negative ſe habent, invalide ſuſcipiunt Sacramenta: ergo non ſufficit in Adultis intentio percipiendi Eccleſiæ ritum mere externum, & materialem, ſed requiritur, ut ex animo velint recipere, quod facit Eccleſia. Conſequentia ſequitur, quia ſi invalidum reddit Sacramentum, qui nec conſentit, neque diſſentit: ergo a fortiori reddit illud invalidum, qui poſitive diſſentit. Antecedens probatur ex Concilio Carthaginenſi III. cap. 34., ubi legitur: *Ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ii, qui ſui ſunt, dixerint, baptizentur*. Et ex Concilio Arauſicano can. 11. *Obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet*. Et ex Cathechiſmo Concilii Tridentini Tit. *de Bapt. Adultorum*: ubi prohibetur, quod amentes baptizentur, ſi ante amentiam Baptiſmi deſiderium non manifeſtaverint; quod eſt deſumptum ex S. Thoma 3 par. q. 68. art. 12., in quo legitur: *Si nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuit, dum ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi*.

Secunda Concluſionis pars, quod ſcilicet non requiratur intentio ſuſcipiendi effectum Sacramenti, probatur etiã; quia ſi hæc intentio non eſt neceſſaria in Miniſtro, ut ſuo loco probatum eſt, multo minus erit neceſſaria in ſuſcipiente Sacramentum; quia hic non concurrit ad Sacramenti valorem, ſicuti concurrit Miniſter, qui poſitive, & active concurrit. Unde ſi baptizatus noluiſſet effectum Baptiſmi recipere, valide nihilominus baptizatus eſſet; & qui ex nuptiis nollet nexum indiſſolubilem contrahere, valide etiam nuberet. Requiritur tamen & ut ſerio, & cum intentione faciendi, vel recipiendi, quod intendit Eccleſia, Sacramenta illa recipiat.

Tertia Concluſionis pars, quod ſcilicet ſufficiat intentio habitualis, & non requiratur nec actualis, nec virtualis, probatur etiam I., quia Eccleſia conſuevit dare Sacramenta dormientibus, amentibus, phræneticis &c., qui tamen antea oſtenderint deſiderium ſuſcipiendi illa; ſed in his caſibus nulla videtur intentio actualis, vel virtualis, ſed tantummodo habitualis: ergo in ſuſcipientibus Sacramenta ſufficit intentio habitualis, & non requiritur actualis, vel virtualis.

II. Probatur. Sufficit, quod ſuſcipiens Sacramenta aliquo modo velit illa: ergo ſufficit intentio habitualis. Probatur antecedens. Suſcipiens Sacramenta non influit active in Sacramentorum adminiſtrationem, ut influit Miniſter, ſed tantũ paſſive ſe habet: ergo ſufficit, quod velit illa aliquo modo. Immo reſpectu extremæ Unctionis, & Confirmationis, volunt etiam Theologi apud Cacheranum, quod ſufficiat interpretativa; & reſpectu quoque Baptiſmi apud Jueninum. Matrimonium tamen excipi debet, in quo requiritur virtualis intentio propter ſpecialem rationẽ contractus, quam habet, & præſertim in ſententia illorum, qui volunt Contrahentes eſſe Miniſtros; ſecus vero in illorum ſententia, qui volunt, Sacramenti Matrimonii tantum Sacerdotem eſſe Miniſtrum.

Opponunt I. A ſolo Miniſtro Sacramenti perfectio dependet; ſed ſi requireretur intentio ſuſcipientis interna, & etiam habitualis, dependeret quoque a ſubjecto: ergo non requiritur ſuſcipientis intentio, nec interna, nec habitualis. II. Innocentius III. in Cap. *Majores*, *de Bapt.* aſſerit, ſacramentalem actionem imprimere characterem, *quando obicem contrariæ voluntatis non invenerit*: ergo in ſubjecto etiam adulto mera indifferentia ſufficit, ut Sacramentum valeat, adeoque non requiritur poſitiva intentio, nec etiam habitualis. III. Idem Innocentius citato loco definivit, valide in Hiſpania baptizatos fuiſſe Judæos, quanvis iſti deinde dixiſſent, ſe, dum actu baptizarentur, interius Baptiſmi receptioni contradixiſſe: ergo ſignum eſt, quod intentio in ſuſcipiente non debeat pro objecto habere Sacramentum ipſum, ſed ſufficit ſi habeat externum Sacramenti ritum. IV. Auguſtinus Tract. 16. in Joan. docet: *accipere quiſquam poteſt Sacramentum nolens, credere non poteſt, niſi volens*: ergo ex Auguſtino nulla requiritur ad

Sacra-

Sacramenti valorem voluntas in ſuſcipiente; ergo nulla requiritur intentio. V. S. Thomas q.45. Supplementi art. 4. vult, illum, qui ablutionem externam acciperet, & non intenderet recipere Sacramentum, non eſſe baptizatum: ergo ex S. Thoma exigitur in ſuſcipiente intentio, quæ feratur circa ritum Eccleſiæ, quatenus Sacramentum eſt. VI. Si extrema Unctio daretur homini, qui præ ſubita infirmitate ſenſibus deſtitueretur, hic talis nullam haberet intentionem, neque habitualem, & nihilomidus valide Sacramentum illud reciperet: ergo neque requiritur ad Sacramenti valorem in ſuſcipiente habitualis intentio.

Reſpondemus ad I., quod perfectio Sacramenti pendet unice a Miniſtro tanquam a cauſſa efficiente miniſteriali; a ſuſcipiente vero dependet tanquam a conditione neceſſaria. Unde intentio ſuſcipientis, ſeu conſenſus ipſius, non eſt cauſſa perficiens, ſed conditio duntaxat neceſſaria, ut verum, ac ratum ſit Sacramentum.

Ad II. Innocentius loquitur de iis, qui ob ſubitam infirmitatem obmuteſcentes, *prius tamen Cathecumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum Baptiſmatis*. Unde fit, quod per propoſitum illud ſuppletur intentio, quæ in actu eſſe non potuit ob ſubitam infirmitatem.

Ad III. Idem Innocentius loquitur de Judæis illis, qui non contradixerunt Baptiſmi ſuſceptioni, ſed Baptiſmi effectui; & proinde ipſorum non obſtante contradictione, collatum ipſis Baptiſmum fuiſſe validum, declaravit.

Ad IV. Auguſtinus loquitur de ſolo Euchariſtiæ Sacramento, quod quis recipit, ſed non conficit; & quidem recipit ut ab alio antecedenter factum. Cacheranus autem dicit, Auſtinum intelligi debere de eo, qui recipit invite ſecundum quid, non vero invite ſimpliciter.

Ad V. S. Thomas intelligit actionem exteriorem Eccleſiæ, quatenus eſt Eccleſiæ; & per hoc unum exigit ad Sacramenti veritatem, ut qui illud recipit, non ludum, aut dolum velit facere, ſed generatim velit percipere ritum Eccleſiæ, ut explicat Tournely.

Ad VI. In caſu propoſito præſumitur poſitiva intentio. Et ratio eſt, quia quiſque vere Catholicus præſumitur antecedenter vel ad amentiam, vel ad mortem, habere intentionem recipiendi extremam Unctionem in caſu mortis, quam credit eſſe neceſſariam chriſtiane & catholice morientibus, ut ipſis peccatorum reliquiæ remitiātur.

Pro tertia tandem Diſſertationis parte, quæ continet diſpoſitiones alias, quæ requiruntur in Sacramentorum Subjecto, ut valide, & ut licite, & cum fructu, & utiliter, Sacramenta percipiat, aptior erit locus, ubi de quolibet Sacramento in particulari erit ſermo. Attamen ut hic aliqua generatim dicamus pauca ſubnectimus, quæ Sacramentis omnibus, illorumque Subjectis, convenire dignoſcuntur. Et quidem inter diſpoſitiones haſce adnumeratur Fides, & inquiritur, an ſit neceſſaria in Subjecto, ut Sacramentum valeat? Adnumeratur pariter Pietas, & quæritur, an ſit neceſſaria, ut Sacramētum licite, & cum fructu, percipiatur?

Dicimus IV., fidem non eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad percipiendum Sacramenta valide, ſi Pœnitentia excipiatur; eſſe vero neceſſariam Pietatem, ut Sacramentum percipiatur licite, & cum fructu.

Prima Concluſionis probatur I. Eccleſia probavit Baptiſmum, quem receperant Ariani, Neſtoriani, & Macedoniani: ſed hi omnes erant hæretici, & Orthodoxam fidem non habebant: ergo non eſt neceſſaria fides ad ſuſcipiendum Sacramenta valide. Probatur major. Prohibuit Eccleſia, ut Hæretici, illi ad Eccleſiæ unitatem redeuntes, iterum baptizarentur: ergo probavit Baptiſmū ab illis ſuſceptum.

II. Probatur ex Auguſtino lib.3. de Bapt. cap.14. *nec intereſt, cum de Sacramenti integritate & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum. Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt: fieri enim poteſt ut homo integrum habeat Sacramentum, & perverſam fidem*. Quibus verbis Auguſtinus docet, quod quanvis Baptiſmus ſuſcipienti non proſit ad gratiam, quia hæreticus eſt, & gratiæ ſanctificantis eſt incapax, valet tamen in ratione Sacramenti, quia characterem illi abſque dubitatione imprimit.

III. Probatur exceptio Pœnitentiæ; quia ex una parte in hoc Sacramento actus pœnitentis, inter quos eſt contritio, eſt materia; ex altera contritio non poteſt

poteſt eſſe ſine fide; & denique Sacramentum non poteſt eſſe validum ſine materia: ergo vere excipiendus eſt caſus in Pœnitentiæ Sacramento.

Secunda Concluſionis pars I. probatur ex Tridentino ſeſſ.7.can.6.; ubi dicitur: *Sacramenta novæ Legis continere gratiam, quam ſignificant, eanque non ponentibus obicem, conferre*. Et can.7. ait: *eam quantum eſt ex parte Dei omnibus dari*. Idem Concilium eaſdem requirit & exponit diſpoſitiones in Sacramentorum ſubjecto ſeſſ. 6.cap 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt; atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ Juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei Miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illamque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet; denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. Et, confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et, Timor Domini expellit peccatum. Et, Pœnitentiam agite, & baptiſetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem Peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Et, euntes ergo docete omnes gentes baptiſantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare quæcunque mandavi vobis. Denique, præparate corda veſtra Domino*.

II. Probatur ex Auguſtino lib.3.de Bapt. c.14. *Intereſt plurimum ad ſalutis viam, quali fide imbutus ſit, qui Sacramentū percipit*; quæ quidem verba explicari poſſunt de Fide, quæ a Scholaſticis dicitur *formata*, hoc eſt cum charitate conjuncta; non vero de fide, quæ dicitur ab iiſdem *informis*, ſcilicet a charitate ſejuncta: & proinde dicit Auguſtinus *quali fide*; & dicit inſuper, *ad Salutis viam*; quæ verba oſtendunt, perceptionem Sacramenti cum validitate non tantum, ſed etiam cum utilitate, & fructu.

Arguunt I. In Concilio Arelatenſi I. can.8 dicitur: *Afri in Eccleſiam redeuntes iterum baptizentur; ſi interrogati, non reſponderint Trinitatem*; ergo requiritur fides. Idem Concilium Can. 27. ſtatuit, *Bonoſiacos baptizatos in Trinitate, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum Chriſmate, & manuum impoſitione in Eccleſia recipiendos eſſe*. II. Ambroſius lib.1.de Spiritu Sancto cap.3.ſcribit: *plenum eſt Baptiſmatis Sacramentum, ſi Patrem, & Filium, Spiritumque fatearis. Si unum neges, totum ſubrues. Et quemadmodum ſi unum in ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum; ſide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum eſt fidei Sacramentum. Ita etiam quamvis & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne Myſterium*. III. Auguſt. lib.7. de Bapt.cont. Donatiſtas cap.53. requirit fidem, ut Baptiſmi Sacramentum ſit validum, docens valere Baptiſma receptum ſine ſimulatione, & cum aliqua fide. IV. Optatus Milevitanus *lib. 5 adverſus Parmenianum*, pari neceſſitate requirit fidem in ſuſcipiente Baptiſmum, ac invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis in hujus Sacramenti Miniſtro; ſed hæc invocatio ita eſt neceſſaria in Miniſtro, ut ſine illa Baptiſmus non valeat: ergo eadem neceſſitate eſt neceſſaria fides in ſuſcipiente Baptiſmum.

Reſpondemus, quod omnia hæc quatuor argumenta ſibi opponit Jueninus, & poſt eum pariter Tournely, & cum utriuſque reſponſionibus iiſdem nos occurrimus; & quidem ad I. dicendo, quod Canon octavus primi Concilii Arelatenſis non loquitur de Fide baptizati, ſed de forma Baptiſmi; ajunt enim Concilii Patres: *interrogent eum Symbolum, & ſi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eſſe baptiſatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum*. Secundum vero Concil. Arelatenſe Can.27. non ſtatuit, ut Bonoſiaci iterum baptizentur, ſi Trinitatis fidem non ſint profeſſi, dum baptizarentur a ſuis; ſed voluit ſolum, ut per manuum impoſi-

poſitionem ad Eccleſiam non recipiantur, niſi prius profeſſi fuerint, ſe omnes fidei articulos ex animo credere.

Ad II. Ambroſius loquebatur de effectu Sacramenti, ſeu de gratia, & ſine hac dicit, nullum eſſe, quando percipitur ſine fide, & proinde ſubdit: *vacuum eſt omne Myſterium*. Sic reſpondet Tournely, qui ſibi hoc argumentum opponit, quod ſibi non oppoſuerat Jueninus.

Ad III. Per verba illa, *cum aliqua fide* intelligit Auguſtinus intentionem, ſeu voluntatem recipiendi Baptiſmum, non vero fidem theologicam, de qua eſt quæſtio; Jueninus vero dicit intelligi fidē late ſumptam, ut ſciat ſcilicet Baptiſma, quo donatur, eſſe a Chriſto Domino inſtitutum in Eccleſia, aut ſaltem in Societate, quæ a nonnullis exiſtimatur & creditur vera Eccleſia.

Ad IV.; utranque neceſſitatem requirit Optatus Melevitanus & in Miniſtro, & in Subjecto Baptiſmi, ſed diverſo neceſſitatis gradu. Invocationem Trinitatis vult eſſe abſolute neceſſariam; ait enim: *ſine qua res ipſa non poteſt geri.* Fidem vero in ſuſcipiente vult eſſe neceſſariam, non ad ſubſtantiam Sacramenti, ſed ad effectum, & fructum illius. Unde citato loco ſubdit: *quis Fidelium neſciat, ſingulare Baptiſma, virtutum eſſe vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cœleſtis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum, ut tu dixiſti, naufragium. Has res unicuique, non ejuſdem rei operarius (ideſt Miniſter), ſed credentis fides, & Trinitas præſtat.*

DISSERTATIO CCCXVII.

De principaliori Sacramentorum effectu, qui eſt Gratia. An Sacramenta novæ Legis vere producant gratiam? An producant principaliter? An producant inſtrumentaliter?

DUO ſunt præcipui Sacramentorum effectus, unus, qui ab omnibus, alius, qui ab aliquibus duntaxat Sacramētis producitur. Primus eſt Gratia, ſecundus eſt character. De primo, qui eſt principalior Sacramentorum effectus, primo loco agimus; de altero in ſequentibus Diſſertationibus agemus. Et quidem in hac Diſſertatione, de efficacia Sacramentorum tractantes, ponimus Hæreſes ante omnia, quæ contra ipſam & priſcis, & recentioribus temporibus, fuerunt, & Eccleſiam atrociter infeſtarunt.

Primo, ſcribuntur Manichæi, de quibus Auguſtinus Hæreſi 46. teſtatur, quod vim omnem juſtificandi Sacramentis negaverint. Ait enim: *Baptiſmum in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis afferre, nec quenquam eorum, quos decipiunt, baptizatum putant.*

Secundo Pelauciani extiterunt, qui ex Euthymio lib. 2. Panopliæ cap. 21. Baptiſmum nullo modo Animæ prodeſſe volebant, quanvis dicerent, quod corpori aliquatenus opitularetur.

Tertio fuerunt Maſſaliani, ſeu Meſſaliani, qui, teſte Damaſceno lib. de Centum Hæreſib. circa finem, vim omnem Sacramentorum ſolis precibus adſcribebant, a quibus aſſerebant ſolummodo peccatorum radices funditus evelli, a Sacramentis vero tanquam a quibuſdam novaculis abradi. Unde dicti ſunt Euchytæ, nimirum Precatores, ex Theodoreto lib. 4 hæreticarum fabularum cap. 11.; atque etiam fuerunt appellati Enthuſiaſtæ, quia cujuſdam Dœmonis in ſe vim admittebant, quā Spiritus Sancti præſentiam nominabant. De his hæc ſcribit Alfonſus de Caſtro lib. 3. adverſus Hæreſes verbo *Baptiſmus* Hæreſi 4. „ Pſalliani etenim
„ qui & Euchytæ, ideſt, orantes appel-
„ lantur, non autem Eucidiæ (ut cor-
„ rupte Catalogus hæreticorum eos no-
„ minat) tantam vim orationi tribuunt,
„ ut illam ſufficere dicant ad omnia
„ peccata delenda, quapropter Euchy-
„ tæ, ideſt, orantes appellantur. Hac
„ de cauſa Baptiſmo derogant, dicen-

tes

„ tes, nullam utilitatem ex ſacro Bapti-
„ ſmate baptizatis accedere, ſed ſolam
„ ſtudioſam orationem Dœmonem in-
„ habitantem effugare. Hi etiam vo-
„ cantur Meſſaliani,& Enthuſiaſtæ,ideſt
„ afflati, & divini, aut ſacrificatores, ut
„ vertit interpres Theodoreti in hiſto-
„ ria tripartita. Catalogus autem hære-
„ ticorum, titulo Meſſaliani, vocat eos
„ Anthyatiſtas, corrupte tamen, ne-
„ ſciens quid diceret, quoniam ſic forte
„ ſcriptum apud aliquem reperit: qua-
„ propter ex putrido lacu putridam hau-
„ ſit aquam. Errat etiam in titulo Elpu-
„ lius, ubi loquitur de quodam ſene
„ hujus peſtiferæ factionis,a quo Flavius
„ quidam Præſul Anthiochenus miro
„ artificio, & per blanditias extorſit,
„ ut illorum ſectam illi revelaret. Hunc
„ ſenem Catalogus vocat Elpulium,cum
„ tamen in 7.lib. hiſt. tripartitæ cap. 11.
„ ubi hæc omnia narrantur, Adelphius
„ vocetur, non Elpulius. Neque hoc vi-
„ cium adſcribere potui impreſſori,quo-
„ niam ille hæreticorum nomina dige-
„ rit juxta ordinem Alphabeti: poſitum
„ eſt autem inter nomina quæ a litera
„ E incipiunt. Hujus factionis Princi-
„ pes fuerunt (ut refert hiſtoria tripar-
„ tita loco proxime citato) Dadoes, &
„ Sabas, & Adelphius, Hermias, & Sy-
„ meones. Cæterum quantum ad præ-
„ ſentem errorem ſpectat, Beatus Au-
„ guſtinus in lib. de hær eſibus cap.57.de
„ Pſallianis diſſerens, hujus erroris non
„ meminit. Guido autem eo multo po-
„ ſterior, nullam prorſus de Pſallianis,
„ aut Meſſalianis, aut ſub alio quovis
„ nomine, facit mentionem. Nos autem
„ ex hiſtoria tripartita hæc deſumpſi-
„ mus. Manichæi autem non propterea
„ quod multum orationi tribuant, ſed
„ quia Baptiſmo detrahere volunt, di-
„ cunt illum in aqua exhibitum nihil
„ cuiquam ſalutis afferre. Hoc enim de
„ illis refert Auguſtinus in lib.de Hære-
„ ſibus cap.46.

Quarto Seleuciani, & Herminiani, Baptiſmum in aqua non recipiebant. Teſtes ſunt Auguſt., & Philaſtrius in ipſorum lib. de Hæreſibus. His adjungitur Adelphius,qui ſupra,qui dixit, utilitatem nullam ex Baptiſmo pervenire ad illum, qui eo uteretur, & ſolam Orationem Dœmonem vernaculum ejicere. Aſſerit Nicephorus lib.11.cap.14.

Quinto Pelagiani aſſerebant,Baptiſmum non eſſe neceſſarium ad originalis peccati remiſſionem, ſed ſolum ad conſequendum Regnum Cœlorum. Narrat Auguſtinus Hæreſi 69. His etiam adjungendus eſt Vincentius Victor, qui voluit, aliquos eorum, qui ſine Baptiſmo Chriſti ex hac vita emigraverint, interim non ire in Regnum, ſed in Paradiſum, poſtea vero in Reſurrectione mortuorum etiam ad Regni Cœlorum beatitudinem pervenire. Teſtis pariter eſt Auguſtinus de Origine Animæ lib.3. cap.14. Sunt denique aliorum errores contra Baptiſmi neceſſitatem, qui ſuo loco, quando ſcilicet de Baptiſmo erit ſermo, referentur.

Sexto Armeni dixerunt, quod Sacramenta novæ Legis gratiam non conferunt. Legitur apud Guidonem Carmelitam de Armenis, errore 16. Et citatus Alfonſus de Caſtro aſſerit; Armeni autem ab omnibus Saramentis virtutem conferendi gratiam removent.

Septimo ſunt recentiores Hæretici, & inter ipſos præcipui habentur Sacramentarii, & Anabaptiſtæ, qui omnimodam gratiæ productionem Sacramentis denegant.

Octavo. Lutherus, & Calvinus, quamvis ſecundum aliqua ipſorum verba nobiſcum aliquando conſentire videantur, revera tamen non aliam cauſalitatem Sacramentis tribuunt, quam obſignationis, vel rememorationis, non autem veræ productionis gratiæ; quum velint per Sacramenta excitari, & nutriri fidem, per quam comprehendat homo divinas juſtificationes,& per hanc comprehenſionem obtineat, ut juſtificetur per fidem. Lutherus in lib. de captivitate Babylonica cap. de Bapt. hæc haber. „ Baptiſmus neminem
„ juſtificat, nec ulli prodeſt, ſed fides
„ in verbum promiſſionis, cui additur
„ Baptiſmus: hæc juſtificat, & adim-
„ plet id, quod Baptiſmus ſignificat.

Calvinus lib.4., Inſtit.cap. 14. §. 17.
„ Cavendum, ne in errorem nos indu-
„ cant, quæ ad amplificandum Sacra-
„ menti dignitatem paulo magnificen-
„ tius a veteribus ſcripta ſunt, ut ſcilicet
„ arbitremur latentem aliquam virtu-
„ tem Sacramentis annexam, affixam-
„ que eſſe, qua ipſa per ſe Spiritus San-
„ cti gratiam nobis conferunt, quemad-
„ modum vinum in cratere propinatur:
„ cum hoc tantum divinitus illis injun-
„ ctum ſit munus ſanctificari nobis, ac
„ ſanciri Dei in nos benevolentiam,

„ nec

Digitized by Google

„ nec ulterius proficiant, niſi acceſſerit
„ Spiritus Sanctus.

Nono. Non abſimiliter intelligunt Socinus, Zuinglius, Bucerus, Melanchthon, immo omnes XVI. ſeculi Hæreti ci Novatores, qui gratiæ ſanctificantis vim productivam Sacramentis omnibus novæ legis denegarunt. Quod inde nobis præcipue conſtat, quia omnes hujuſmodi Sectarii in hoc conveniuut, ut aſſerant, impium juſtificari per actum fidei, quo ſcilicet credat, ſibi per Chriſtum remiſſa eſſe peccata; Sacramentis autem non alium effectum adſcribuut, quam ut ſint hujuſce juſtificationis per fidem receptæ nuda ſigna, & mera noſtræ in Deum pietatis teſtimonia; & licet Luthèrus homil. I. de Bapt. edita anno 1526. dicat:
„ ad hoc inſtitutus eſt Baptiſmus ut no-
„ bis ſerviat, nobis proſit, nobis donet
„ non aliquid carnale, vel corporale,
„ ſed æternam munditiam, & ſanctita-
„ tem„; & Calvinus in Antidoto adverſ. Canonem quintum ſeſs. 7. Conc. Trid. dicat; „ſemper memoria repetendum
„ eſt, Sacramenta nihil quam inſtru-
„ mentales eſſe conferendæ gratiæ nobis
„ cauſas„; & adverſ. Canonem 6. ſubjungat; „ ſi qui ſunt, qui negent, Sacra-
„ mentis contineri gratiam, quam figu-
„ rant, illos improbamus „; attamen non per hoc dicendum eſt, illos admiſiſſe veram gratiæ productivam vim in Sacramentis; & ratio eſt, quia ideo illud ipſi dicunt, quia volunt, quod Sacramenta excitent in recipientibus fidem de divina Miſericordia, & per hoc efficiant, ut recipientes in ſuam memoriam revocent promiſſionès de juſtificatione credentibus conferenda; & hac ſola ratione intelligunt, in Sacramentis gratiam contineri, vel ea eſſe juſtificationis inſtrumentales cauſſas, non autem modo, qui a Catholicis ponitur, mediate ſcilicet volunt, ut uno verbo ſcholaſtico rem abſolvamus, cauſſare, hoc eſt, mediante fide, non autem immediate, ut Catholici propugnant. Et hæc ſunt verba ipſorum; videlicet Melanchthoni *in locis communibus* editis anno 1522. cap. *de Signis*: „ Non juſtificant ſigna, ut
„ Apoſtolus ait: *Circumciſio nihil valet*:
„ ita Baptiſmus nihil eſt, participatio
„ menſæ Domini nihil eſt, ſed teſtes
„ ſunt [illegible], divinæ voluntatis erga te: Zuinglii *ad Urbanum Regium de peccato originali*: „ Baptiſmi lavacro nul-
„ lum prorſus peccatum tollitur: Ba-
„ ptiſmus eſt Eccleſiæ ſignum, non ali-
„ ter quam, cum exercitus aliquis ſigna-
„ tur: non quod ſignum hoc conjungat
„ Eccleſiæ, ſed quod ei jam conjunctus
„ eſt, & publicam teſſeram accipit, ſicut
„ nemo in exercitu ſcribitur, eo quod
„ ſignum induit, ſed is, qui in exercitum
„ jam ſcriptus eſt, ſigno publico dignus
„ dicitur, quo omnibus manifeſtus fiat,
„ nomen dediſſe eo Duci, ſub quo ſe mi-
„ litaturum promiſit„. Et lib. *de Bapt.* ait: „fere omnes quotquot ab Apoſto-
„ lorum tempore de Baptiſmo ſcribere
„ inſtituerunt, non in paucis a ſcopo
„ aberrarunt. Neque ex eorum nume-
„ ro quenquam invenire licet, qui non
„ aquæ tribuerit, quod nec illa habet,
„ nec Apoſtoli eam habere docuerunt.
„ Externus Baptiſmus, qui aqua con-
„ ſtat, ad peccatorum ablutionem nihil
„ facit. Buceri ad *caput 3. Matth.* „ Ba-
„ ptiſmus, ut ab homine geritur, nec
„ præcipue in Chriſtum reſpicit, quid
„ aliud, quam hominis opus eſt?; faten-
„ dum ergo erit de Baptiſmate ad hunc
„ modum conſiderato, id, quod Apoſto-
„ lus ſcripſit de Circumciſione, nempe,
„ illud nihil eſſe, aut valere, ſed novam
„ requiri creaturam, & obſervantiam
„ mandatorum Dei. Fridericus Staphylus de Lutheranorum inter ſe concordia refert, Lucam Sternbergium ſacrum Baptiſma rejeciſſe, appellando illud, Satanicam inſtitutionem; ait enim; „ illos, qui eo utuntur, non
„ niſi ad tartarum baptizari, & in æter-
„ num damnari: divinitus enim non
„ Baptiſmum, ſed Circumciſionem inſti-
„ tutam eſſe.

Decimo. Fuerunt denique poſtremis temporibus Suvenckfeldiani, qui dixerunt, homines ſine Myſterio, & Sacramentis ſalvari poſſe. Legitur *in Confeſſione Mansfeldenſium* cap. de *Suvenckfeldianis*. His adduntur Joannes Sommerus *declamatione cont. Bapt. Adultor.* aſſerens: „ non modo pueros,
„ ſed etiam Adultos, non eſſe baptizan-
„ dos: mandatum Chriſti: *baptizate*
„ *omnes gentes*: ad eos, qui tunc vive-
„ bant, non ad Chriſtianos hujus ſeculi
„ pertinere, quorum cum majores ba-
„ ptizati ſunt, non eſſe neceſſe, ut ne-
„ potes baptizentur. Franciſcus Puccius Felidinus, *Aſſertione de Chriſti Servatoris in omnibus & ſingulis hominibus effica-*

ficacitate Ratione 23. ait. „ Abſurdiſ-
„ ſimum eſt credere, Deum eſſe iratum,
„ & minime clementem, & non par-
„ cere innumeris mortalibus non cir-
„ cumciſis, nec baptizatis aliorum cul-
„ pa; aut ex perdita Adæ maſſa elegiſ-
„ ſe paucos, quos ſervaret, relictis cæ-
„ teris in pernicioſo originis vitio, ut
„ multi ſentiunt, ac docent. *Et Ratio-
ne* 56. „ Illud non naſci, vel non re-
„ formari denuo, intelligendum eſt
„ poſitive, non privative, ita ut Rei
„ eſſent, non qui carebant illa reforma-
„ tione, ſed qui illam impugnabant. Qua-
„ propter ex verbis ad Nicodemum non
„ probatur, quenquam perire, defectu Ba-
„ ptiſmi, ſed declaratur pœna imminens
„ perverſis contemptoribus Baptiſmi.

Dicimus I Sacramenta novæ Legis vere & proprie gratiam ſanctificantem producere.

I. Probatur. Ex Scripturis. Pſal. 50. *Aſperges me Domine hyſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Exechielis 36. *effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Zachariæ 13. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* Ad Epheſios 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ* Act. 8. *Imponebant manus, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Joannis 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Jacobi 5. *Si in peccatis ſit, remittentur ei.* I. ad Timoth. 1. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterii.* Quæ ſacrorum librorum verba pro omnibus & ſingulis Sacramentis verificantur, & de iiſdem dicitur, quod vere & proprie gratiam conferant ſuſcipientibus illa.

II Probatur ex Romanis Pontificibus. Melchiades, ſi genuinæ ſunt Epiſtolæ Romanorum Pontificum uſque ad Siricium, hæc ad Hiſpaniæ Epiſcopos ſcribebat. *Spiritus Sanctus ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu. In Baptiſmo regeneramur ad vitam. Regeneratio per ſe ſalvat, mox in pace beati ſeculi recipiendos. Confirmatio armat, & inſtruit ad agones mundi hujus, & prælia reſervandos.* Innocentius I. Epiſt. 22. *Per Baptiſmum totum, quod vetus homo geſſerat, putatur auferri.* Leo Magnus in Nativitate Domini Serm. 3. cap. 3. *Terra carnis humanæ, quæ in primo fuerat prævaricatore maledicta, in hoc ſolo beatæ Virginis partu germen edidit benedictum, & a vitio ſuæ ſtirpis alienum, cujus ſpiritualem originem in regeneratione quiſque conſequitur, & omni homini renaſcenti aqua Baptiſmatis inſtar eſt uteri virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit & Virginem: ut peccatum, quod ibi evacuavit ſacra conceptio, hic myſtica tollat ablutio.* Serm. 5. cap. 5. *Originem, quam ſumpſit ex Utero Virginis, poſuit in fonte Baptiſmatis: dedit aquæ, quod Matri. Virtus enim Altiſſimi, & obumbratio Spiritus Sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem.* Serm. 6. cap. 2. *Quicquid hominum, in quacunque mundi parte credentium, regeneratur in Chriſto, interciſo originalis tramite vetuſtatis, tranſit in novum hominem renaſcendo, nec jam in propagine habetur carnalis patris, ſed in germine Salvatoris.* Gregorius Magnus lib. 4. Moralium cap. 3. *Quiſquis regenerationis unda non ſolvitur, reatus primi vinculis ligatus tenetur. Quod vero apud nos valet aqua Baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus Sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt, Myſterium Circumciſionis Nam quia unuſquiſque cum primi parentis culpa concipitur, Propheta teſtatur dicens: ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Et quis is, quem ſalutis unda non diluit, originalis culpæ ſupplicia non amittit, aperte per ſemetipſum veritas perhibet dicens: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non habebit vitam æternam.* Lib. 9. epiſt. 39. *Si qui ſunt, qui dicunt, peccata in Baptiſmate ſuperficie tenus demitti, quod eſt hac prædicatione infidelius?, in qua ipſum Fidei Sacramentum feſtinant ſolvere, in quo principaliter ad cæleſtis munditiæ myſterium anima ligatur, ut abſoluta radicitus a peccatis omnibus, ſoli illi inhæreat, de quo Pſalmiſta ait: mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Certe enim maris rubri tranſitus figura ſancti Baptiſmatis fuit, in quo hoſtes a tergo ſunt mortui, ſed alii contra faciem in eremo ſunt inventi. Sic quippe omnes, qui in*

ſan-

Digitized by Google

ſancto Baptiſmate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur, quia eis, veluti egyptii hoſtes, a tergo moriuntur. Sed in eremo alios hoſtes invenimus; quia dum in hac vita vivimus, prinſquam ad promiſſionis patriam pertingimus, multæ tentationes nos fatigant, & ad terram viventium tendentibus iter intercludere feſtinant. Qui ergo dicit peccato in Baptiſmate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur, Ægyptios veraciter mortuos, fateatur neceſſe eſt, peccata in Baptiſmate funditus mori; quia nimirũ plus valet in abſolutione noſtra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit: qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Si igitur peccata in Baptiſmate funditus minime dimittuntur, quomodo is, qui lotus eſt, mundus eſt totus?; totus enim mundus dici non poteſt, cui de peccato aliquid remanſit. Sed nemo reſiſtit voci veritatis, quæ ait: qui lotus eſt, mundus eſt totus: nihil ergo ei de peccati ſui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipſe, qui redemit. Innocentius III. Serm. 2. in Feſto Pentecoſtes: *Nomen, ideſt, invocatio Trinitatis, ſanctificat aquam, ut tingens corpus, purificet cor. Et ideo dicebat: mundans eam (ideſt Eccleſiam) lavacro aquæ in verbo vitæ. Nam accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ad Pſal. 4. pœnitentialem. *Tria pertinent ad effectum Baptiſmi: remiſſio culpæ, relaxatio pœnæ, & infuſio gratiæ. Primum notatur, cum dicitur: lavabis me; ſecundum, cum additur: dealbabis: tertium, cum adjungitur: ſuper nivem. Effundam, inquit Dominus per Prophetam, ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutione peccatoris, & menſtruatæ. Cum igitur audis: aſperges me hyſſopa, & mundabor; in aſperſione ſanguinis Chriſti fidem paſſionis intellige; cum autem, lavabis me, audis, & ſuper nivem dealbabor; in ablutione aquæ Baptiſmi Sacramentum agnoſce. Porro, cum fides Adultis ſine Sacramento proficiat, ubi Sacramentum non Religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit: Sacramentum vero Baptiſmi ſine fide Adultis non valeat, juxta quod veritas ait, qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic ſalvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur, quid eſt, quod in hoc loco plus attribuitur Sacramento, quam fidei?; nam minus eſt aſpergi, quam ablui; & mundari, quam dealbari, maxime ſuper nivem. Sciendum eſt ergo, quod fides Chriſti, quæ juſtificat impium, revera mundat a culpa, ſed non ſemper ab omni pœna; Sacramentum vero Baptiſmi, ſi digne ſumatur, liberat omnino a culpa pariter, & a pœna. Unde Sacramentum regenerationis a Domino appellatur, cum ait: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Dei. Quia per hoc Sacramentum homo regeneratur in gratia, liberatur a culpa pariter & a pœna. Recte igitur, lavabis me per Sacramentum Baptiſmi, & ſuper nivem gratiæ, quæ mundat a culpa, dealbabor etiam Sacramenti virtute ab omni pœna, præter illam duntaxat, quam neceſſitas primæ corruptionis inducit.*

III. Probatur ex Conciliis Conc. Nicænũ generale I., quod citat. Fraſſen Diſput. Proemiali de efficacitate Sacramentor. art. 1. quæſt. 2., hæc habet. *Baptiſma noſtrum non oculis corporeis conſiderandum eſt, ſed mentis oculis, Aquam vides?, conſidera virtutem Dei in aquis abſconditam; in Sancto enim Spiritu & igni baptizari nos docet Evangelium. In fide enim baptizantis, & fide baptizati, per ſacram invocationem plenas ſanctificatione Spiritus & ignis divini aquas conſidera: ipſe enim, inquit, baptizabit Spiritu, & igne. Deſcendit itaque, qui baptizatur, reus peccatorum, & obnoxius ſervituti corruptionis, & aſcendit liberatus ab hac ſervitute & peccata, factus filius Dei, & hæres ejus gratiæ, cohæres autem Chriſti, indutus ipſum Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt: quicunque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Concilium Conſtantinopolitanum I. in ſymbolo: *credimus unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Concilium Arauſicanum II. cap. 25. *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad noſtram ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Concilium Viennenſe in Clementinis cap. 1. de ſumma Trinitate: *Tam Adultis, quam parvulis, in Baptiſmo informans gratia, & virtutes conferuntur.* Concilium Florentinum in Decreto Eugenii IV., ubi decernitur ſeptem eſſe novæ Legis Sacramenta. *Quæ multum differant a Sacramentis ve-*

teris Legis; illa enim non cauſſabant gratiam, ſed ſolum per paſſionem dandam eſſe ſignificabant, hæc vero noſtra, & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferant. Tridentinum ſeſs. 7. Can.6. de Sacrament. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem conferre, quaſi & ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, & juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab Infidelibus, anathema ſit*. Et Can 7. *Si quis dixerit, per ejuſmodi Sacramenta non dari gratiam ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi ea rite ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus; anathema ſit*. Et Can.8. *Si quis dixerit, per ipſa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ipſam fidem ſolam divinæ promiſſionis ad gratiam conferendam ſufficere, anathema ſit*. Additur Cathechiſmus Romanus qui par.2. n.25. hæc aſſerit de gratia. *Principem quidem locum merito gratia illa obtinet, quam uſitato ſacris Doctoribus nomine juſtificantem vocamus; ita enim Apoſtolus apertiſſime nos docuit, cum inquit, Chriſtum dilexiſſe Eccleſiam, & ſeipſum tradidiſſe pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacra aquæ in verbo vitæ: quo autem pacto tanta res & tam admirabilis per Sacramentum efficiatur, ut quemadmodum Sancti Auguſtini ſententia celebratum eſt, aqua corpus abluat, & cor tangat. id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendi non poteſt, conſtitutum enim eſſe debet, nullam rem ſenſibilem ſuapte natura ea vi præditam eſſe, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognaſcimus Omnipotentis Dei virtutem in Sacramentis ineſſe, qua id efficiant, quod ſua vi res ipſæ naturales præſtare non poſſunt. De altero effectu, ſcilicet charactere, ait Concilium Florentinum in Decreta unionis; inter hæc Sacramenta tria ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, ideſt ſpiritale quoddam ſignum, imprimunt.*

IV. Probatur. Ex Patribus Græcis. Juſtinus in Orat. ad Antoninum pium. *Deinde Cathecumeni eo adducuntur a nobis, ubi eſt aqua, atque eo regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur. Nam in nomine cunctarum rerum Parentis, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti in aquatum lavantur; Chriſtus enim ipſe dixit; niſi regenerati fueritis ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabitis in regnum Cælorum; quandoquidem priorem nativitatem noſtram ignorantes neceſſitate quadam, liquido genitali ſata, mutua parentum mixtione intercedente, progenerati ſumus, & in malis moribus, pravisque conſuetudine educti, ut ne neceſſitatis & ignorantiæ liberi permaneamus, ſed delectus ac ſcientiæ filii ſimus, ac remiſſionem ante commiſſorum peccatorum conſequamur in aqua: ſuper eo, qui renaſcendum ſibi eſſe ſtatuerit, atque per pænitentiam ab admiſſis delictis reſipuerit, Patris rerum omnium, & Domini Dei nomen nominatur, atque idipſum ſolum lavaturum iſtum ad lavacrum ducentes invocamus. Vocatur vero lavacrum hoc illuminatio, quod eorum, qui hæc diſcunt, mentes illuminentur*. Iræneus lib.3. cap.19. *Sicut de arido tritico maſſa una fieri non poteſt ſine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Chriſto Jeſu poteramus ſine aqua, quæ de Cælo eſt. Et ſicut arida terra, ſi non percipiat humorem, non fructificat, ſic & nos, lignum aridum exiſtentes primum, nunquam fructificaremus vitam, ſine ſuperna voluntaria pluvia. Corpora enim noſtra per lavacrum illud, quod eſt ad incorruptionem, unitatem acceperunt; Animæ autem per Spiritum. Unde & utraque neceſſaria ſunt, cum utraque proficiant in vitam Dei, miſerante Domino noſtro Jeſu Chriſto*. Clemens Alexandrinus l.1. Pædagogi cap.6. *Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur. Ego, inquit, dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes. Multis autem modis vocatur hoc opus: gratia, illuminatio, perfectum, & lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abſtergimus; gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur; illuminatio autem, per quam ſanctam illam & ſalutarem lucem ſpeculamur, hoc eſt, per quam id, quod eſt divinum perſpicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deeſt. Quid enim ei deſit, qui Deum novit?; eſt enim revera abſurdum, Dei vocari gratiam, quæ non ſit perfecta, & nedequaque plena. Qui autem eſt perfectus perfecta utique largietur &c. Qui eſt ſolummodo regeneratus, quemadmodum etiam illuminatus dicitur; illuminatus quidem protinus a tenebris liberatur, & ab eo tempore lucem accepit.*

Ut.

Ut ergo qui ſomnum excuſſerunt, ab eo tempore protinus intus vigilant; ita etiam qui tingimur, abſterſis peccatis, quæ divine Spiritui inſtar caliginis tenebras offundebant, liberum ab omnique impedimento vacuum & lucidum habemus Spiritus oculum; quo quidem ſolo quod divinum eſt intuemur, cælitus influente nobis Spiritu Sancto. Cyrillus Hieroſolymitanus in præfatione in Catech. *Magnum eſt ſane propoſitum hoc Baptiſma: captivitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, Animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum ſanctum & indelebile, currus ad Cœlum, deliciæ Paradiſi, regni cæleſtis conciliatio, & chariſma adoptionis filiorum*. Et Catecheſi 3. *Aqua ſane mundat corpus, Spiritus autem ſignat Animam, ut abluti in corpore aqua mundi, & repurgati in corde accedamus ad Deum. Qui itaque in aquam deſcenſurus es, non aquæ ſimplicitati mentem adhibe, ſed Spiritus Sancti virtute ſalutem ſuſcipe. Nam ſine utriſque ad perfectionem deduci non poteris, et ſi quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos Martyres, qui vel ſine aqua regno cæleſti potiuntur &c. Deſcendis quidem in aquam ferens peccata, ſed gratiæ invocatio ſignans Animam non permittit deinceps ab horrendo illa ſubmergi dracone. Mortuus in peccatis deſcendiſti, & aſcendis vivificatus in Juſtitia. Deſcendens in aquam, & quodammodo conſepultus Chriſto, ſicut ille in petra excitaris, rurſus in novitate vitæ ambulans: deinde cum tibi gratia confertur, tunc rurſus tibi adverſus contrarias virtutes dat poteſtatem*. Gregorius Nyſſenus Orat. de Bapt. *Baptiſma igitur peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renovationis, & regenerationis cauſſa. Regenerationem autem intellige eam, quæ cogitatione cernitur, oculis non videtur. Non enim vere quemadmodum hebræus ille Nicodemus dixit, atque craſſius intellexerat, ſenem mutabimus in puerum, neque rugoſum & canum in tenerum & juvenem transformabimus, aut iterum hominem in uterum matris reducemus, ſed compunctum notis peccatorum, & malis moribus inveteratum, gratia regia eo redigimus, ut innocens ſit, ſicut infans. Ut enim modo natus puellus a criminibus & pœnis liber eſt: ita etiam generationis puer non habet, cujus nomine cauſam dicat, ut qui regio dono cauſæ dictioni exemptus, & a rationibus vitæ reddendis liberatus ſit. Hoc autem beneficium non aqua largitur, (eſſet enim omni creatura ſublimior) ſed Dei præceptum, & Spiritus, qui myſtice ad noſtram libertatem venit acceſſus, aqua vero ſubſervit ad oſtendendam purgationem. Quoniam enim ſordibus, ac cæno fedatum corpus aqua lavantes purum reddere ſolemus, propterea etiam in myſtica actione eam adhibemus, re ſub ſenſum cadenti, incorporeum ſplendorem ſignificantes*.

V. Probatur ex Patribus latinis. Tertullianus de Bapt. cap. 4. ait. *Omnes aquæ de priſtina originis prærogativa Sacramentum ſanctificationis conſequuntur, invocato Deo. Supervenit enim ſtatim Spiritus de cœlis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificatæ vim ſanctificandi combibunt .... Igitur medicatis quodamodo aquis per Angeli interventum & Spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in iiſdem ſpiritaliter mundatur*. Et de Reſurrectione Carnis cap 8. dicit. *Caro abluitur, ut Anima ſanctificetur*. Cyprianus lib. 2. epiſt. 2. *Ergo cum in tenebris atque in nocte cæca jacerem, cumque in ſalo jactantis ſæculi nutabundus ac dubius veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renaſci denuo poſſet, utque in novam vitam lavacro aquæ ſalutaris animatus, quod prius fuerat exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Qui poſſibilis, ajebam, eſt tanta converſio, ut repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel uſurpatum diu ſenio vetuſtatis inolevit? Alta hæc, & profunda penitus radice ſederunt .... Hæc egomet ſæpe mecum .... ſed poſtquam undæ genitalis auxilio ſuperioris ævi labe deterſa, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infundit, poſtquam cælitus ſpiritu hauſtu in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa, facilitatem dare, quod prius difficile videbatur, geri poſſe, quod impoſſibile putabatur, ut eſſet agnoſcere terrenum fuiſſe, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei eſſe cæpiſſe, quod jam Spiritus Sanctus animaret. Scis ipſe profecto, & mecum pariter recognoſcis, quid detraxerit nobis,*

quidve

Digitized by Google

quidve contulerit mors iſta criminum, vita virtutum: ſcis ipſe, nec prædico. Et lib.4 cp.76. *Cum ad aquam ſalutarem, atque ad Baptiſmi ſanctificationem venitur, ſcire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus divina indulgentia liberatur. Nam ſi ſcorpii & ſerpentes, qui in ſicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere non poſſunt, aut ſua venena retinere; poſſunt & Spiritus nequam, (qui ſcorpii & ſerpentes appellantur, & tamen per nos data a Domino poteſtate calcantur) permanere ultra in hominis corpore, in quo baptizata & ſanctificata incipit Spiritus Sanctus habitare? Hoc denique & rebus ipſis experimur, ut neceſſitate urgente in ægritudine baptizati, & gratiam conſecuti, careant immundo Spiritu, quo antea movebantur; & laudabiles ac probabiles in Eccleſia vivant, pluſque per dies ſingulos in augmentum cæleſtis gratiæ per fidei incrementa proficiant.* Lactantius lib.3. Inſtit. cap.26. *Dei præcepta, quia & ſimplicia & vera ſunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana exprimenta demonſtrant. Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effrænatus, pauciſſimis Dei verbis tam placidum, quam avem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem, jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam propriis pleniſque manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis, jam cruces & ignes, & Phalaridis taurum, contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem, jam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Da crudelem, & ſanguinis appetentem, jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injuſtum, inſipientem, peccatorem, continuo & æquus & prudens & innocens erit. Uno enim lavacro malitia omnis abolebitur. Tanta divinæ Sapientiæ vis eſt, ut in hominis pectus infuſa, matrem delictorum ſtultitiam uno ſemel impetu expellat. Ad quod efficiendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus eſt. Gratis iſta fiunt, facile, cito, pateant modo aures, & pectus ſapientiam ſitiat. Nemo vereatur nos: aquam non vendimus, nec ſolem mercede præſtamus: Dei fons uberrimus atque pleniſſimus patet cunctis; & hoc cæleſte lumen univerſis oritur, quicunque oculos habent. Num quis hæc Philoſophorum, aut unquam præſtit, aut præſtare poteſt.* Et lib.7. cap.5. *Quæ ratio docet, mortalem naſci hominem, poſtea vero immortalem fieri, cum cæperit ex Deo vivere; ideſt, juſtitiam ſequi, quæ continetur in Dei cultu, cum excitaverit hominem Deus ad aſpectum cœli, ac ſui. Quod tum fit, cum homo cæleſti lavacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento divini vigoris accepto fit homo perfectus ac plenus.* S. Ambroſius lib.2. de Pœnitent. cap 2. *Impoſſibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua. Denique Naaman Syrus lepram ſuam mundari per aquam poſſe non credidit. Sed quod impoſſibile erat, fecit Deus eſſe poſſibile, qui tantam nobis donavit gratiam.* Hjeronymus lib. 1. adverſ. Ruffinum, cap.7. *Audio præterea objici mihi a Chryſogono, Sectatore ejus, cur in Baptiſmate dixerim, univerſa peccata dimitti, & mortuo bimarito, novum virum in Chriſto reſurgere, atque iſtiuſmodi Sacerdotes in Eccleſiis eſſe nonnullos .... Audiat nos iterum proclamantes; veterem Adam in lavacro totum mori, & novum cum Chriſto in Baptiſmate ſuſcitari: perire choicum, & naſci ſupercæleſtem.* Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 64. *Excepto Baptiſmatis munere, quod contra originale peccatum donatum eſt, ut quod generatione attractum eſt, regeneratione detrahatur, & tamen activa quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere, commiſſa invenerit, tollit. Hæc ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua ſolvitur omnis reatus, & ingeneratus, & additus &c.* Et pro omnibus Sacramentis idem Auguſtinus in Pſalm.67. ſcribit: *Sacramenta novi teſtamenti dant ſalutem; Sacramenta vero veteris teſtamenti promiſerunt Salvatorem.*

VI. Probatur Rationibus I. Si Baptiſmus valeret tantum ad fidem excitandam, ut Novatores effuciunt, non prodeſſet Infantibus; ſed Infantibus prodeſt, ut ſuo loco probabimus: ergo non valet tantum ad fidem excitandam, ſed etiam ad gratiam conferendam. Major eſt certa, quia in Infantibus non eſt fides, quam poſſit Baptiſmus excitare, & nihilominus illis Baptiſmus gratiam confert. II. Si Sacramenta operantur tantum fidem excitando, fruſtranea hoc ipſo redduntur; atqui fruſtranea non ſunt: ergo per Sacramenta non eſt tantum fides, quæ excitatur. Probatur major; quia fides commodius, quam per Sacramenta, excitari poteſt in Viris doctis per lectionem Scripturarum, & in indoctis per con-

concionis auditionem: ergo fruſtranea ſunt Sacramenta. III. Sacramenta proſunt tantum ſuſcipientibus illa; ſed ſi ſolum valerent ad fidem excitandam, prodeſſent quoque non ſuſcipientibus illa; ergo non valent tantum ad fidem excitandam. Probatur major. In ſuſceptione Sacramentorum aliquando ſunt multi præſentes, præter illos, qui ea ſuſcipiunt; ſed hi præſentes poſſunt excitari ad fidem per adminiſtrationem Sacramentorum, quam vident: ergo Sacramenta prodeſſent etiam illis. IV. Cætera Sacramenta eo modo producunt gratiam, quo modo producit illam Sacramentum Baptiſmi; ſed Sacramentum Baptiſmi vere & proprie producit gratiam; ergo etiam cætera Sacramenta. Argumentum eſt S. Thomæ 3. part. q.62.art.1. ubi hæc habet. *Auguſtinus dicit ſuper Joannem, quod aqua Baptiſmatis corpus tangit, & cor abluit: ſed cor non abluitur, niſi per gratiam: ergo cauſat gratiam, & pari ratione alia Sacramenta Eccleſiæ.* Tum in corpore ita proſequitur. *Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt dicere, Sacramenta novæ legis per aliquem modum gratiam communicare; manifeſtum eſt enim, quod per Sacramenta novæ legis homo Chriſto incorporatur; ſicut de Baptiſmo dicit Apoſtolus ad Galatas 3. Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; non autem efficitur homo membrū Chriſti, niſi per gratiam.* V. Ineſt Sacramentis vis productiva alicujus effectus; ſed effectus iſte nequit eſſe ſola fidei excitatio: ergo eſt gratiæ productio. Probatur minor. Fidei excitatio ſupponit fidem, non producit illam: ergo non poteſt per hujuſmodi excitationem intelligi, & ſalvari vis productiva Sacramentorum, quæ optime intelligitur & ſalvatur per gratiæ productionem. VI. Ille effectus tribui debet Sacramentis, qui a Deo pluribus ſignis & mirabilibus confirmatus multoties fuit convenire illis; ſed ex Catechiſmo Romano habemus, quod hic effectus fuit gratiæ productio, & non alius effectus, quem Hæretici fingunt; ergo &c. Probatur minor verbis Catechiſmi par. 2. n.26. *Quo circa ne ulla unquam hujus effectus dubitatio in animis fidelium reſideret, cum miniſtrari Sacramenta cœptum eſt, voluit clementiſſimus Deus, quid interius efficerent, miraculorum ſignificationibus declarare, ut eadem perpetuo interius fieri conſtantiſſime crederemus, quanvis longe a noſtris ſenſibus remota eſſent. Itaque, ut omittamus, Salvatore noſtro in Jordane baptizato, cælos apertos eſſe, & Spiritum Sanctum columbæ ſpecie apparuiſſe, ut admoneremur, ejus gratiam, cum ſalutari fonte abluimur, in animam noſtram infundi; ut hoc inquam omittamus; magis enim ad Baptiſmi ſanctificationem, quam ad Sacramenti adminiſtrationem pertinet; nonne legimus, quum Pentecoſtes die Apoſtoli Spiritum Sanctum acceperunt, quo deinde ad prædicandam fidei veritatem, adeundaque pro Chriſti gloria pericula, alacriores, & fortiores fuerunt, tunc facto repente de cælo ſonitu, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, apparuiſſe illis diſpertitas linguas, quaſi ignis? Ex quo intellectum eſt, Sacramento Confirmationis eundem nobis Spiritum tribui, eaſque vires addi, quibus poſſimus carni, mundo, & Satanæ, perpetuis ſcilicet hoſtibus noſtris, fortiter repugnare, & reſiſtere. Atque hæc miracula, quoties Apoſtoli Sacramenta iſta miniſtrarent, initio naſcentis Eccleſiæ aliquandiu viſa ſunt, donec firmata jam fide & corroborata fieri deſierunt.*

Arguunt I. Lutherani cum ipſorum Magiſtro Luthero: Scriptura dicit, hominem juſtificari per fidem: ergo non per Sacramenta, niſi mediate. Probatur antecedens. Ad Romanos 1. *Juſtus ex fide vivit*: ad Roman. 10. *Corde creditur ad juſtitiam*. II. cum eodem: Marci ultimo dicitur: *qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Ex his verbis condemnatio afficit eos, qui non crediderunt, non vero eos, qui baptizati non fuerunt: ergo non eſt Baptiſmus, ſed fides, quæ juſtificat. III. Cum Zuinglio. Lucæ 5. dicitur: *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*: ergo non eſt Sacramentorum, ſed ſolius Dei opus, peccatorum remiſſio. IV. Cum eodem. Sacramenta ſunt res craſſæ & materiales: ergo nequeunt Animam ſpiritualem ſic penetrare, ut eam ſanctificent. V. Cum Calvino. Dicere, quod Sacramenta juſtificent, eſt abſtrahere homines a Deo, & facere, ut inanis ſit paſſio Chriſti, & ut homines in rei corporeæ ſpectaculo, & non in Deo, acquieſcant. VI. Cum aliis Heterodoxis. Nobilius opus eſt juſtificatio, quam creatio, ex Auguſt. tract. 72. in Joan.

Joan.; ſed nulla creatura poteſt eſſe inſtrumentum creationis,ex S. Thoma 1.par.q.45.: ergo neque juſtificationis. VII. Auguſt.tract.10. in Joan.de Bapt. ait: *faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur*: ergo ex Auguſtino Baptiſmus cauſſat gratiam ratione fidei. VIII. Quod gratiam præſuponit, gratiam non cauſſat; ſed Sacramenta gratiam præſuponunt: ergo gratiam non cauſſant. Probatur minor. Ex Patribus Sacramenta dicuntur ſigna, & ſigilla gratiæ; atqui ſigna, & ſigilla debent in ſubjecto præſuponere id, quod ſignificant, atque ſigillant: ergo &c. IX. Cum Kemnitio. In I. epiſt. Petri cap.3. hæc leguntur: *ſalvos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio*; atqui aliud hoc non eſt, quam quod Cathecumenus ſalutem non conſeqatur vi externæ ablutionis, ſed unius fidei virtute: ergo &c. X. Cum eodem Kemnitio: ad Rom.1. dicitor Evangelium *virtus ad ſalutem omni credenti*; ſed per hoc ſalutem immediate Evangelium non cauſſat, ſed mediate, in quantum ſcilicet fidem excitat: ergo ita pariter Sacramenta.

Reſpondemus ad I., concedendo utique, quod homo juſtificetur per fidem,quæ per charitatem operatur, ſed negando, ex hoc ſequi, quod non juſtificetur etiam per Sacramentum. Juſtificatur enim per fidem, per Sacramenta, per paſſionem & mortem Chriſti Domini, ſed diverſimode; etenim per paſſionem & merita Chriſti juſtificamur tanquam per cauſſam meritoriam noſtræ juſtificationis de condigno; per fidem,tanquam per diſpoſitionem, vel per meritum de congruo; per Sacramenta,tanquam per inſtrumenta juſtificationis noſtræ.

Ad II., dicitur, quod ex illis verbis hoc inſertur, quod ſicut ſi Adultus baptizetur, & non credat, condemnabitur, ita ſi credat, & non baptizetur, condemnabitur pariter. Unde ad Adulti ſalutem & requiritur fides ut diſpoſitio, & requiritur Sacramentum ut cauſſa juſtificationis.

Ad III. Verba illa Lucæ, *quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?*, intelliguntur principaliter, non vero inſtrumentaliter; unde fit, quod ſolus Deus peccata dimittit principaliter, & remiſſionis peccatorum eſt cauſſa principalis: Miniſter vero Sacramenti pœnitentiæ dimittit peccata inſtrumentaliter & miniſterialiter, & eſt remiſſionis peccatorum cauſſa inſtrumentalis. Unde Joannis 20. hominibus, qui erant Apoſtoli, & Sacramentorum erant Miniſtri, Chriſtus dicebat: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*.

Ad IV. dicitur, quod argumentum vim facit circa modum, quo Sacramenta gratiam cauſſant, non vero circa ſubſtantiam cauſſandi & producendi illam. Modus juxta Scholarum diverſitatem duplex aſſignatur, phyſicus ſcilicet, & moralis; quænam ex duabus opinio nobis arrideat, in ſequenti Diſſertatione videbitur. Pro modo ſufficiat tantum dicere, quod Sacramenta cauſſant gratiam non naturaliter, ſed ſupernaturaliter, obedientialiter, & per elevationem.

Ad V. Sequeretur utique, quod Calvinus infert,ſi nos diceremus,Sacramenta per ſe & principaliter juſtificare; at nos hoc non dicimus, & aſerimus tantum, quod Sacramenta juſtificent, ut inſtrumenta Dei, per merita paſſionis Chriſti &c. Ex hoc tamen nullo modo inferri poteſt, quod per Sacramenta homines a Deo abſtrahantur, & quod Chriſti paſſio per Sacramenta inanis reddatur.

Ad VI. In noſtris principiis negatur minor, quia in philoſophicis ſupponimus probatum cum quamplurimis etiam peripateticæ Philoſophiæ addictis, quodCreatura ſupernaturaliter a Deo elevata poſſit creare inſtrumentaliter. Attamen ſi velint Legentes concedere minorem, aſſignare poterunt diſparitatem inter creationem, & juſtificationem,dicentes nimirum,quod inſtrumentum creationis cauſſat phyſice, inſtrumentum vero juſtificationis, hoc eſt Sacramenta, cauſſat moraliter, ut mox videbitur.

Ad VII. Senſus verborum illorum Auguſtini eſt, quod, quum ipſe dixiſſet, aquam Baptiſmi habere virtutem ad mundandam animam, quæſivit deinde,unde tanta virtus erat in aqua?, & reſpondit,quod a verbo,hoc eſt, a forma verborum. Et quia poterat ulterius quæri, an verbum hanc virtutem haberet a ſemetipſo, in quantum ſcilicet dicitur, & eſt res quædam naturalis, an vero in quantum creditur divi-

divinitus inſtitutum ad Baptiſmum ſanctificandum? , inde eſt, quod Auguſtinus reſpondet; *niſi faciente verbo, non quia dicitur , ſed quia creditur* ; hoc eſt, non quatenus eſt quædam res naturalis in ſe ipſa , ſed quatenus eſt a Deo ad hunc finem divinitus & ſupernaturaliter inſtitutum .

Ad VIII. dicitur , quod Sacramenta dicuntur ſigna & ſigilla gratiæ , non præciſe quia gratiam ſignificant , ſed quia ſignificant & continent ſimul ; hoc eſt , continent gratiam ſub exteriori ſigillo , non autem quod ſignificent fidem , vel illam obſignent , aut ſubjectum in fide juſtificationis confirment .

Ad IX. Senſus verborum Petri hic eſt ; quod ſcilicet Baptiſma ſalvos nos facit a morte ſpirituali , non quatenus eſt ablutio carnis , per quam ſordes depelluntur , ſed quatenus virtute mortis & reſurrectionis Jeſu Chriſti eſt ablutio conſcientiæ, reddens conſcientiam bonam , mundam , ſanctam coram Deo , qui illam interrogat , & explorat .

Ad X. dicitur , quod Sacramenta , & Evangelium cauſſant gratiam , ſed diverſi mode , quia Evangelium cauſſat ſolum , quia intelligitur & creditur , quando prædicatur , unde potius diſponit ad gratiam , quam vere & proprie cauſſet , niſi velint dicere , quod cauſſet diſpoſitive ; Sacramenta vero cauſſant vere & proprie & immediate , ut dictum eſt .

Pro altera Diſſertationis parte , Hæreticorum calumnia eſt , per quam de nobis aſſerunt , quod nos virtutem principalem producendi gratiam in Sacramentis ponamus . Primo igitur Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 14 §. 17. hæc ſcribit . ,, Tantum hic quæritur propria ne & intrinſeca , ut loquuntur, ,, virtute operetur Deus , an externis ,, Symbolis reſignet vices ſuas? ,,. Hoc eſt ne aliud , quam quærere , an Sacramenta ſint cauſſæ primariæ gratiæ , quod nemo unquam ſomniavit nec aſſerere , nec dubitare , nec inquirere ? Secundo, alii hæretici nobis imponunt , quod nos abſtrahamus homines a Chriſto , & ab ejus paſſione , & alligemus illos ſignis, docentes , Sacramenta juſtificationis noſtræ cauſſas eſſe , quaſi quod virtus omnis productiva in Sacramentis a nobis recognoſcatur , & nullo modo in Chriſto ejuſque paſſione . Quod, ut appareat , quam ſit de nobis calumnioſe dictum , & quod dici omnino non poſſit , per ſequentem Concluſionem elucidamus atque probamus .

Dicimus II. , Chriſtum eſſe cauſſam principalem juſtificationis noſtræ & gratiæ , per quam ſanctificamur per Sacramenta , quæ tantum ſunt cauſſa inſtrumentalis ejuſdem .

I. Probatur ex Scripturis . Iſaiæ 43. *Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me* . Exechiel. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam , & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris , & dabo vobis cor novum &c.* Pſal. 50. *Aſperges me Domine hyſſopo , & mundabor* . Ad Roman. 3. *Unus eſt Deus , qui juſtificat &c.* Quibus verbis Deo adſcribitur cauſſa principalis ſanctificandi animas noſtras per Sacramenta . Quod autem Sacramenta habeant virtutem ſanctificandi inſtrumentaliter, habetur pariter apud Iſaiam cap. 1. , ubi poſt quam dixit : *quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus ? , plenus ſum . Holocauſta arietum , & adipem pinguium , & ſanguinem vitulorum , & agnorum , & hircorum nolui:* ſubdit ; *lavamini , & mundi eſtote* . Poſt quæ, ait Bellarminus de effectu Sacrament. lib. 2. cap. 4. : ,, quæ ,, verba S. Hieronymus , & S. Cyrillus ,, in commentar. , & Cyrillus Hieroſolymitanus in 1. Catecheſi , & Theodoretus in Pſal. 50. , & Baſilius Orat. 13. ,, quæ eſt de Bapt. , exponunt ad literam ,, de Baptiſmo , qui ſuccedit expiationibus illis veteribus . Quod autem Baptiſmus vim habeat mundandi , patet ,, ex illis verbis , *lavamini , mundi eſtote .* ,, Eſt enim ac ſi diceret : baptizamini , ,, & eo modo mundi eritis. Unde S Hieronymus hunc locum ita enarrat . *Pro* ,, *Superioribus victimis, & holocauſtis, Evangelii mihi placet religio , ut baptizemini* ,, *in ſanguine meo per lavacrum regenerationis , quod ſolum poteſt peccata dimittere* . ,, Hæc ille : ubi illud *ſolum* non excludit ,, Deum , Chriſti meritum , fidem , & ,, alia id genus , ſed ſacrificia , & cæremonias judaicas .

II. Probatur ex Romanis Pontificibus . Sylveſter Papa , (ut refert Nicephorus lib. 7. c. 33.), quum Conſtantinus baptizaret , ita locutus eſt : *hæc aqua divina virtute per invocationem Trinitatis concepta , ſicut extra corpus hominis abluit* ,

ita animum intra a ſorde & inquinatione mundans, ſplendidiorem radiis ſolaribus efficit. Leo Papa io Serm. 4. de Natali Domini ait. *Omni homini renaſcenti aqua Baptiſmatis inſtar eſt uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem, ut peccatum, quod ibi vacaavit ſacra Conceptio, hic myſtica tollat ablutio*. Et ſerm. 5. *Originem, quam ſumpſit in utero Virginis, poſuit in fonte Baptiſmatis: dedit aquæ, quod dedit Matri. Virtus enim Altiſſimi, & ombrubatio Spiritus Sancti, qui fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem*. Gregorius lib.9. ep.39. ad Theodiſtam Patritiam docet: *qui ergo dicit, peccata in Baptiſmate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Egyptios non veraciter mortuos.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilum Arauſicanum II. Can.25. habet. *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto adjuvante & cooperante; quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debent, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere*. Quibus verbis dicitur, & quod Chriſtus adjuvet & cooperatur ſalutem noſtram, & quod Baptiſmus gratia nobis conferat; quam quidem gratiam habemus a Chriſto, tanquam a cauſſa principali ipſius, & habemus per Baptiſmum, tanquam per cauſſam inſtrumeotalem a Chriſtn nobis exhibitam in Sacramento a ſe ipſo inſtituto ad ſalutem noſtram.

IV. Probatur ex Patribus. Baſilius lib. deSpirituSancto cap 10.ait. *Si quæ eſt in aqua gratia, non ex aquæ natura eſt, ſed ex præſentia Spiritus*. Cyprianus lib.2. epiſt.2.ad Donatum, ſcribit: *ſed poſtquam undæ genitalis auxilio ſuperioris ævi labe deterſa in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infudit; poſtquam cælitus Spiritu hauſto in novam me hominem nativitas ſecunda reparavit, mirum in modum &c.* Augoſtinus lib.4. de Bapt. cap.22. *Invenio, non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id, quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt*. Et ibidem cap.24. *Cur ergo ei præceptum eſt, ut omnem deinceps infantem maſculum octavo die circumcideret, qui nondum poterant corde credere, ut ei deputaretur ad juſtitiam, niſi quia & ipſum per ſe ipſum Sacramentum multum valebat*. Et l.19. cont. Fauſtum cap.11. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta ſacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas*.

V. Probatur Rationibus theologicis. I. Ex S. Thoma 3.par.q.62. art.1. cauſſa principalis eſt, quæ operatur virtute ſuæ formæ ad aſſimilandum ſibi effectum; ſed gratia ſanctificans non eſt aliud, quam quædam participata ſimilitudo divinæ naturæ: ergo ſolus Deus poteſt eſſe cauſſa principalis gratiæ, per quam homo Deo aſſimilatur. II. Per gratiam remittuntur peccata; ſed peccata ſunt Dei offenſæ: ergo ſolus Deus poteſt remmittere peccata, qui poteſt offenſas ſibi factas condonare. III. Per gratiam in Dei filios nos adoptamur; ſed ſolus Deus, qui eſt Pater, poteſt nos in filios adoptare propria quidem virtute & auctoritate: ergo ſolus Deus in Sacramentis eſt cauſſa primaria gratiæ. IV. Quia Deus non operatur per ſe ipſum immediate, ſed operatur per Sacramenta, inde eſt, quod dicimus & probamus, Sacramenta etiam cauſſare gratiam, non quidem principaliter, ſicuti cauſſat ſolus Deus, ſed tantum inſtrumentaliter. Quod autem ex Catholicis nemo contrarium aſſeruerit, vel ex hoc fit manifeſtum, quod nobis adverſantes Novatores nullius ex nobis teſtimooium in medium adduxerint, quo calumniam hanc probarent. At ex eo tantum criminationes contra nos conſtruunt, quia nos vere dicimus, Sacramenta eſſe cauſſas gratiæ immediatas, non intelligentes & non diſtinguentes, an cauſſas principales, an vero cauſſas inſtrumentales nos explicemus & admittamus, quod clarius argumentorum ſolutione fiet.

Obſtant I. Gregorius Nyſſenus lib. de Bapt. docet, Sacramenta operari, quia objective movent ad fidem: ergo vel cauſſant principaliter, vel ſi non principaliter, nec etiam inſtrumentaliter cauſſant. II. Auguſt. lib. quæſt. veteris & novi Teſtamenti quæſt.59. ſcribit: *qui Baptiſmum putat carnali ratione conſiſtere, hic non eſt ſpiritualis, nec donum cæleſte poterit conſequi, qui ſe per aquam, nō per fidem commutari credit*. Quibus verbis tota virtus operandi non

non tribuitur aquæ: ergo nec inſtrumentaliter Sacramenta gratiam cauſſant. III. Sacramenta in productione gratiæ vel eſſent inſtrumenta Dei, vel eſſent inſtrumenta hominis: ſi inſtrumenta hominis; ergo homo, hoc eſt, miniſter, principaliter per Sacramenta gratiam cauſſaret; ſi eſſent inſtrumenta Dei, iterum quæritur, vel Deus egeret iſtis inſtrumentis ad operandum, vel non egeret; ſi egeret: ergo Deus non eſſet independens ad operandum a Creaturis: ſi non eget: ergo Sacramenta ipſa eſſent ſuperflua, inania, & fruſtratoria. IV. Poſitis Sacramentis, infallibiliter ponitur gratia; ſed in Sacramentis nihil eſt, quod habeat neceſſariam & infallibilem connexionem cum gratia: ergo ſi poſitis Sacramentis infallibiliter ponitur gratia, Sacramenta ſunt cauſſa principalis ipſius gratiæ.

Reſpondemus ad I. cum Bellarmino, quod nullo modo poſſunt Gregorii Nyſſeni verba trahi ad id, quod Hæretici aſſerunt, nempe Sacramenta operari, quia movent ad fidem. Rationem Bellarminus his verbis exprimit. „ Nam primo, comparat aquam „ Baptiſmi virgæ Aaronis, quæ miracu„ la faciebat efficienter. Secundo, com„ parat ſemini, quod eſt cauſſa hominis „ efficiens, ut ipſe dicit. Tertio, ne„ gat, aquam aliquid efficere, niſi reci„ piat vim quandam ſupernaturalem. „ At ut moveat objective per modum „ ſigni, non requiritur ulla virtus ſuper„ naturalis. Denique quæſtio, quam „ proponit, quomodo poſſet aqua re„ generare?, nulla eſſet, ſi tantum ob„ jective operaretur.

Ad II. Liber ille non eſt Auguſtini, & quia multa conſarcinat contra divinam Scripturam, & quia multa etiam contra Auguſtinum ipſum continet. Sed dato, quod ſit alicujus præter Auguſtinum, qui videri voluerit Orthodoxus & ſanus in fide, dicimus, quod hic talis Scriptor loquutus ſit de cauſſa formali, non de cauſſa efficiente juſtificationis. Hæc etiam reſponſio eſt Bellarmini.

Ad III. dicitur, quod & homo, & Sacramenta in adminiſtratione Sacramentorum ſunt inſtrumenta, cum hac differentia, quod homo eſt inſtrumentum vivum, Sacramenta vero ſunt inſtrumenta mortua, & ſolus Deus eſt cauſſa principalis in operando, & in producendo gratiam.

Ad IV; tranſeat major, & diſtinguitur minor; nihil eſt in Sacramentis, quod habeat neceſſariam connexionem cum gratia, ſi intrinſeca ipſorum ſpectentur, conceditur; ſi inſpiciatur vero inſtitutio Chriſti, ejuſque deſignatio & operatio in Sacramentorum actione, negatur. Diſtinctio patet ex terminis.

DISSERTATIO CCCXVIII.

De principaliori Sacramentorum effectu, qui eſt Gratia. An Sacramenta novæ Legis conferant gratiam ex opere operato?, & an eandem producant phyſice, vel moraliter?

Præmittimus I. ad juſtificationem, quæ habetur per Sacramenta, multa concurrere; & ſunt, ex parte Dei, voluntas, ſcilicet utendi re illa ſenſibili; ex parte Chriſti, paſſio nempe ejus & mors; ex parte Miniſtri, poteſtas, voluntas, fides, probitas; ex parte Suſcipientis, voluntas, fides, pœnitentia; ex parte demum Sacramenti, actio ipſa externa poſita in applicatione debita materiæ & formæ ſacramentalis, & utriuſque ad ſuſcipientem Sacramentum ipſum, quæ vocatur opus operatum paſſive. Hinc eſt, quod Sacramenta concipi poſſunt producere gratiam duobus modis: *ex opere operato* nimirum, & *ex opere operantis*. Primo modo, quando producunt gratiam vi operis, quod a Miniſtro legitimo exterius exercetur, vi conjunctionis ſcilicet formæ cum ma-

teria, & vi applicationis utriuſque ad ſubjectum. Secundo modo, quando eam producunt, aut ex vi probitatis miniſtri conferentis, aut ex diſpoſitione ſubjecti recipientis.

Præmittimus II., quod res ſub hoc vocabulo *operis operati* comprehenſa, antiquiſſima ſemper fuit in Eccleſia; vocabulum vero novum. At non ita novum, ut Innocentii III. temporibus non fuerit uſurpatum, ut ex ejus lib. 3. *de officio Miſſæ* cap. 1. conſtat; & pariter ex S. Thoma in 4. diſt. 1. q. 1. art. 5. Concilium autem Tridentinum idem vocabulum uſu ſuo conſecravit.

Præmittimus III., quod duplicem litem hic habere videmur cum Hæreticis, unam ſcilicet quoad vocem, quam volunt temere, immo ignoranter, ut pote contra grammaticæ leges ab Eccleſia uſurpatam; alteram vero quoad rem, quæ ſub hujuſmodi voce a Catholicis intelligitur. Quæſtio de voce ſic concipi poteſt; an vox *ex opere operato* temere fuerit in re ſacramentaria ab Eccleſia adhibita, vel ignoranter, vel recenter?. Quæſtio autem de re ſub hac voce contenta ſic pariter intelligitur; an Sacramenta per ſe ipſa ex vi actionis a Chriſto inſtitutæ efficaciam habeant ad gratiæ productionem?, an vero tota vis illorum & efficacia in fidem, aut probitatem Miniſtri, vel in diſpoſitionem ſuſcipientis, refundatur?. Et quia multæ ſunt Hæreticorum fraudes, calumniæ, & mendacia, quæ nobis Catholicis hac in re imponunt, conſonum judicamus, illas primo loco detegere ac reportare, prout apud Scriptores leguntur, ut poſtmodum eadem faciliori ac efficaciori methodo reprobemus.

Primo, Novatores, & inter illos præcipue Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 14. §. 17., nobis imponunt, quod Sacramenta producere gratiam *ex opere operato*, idem apud nos ſit, ac Sacramenta eſſe cauſſas gratiæ primarias & principales. Hæc ſunt verba Calvini citato loco: „ hic tantum quæritur, „ propria ne & intrinſeca virtute operetur Deus, an externis Symbolis reſignet vices ſuas?. Nos vero contendimus, quæcunque adhibeat organa, „ primariæ ejus operationi nihil decedere„. At nos hanc calumniam in præterita Diſſertatione deteximus, ubi oſtendimus, cauſſam primariam & principalem gratiæ in Sacramentis eſſe Deum, & Sacramentis tribuimus duntaxat vim inſtrumentalem ſubordinatam divinæ virtuti & motioni, tanquam cauſſæ primariæ & principali.

Secundo, alii dicunt, quod nos Catholici aſſeramus, Sacramenta virtute ſua naturali ac phyſica operari in nobis ſanctificationem noſtram. Et hæc pariter audaciſſima impoſtura eſt, qua nos Catholicos infamant. Nos enim non aliud dicimus, quam quæ a primis Eccleſiæ ſeculis ſcripſit Sanctus Baſilius lib. *de Spiritu Sancto* cap. 15.; *quod ſi quæ ſit in aqua gratia, non ex aquæ natura ſit, ſed ex præſentia Spiritus*.

Tertio, hæc alia calumnia exponitur a Tournely, quam placet hic propriis ipſius verbis referre. „ Dicunt alii agere *ex opere operato* idem eſſe apud nos, „ atque agere per qualitatem inſitam, „ inherentem, ac permanentem. Verum maligne confundunt illi privatam „ aliquorum ex noſtris opinionem cum „ dogmate catholico. Orthodoxi quidem omnes in eo conſpirant, Sacramenta gratiam conferre vi operis externi Subjecto debite applicati, non autem merito, vel ſuſcipientis, vel „ miniſtrantis: an vero id aſſequatur „ per qualitatem quandam inherentem & inſitam, an per motionem, „ ſeu actionem Dei fluentem ac tranſeuntem, Scholæ diſputationi, ſalva „ & integra fide, permittunt.

Quarto, Alii Novatores credunt, quod apud nos idem ſit, Sacramenta producere gratiam *ex opere operato*, ac producere phyſice, ſeu modo phyſico, & non morali. Verum hi quoque produnt ignorantiam ſuam, ne dicamus inſaniam, & calumniandi artem; etſi enim inter nos hoc aliqui aſſerant, alii tamen ſunt, qui volunt Sacramenta producere gratiam moraliter, & non phyſice, quod & nos quoque in hac Diſſertatione aſſeremus, atque probabimus.

Quinto, Alii blaterant, & ſunt fere omnes, dicendo, quod nos per opus operatum Sacramentorum excludamus a ſuſcipientibus, tanquam neceſſarios, prævios actus fidei, ſpei, & aliarum virtutum. Unde ex mente noſtra dicunt, quæ nunquam nos Catholici diximus

Digitized by Google

mus ; quod ſcilicet Sacramenta, uni-
cuique Subjecto conferantur, ex ſe ip-
ſis gratiam præſtent . Unde dixit Cal-
vinus lib.4. Inſtit. cap.14. §.14.: „ quid
„ eſt Sacramentum ſine fide ſumptum ,
„ niſi certiſſimum Eccleſiæ exitium ?
At pro Catholicis Concilium Trident.
loquitur ſeſs.6. cap.7.: *unumquenque ju-
ſtitiam recipere ſecundum menſuram ,
quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis
prout vult , & ſecundum propriam cujuſ-
que diſpoſitionem* , & *cooperationem* . Et
ſeſs.14. de Pœnitent. cap.4. *Falſo qui-
dam calumniantur Catholicos Scriptores ,
quaſi tradiderint Sacramento Pœnitentiæ ,
abſque bono motu ſuſcipientium , gratiam
conferre , quod nunquam Eccleſia Dei do-
cuit , nec ſenſit* .

Sexto , pro re , quæ ſub voce hac *ex opere
operato* continetur , a nobis diſcedunt
Novatores omnes,immo & diſceſſerunt
etiam Donatiſtæ , quanvis diverſo du-
cti principio . Donatiſtæ enim dice-
bant , Sacramenta per ſe nou valere
ſuſcipientibus, quanvis recte diſpoſi-
tis , quia Sacramenta a Schiſmaticis ,
Hæreticis , Infidelibus , maliſque Mi-
niſtris coufecta atque collata , irrita
eſſe voluerunt . Novatores autem, quia
volunt Sacramenta eſſe nuda ſigua ,
quibus fides excitetur , hinc gratiæ
ſanctificantis efficaciam ejuſque aug-
mentum , uni fidei , non Sacramentis,
tribuunt . Catholici demum , licet
fidem & probitatem neceſſariam in
miniſtris velint ad Sacramentorum di-
gnam miniſtrationem , fidem etiam,
pœnitentiam, & devotionem iu Adul-
tis neceſſariam eſſe coucedant , ut il-
lis Sacramenta proſint , non tamen ex
miniſtri , vel ſuſcipientis fide , probi-
tate, diſpoſitione , ſed ex vi ſacra-
mentalis actionis a Chriſto inſtitutæ
Sacramentorum efficaciam repeten-
dam volunt ; quod idem eſt , ac dice-
re , Sacramenta non ſolum *ex opere ope-
rantis* , ſed pariter *ex opere operato* gra-
tiam couferre .

Dicimus I., vocem *ex opere operato* primi-
tus non fuiſſe a Scholaſticis Theologis
temere & iguoranter uſurpatam ; &
deinde ab Eccleſia non fuiſſe impru-
denter & noviter adhibitam , immo
ſapienter & proprie , tum ſi vis no-
minis , tum ſi ratio rei ſignificatæ per
nomen , conſideretur .

Prima Concluſionis pars probatur. Tunc
vocem hanc Scholaſtici Theologi te-
mere & ignorauter uſurpaſſent , ſi vox
nun importaret , quod vere ſignifican-
dum eſſet per illam , & uſus ipſius vo-
cis , vel aliarum couſimilium , in re
theologica exemplum non habuiſſent ;
atqui vox hæc optime importat , quod
ſignificandum eſt per illam ; & exem-
plum ſimilium vocum , quas Patres
uſurparunt in Eccleſia , habemus : er-
go vox hæc non fuit temere & igno-
rauter a Scholaſticis Theologis uſur-
pata . Minor probatur . Quod ſignifi-
candum eſt per hanc vocem in eo com-
prehenditur, quod Sacramenta con-
ferant gratiam vi operis , quod exte-
rius exercetur ; ſed hoc importat vox
ex opere operato,ut ex ſe patet:ergo &c.
Eadem minor quoad cæteras partes
probatur; quia ſimiles aliæ voces in-
veniuntur a Patribus uſurpatæ , quas
antea antecedentes alii Patres nun-
quam adhibuerant , qnia occaſio adhi-
bendi illas non fuerat . Additur , quod
S. Thomas teſtatur , fuiſſe pariter
hanc vocem a præcedentibus Doctori-
bus in uſu poſitam , ut ſcribit Domi-
nicus Soto in 4. lib. Sentent. diſt. 1.
q.3. art. 1. ubi hæc habet . „ Ajunt
„ Scholaſtici, Sacramenta novæ Legis
„ *ex opere operato* gratiam conferre :
„ quod quidem verbum non modo in ſa-
„ cra Scriptura non extat , verum ne-
„ que apud antiquos Patres reperitur :
„ quare etſi D. Thomas illius meminе-
„ rit , quoniam tunc forte illud idioma
„ ſerpere incipiebat , non tamen quaſi
„ ex ſna opinione , ſed ait , ipſum Sacra-
„ mentnm a quibusdam dici opus opera-
„ tum ; hic vero in Summa illud non
„ uſurpat .

Secunda Conclnſionis pars probatur :
Tunc Eccleſia vocem hanc impruden-
ter & noviter adhibuiſſet , ſi ex ea ſe-
querentur abſurda , quæ nobis oppo-
nunt Heterodoxi ; atqui hæc nou ſequ-
untur ; ergo &c. Probatur minor : &
qnidem primo , qnia quoad ſenſum ca-
tholicum eam adhibuit Auguſtinus l.4.
cont. Creſconium cap.16. ubi hæc ha-
bet : *non eorum meritis , a quibus mini-
ſtratur , aut eorum , quibus miniſtratur ,
conſtare Baptiſmum , ſed propria ſanctita-
te atque veritate propter eum , a quo in-
ſtitutus eſt* . Secundo , qnia error in
grammatica, qnem Hæretici nobis op-
ponnnt , vel non verificatur , vel
exemplo aliarnm ſimilium vocum, quæ
adhibitæ fuerunt , ut res ſub illis con-
ten-

tentæ magis clareſcerent, excuſatur, ut in Objectionum reſponſionibus videbitur.

Opponunt I. Hoc quod eſt Sacramenta conferre gratiam *ex opere operato* inventum eſt Catholicorum, ut ſtatuerent, Sacramenta prodeſſe etiam iis, qui in peccatis mortalibus ſunt, & non requiri fidem aut gratiam, ſed ſufficere non poſuiſſe obicem, hoc eſt, actuale propoſitum denuo peccandi; ſed hoc dicere erroneum eſt: ergo erroneum eſt dicere, Sacramenta *ex opere operato* conferre gratiam. II. Voces illæ *ex opere operato* ſunt novæ in Eccleſia, quia nec in Scriptura, nec in Patribus, nec in antiquioribus Theologis, reperiuntur: ergo immerito adhibeotur ad explicandam antiquam Eccleſiæ fidem de modo, quo Sacramenta effectum ſuum in recipientibus operantur. III. *Operari* eſt verbum deponens; ergo imperite ſumitur paſſive hoc loquendi modo *ex opere operato*. IV. Nec etiam vox, de qua loquimur, ſatis explicat, quod Catholici dicere intendunt, quia illam Hæretici in contrarias explicationes trahunt, ut nuper in Diſſertationis initio vidimus, & ex ipſorum teſtimonio attulimus.

Reſpondemus ad I, illam eſſe meram calumniam Lutheri lib. de Captivitate Babylonica cap. de Bapt. Melanchthonis in Confeſſione auguſtana cap. 13., Calvini in Antidoto Concilii Tridentini, & Kemnitii in examine partis ſecundæ; quam quidem calumniam Concilium ipſum Tridentinum publicavit ſeſs. 14. cap. 4., ubi habet: *Quamobrem falſo quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre, quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit*. Revera, quanvis ignis agat *ex opere operato*, non requirit etiam diſpoſitiones in Subjecto, ut ignem producat? Sic Tridentinum definivit, novæ Legis Sacramenta gratiam *ex opere operato* producere, & docuit quoque diſpoſitiones in Subiecto requiri, quas ſigilatim recenſet ſeſs. 6. cap. 6.

Ad II., dicitur, quod voces illæ ſunt novæ quoad ſyllabas, non quoad ſenſum. Nec eſt novum in Eccleſia pro caſibus occurrentibus novas voces adhibere, ut factum eſt in Concilio Nicæno I. pro voce *Conſubſtantialis*, & pro voce *Ingeniti*; in Concilio Epheſino generali pro voce *Deiparæ*; in Concilio Tridentino pro voce *Tranſubſtantiationis*; quæ quidem voces, quanvis in Scripturis non reperiantur, inveniuntur tamen res per voces illas ſignificatæ. Unde conſonum eſſet reſpondere cum Auguſtino epiſt. 238., alias 164. ad Paſcentium, domus regiæ Comitem Arianum: *quid eſt contentioſius, quam ubi de re conſtat, certare de nomine?*

Ad III. Concilii Tridentini Patres, uti pariter Theologi Scholaſtici, quantunvis ſcirent, verbum *operari* eſſe deponens, & a Scriptoribus latinis & grammaticis active ſumi, ipſo tamen paſſive voluerunt uti, ut Eccleſiæ fidem ſine ulla æquivocatione fidelibus explicarent. Et in hoc imitati ſunt Auguſtinum, qui in explicatione Pſalmi 138. voluit potius dicere *oſſum oſſi*, quam *os oſſis*, ne æquivoce videretur loqui. Unde Patres Tridentini, & Theologi de Schola, potèrant cum Auguſtino dicere; ille quidem contra Creſconium grammaticum, hi vero contra Hæreticos Novatores; *melius eſt, ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant Populi*. Inſuper verbum deponens in paſſivum commutare non eſt novum. Habetur enim ad Hebræos 3 *talibus hoſtiis promeretur Deus*. Ubi verbum deponens *promeretur* paſſive accipitur. Deſinat ergo Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 14. §. 14., verba *ex opere operato* per injuriam dicere *monſtra verborum, & nova commenta*, quia ut refert Gonettus, Epiſcopus Vaſionenſis, in Theologia morali juxta ſacram Scripturam, Canones, & ſanctos Patres, Tract. 1. cap. 7. q. 9. in fine: „ quam quidem explicatio-
„ nem hic inſerendam judicavi, quia
„ explicatio horum terminorum *ex ope-*
„ *re operato*, ita plane confundit, conſtatque Hæreticos, ut eorum plurimi
„ hodie eam agnoſcant, eique libenter
„ ſubſcribant; quin etiam eorum non-
„ nulli plura dixerunt, quam neceſſa-
„ rium foret, abſolute loquendo, ut
„ Catholici habeantur in hac parte. Hu-
„ go enim Grotius, celebris Calviniſta,
„ in Annotatione ad conſultationes Caſ-
„ ſandri art. 3. ait: errant qui Sacramen-
„ ta eſſe putant ſigna tantum acceptæ
„ gratiæ, non etiam inſtrumenta, per
„ quæ Deus operatur; voluit enim Deus
„ per Sacramenta dare, & augere gra-

„ tiam,

» tiam, ut honoraret Eccleſiam, cui
» tradita ſunt Sacramenta, ad nos ipſi
» Eccleſiæ incorporandos; requiritur
» quidem in Adultis diſpoſitio, ut dici-
» tur in Miſſa: *quorum fides tibi cognita*
» *eſt, & nota devotio*: verum efficacia
» non iſtis diſpoſitionibus tribui ſolet,
» ſed Deo, & hoc eſt, quod dicitur *ex*
» *opere operato*.»

Ad IV. Etiam Hæretici ex ſacrarum Scripturarum verbis falſas & erroneas explicationes eruunt, & nihilominus quis dicet Scripturarum verba vel temere, vel imprudenter fuiſſe ſcripta, quando illa, Spiritu Sancto dictante, ſacri Scriptores literis demandarunt? Nil ergo mirum, ſi Hæretici vocem hanc *ex opere operato* injuſte criminantur, & ex ea petitam falſo calumniam nobis imponunt; quum cæteroqui nos ex ipſiſmet Scriptoribus noſtris explicantibus eam ipſorum calumniam detegamus, & noſtram mentem juxta catholicum ſenſum per ipſam net explicemus.

Dicimus II. Sacramenta novæ Legis gratiam conferre *ex opere operato* iis, qui nullum obicem ipſis ponunt.

I. Probatur ex Scripturis. Joannis 3. dicitur: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*; ubi per regenerationem intelligitur gratia, & ejus productio tribuitur Spiritui Sancto, tanquam cauſſæ principali, & aquæ tanquam cauſſæ inſtrumentali. Ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſam pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*: ubi per mundationem pariter intelligitur gratia, & ejus productio tribuitur quoque verbo vitæ, & aquæ, cum differentia ſupra poſita. Idem habetur de aliis Sacramentis, nimirum, pro Confirmatione Act. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Cum autem vidiſſet Simon, quia per impoſitionem manus daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam &c.* Pro Euchariſtia Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Pro Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Pro Unctione extrema S. Jacobus epiſtol. cap. 5. *Infirmatur quis in vobis?, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: Et ſi in peccatis ſit, remittuntur ei.* Pro ordine, I. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.* Idem affirmatur II. ad Timoth. 1. Denique pro Matrimonio habemus & exemplum Chriſti, qui illud in nuptiis Canæ Galileæ ſua præſentia ſanctificavit, & verba Apoſtoli, quæ attulimus pluries, atque ab Hæreticorum cavillationibus defendimus.

II. Probatur ex Conciliis. Conſtantinopolitanum I. in Symbolo Fidei: *confitemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*. Milevitanum II Can. 2 *Parvuli, qui nihil peccatorum in ſe ipſis adhuc committere potuerunt, ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptiſantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Et initio Canonis anathemate damnatur *quicunque negaverit, parvulos recentes ab uteris matrum baptiſandos, aut dixerit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptiſari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde conſequens ſit, ut in eis forma Baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vere, ſed falſo intelligatur.* Arauſicanum II. Can. 25. *Hoc etiam ſecundum fidem catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptiſati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Florentinum in Decreto Eugenii IV. *Novæ Legis ſeptem ſunt Sacramenta . . . quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc vero noſtra, & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt.* Tridentinum denique ſeſs. 7. in Decreto de Sacram. in genere. *Conſentaneum viſum eſt de ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur.* Et Can. 6. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus; anathema ſit.*

Et

Et Can.7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus, anathema ſit*. Can. denique 8. *Si quis dixerit per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolum fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere; anathema ſit*,

III. Probatur ex Patribus. Juſtinus in Apolog. ad Antoninum Imperatorem habet, nos baptizari, *ut remiſſionem ante commiſſorum peccatorum conſequamur aqua*. Origenes Homil.14. in c.2. Lucæ: *parvulos baptizari in remiſſionem peccatorum, & per Baptiſmi Sacramentum nativitatis ſordes deponi*. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 15. *Itaque ſi qua eſt gratia in aqua, non eſt ex ipſius aquæ natura, ſed ex ſpiritus præſentia*. Tertullianus lib de Bap. càp.3. *Primus liquor, quod viveret edidit, ne mirum ſit in Baptiſmo, ſi aquæ animare noverunt*. Et eodem lib.de Bapt.cap.4. *Aquæ ſanctificatæ* (a Spiritu Sancto) *vim ſanctificandi combibunt*. Et lib. de Reſurrectione carnis cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore Chriſti & ſanguine veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur*. S. Irenæus lib.3.cap.17. alias 19. *Corpora noſtra per lavacrum illam, quæ eſt ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per Spiritum. Unde & utraque neceſſaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei*. S.Cyrillus Hjeroſolymitanus Catecheſi 3. *Qui in aquam deſcenſurus es, non aquæ ſimplici mentem adhibe, ſed Spiritus Sancti virtute ſalutem ſuſcipe: nam ſine utriſque ad perfectionem deduci non poteris*. S. Gregorius Nyſſenus Orat. in Bapt. Chriſti. *Baptiſma peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renovationis & regenerationis cauſſa*: intellige inſtrumentalis & ſecundaria; primaria enim eſt Deus. Et eodem loco poſtulanti, ut exponeretur modus, quo aqua Baptiſmatis regenerat, reſpondit. *Oſtende mihi modum nativitatis, quæ fit ſecundum carnem, & ego tibi vim regenerationis, quæ ſecundum animam fit, exponam .... ubique divina vis, & efficacia incomprehenſibilis eſt, nullaque vel ratione, vel arte explorari poteſt*. Auguſtinus lib.4.cont.Creſconium cap.16.: *non eorum meritis, a quibus miniſtratur, nec eorum, quibus miniſtratur, conſtat Baptimus, ſed propria ſanctitate atque veritate propter eum, a quo inſtitutus eſt: male utentibus ad perniciem; bene utentibus ad ſalutem*. Et lib. 19: cont. Fauſtum cap. 11. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta ſacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas*. Et Tract.80.in Joan, *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Et Ep.26. *Non ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel miniſtrantium fide, ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*.

IV. Probatur Rationibus I. Si unum ex Sacramentis novæ Legis a Chriſto Domino inſtitutis gratiam confert *ex opere operato*, conferunt etiam alia; ſed Baptiſmus, qui eſt unum ex Sacramentis novæ Legis a Chriſto Domino inſtitutis, confert gratiam *ex opere operato*: ergo cætera pariter Sacramenta conferunt. Minor verbis hiſce probatur a S. Thoma 3.par.q.62.art.1. *Auguſtinus dicit ſuper Joannem, quod aqua Baptiſmatis corpus tangit, & cor abluit: ſed cor non abluitur, niſi per gratiam: ergo cauſſat gratiam, & pari ratione alia Sacramenta Eccleſiæ*. Et in corpore ſubdit. *Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt dicere, Sacramenta novæ legis per aliquem modum gratiam communicare; manifeſtum eſt enim, quod per Sacramenta novæ legis homo Chriſto incorporatur; ſicut de Baptiſmo dicit Apoſtolus ad Galatas 3, quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; non autem efficitur homo membrum Chriſti, niſi per gratiam*.
II. Habent Sacramenta novæ legis virtutem producendi effectum, qui ſit ſupra naturæ vires omnes; ſed hic non poteſt eſſe niſi gratia: ergo habent virtutem producendi gratiam; at non poſſunt alio modo producere, niſi ex inſtitutione & meritis Chriſti: ergo ex hac producunt, & quidem *ex opere operato*, quod per hoc importatur.
III. Sacramentum Baptiſmi valide & cum fructu confertur Infantibus, ut ipſimet Lutherani, & Calviniani contra Anabaptiſtas, & Socinianos fatentur; ſed hoc fieri non poteſt, ſi Sacramenta gratiam non conferant *ex opere operato*: ergo &c. Probatur minor.

Bapti-

Baptiſmus collatus Infantibus vel illis prodeſt, vel non prodeſt; ſi non prodeſt: ergo Calviniani, & Lutherani contra Anabaptiſtas, & Socinianos inutiliter agunt: ſi prodeſt, non prodeſt ex opere ipſorum infantium, quia non ſunt capaces, ut habeant fidem: ergo prodeſt *ex opere operato*. IV. Si dicant, quod prodeſt Infantibus, quia baptizantur in fide Eccleſiæ, quæ ſupplet ipſorum fidem, hoc etiam probat, Baptiſmum conferre gratiam *ex opere operato*; quod ſic oſtenditur. Fides, quæ juſtificat, debet eſſe perſonalis, etiam in hypotheſi Novatorum; ſed fides Eccleſiæ non eſt perſonalis, at generalis: ergo non eſt fides Eccleſiæ, quæ juſtificat Infantes baptizatos, ſed eſt ipſemet Baptiſmus, qui gratiam illis confert *ex opere operato*.

Objiciunt I. Gratia ſanctificans, quæ eſt principalis Sacramentorum effectus, in pluribus Scripturæ locis tribuitur Deo: ergo tribui non debet Sacramentis, quæ ſunt aliquid extra Deum. II. A Patribus tribuitur etiam Deo, quia ſolus ipſe poteſt remittere peccata: ergo tribui non debet Sacramentis. III. In aliis Scripturæ locis adſcribitur fidei noſtræ: ergo non Sacramentis. IV. Poteſt Deus nos juſtificare ſine Sacramentis: ergo Sacramenta ſuperflua ſunt. V. Si Sacramenta conferrent gratiam *ex opere operato*, deberet illud opus exiſtere; atqui non exiſtit; quia Chriſti paſſio & mors jam præceſſit; ergo non cauſant illam *ex opere operato*. VI. I. Petri 3. habetur: *Vos ſalvos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio*: ergo Baptiſmus juſtificat non ratione ablutionis, nec ratione *operis operati*, ſed ratione conſcientiæ bonæ, & ratione fidei, quæ in conſcientia bona reperitur. VII. Deus in circumciſione juſtificabat per fidem: ergo pariter in Baptiſmo iuſtificat per fidem: ergo non juſtificat *ex opere operato*. Antecedens patet ex illo ad Roman. 3. *unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*. VIII. Si Sacramenta conferrent gratiam *ex opere operato*, æqualem gratiam conferrent omnibus & ſingulis ſuſcipientibus illa; atqui non conferunt æqualem gratiam omnibus & ſingulis ſuſcipientibus illa: ergo non coferunt gratiam *ex opere operato*. Major patet, quia, quum opus Chriſti paſſionis & mortis ſit æquale pro omnibus & ſingulis, æqualis etiam pro omnibus & ſingulis deberet eſſe gratia, quæ conferretur ex paſſione Chriſti & morte. Minor eſt doctrina Concilii Tridentini ſeſs. 6. cap. 7. *Juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem*. IX. Dicimus nos, quod Sacramenta novæ legis conferunt gratiam *ex opere operato* ex ratione infantium, qui per Baptiſmum gratiam recipiunt, & nihil operantur; ſed hæc ratio nihil probat: ergo &c. Probatur minor. Circumciſio non conferebat gratiam, *ex opere operato*, & tamen Infantes circumciſi recipiebant gratiam propter fidem Parentum: ergo ita pariter poteſt dici de Infantibus, qui baptizantur. X. Sacramenta non habent virtutem ſanctificandi nec a natura ſua, nec a Dei inſtitutione: ergo non juſtificant *ex opere operato*. Probatur antecedens. Non a natura ſua, quia aliter quæcunque aqua, quicunque panis, quodcunque oleum, juſtificarent. Nec etiam habent a Dei inſtitutione, quia hæc virtus vel eſſet corporalis, & non poſſet agere in Animam, vel eſſet ſpiritualis, & non poſſet inhærere ſubjecto corporali & extenſo.

Reſpondemus ad I., diſtinguendo antecedens: tribuitur Deo tanquam cauſſæ principali, conceditur; tribuitur tanquam cauſſæ inſtrumentali, negatur. Utique Deo tribuitur ſanctificatio noſtra tanquam cauſſæ principali, attamen tribuitur etiam Sacramentis, tanquam cauſſæ inſtrumentali, quæ cauſſæ principali ſubſtat, in virtutes ejus agit:

Ad II., eadem eſt reſponſio; ſolus enim Deus peccata remittit, ſed per Sacramenta: ſicut ſolus Princeps delinquentes liberat a morte, ſed per literas, quibus inſerit gratiam delictorum, vel per miniſtros, quibus præcipit, ut reis delicta relaxent.

Ad III., diſtinguitur antecedens, adſcribitur fidei noſtræ tanquam cauſſæ, negatur; adſcribitur fidei noſtræ tanquam diſpoſitioni, conceditur.

Ad IV., dicitur contra adverſarios, quod poteſt etiam Deus juſtificare ſine fide, cui illi adſcribunt juſtificationem noſtram, & nihilominus non per hoc

Digitized by Google

dicent, quod fides noſtra non ſit neceſſaria, & ſuperflua ſit. Plura enim ſunt, quæ Deus poteſt facere, & non fecit, & nos non debemus judicare de iis, quæ fecit, per illa quæ poteſt facere.

Ad V., diſtinguitur major; deberet illud opus exiſtere phyſice, negatur; moraliter, conceditur; ſic pariter ſuo modo diſtinguitur minor, & conſequentia negatur.

Ad VI. Apoſtolus Petrus docet, quod Baptiſmus juſtificet, non quatenus exterius abluit carnem a ſordibus, ſed quatenus interius abluit carnem a peccatis, faciens, ut de illis non amplius conſcientia mordeat, immo potius de eorundem remiſſione firmetur, propter ſpem, quam in Deo ponit per Sacramenta, quæ recipit.

Ad VII., dicitur, quod Deus juſtificat per fidem, ſcilicet ratione fidei, tanquam diſpoſitionis neceſſariæ in Adultis, ne Sacramenti effectus impediatur; non vero ratione fidei, tanquam cauſſæ efficientis gratiam, aut dantis efficaciam Sacramento.

Ad VIII., reſpondetur, quod Sacramenta majorem, vel minorem conferunt gratiam pro majori, vel minori diſpoſitione ſuſcipientis, tanquam vera cauſſa effectrix gratiæ, non vero tanquam conditio neceſſaria, ut Sacramenta ex ſeſe majorem, vel minorem gratiam tribuant. Reſponſionem hanc, quæ eſt Tournely, ſic ipſemet exponit. „ Porro diſpoſitiones illæ, ſeu „ præparationes præviæ ex actibus fidei, „ ſpei, & charitatis &c., ſunt conditio„ nes duntaxat; Sacramenta vero ſunt „ veræ cauſſæ effectrices inſtrumentales „ gratiæ, quam ex ipſis tantam efficiunt, „ quantam admittere poteſt Subjecti ca„ pacitas. Agunt nempe Sacramenta „ ad modum agentium naturalium, in„ tenſius, vel remiſſius, pro varia illa „ capacitate Subjecti, quomodo ignis „ intenſiorem producit calorem in li„ gno arido, quam in viridi; ſol abun„ dantiorem lucem diffundit in cubicu„ lum undequaque apertum, quam in „ ſemiclauſum, neque tamen aut ſiccit„ tas ligni, aut apertura cubiculi eſt ve„ ra & phyſica cauſſa caloris, aut lucis. „ Licet igitur major, vel minor detur „ gratia in uſu Sacramentorum, pro „ majori, vel minori diſpoſitione ſuſci„ pientis, vera tamen illius cauſſa non „ eſt diſpoſitio ſuſcipientis, tametſi in „ actibus vitalibus poſita illa ſit, ſed eſt „ ipſiuſmet Sacramenti, quod ex ſe „ ipſo, ſeu *ex opere operato*, natum eſt tan„ tam producere gratiam, quantam „ exigit Subjecti bene præparati capaci„ tas.

Ad IX. Negatur, quod Baptiſmus, qui Circumciſioni ſucceſſit, ſit tantum conditio, *ſine qua non* juſtificetur infans per fidem Eccleſiæ, vel Parentum. Et ratio eſt, quia valet Baptiſmus ab Hæreticis collatus; & nihilominus baptizati parentes, vel baptizantium ſocietas, vel nullam, vel perverſam habent fidem. Revera tamen non eſt certum, quod Circumciſio juſtificaſſet per ſe ipſam, vel non, ut ſuo loco dicemus.

Ad X., dicitur, quod objectio valet potius contra illos, qui admittunt in Sacramentis cauſſalitatem phyſicam, non vero contra illos, qui ponunt tantummodo moralem. Ulterius valet contra illos, qui gratiam ſanctificantem explicant per qualitatem phyſicam animæ inhærentem, non vero contra illos, qui exponunt per ſubſtantiam ſpiritualem inhærentem animæ, ut diximus de habitu fidei, vel per actionem Dei permanentem, qua Deus per ſe ipſum animam juſtificat, atque ſanctificat.

Pro altera Diſſertationis parte, in qua quæritur, an Sacramenta phyſice, vel moraliter producant gratiam? notare oportet I., gratiam efficientem dividi in phyſicam, ſeu *phyſice efficientem*, & in moralem, ſeu *moraliter efficientem*. Prima eſt immediatum principium productivum rei, ſeu per realem actionem attingens rei entitatem; ſecunda eſt, quæ movet cauſſam phyſicam ad operandum, adeoque non attingit effectum per actionem ſuam, ſed vel applicando activa paſſivis, ut medicus dicitur cauſſa ſanitatis, vel inducendo agens ad operandum precibus, conſiliis, imperio, prohibitione, propoſito præmio, & ſimilibus. Differt autem hæc cauſſa moralis a cauſſa finali, quia cauſſa finalis movet, ſed non per antecedentem ſuam exiſtentiam, ut hæc cauſſa moralis movet; quæ quidem ita movet, ut cauſſa phyſica dicatur operari, vel efficere aliquid intuitu alterius, non ut ſit, ſed quia eſt. Hic modus cauſſandi diverſus quidem eſt a cauſſalitate finis

Digitized by Google

finis, & quando exercetur a re extrinſeca effectui, quæ aliquo modo cauſſam movet ad operandum, dicitur eſſe cauſſa *efficiens moralis*. Ulterius, ſicut cauſſa efficiens phyſica dividitur in principalem, & inſtrumentalem, ſcientiam dividitur cauſſa efficiens moralis. Cauſa efficiens principalis phyſica eſt, quæ per ſe attingit effectum, & independenter ab influxu alterius cauſſæ, licet aliam admittat in conſortium effectus producendi; cauſſa efficiens inſtrumentalis phyſica eſt, quæ non operatur per virtutem formæ ſibi inexiſtentis, ſed ſolum per motum, quo movetur a principali agente. Patet hoc totum in manu, quæ ſcribit, cujus inſtrumentalis cauſſa phyſica eſt calamus, & principalis eſt ipſamet manus. Cauſſa efficiens principalis moralis eſt, quæ principalius & efficacius movet ad effectus productionem; inſtrumentalis vero eſt organum, quo principalis cauſſa utitur ad effectum producendum. Sic Princeps, qui præcipit ſuo miniſtro, ut centum Titio præſtet, & per regiam epiſtolam præceptum ſuum dirigit: Princeps quidem eſt cauſſa moralis principalis illius largitionis, moralis vero inſtrumētalis eſt regia epiſtola, qua ad talem effectum Princeps utitur, atque miniſtrum ad phyſice donandum movet.

Notare oportet II., hac in quæſtione diviſos eſſe Scholaſticos; quidam etenim moralem cauſſalitatem tantum reſpectu gratiæ & characteris Sacramentis tribuunt, quidam vero phyſicam quoque addunt. Verum nec illi, nec iſti in phyſica, & in morali cauſſalitate explicanda inter ſe ipſos conveniunt. Duas extremas opiniones ex utraque parte hic modo exponimus & confutamus, reliquas infra examinabimus. Prima eſt Durandi, Aliacēis, Gabrielis, Ochami &c., qui voluerunt, Sacramenta eſſe meras conditiones, aut cauſſas, *ſine quibus non*, ad quarū præſentiam Deus gratiam conferat; ſic nimirum, ut ex pacto, ſeu ordinatione divina, ſolus recipiens Sacramentum recipiat ſacramentalem gratiam; at hāc recipiat a Deo, non a Sacramento. Hanc ſententiam communiter Theologi improbant; Capreolus vocat eam temerariam & præſontuoſam; Gonetus erroneam; Valenzia, & Sotus nihil plus volunt ab hac ſententia Sacramentis tribui, quam ab Hæreticis concedatur. Secunda ſententia eſt Alenſis, Paludani, Capreoli, Ferrarienſis &c., qui voluerunt, Sacramenta eſſe cauſſas inſtrumentales phyſicas efficientes immediate aliquam phyſicam diſpoſitionem ad gratiam, & per hoc gratiam ipſam mediate producere. Hanc opinionem omnibus diſplicere dixit Valenzia; eandem, ait Joannes a S. Thoma, ſi Angelicus aliquando docuit, poſtmodum nihilominus retractaſſe. Huic ſententiæ accedit etiam opinio Soti, qui voluit, Sacramenta eſſe cauſſas inſtrumentales phyſicas efficientes immediate ſolam unionem animæ cum gratia, & per hoc mediate gratiam producere. Falſitas primæ ſententiæ patet manifeſte, quia Concilia tribuunt Sacramentis, quod gratiam contineant; Patres etiam docent, Sacramenta vere gratiam producere, & quod ſigna ſint, ſed non ad ſignificandum tantum, verum etiam ad efficiendum inſtituta: ergo non poſſunt eſſe meræ conditiones &c. Ulterius, hoc quod eſt eſſe meras conditiones &c., poteſt etiam convenire Sacramentis antiquæ legis, ſaltem illis reſpectu parvulorum; ſed ex Florentino Sacramenta nova ab antiquis differunt, quod antiqua tantum ſignificabant, & quod nova etiam cauſſant: ergo cauſſalitas novorum dicit aliquid plus, quam eſſe meras conditiones, ſeu cauſſas per accidens, ut ait Durandus, quod Sacramentis etiam antiquis conveniebat. Falſitas etiam ſecundæ ſententiæ patet: primo, quia ſupponit falſa principia, quod ſcilicet gratia admittat præviam diſpoſitionem; quod gratia ipſa creetur, & quod nulla creatura aſſumi poſſit ad creandum, quæ omnia in principiis noſtris ſunt falſa. Secundo, hanc diſpoſitionem dicunt eſſe vel characterem in Sacramentis illum imprimentibus, vel ornatum animæ in illis, quæ non imprimunt; ſed non poteſt eſſe character, quia aliquando recipitur character ſine gratia, ut in ficte ſuſcipientibus; aliquando gratia ſine charactere, ut evenit extra Sacramentum; quod non eveniret, ſi character eſſet diſpoſitio habens neceſſariam connexionem cum gratia. Nec etiam ornatus, quia inexplicabilis eſt hujuſmodi ornatus, etſi phyſice

Digitized by Google

diſponit ad gratiam, in ipſa animæ eſſentia recipi debet; anima autem non minus eſt capax gratiæ, quam ornatus prædicti. Tertio, quia hæc diſpoſitio vel eſt naturalis, vel ſupernaturalis; non priuoum, quia non eſt proportionata ad gratiam, quæ eſt ſupernaturalis; neque ſecundum, quia non minus ad ipſam eſſet neceſſaria aliqua prævia diſpoſitio, quam ad gratiam. Quarto tandem, quia ſine fundamento ponitur ſolum in Sacramentis cauſſalitas mediata & diſpoſitiva, & ad ſenſum minus proprium detorquentur auctoritates affirmantes abſolute, Sacramenta eſſe inſtrumenta & cauſſas gratiæ. Nec pro prima ſententia dicatur, quod S. Bernardus *in Serm. de Cœna Domini* docuit, Sacramenta ad gratiam ſe habere, ut ſe habent annulus, baculus, liber, ad inveſtiendum Epiſcopum, Abatem, Canonicum; hæ autem ſunt meræ conditiones, nec ſunt per ſe cauſſæ &c. Non dicatur hoc, etenim Bernardus non facit ibi adæquatam comparationem, ſed ſolum inadæquatam, reſpectu ſcilicet ſignificationis, non vero reſpectu cauſſatioois; & hæc interpretatio traditur a S.Thoma. Et quanvis Durandus dicat, Bernardum loqui etiam reſpectu cauſſationis, hoc tamen cohærere nequit cum illis, quæ Bernardus antecedenter dixerat; dixerat enim, Sacramenta operari gratiam, & eſſe veras cauſſas gratiæ. Falſitas tandem ſententiæ Soti patet quoque, quia ſupponit pariter gratiam creari, & nullam creaturam elevari poſſe ad creandum. Ulterius, quia in tali ſententia Sacramenta facerent tantum hominem gratum, ſed non facerent gratiam; ſicut efficere unionem corporis cum anima eſt efficere hominem cum anima; & univerſim efficere unionem ſubjecti cum forma eſt efficere concretum, non formam.

Notare oportet III. Theologos omnes de Schola in hoc convenire, quod Sacramenta gratiam cauſſent moraliter, & ſolam difficultatem eſſe, an tantum moraliter cauſſent, an vero etiam phyſice? Conveniunt quidem omnes etiam phyſicæ cauſſalitatis aſſertores, quorum aliqui in duplici ratione Sacramenta inſtrumenta eſſe conſiderant; reſpectu nimirum Dei, & reſpectu Chriſti; reſpectu Dei dicunt eſſe inſtrumenta phyſica, reſpectu Chriſti inſtrumenta moralia. Ulterius, quum in Sacramentis, quæ reviviſcunt, cauſſetur gratia vi ipſorum Sacramentorum, quæ tamen non exiſtuot, non poteſt dici, quod talia Sacramenta phyſice gratiam cauſſent, quum phyſice non ſint; adeoque omnes dicere debent, quod ſaltem in illis caſibus cauſſent moraliter, quia Sacramenta moraliter perſeverant. Præterea, ait Becauus, Sacramenta non tantum ſunt cauſſa gratiæ per entitatem ſenſibilem, ſed etiam per ſignificationem, quam ex Dei inſtitutione habent. Cauſſaut enim per rationem formalem Sacramenti, quæ potiſſimum in ſignificatione conſiſtit; hæc autem ſignificatio noo eſt phyſica aliqna entitas: ergo nequeunt Sacramenta per eam phyſice operari. An autem eadem Sacramenta per rationem ſenſibilem phyſice operentur, hoc eſt in quæſtione. Videndum etiam eſt, an poſſint dari cauſſæ morales illorum effectuum, qui a ſolo Deo producuntur?; & ad hoc concedendum difficultatem non habemus; quod quidem primo patet, quia de fide eſt, Chriſtum eſſe cauſſam meritoriam noſtræ juſtificationis, ut ex Tridentino *ſeſs.6.*, & bona opera juſtorum eſſe meritoria vitæ æternæ; Deus autem ſolus eſt auctor noſtræ juſtificationis, & vitæ æternæ; & ulterius, cauſſalitas meriti pertinet ad cauſſam moralem. Secundo etiam patet, quia orationes Juſtorum multa obtinent a Deo; cauſſa autem, quæ precando aliquid obtinet a cauſſa efficiente, dicitur cauſſa moralis. Non per hoc tamen fit, ut aliqua cauſſa creata moralis poſſit eſſe cauſſa actus divinæ voluntatis, qua actus eſt immanens, & formaliter Deo intrinſecus. Ratio eſt, quia actus divinæ voluntatis, quatenus eſt immanens & formaliter Deo intrinſecus, non eſt aliud, quam ipſamet Dei ſubſtantia, increata, & iofinita; hæc autem nullam habet ſui cauſſam, vi cujus exiſtat, neque moraliter. Hinc eſt, quod cauſſa moralis diverſimode operatur, quando cauſſat effectum a Deo dependentem, & quando cauſſat effectum dependentē a cauſſa intelligente creata; in ſecundo caſu, non ſolum eſt cauſſa externæ operationis, ſed etiam interni actus, quo voluntas determinatur

ad

Digitized by Google

ad operandum; in primo caſu vero eſt cauſſa tantum externæ operationis, & effectus, non tamen interni actus, qui eſt Deo intrinſecus. Et S. Thomas diſputans, an poſſit eſſe aliqua cauſſa meritoria prædeſtinationis?, ait, non poſſe eſſe ex parte actus divini, ſed ex parte ipſius effectus. Conceditur ergo Sacramentis moralis cauſſalitas; difficultas tamen eſt, an ſola moralis ſit concedenda, an vero etiam phyſica?

Notare tandem oportet IV., quod cauſſalitatem phyſicā admiſerunt veteres Scholaſtici cum S. Thoma in 4. diſt. 1. q. 1. art. 4.; verum in explicatione ſententiæ, omnes, qui eam defendunt, non conveniunt. Aliqui enim putant, quod per Sacramenta immediate non producatur gratia ſanctificans, ſed diſpoſitio aliqua, quæ mediante gratia producitur. Et hæc diſpoſitio, dicebant, quod vel eſſet character in Sacramentis, quæ illum imprimunt, vel in aliis eſſet ornatus quidam animæ. At Tournely dicit, quod hæc opinio jamdiu obſoleta jacet ſine defenſore. Alii cum Dominico Soto in 4. diſt. 1. q. 3. art. 1. volunt, quod Sacramenta ſint quidem inſtrumenta phyſica gratiæ, ſed non per hoc, quod gratiam phyſice producant, ſed per hoc, quod producant phyſice unionem gratiæ cum anima. Alii quoque explicantes vim illam efficacem Sacramentorum dicunt, eſſe qualitatem quandam phyſicam affixam & inhærentem, quam quidam volunt eſſe formaliter ſpiritualem, quidam vero formaliter corpoream, & virtualiter ſpiritualem. Alii demum explicant, atque defendunt, quod phyſica illa Sacramentorum cauſſalitas ſit ipſamet motio, ſeu uſus Dei, qui pro ſuo ſupremo dominio in res omnes utitur ſignis exterioribus, tanquam phyſicis inſtrumentis ad ſpiritualis effectus productionem; eodem fere modo, dicunt ipſi, quo Deus utitur igni materiali ad Dæmones torquendos. Et denique, quod Deus non ſupponit, ſicut Artifex creatus, in ejuſmodi inſtrumentis præviam quandam diſpoſitionem, ſed eam facit. Citatur S. Thomas 3. part. q. 62. art. 1. 3. & 4., & poſt ipſum ſunt omnes Thomiſtæ. Qui autem defendunt cauſſalitatem moralem, etiam in explicatione illius ſunt diviſi: Aliqui volunt, quod Sacramenta ſint tantum conditiones, ſine quibus Deus non confert gratiam. Et hæc ſententia, ſeu explicatio, tribuitur Durando in 4. diſt. 1. quæſt. 4. num. 19., qui illam conatur exponere, & illuſtrare exemplo hominis, „ qui reciperet denarium „ plumbeum facta tali ordinatione, ut, „ qui recipit unum de illis, recipiat „ eleemoſynam Regis, non quod dena„ rius ſit cauſſa eleemoſynæ, ſed ſolum „ Rex: denarius autem eſt ſignum & „ cauſſa ſine qua non „: alii vero dicunt, quod Sacramenta non ſint proprie cauſſæ efficientes, ſed quaſi materiales, gratiæ, quia gratiam continent, ſicut vas continet medicinam, quæ datur ægroto. Et hæc explicatio tribuitur Antiſiodorenſi lib. 4. Summæ tract. 3. Alii ulterius aſſerunt, quod Sacramenta conferant gratiam per modum impetrationis, quia ſcilicet a Deo gratiam impetrant. Ita Guillelmus Pariſienſis lib. de Sacram. in genere cap. 1., Vaſquez in 3. par. q. 132. cap. 5. Alii quoque ſcribunt, quod Sacramenta conferant gratiam ad inſtar chirographi continentis moraliter pretium Meritorum Chriſti, vel ad inſtar manus, quæ pro redemptione Captivorum porrigit pretium, movendo efficaciter Deum ex pacto, quo ſe libere obſtrinxit, ut ad præſentiam ſignorum ſacramentalium adſiſtat, & gratiam conferat iis, qui debite præparati Sacramenta participant. Ita explicat Tournely de Sacram. in genere quæſt. 6. art. 2., qui citat Melchiorrē Canum relectione de Sacram. in genere part. 4. concl. 6., aitque, quod hic modus explicandi cauſſalitatem & efficientiam Sacramentorum eſt facilior, & dignitati Sacramentorum congruentior.

Dicimus III., Sacramenta non eſſe phyſicas inſtrumentales cauſſas gratiæ, ſed tantum morales.

I. Probatur. Gratia ſanctificans per Thomiſtas creatur; ſed per eoſdem Thomiſtas nulla Creatura, nec etiam divinitus, aſſumi poteſt ad creandum, etſi inſtrumentaliter; ergo Creaturæ illæ, in quibus Sacramenta conſiſtunt, nequeunt inſtrumentaliter phyſice producere. Hoc argumentum eſt efficaciſſimum contra antiquiores Thomiſtas, qui majorem propoſitionem concedebant, & pro indubitata habebant;

bant; attamen deinde Cajetanus, ut vim argumenti evaderet, dixit, gratiam proprie non creari, ſed ſolum dici creatam, quia non educitur de potentia ſubjecti. At quis ſcire poterit, quisnam ſit iſte tertius productionis modus a Cajetano excogitatus, qui non ſit creativus, nec eductivus de potentia ſubjecti?; proinde merito plures dicunt Cajetani evaſionem eſſe potius effugium, quam argumenti ſolutionem. Gonetus vero concedit utique cum recentioribus Thomiſtis, gratiam educi ex potentia obedientiali animæ; unde fatemur ultro contra hos ſic aſſerentes, propoſitum argumentum non eſſe efficax.

II. Probatur. Sacramenta cauſſant moraliter gratiam; ſed non cauſſant etiam phyſice: ergo cauſſant moraliter tantum. Major conceditur a Suario, & communiter ab Adverſariis admittitur; immo Gonetus ait, eſſe communem doctrinam in ſchola S. Thomæ, ut ſupra annuimus: verum probatur etiam, quia cauſſa moralis eſt illa, quæ movet efficientem cauſſam ad producendum effectum, quia cognoſcitur exiſtere cum virtute alliciente cauſſam efficientem ad effectum; ſed Sacramenta Deum movent ad producendum gratiam ſanctificantem, & conferendam hominibus, quibus applicatur, quia Sacramenta ipſa cognoſcuntur exiſtere cum virtute alliciente Deum ad conferendam gratiam: ergo ſunt morales cauſſæ gratiæ. Minor probatur, quia Sacramenta cognoſcuntur a Deo exiſtentia cum virtute paſſionis & ſanguinis Chriſti in ipſis relucente, & ideo Apoſtolus ad Coloſſenſ. 2. ait: *Chriſtianos eſſe conſepultos Chriſto in Baptiſmo*. Et Auguſtinus tract. 120. in Joan. dixit: *Sacramenta omnia de latere Chriſti manaſſe*. Et Hieronymus illud Iſaiæ: *Lavamini; mundi eſtote &c.*, ita explicat: *Pro ſuperioribus victimis, & holocauſtis Evangelii mihi placet Religio, ut baptizemini in ſanguine meo per lavacrum regenerationis*. Probatur igitur minor principalis argumenti. In inſtanti productionis gratiæ, vel nihil Sacramenti exiſtit phyſice, vel exiſtit non totum Sacramentum, ſed ſola ultima particula applicationis materiæ, aut ſyllaba ultima formæ conſtitutivæ: ergo Sacramentum non producit phyſice gratiam. Antecedens eſt certum in reliquis Sacramentis, præter Euchariſtiam, quia gratia non datur ratione Sacramenti, niſi totum Sacramentum ſit applicatum ſubjecto. Cum ergo reliqua ſex Sacramenta applicentur ſucceſſive, vel quoad materiam, vel quoad formam, vel quoad utranque, conſequens eſt, ut gratia non detur, niſi in inſtanti, in quo, elapſis jam prioribus, exiſtit ſola ultima particula, aut etiam in inſtanti immediato poſt exiſtentiam totius Sacramenti, ut aliqui volunt. De Euchariſtia probari poteſt idem antecedens; etenim hoc Sacramentum includit formam verbalem tanquam partem ſui conſtitutivâ; forma autem verbalis non phyſice, ſed moraliter ſolum exiſtit, quando ſuſcipitur Euchariſtia, & confertur gratia, ac proinde non totum Sacramentum phyſice tunc exiſtit. Probatur igitur conſequentia. Entitas qua ratione phyſice & realiter non exiſtit, nequit phyſice & realiter cauſſare; ſed in illo inſtanti totum Sacramentum phyſice & realiter non exiſtit, ſive quia nihil Sacramenti exiſtit, ſive quia pars, aut particula ſola, exiſtit: ergo in illo inſtanti totum Sacramentum nequit phyſice & realiter cauſſare gratiam.

III. Probatur. Sacramenta novæ Legis cauſſant eodem modo, hoc eſt, vel omnia phyſice, vel omnia moraliter; ſed non omnia cauſſant phyſice: ergo cauſſant ſolum moraliter. Conſequentia ſequitur. Minor patet in Sacramento valido & informi; hoc enim Sacramentum ficte ſuſceptum, recedente fictione, gratiam cauſſat; recedente autem fictione, Sacramentum non exiſtit realiter & phyſice, ſed ſolum moraliter, ac proinde cauſſare phyſice non poteſt pro illo ſtatu, in quo Sacramentum phyſice nihil eſt; cauſſat ergo ſolum moraliter, quatenus intuitu Sacramenti præteriti Deus confert effectum ſacramentalem homini pellenti a ſe priorem fictionem, ſeu carentiam diſpoſitionis debitæ. Major probatur; quia ſacra Scriptura, & Patres quoties Sacramentis cauſſalitatem attribuunt, attribuunt indiſtincte, non enim diſtinguunt Sacramentum cum fictione ſuſceptum a Sacramento ſumpto ſine fictione; immo

mo quando expreſſe loquuntur Patres de Sacramento cum fictione ſuſcepto, utuntur iiſdem terminis cauſſandi & operandi, quibus utuntur loquentes de Sacramento ſuſcepto ſine fictione.

IV. Probatur. Si Sacramenta producerent phyſice gratiam, vel illam producerent verba, vel res, vel res & verba; ſed nullum ex his producit: ergo nullo modo phyſice gratiam producunt. Probatur minor. Non producerent ſola verba, quia non minus verba quam res ſunt a Christo Domino inſtituta, & ex ejus inſtitutione ſuam habent ſignificationem. Ulterius, ſi ſola verba ſanctificarent, non bene ab Apoſtolo diceretur, nos per lavacrum regenerationis ſalvos fieri. Nec ſolæ res, quia aliter poſſent abſque gratiæ detrimento omitti verba. Ulterius, quia dicit Apoſtolus: *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Nec res & verba; quia aliquando hæc non ſunt ſimul; non enim requirunt ſimultatem phyſicam, ut diximus, ſed moralem: ergo non poſſunt ſimul phyſice operari.

V. Probatur. In Eucharistia ſunt duæ ſpecies, panis ſcilicet, & vini; vel ergo una ſpecies ſola gratiam producit phyſice, panis ſcilicet, vel ſola ſpecies vini, vel utraque; ſi ſola ſpecies panis: altera ergo ſpecies quid facit?: ſine fundamento hoc dicitur: ſi ſola ſpecies vini: Laici ergo nihil accipiunt, quando ſub ſola panis ſpecie communicantur: ſi utraque ſpecies: ergo Laici medio fructu privantur, cum non utranque ſpeciem recipiant, ſed unam ſolam. Ulterius, utranque ſpeciem concurrere, dupliciter poteſt intelligi, vel ut ſingulæ ſeparatim operentur, ſicut ſeparatim ſumuntur, & hoc ſenſu jam Laici privabuntur altera parte effectus Sacramenti, vel ut ambæ ſimul operentur; & hoc non poteſt fieri phyſice, quia non ſumuntur ſimul phyſice. Sic Becanus.

VI. Probatur. In noſtris principiis gratia nequit phyſice a Sacramentis produci: ergo Sacramenta ſunt cauſſæ tantum morales gratiæ. Probatur antecedens. Quia vel gratia explicatur cum P. Maignano, quod ſit entitas ſpiritualis animæ inhærens, quæ quidem entitas non ſit accidens, ſed ſubſtantia, & ſic ſi Sacramenta eam phyſice producerent, creatura defacto inſtrumentaliter crearet, quod non eſt dicendum; illa enim ſubſtantia ſpiritualis non poſſet, quam per creationem produci; vel gratia explicatur cum P. Sagnens per actionem Dei permanentem, & nulla creatura poteſt eſſe phyſice cauſſa actionis Dei, ſed tantum moraliter, ut de ſe patet. Unde non ſolum de facto Sacramenta non ſunt cauſſæ phyſicæ gratiæ, ſed nec etiam de poſſibili eſſe poſſunt; quod quidem adhuc Theologi illi, qui circa hanc quæſtionem nobiſcum ſentiunt, de poſſibili ſaltem admittunt; ſed nos propter peculiaria principia, quæ habemus, etiam de poſſibili phyſicam cauſſalitatem Sacramentis denegare tenemur; & ſic remanet reſponſum etiam ad quæſitum, quo quæri poſſet, an ſaltem de poſſibili Sacramenta poſſint phyſice gratiam cauſſare?.

VII. Probatur ex Patribus. Cyprianus Serm. de Bapt. Christi, ait: *remiſſio peccatorum ſive per Baptiſmum, ſive per alia Sacramenta donetetur, propria Spiritus Sancti eſt, & ipſi ſoli hujus efficientiæ privilegium manet: verborum ſolemnitas, & ſacri invocatio nominis, & ſigna inſtitutionis Apoſtolicis Sacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant Sacramentum, rem vero Sacramenti Spiritus Sanctus format, & efficit*. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 15: *qui nobis vitam diſpenſat Dominus, Baptiſmatis pactum nobis ſtatuit; mortis quidem imaginem implente aqua, ſpiritu vero vitæ arrham præbente; ubi exiſtimo, vel Baptiſmum eſſe pactum, vel pacti ſignum, quo poſito, ſtatuit Deus per ſe immediate gratiam infundere*. Ambroſius lib. 7. de Sacram. cap. 3. *Aliud eſt Elementum, aliud conſecratio: aliud opus, aliud operatio. Aqua opus eſt, operatio Spiritus Sanctus eſt*. Auguſtinus epiſt. 23. *Aqua exhibens forinſecus Sacramentum gratiæ, & ſpiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ, ſolvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem in uno Chriſto*. Hjeronymus in cap. 4. Iſaiæ. *Ex hoc diſcimus, quod homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum*. In quibus auctoritatibus advertere eſt, quod ſi Sancti Patres phyſicam cauſſalitatem in Sacramentis cognoviſſent, non dediſſent ſoli Deo productionem gratiæ; ultra quam

quod

quod aliis in locis innuunt cauſſalitatem moralem. Cauſſalitatem ergo, quam his in locis negant, phyſicam, opus eſt, ut intelligant. Nec juvat cum Adverſariis reſpondere, quod loquuntur Patres de cauſſalitate principali, non vero inſtrumentali: etenim contra eſt, quia Patres docuerunt, Deum per ſe ipſum conferre gratiam iis, quibus Sacramenta conferuntur: ſic Auguſtinus lib. 83. Quæſt. *Quædam ſunt, quæ Deus efficit per ſe ipſum, quale eſt illuminare animas, & gratiam donare*: ille enim, qui per ſe ipſum rem aliquam agere dicitur, alterius cauſſæ phyſicæ, etiam inſtrumentalis, actionem excludit. Ulterius, ſi Patres intellexiſſent Sacramenta inſtrumentaliter phyſice conferre gratiam, non negaſſent Miniſtris Sacramentorum Spiritum Sanctum conferri: ſed Patres hoc aperte negarunt; etenim Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. ait: *neque enim aliquis diſcipulorum Chriſti dedit Spiritum Sanctum; orabant, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipſi eum dabant*: ergo non crediderunt phyſicum operandi modum communicari ſignis ſenſibilibus, quibus ex Chriſti inſtitutione Miniſtri utuntur: aliter Sancti Patres ſic porro loquuti fuiſſent, quemadmodum loqueretur homo, qui diceret, Titium non combuſſiſſe domum, ad quam ardentem facem admovit.

VIII. Probatur ex Tridentino, ubi ſeſs. 6. cap. 7. loquendo de cauſſis juſtificationis ſic dicitur: *hujus cauſſæ juſtificationis ſunt, finalis quidem, gloria Dei, & Chriſti, & vita æterna; efficiens vero, miſericors Deus, qui gratuito abluit & ſanctificat, ſignans & ungens ſpiritu promiſſionis ſancto.... Meritoria autem, dilectiſſimus Unigenitus ſuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui, cum eſſemus inimici,... ſua ſanctiſſima paſſione in ligno Crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Patri ſatisfecit: inſtrumentalis item, Sacramentum Baptiſmi, quod eſt Sacramentum fidei &c.*: ubi videtur, quod Concilium genus cauſſalitatis *finalis* & *meritoriæ* Chriſto tribuit, *efficientis* vero ſoli Deo, quatenus ſcilicet ab inſtrumentali & meritoria diſtinguitur, & ſine ulla limitatione ſoli Deo tribuit. Igitur ex Concilio efficientia phyſica neque Sacramentis, neque Chriſto convenit. Probatur conſequentia, quia Concilium loquitur de Sacramentis, tanquam de inſtrumentis meriti Chriſti: ſed hoc eſt loqui de efficientia morali, non phyſica: ergo &c.

Arguunt I. Ut eludant argumentum a nobis poſitum, Thomiſtæ cum Goneto dicunt; Sacramenta cauſſare gratiam in inſtanti extrinſeco, quando ſcilicet verificatur hæc propoſitio: *jam non eſt Sacramentum*, ſed tamen immediate antea erat. II. Dicunt alii, quod qui producit partem phyſice, phyſice etiam producit totum, ſicut quando corpus ſphericum tangit planum in puncto, vel in parte minima, totum ſphericū dicitur, quod tangat phyſice; & etiam Urbs dicitur quod expugnetur a toto exercitu, licet una ſola pars exercitus illam expugnet, & reliqui milites interim otientur. III. Ut enervent aliud argumentum, alii Adverſarii noſtri dicunt cum Goneto, quod, recedente fictione, Baptiſmus præteritus cauſſet phyſice gratiam, non quidem per ſe ipſum jam non exiſtentem, ſed per characterem relictum in anima baptizati; tunc enim character ille a præterito Sacramento relictus & productus elevatur a Deo ad producendam phyſice gratiam, mediante virtute in ipſo relicta; quemadmodum patre mortuo produci poteſt proles per virtutem ab ipſo relictam in matris utero. IV. Alii cum Cacherano dicunt, Sacramenta nova per ſe loquendo cauſſare de facto gratiam etiam phyſice; & explicantes verba, *per ſe loquendo*, ſubdunt, conſiderando ſcilicet Sacramentum ſecundum virtutem & exigentiam, quam habet ratione ſui, & ſecundum id, quod ſemper præſtat in Subjecto bene diſpoſito, abſtrahendo poſtea ab eo, quod ipſi poſſit accidere ratione impedimenti extrinſeci, & ſubjecti indiſpoſiti. Sic ipſe. V. Ad Epheſ. 5. dicitur: *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*: & ad Titum 3.: *ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis*; ſed præpoſitiones *in* & *per* actionem phyſicam important, ut dicitur Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*; hoc eſt per Verbum: ergo &c. VI. Joan. 3. dicitur: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*; ubi, ait S. Thomas, docetur gratiam cauſſari *principaliter* per virtutem Spiritus

Sao-

Sancti, inſtrumentaliter per Sacramēta; ſed Spiritus Sanctus eſt cauſſa principalis phyſica: ergo Sacramenta ſunt etiam cauſſa inſtrumentalis phyſica. Conſequentia ſequitur; quia inſtrumentum cauſſæ principalis phyſicæ debet phyſice cauſſare, ſive eſſe phyſica cauſſa cauſſæ principali ſubjecta. VII. Ex Tridentino ſeſs. 6. cap 7. habetur, Sacramenta continere gratiam, quam ſignificant; ſed hoc intelligi nequit, niſi de continentia virtuali propria cauſſæ efficientis: ergo talis continentia convenit Sacramentis novæ legis, atque adeo ſunt cauſſæ efficientes phyſicæ gratiæ. VIII. Ex Patribus. Tertullianus lib. de Bapt. cap. 4., ait: *quod aquæ, ſuperveniente Spiritu Sancto, ſanctificantur, & ita ſanctificatæ vim ſanctificandi combibunt*; non poteſt autem dici, quod virtutem moralem ſanctificandi combibant. Ulterius docet: *Chriſtianos regenerari aqua Baptiſmatis, ſicut piſces producti ſunt aqua fecundata ſpiritu Dei.* Chriſoſtomus cap. 3. in Joan., *Baptiſmum prædicat plenum maximæ poteſtatis gratiæ, purgaturum peccata, & effecturum pro mortuo vivum*. Et inſuper Hom 25., ait: *quod eſt Mater Embrioni, hoc eſt fidei aqua; ſiquidem in aqua fingitur, & formatur*. Auguſtinus tract. 80. in Joan. *Unde tanta virtus aquæ ut corpus tangat, & cor abluat?*; & poſt pauca: *Aqua baptiſmalis corpus tangit, & cor abluit*: hæc autem, ait Gonetus, vel exprimunt phyſicam Sacramentorum cauſſalitatem, vel irriſoria eſt admiratio Auguſtini. Leo Papa Serm. 4. de Nativit. Domini: *Omni homini renaſcenti Baptiſmus eſt ad inſtar uteri virginalis, eodem ſpiritu replente fonte, qui replevit & Virginem*: ſed beatiſſima Virgo fuit cauſſa phyſica: ergo &c. Venerabilis Beda in c. 3. Lucæ aſſerit, *Chriſtum, cum a Joanne baptizatus fuit, tactu ſuæ mundiſſimæ carnis aquæ vim regenerativam contuliſſe*. IX. Si Sacramenta novæ Legis non cauſſarent phyſice gratiam, a Sacramentis veteris Legis non differrent; ſed differunt: ergo ad differentiam illorum Sacramenta novæ Legis cauſſant phyſice gratiam. Probatur ſequela. Sacramenta veteris Legis cauſſabant in recipientibus moraliter gratiam: ergo ſi Sacramenta novæ Legis non cauſſant phyſice, ab illis non differrent. X. Sic pariter non differrent Sacramenta novæ Legis a verbis magicis, ſi tantum moraliter gratiam operarentur; ſed differunt: ergo etiā phyſice operantur. Probatur major. Verba magica, quibus utuntur Venefici ex pacto inito cum Dæmone, ad effectum aliquem mirabilem producendum, moraliter, non phyſice, effectum illum producunt: ergo ſi Sacramenta novæ Legis moraliter tantum, & non phyſice, gratiam operantur, a verbis magicis non differunt. XI. Non ſolum Chriſtus, ut homo, ſed etiam Deus, ut Deus, confert nobis gratiam per Sacramenta; ſed Deus, ut Deus, non conferret, ſi Sacramenta eſſent ſolum cauſſæ morales: ergo &c. Probatur minor. Cauſſa moralis movens cauſſam phyſicam ad producendum effectum, operatur per ipſam phyſicam cauſſam a ſe motam: cauſſa autem phyſica mota ad produdendum effectum, non operatur per cauſſam moralem, a qua movetur; ſed per Apoſtolum ad Timoth. 3. Deus confert nobis gratiam per Sacramenta; dicit enim: *ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrū regenerationis &c* ergo &c. XII. Inexplicabile eſt, quod Sacramenta ſint cauſſæ morales, & non ſint puræ conditiones; ſed puræ conditiones non ſunt, ut fuit a nobis ſuo loco probatum: ergo non ſunt cauſſæ morales. XIII. Saltem Sacramenta poſſunt eſſe cauſſæ phyſicę gratię, ut minimū ſcilicet de poſſibili: ergo sūt pariter de facto. Probatur conſequentia; quia hoc magis convenit dignitati Sacramentorum, & divinæ Omnipotentiæ manifeſtationi. XIV. Ex precibus Eccleſiæ ſuper aquam baptiſmatis convincitur, quod in aqua ſit inſita virtus phyſica, quæ ſit animarum noſtrarum ſanctificativa: ergo Sacramentum baptiſmi cauſſat phyſice gratiam in ſuſcipientibus illud XV. Poſita cauſſalitate morali gratiæ in Sacramentis, ſequeretur, quod virtus ſanctificativa eſſet etiam pure moralis; ſed hæc virtus ſanctificativa pure moralis Sacramentis conceſſa eſt inexplicabilis: ergo non eſt admittenda, ſicut nec admittenda eſt hypotheſis, ex qua ſequitur. Probatur minor, & quidem ex diverſitate modi explicandi ipſam, quam nobis Adverſarii opponunt, quibus probare intendunt,

hanc virtutem moralem ſanctificativã aut eſſe inexplicabilem, aut difficulter & admodum ægre a nobis explicari.

Reſpondemus ad I., quod ſi in Adverſariorum ſchola verum eſt principium illud; *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, nos dicimus, quod ſi in inſtanti productionis gratiæ exiſtit gratia realiter & phyſice, multo magis exiſtit Sacramentum, propter quod gratia exiſtit. Secundo; verum eſt per Adverſarios hoc aliud principium; *nemo dat, quod non habet*; ſed in eo inſtanti Sacramentum non habet phyſicam & realem exiſtentiam: ergo tunc illam non dat gratiæ. Tertio; in illo inſtanti exiſtit phyſica actio, per quam tunc producitur gratia; ſed phyſica actio nequit exiſtere ſine phyſica ſua cauſſa, cum qua eſſentialem habet connexionem per Adverſarios; ergo tunc exiſtit Sacramentum, quando non exiſtit, ſi eſt phyſica cauſſa actionis gratiæ. Quarto; Ea ratione, qua nihil eſt, nihil producit; ſed in illo inſtanti Sacramentum realiter & phyſice nihil eſt: ergo realiter & phyſice nihil producit. Quinto; Implicat gratiam actualiter produci non exiſtente actualiter actione, qua producitur: ergo implicat gratiam actualiter produci non exiſtente actualiter cauſſa, a qua producitur phyſice. Sequitur Conſequentia; quia actualiter produci phyſice, non minus habet cauſſa ratione cauſſæ, quam ratione actionis; immo principalius habet ratione cauſſæ. Sexto tandem; quis credet oculos excæcatos in inſtanti antecedenti, in inſtanti ſubſequenti videre clariſſime? Canem mortuum in inſtanti præcedenti, in ſequenti mordere? Conſtat igitur, Sacramenta in inſtanti extrinſeco gratiam non producere phyſice.

Ad II. Exempla allata non ſunt ad rem, quia licet totum exiſtens actualiter ſecundum ſe totum denominetur producens a parte producente, aut tangente; nihilominus totum non exiſtens nequit denominari; denominatio enim, quæ requirit exiſtentiam Subjecti denominabilis, nequit denominare Subjectum non exiſtens. Patet hoc, vel in ipſis exemplis allatis; nam ſi aliqua pars corporis ſpherici deſtruatur, corpus non denominabitur tangens phyſice planum, prout complectens partem deſtructam, ſed ſolum prout complectens partes exiſtentes. Similiter exercitus non expugnat urbem, & operatur actualiter, prout complectens milites occiſos, prius quam urbs expugnaretur, vel qui pridie ejus diei Commilitones deſeruerant. Secundo; Sacramentum ita eſt cauſſa gratiæ, ut omnes illius partes conferant immediatam actionem in gratiam; ſed non omnes illius partes conferunt immediatam actionem phyſicam; ſi quidem partes non exiſtentes, fatentibus Adverſariis, talem actionem non habent: ergo non totum Sacramentum confert immediatam actionem phyſicam: ergo non totum eſt cauſſa phyſica. Major patet, quia ad conferendam gratiam Deus totum Sacramentum inſtituit. Tertio; ſi partes non exiſtentes producunt ſolum moraliter gratiam, & phyſice producit pars tunc exiſtens, duo abſurda ſequerentur; primum, quod non ſemper eadem pars phyſice, neque ſemper eadem moraliter producat, ſed commutentur actiones; aliquando enim terminatur applicatio materiæ, antequam terminetur pronunciatio formæ; aliquando poſt totam formam prolatam applicatur materia. Secundum abſurdum eſt, quod in Baptiſmo invocatio ſola Spiritus Sancti per ultimam ſuam ſyllabam producat phyſice gratiam; non ſic invocatio Patris, & Filii; quæ phyſice præteriit: Patrum tamen, & Eccleſiæ ſenſus eſt, gratiam baptiſmalem æqualiter pendere ab invocatione totius Trinitatis. Dicamus igitur totam invocationem æqualiter eſſe cauſſam non phyſicam, ſed moralem, ne tot abſurda cogamur devorare.

Ad III. In tantum pater mortuus dicitur cauſſa prolis, quia virtus relicta a patre ipſo extincto ex natura ſua eſt prolifica, & formativa fœtus, independenter ab elevatione Dei; character vero non eſt ex natura ſua productivus gratiæ independenter ab elevatione Dei; unde non currit paritas. Secundo; dato & non conceſſo, quod Goneti ratio valeat in Sacramentis, quæ imprimunt characterem, in Sacramentis tamen illis, quæ non imprimunt, nullo modo valere poteſt: ergo hæc ſaltem producunt, & conferunt gratiam moraliter. Tertio; quia Thomiſta Serra ſcribit, communiorem Sententiam in Schola S.Thomæ eſſe, quod Sacra-

Digitized by Google

Sacramenta recedente fictione cauſſent gratiam moraliter, non phyſice: unde videtur Gonetum contra ſuam Scholam pugnare.

Ad IV., dicitur, quod ſi proprium eſt Sacramentorum per ſe tantum cauſſare gratiam phyſice, ſequitur, quod gratia illa, quæ cauſſatur, recedente fictione, non cauſſatur a Sacramentis. Et probatur; quia non cauſſatur modo proprio cauſſandi Sacramentorum: ergo non cauſſatur a Sacramentis: hoc autem eſt contra communem ſenſum Theologorum & Patrum. Secundo; ſtante reſponſione Cacherani, gratia cauſſata a Sacramentis ficte ſuſceptis, recedente fictione, eſſet monſtrum, quia ipſam Sacramenta non cauſſarent per ſe, ſed per accidens. Tertio; potentiam, quam habent Sacramenta ad cauſſandam gratiam, non habent ex natura ſua, ſed ex inſtitutione Dei; ex inſtitutione Dei cauſſant etiam moraliter, recedente fictione; ergo tunc etiam cauſſant ex natura ſua &c.

Ad V. Præpoſitiones *per*, & *in* æque ſignificare poſſunt influxū phyſicum & moralem; ad unum autem, aut ad alium ſignificandum, reſtringuntur, applicantur, ac limitantur ex contextu, ſcilicet ex verbis aliis, quæ in eodem loco leguntur; ſicut accidit in illo Joannis I., quem proponit objectio. In caſu autem noſtro, quia non ſunt reſtrictiva verba, quæ cogant ad influxum phyſicum applicare Sacramentorum actionem in gratiæ productione, videtur, quod argumentum ad hoc ipſum evicendum nullum contineat robur.

Ad VI., dicitur, quod non in omnibus debent convenire cauſſa principalis, & cauſſa inſtrumentalis; immo debent in omnibus non convenire. Si igitur convenire non debent in omnibus, quo jure Adverſarii tanquam primum principium afferunt, quod inſtrumentum cauſſæ principalis phyſicæ debeat phyſice cauſſare? Si enim ipſorum ratio argumentandi valeret, poſſemus etiam dicere, quod inſtrumentum cauſſæ principalis debeat eſſe ſubſtantia, quia cauſſa principalis eſt ſubſtantia; debeat eſſe divinum, quia cauſſa principalis eſt divina; & alia hujuſmodi, quæ nec admittuntur, nec admitti poſſunt.

Ad VII., diſtinguitur minor; non poteſt illud intelligi, niſi de continentia virtuali propria cauſſæ efficientis ſaltem moraliter, conceditur; cauſſæ efficientis phyſice, negatur. Concedimus Sacramenta nova continere gratiam productive, ad diſtinctionem antiquorum, quæ tantum continebant ſignificative: at dicimus nova continere gratiam productive tantum moraliter, non vero phyſice.

Ad VIII., dicitur, quod vel Patres fecerunt comparationem Sacramentorum cum cauſſis phyſicis, quoad aliqua, & non quoad omnia; quia ſi quoad omnia feciſſent, nimia eſſet comparatio, & neque ab Adverſariis ipſis concedenda: vel quod per realem non intellexerunt phyſicam, ſed veram; vel quod loquuti fuerunt de realitate effectus, non autem actionis. Ad verificandum igitur Patrum loquutiones, ſat eſt, quod Sacramenta cauſſent ſufficienter gratiam; cauſſant autem ſufficienter, ſi tantum moraliter cauſſant. Unde benedictio, ſanctificatio, vis regenerativa in aquis, virtus aquæ &c. ſunt veræ virtutes & reales, non autem phyſicæ. Comparatio Chryſoſtomi de Embrione valet quoad ſubſtantiam rei, quia vere Sacramenta producunt fidem, & juſtitiam, ſicut Mater producit Embrionem; ſed non valet quoad phyſicum producendi modum; quia non eſt neceſſe, ut in comparationibus omnimoda ſit ſimilitudo. Quæ quidem explicationes Patrum eo videntur congruentiores, quo nos ſupra alias Patrum auctoritates adduximus pro morali tantum cauſſalitate Sacramentorum.

Ad IX., dicitur, quod Sacramenta moſaica non ratione ſui, ſed per accidens tantum, ſcilicet ratione fidei, & charitatis, quarum erant extrinſeca ſigna, gratiam producebant; non diſſimili modo ab eo, quo eleemoſyna operantem juſtificat, nempe vi charitatis intrinſecæ, cui ſupponitur conjuncta &c. Sacramenta vero novæ Legis per ſe ſanctitatem efficiunt, quia ex primaria ſui inſtitutione ſunt ſigna ſenſibilia, ad quorum præſentiam Deus ad gratiam conferendam Subjecto diſpoſito determinatur.

Ad X. Differunt Sacramenta a verbis magicis mille titulis: verba magica,

Digitized by Google

ut talia, nihil ſupernaturale habent pro effectu; & quisquis ſit illorum effectus, ſemper pendet a pacto fallibili inito a Venefico cum Dœmone potente falli, & fallere volente. Sacramenta vero habent pro effectu rem maxime ſupernaturalem, & pendentem a pacto infallibili inito a Chriſto cum Deo impotente falli, & efficaciter fallere nolente. Quod autem conveniant in hoc, quod utraque verba moraliter cauſſent effectum ſuum, nihil officit dignitati Sacramentorum; ſicut nihil officit in Adverſariorum ſententia, & in noſtra etiam, quod utraque ſint verba.

Ad XI. Conceditur propoſitio de cauſſa morali, quæ virtutem movendi cauſſam phyſicam non accipit ab eadem cauſſa phyſica; negatur vero de cauſſa morali, quæ virtutem movendi cauſſam phyſicam accipit ab eadem cauſſa phyſica. Sacramenta ſunt cauſſa moralis movens Deum, a quo acceperunt ſuam virtutem motivam.

Ad XII. Diſcrimen eſt hoc per Aonoldum, quod cauſſa moralis operantem movet ratione alicujus dignitatis, & excellentiæ, in quam fertur, & à qua quodamodo excitatur effectus cauſſæ illius, quæ movetur ad phyſice operandum. Conditio vero non movet ratione hujuſmodi dignitatis & excellentiæ in ſe receptæ, ſed ut conjoncta cum alio dignitatem habente, & exigente non movere, niſi quando illud alterum ſibi conjunctum habet. Poteſt dari caſus, quod idem ſit cauſſa moralis, & conditio, ſed non per hoc dicitur mera conditio. Præcipiens, rogans, conſulens, &c. ſunt cauſſæ morales, quia in præcepto, in precibus, in conſilio, eſt virtus excitandi alterius voluntatem ad operandum ſecluſis aliis. Quod ſi præcipiens reſtringat ſuum præceptum ad certos caſus, & circumſtantias; tunc illæ circumſtantiæ erunt meræ conditiones. Sacramenta ergo continent in ſe excellentiam moventem Deum ad producendam gratiam, utpote actiones Chriſti, a Chriſto inſtitutæ, & a Miniſtris Chriſti exercendæ nomine, & auctoritate ipſius Chriſti, & quidem in hunc finem, ut ſcilicet gratia obtineatur.

Ad XIII., dicitur, quod in noſtris principiis, quibus ſuſtinemus, gratiam ſanctificantem non eſſe qualitatem phyſicam animæ inhærentem, Sacramenta nec etiam de poſſibili poſſunt phyſice cauſſare gratiam, ſive gratia explicetur cum Maignano per ſubſtantiam ſpiritualem animæ inhærentem, ſive cum P. Sanguens per actionem Dei immanentem, ut videre eſt in ſexta probatione, & nos inferius fuſius quoque explicabimus.

Ad XIV., primo dicitur, quod per illas preces non recipit aqua virtutem ſanctificandi, quia etiam aqua non benedicta valet ad Baptiſmum. Secundo dicitur, quod illa vis non ſolum deberet eſſe in aqua, ſed in verbis quoque; & tamen verba non benedicuntur.

Ad XV. Nos explicamos virtutem ſanctificativam pure moralem Sacramentorum per eorundem identitatem moralem cum meritis Chriſti Domini, quia hoc ipſo Sacramenta intelliguntur cum virtute moraliter cauſſativa gratiæ, quum hoc ipſo intelligantur habere virtutem illam, cum qua intelliguntur identificari. Et quidem moralis identitas Sacramētorum cum meritis Chriſti Domini probatur; quia Sacramenta ſunt moraliter operationes Chriſti Domini, quibus ipſe virtute ſuorum meritorum ſanctificat homines ſuſcipientes; ſed operationes Miniſtri Delegati, ut Delegati, ſunt moraliter operationes Delegātis: ergo &c. Probatur minor; quia miniſter non ſuo nomine, ſed nomine Chriſti operatur, ſive baptizet, ſive abſolvat, ſive Euchariſtiam conficiat &c., ut docet Florentinum, & communiter Patres. Prædicta autem moralis identitas Sacramentorum cum meritis intelligenda eſt ſecundum puram formalitatem virtutis ſanctificativæ efficienter. Ratio eſt, quia actiones Chriſti meritoriæ tres formalitates habuerunt, *meriti*, *ſanctificationis*, *& impetrationis*: *meriti*, quia habent rationem pretii reſpectu præmii; *ſanctificationis*, quia habent rationem ſolutionis reſpectu debiti; *impetrationis*, quia habent rationem precum ad obtinendum id, quod Chriſtus petit a Deo. Iſtæ autem formalitates contrahunt aliam formalitatem omnibus communem, & eſt virtus ſanctificativa efficienter, hoc eſt virtus, quæ moraliter, ſive ut cognita, Deum allicit & indu-

inducit ad producendam gratiam; & hinceſt, quod in quavis ex illis formalitatibus hæc communis formalitas reperitur & cōtinetur, & ſecundum hanc communem Sacramenta moraliter cōferunt gratiam. Ratio eſt, quia operationes Delegati identificantur moraliter cum operationibus Delegantis, ſecundum illam formalitatem, quam intendit & exprimit delegatio ipſa & inſtitutio; ſed Delegatio & inſtitutio Miniſtri Delegati a Chriſto in Sacramentorum miniſterio intēdit ſolum & exprimit identitatem Sacramentorum cum operationibus Chriſti Delegantis ſecundum formalitatem virtutis ſanctificativæ efficienter: ergo &c. Minor probatur; quia delegatio ipſa intendit ſolam illam formalitatem, quæ neceſſaria eſt, ut in ipſis Sacramentis exiſtat virtus cauſſativa, & collativa gratiæ; ſed ad hoc eſt ſolum neceſſaria formalitas virtutis ſanctificativæ efficienter, ut de ſe patet: ergo &c.

DISSERTATIO CCCXIX.

De principaliori Sacramentorum effectu, qui eſt Gratia. An Sacramenta mortuorum poſſint per accidens cauſſare ſecundam gratiam, & Sacramenta vivorum primam? Gratia Sacramentalis in quo conſiſtat, & quomodo a gratia habituali differat? Gratia habitualis an ſit qualitas phyſica, quæ ſit Accidens prædicamentale in Peripateticorum hypotheſi?

PRæmittimus I., quod Gratia, quantum ad præſens attinet inſtitutum primo dividitur in actualem, & habitualem. Actualis a Theologis peripateticis dicitur motus tranſiens, quo anima ad pietatis opus excitatur, & conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis. Habitualis ab iiſdem dicitur, forma animæ permanenter inhærens, ipſamque ſanctificans, & Deo gratam reddens. Ab aliis vero extra peripateticam Scholam gratia actualis dicitur quidem motus tranſiens, quo anima ad pietatis opus excitatur, ſed talis motus eſt Dei illuminantis, excitantis, adjuvantis &c. Animam, non vero motus ipſius animæ, ſive intelligentis, ſive volentis. Ab iiſdem gratia habitualis nec etiam ponitur in accidente inhærente, ſed a P. Maignano explicatur per ſubſtantiam ſpiritualem, quæ animæ inhæreat: & per hoc quod inhæreat, dicatur accidens, ſed reſpectivum, non vero abſolutum, quum in ſe non accidens, ſed ſubſtantia ſit; adeoque dicitur, ut terminos peripateticos uſurpemus, accidens *prædicabile*, non *prædicamentale*. A P Saguens vero explicatur per motum ejuſdem Dei, non quidem tranſeuntem, ſed permanentem; motus enim tranſiens per ipſum S guens conſtituit gratiam actualem, permanens vero habitualem; quo quidem motu permanente Deus animam ſanctificat, reddit ſibi gratam, & ea omnia in anima præſtat, quæ per qualitatem ſuperadditam peripatetici Theologi volunt in anima præſtari.

Præmittimus II., quod gratia habitualis dividitur in primam, & ſecundam. Gratia prima eſt, quæ confertur homini non habenti aliam gratiam, ſed in peccato mortali exiſtenti: Gratia ſecunda, quæ potius dicitur augmentum gratiæ, eſt, quæ confertur homini habenti gratiam ſanctificantem, adeoque homini juſto. Ulterius dividitur gratia in pure habitualem, & in Sacramentalem: pure habitualis eſt illa, quæ omnibus Sacramentis eſt communis, & eſt ipſamet gratia ſanctificans; Sacramentalis vero eſt cuilibet Sacramento peculiaris, & a Deo data ad finem cuilibet Sacramento proprium conſequendum. Denique

divi-

Digitized by Google

dividitur gratia in gratiam, quæ cauſſatur per ſe, & in gratiam, quæ cauſſatur per accidens. At hæc in rigore non eſt diviſio gratiæ, ſed potius diviſio cauſſationis gratiæ, quum gratia ſemper ſit eadem. Et ratio hujus diviſionis eſt, quia aliqua Sacramenta habent per ſe cauſſare primam gratiam, ut ſunt Sacramenta mortuorum, Baptiſmus ſcilicet, & Pœnitentia, & nihilominus Theologi volunt, quod per accidens poſſint etiam cauſſare ſecundam; quemadmodum aliqua Sacramenta habent per ſe cauſſare ſecundam gratiam, & ſunt Sacramenta vivorum, reliqua ſcilicet quinque, præter Baptiſmum, & Pœnitentiam; & tamen aliqui Scholaſtici etiam volunt, quod per accidens poſſint cauſſare primam.

Præmittimus III., certum eſſe apud omnes, Sacramenta non cauſſare gratiam actualem, quia motus illi, quomodocunque explicentur, non cauſſantur a Sacramentis, quia ſi a Sacramentis cauſſarentur, in quibuslibet Sacramenta recipientibus reperirentur. At non reperiuntur in Infantibus; immo nec etiam in Adultis, prout a Sacramentis cauſſati, quum Sacramenta non habeant movere, excitare, illuminare animam ad pietatis opera. Certum eſt quoque, gratiam, quæ per Sacramenta cauſſatur, eſſe gratiam habitualem, quia gratia, quam Sacramenta cauſſant, debet animam ſanctificare, debet peccatum delere, debet animam Deo gratam reddere; hæc autem omnia nonniſi gratiæ habituali conveniunt. Certum eſt denique, Sacramenta mortuorum, Baptiſmum ſcilicet, & Pœnitentiam, per ſe cauſſare primam gratiam; & hoc eſt modo commune apud omnes Scholaſticos, quanvis aliqui contrarium aſſeruerint; unde ad illorum, aliorumque Scholaſticorum opiniones aſſerendas devenimus.

Primo igitur Ochamus, Gabriel, Argentinas, aliique pauci ex veteribus, putarunt, nullum Sacramentum primam gratiam conferre; & ratio ipſis erat, quia nullum Sacramentum poteſt facere de attrito contritum, & quod nullus peccator adultus poteſt eſſe ſufficienter diſpoſitus ad fructuoſam alicujus Sacramenti ſuſceptionem, niſi per contritionem. Ita refert Cacheranus.

Secundo aſſeruit Serra, etiam Sacramenta mortuorum per ſe cauſſare ſecundam gratiam, quod eſt contra communem Theologorum ſententiam, qui volunt, ſola Sacramenta vivorum per ſe ſecundam gratiam cauſſare. Refert pariter Cacheranus.

Tertio pauci quidam Scholaſtici, quos affert ſuppreſſo nomine Saurez, putarunt, omnia Sacramenta per ſe cauſſare primam gratiam. Hanc eandem opinionem, cum aliqua tamen limitatione, docent Nugnus, & Joannes a S. Thoma.

Quarto Vaſquez, Villalobós, Bernal, aliique voluerunt, nunquam Sacramenta vivorum per ſe cauſſare primam gratiam, neque per accidens. Lugus, & Gaſpar Hurtado aſſerunt, ſolam extremam Unctionem in aliquo caſu per accidens cauſſare primam gratiam; de reliquis tamen Sacramentis convèniunt cum Vaſquez.

Dicimus I. Sacramenta mortuorum per ſe cauſſare primam gratiam; Sacramenta vero vivorum per ſe non cauſſare. Inſuper illa poſſe per accidens cauſſare ſecundam, & hæc per accidens quoque poſſe cauſſare primam. Quatuor partes habet Concluſio.

Prima Concluſionis pars probatur. Sacramenta mortuorum per ſe, & ex primario ſuæ inſtitutionis fine, cauſſant remiſſionem peccatorum: ergo pariter per ſe, & ex primario ſuæ inſtitutionis fine, cauſſant primam gratiam. Probatur antecedens. Sacramenta mortuorum primo, & per ſe, ſunt inſtituta ad remiſſionem peccatorum: ergo illam per ſe, & ex primario ſuæ inſtitutionis fine, cauſſant. Probatur antecedens, & quidem primo; quia aliter Sacramenta mortuorum non dicerentur: ſecundo; quia propriæ formæ ipſorum hoc indicant, quum ſordium ablutio in Baptiſmo, & vinculorum ſolutio in Pœnitentia importent peccatorum excluſionem, ſeu remiſſionem.

Secunda Concluſionis pars probatur. Abſolute dicere, quod omnia Sacramenta vivorum cauſſent primam gratiam, ſicuti cauſſant Sacramenta mortuorum, eſt dicere aliquid contrarium communi Catholicorum doctrinæ, & ſignanter reſpectu Euchariſtiæ, quinimmo contrarium quoque Apoſtolo I. ad Corinth. 11., & Concilio Trident.

Digitized by Google

dent.ſeſs,13.c.7 ; uude ab Arriaga talis ſententia vocatur erronea, ſi non hæretica. Dicere vero illud cum diſtinctione,quod ſcilicet utraque Sacramenta per ſe ſint apta cauſſare primam gratiam; at Sacramenta mortuorum id habere ex ratinne generica, & communi Sacramentorum omniom, & ex ratione ſpecifica & differentiali Sacramenti talis; Sacramenta vero vivorum habere tantum ex primo titulo, & ex ſecundo titulo cauſſare ſecundam gratiam; hoc quidem dicere, nec eſt ad rem; quia tales diſtinctiones ſunt metaphyſicæ & abſtractæ, & Chriſtus in ſpecie tantum Sacramenta inſtituit, ut ſuam gratiam quæque cauſſarent. Ulterius, ſi ratio illa valeret, tantum probaret, Sacramenta vivorum ex ratinne generica cauſſare gratiam genericam, prout ſcilicet abſtrahit a prima & a ſecunda; non vero cauſſare gratiam ſpecificam, quæ eſt prima.

Tertia Concluſionis pars probatur. Quoties ſuſcipitur Sacramentum ſine obice, debet producere effectum ſuum; ſed carentia peccati non eſt obex gratiæ: ergo quoties Sacramenta mortuorum ſuſcipiuntur ab illis, qui peccato carent, iiſdem conferunt gratiam; at non conferunt primam, ut de ſe patet: ergo conferunt ſecundam.

Quarta Concluſionis pars probatur. Si quis cum neceſſaria contritione ad valorem Sacramenti pœnitentiæ ad ſe confitendum accedat, & ex malitia Sacerdotis non abſolutus, exiſtimans tamen prudenter ſe eſſe abſolutum, atque adeo etiam contritum, & ſic Euchariſtiam ſumat; in tali caſu nullum ponit obicem gratiæ: ergo gratia in eodem caſu conferretur; non ſecunda, ut patet: ergo prima.

II. Probatur. Sacramenta mortuorum per accideus cauſſant ſecundam gratiam: ergo etiam Sacramenta vivorum per accidens cauſſant primam gratiam. Negat paritatem De Lugo dicens, quia major virtus requiritur ad cauſſandam primam gratiam, quam ſecundam, quum homo juſtus poſſit de condigno ſibi mereri ſecundam gratiam, non autem primam; ſed contra eſt, quia hoc tantum provenit ex eo, quod principium meriti, quale eſt gratia, non poteſt cadere ſub merito, non vero provenit, quod unum ſit difficilius alio, vel quod primus gradus gratiæ ſit ſecundo excellentior.

III. Probatur. Multoties ægroti non aliud Sacramentum ſuſcipere valent, quam extremam Unctionem, & tamen in illis anguſtiis proximæ mortis difficillime poſſunt actum contritionis elicere, & his non obſtantibus Eccleſia confert illis Sacramentum extremæ Unctionis: ergo ſignum eſt, quod divina miſericordia pro illo caſu illi Sacramento conceſſerit primam gratiam conferre. Et ſi Lugus de extrema Unctione hoc concedit, non videmus, quare poſtea de Euchariſtia inficietur, quum etiam de Euchariſtia dicatur, quod ſit *ablutio ſcelerum*: & S Juſtinus Apolog. 2. eam vocet *peccati aſperſionem*, & carnem dominicam cum Iſaiæ carbone comparet, quemadmodum de extrema Unctione Jacobi 5. dicitur: *ſi in peccatis ſit, remittentur ei*: unde Lugus movetur ad aliter de extrema Unctione ſentiendum.

Objiciunt I. Nullum Sacramentum poteſt facere hominem de attrito contritum: ergo nullum Sacramentum poteſt per ſe cauſſare primam gratiam. II. Nullus peccator adultus eſt ſufficienter diſpoſitus ad fructuoſam alicujus Sacramenti ſuſceptionem, niſi per contritionem: ergo nullum Sacramentum poteſt per ſe ipſum cauſſare primam gratiam. III. Agens, quod poteſt aliquam formam inducere, poteſt hoc ipſo contrariam formam expellere: ergo omne Sacramentum, quod eſt potens cauſſare gratiam, poteſt hoc ipſo expellere contrarium gratiæ; ſed peccatum eſt contrarium cuilibet gratiæ: ergo quodlibet Sacramentum, quod poteſt cauſſare aliquam gratiam per ſe, per ſe etiam poteſt expellere peccatum: ergo non ſolum Sacramenta mortuorum, ſed etiam vivorum per ſe poſſunt expellere peccatum, adeoque primam gratiam cauſſare. IV. Virtus, quæ poteſt qualitatem, vel habitum augere, poteſt etiam primo inducere: ergo ſi Sacramenta vivorum habent per ſe augere habitum gratiæ, habent etiam ipſum per ſe primo inducere. Antecedens probatur: quod poteſt facere perfectius, poteſt etiam facere minus perfectum; ſed perfectius eſt augmentum gratiæ: ergo &c. V. Omnibus novæ legis Sacramentis convenit conferre gratiam non

habent

habenti obicem, non conferre habenti obicem: Peccator ergo attritus vel habet obicem gratiæ, vel non habet: ſi habet; ergo neque Sacramenta mortuorum ei gratiam conferent: ſi non habet: ergo etiam per ſe conferent gratiam Sacramenta vivorum; & ſic fit, quod in Peccatore, vel ſufficiat attritio ad ſuſcipienda ſine obice Sacramenta vivorom, vel reqoiratur contritio ad ſuſcipienda ſine obice Sacramenta mortuorum. VI. Sacramenta vivorum, dum cauſſant primam gratiam, cauſſant per ſe: ergo non per accidens. Probatur antecedens. Cauſſant ex vi inſtitutionis ſuæ: ergo per ſe. VII. Euchariſtiæ Sacramentum eſt nutritivum animæ, & Confirmationis eſt augmentativum; ſed nutritio, & augmentatio ſupponunt vitam, non cauſſant: ergo &c. VIII. Cibus applicatus per Euchariſtiam vel applicatur vivo, vel mortuo: ſi mortuo, illi non prodeſt: ſi vivo: ergo ſupponit gratiam.

Reſpondemus ad I., falſam eſſe propoſitionem illam, quam arguens aſſumit: & ratio eſt, quia ſaltem in Infantibus nequit per dolorem deleri peccatum: ergo non eſt univerſaliter vera propoſitio illa, quæ aſſumitur in argumento.

Ad II., dicitur, quod non prærequiritur contritio, ſaltem perfecta, ad valorem Sacramentorum mortuorom in Adultis, ut probabitur, quando ſuo loco de Baptiſmo, & de Pœnitentia erit ſermo; ubi commune Scholaſticorum effatum, quod ſcilicet Sacramenta mortuorum faciant de attrito contritum, per hujuſmodi Autores negatum, expreſſius atque fuſius probabitur.

Ad III., dicitur, verum eſſe antecedens de forma oppoſita, quæ auferibilis eſt per gradus, & paulatim, ſeu eſt diviſibilis; tunc enim inductio cujuslibet gradus eſt conjuncta cum expulſione gradus oppoſiti correſpondentis: falſum vero eſt de forma oppoſita, quæ non niſi indiviſibiliter & totaliter auferibilis eſt; ita ut forma, quæ inducitur per quemlibet ſui gradom, omnes gradus, ſeu quaſi gradus, formæ contrariæ excludat: ſic eſt peccatum; adeoque &c.

Ad IV., diſtinguitur antecedens: ſi cætera ſint paria, conceditur; ſi diſparia, ut ſunt in caſu, negatur: in caſu enim gratiam primo inducere importat ſimul expulſionem formæ contrariæ; non ſic autem gratiam augere. Ulterius in Sacramentis vivorum virtus eſt primario inſtituta ad intendendam, non ad primo inducendam gratiam; in cauſis autem inſtrumentalibus virtus operatur ſolum ſecundum applicationem Agentis principalis, quanvis aliunde ad multa alia poſſit eſſe ſufficiens.

Ad V., dicitur, peccatum commiſſum, & nullatenus retractatum, eſſe obicem gratiæ reſpectu omnium Sacramentorum; retractatum imperfecte per ſupernaturalem attritionem eſſe obicem gratiæ reſpectu Sacramentorum, quæ dicuntur vivorum; retractatum perfecte per contritionem, & per dilectionem ſupernaturalem Dei ſupra omnia, nullatenus eſſe gratiæ obicem, immo eſſe ultimam diſpoſitionem pro gratia, etiam extra Sacramentum.

Ad VI. Negatur antecedens. Ad probationem diſtinguitur antecedens: Cauſſant ex vi inſtitutionis ſecundariæ, & quaſi concomitanter ſe habentis, conceditur; primariæ, & ſe habentis formaliter, negatur.

Ad VII., dicitur, quod Euchariſtia, & Confirmatio, comparantur nutritioni, & augmentationi naturali in ordine ad illud, quod habent per ſe primo cauſſare, non vero in ordine ad illud, quod cauſſant aliquando per accidens; in ordine vero ad hoc comparatur aliquando etiam generationi; ſicut videtur de pœnitentia, & de Baptiſmo, licet comparetur generationi in ordine ad id, quod habent per ſe cauſſare, in ordine autem ad illud, quod aliquando cauſſant per accidens, comparantur etiam nutritioni, augmentationi &c.

Ad VIII., dicitur, quod cibus applicatur homini ultimo diſpoſito ad vitam; ſic qui habet in ſe peccatum, quod eſt mors, ſed cum receſſu ab ipſo, licet non cum ſufficienti acceſſu ad Deum: unde in tali caſu cibus ille vivificaret perfecte hominem, qui alias jam inciperet reviviſcere.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, in qua quæritur, gratia ſacramentalis in quo conſiſtat, & quomodo a gratia habituali differat? Scire oportet, gratiam ſacramentalẽ aliquid aliud ſupra gratiam habitualem addere, immo etiam ſupra

ſupra virtutes, & dona Spiritus Sancti, quæ ad ipſam gratiam habitualem conſequuntur. Et ratio eſt, quia, qui extra Sacramentum juſtificatur, habet quidem gratiam habitualem, habet virtutes, habet dona Spiritus Sancti, non tamen gratiam ſacramentalem habet: ergo gratia ſacramentalis aliquid aliud ſupra gratiam habitualem addit. Ulterius, quia omnia Sacramenta gratiam habitualem producunt, ſequeretur, quod in omnibus Sacramentis eadem eſſet gratia, & ſic fruſtra tot Sacramenta inter ſe ſpecie diverſa multiplicarentur. Nec poſſet dici, quod multiplicarentur Sacramenta propter gratiæ augmentum; ad hoc enim idem Sacramentum ſæpius repetitum ſufficere poſſet. Et in hoc omnes Theologi conveniunt: diſconveniunt tamen in explicando, in quo conſiſtat ſuperadditum illud, quod a gratia ſacramentali importatur.

Primo, S. Bonaventura, Richardus, Gabriel, volunt, gratiam ſacramentalem ſupra gratiam gratum facientem non addere, niſi reſpectu ad Sacramentum, tanquam ad cauſſam: unde in hoc duntaxat has duas gratias differre faciunt, quod gratia habitualis non ſacramentalis a ſolo Deo cauſſetur, habitualis vero & ſacramentalis cauſſetur a Deo, & a Sacramento. At hæc opinio impugnationibus modo factis refellitur: etenim revera, ſi ſacramentalis gratia non dicit ſupra habitualem niſi reſpectum, in ſubſtantia eadem eſſet cum habituali, adeoque fruſtra, ut dictum eſt, tot Sacramenta multiplicarentur; atque etiam non minus effectus eſſet extremæ Unctionis tollere peccatorum reliquias, quam Confirmationis; non minus præſtare robur ad fidem effectus eſſet Confirmationis, quam Baptiſmi; & ſic de cæteris.

Secundo, Paludanus, & Capreolus volunt, gratiam ſacramentalem eſſe habitum realiter diſtinctum a gratia ſanctificante, qui quidem habitus in Baptiſmo vocatur regenerativus, in Confirmatione roborativus, in Euchariſtia nutritivus, & ſic de aliis; ſed contra: quia gratia ſacramentalis habet reddere hominem Deo gratum, vel magis gratum; ſed ſi eſſet habitus a gratia ſanctificante diſtinctus, hunc effectum non præſtaret, quia talis effectus eſt proprius gratiæ ſanctificantis, quæ nequit ſpecie multiplicari: ergo &c.

Tertio, Joannes a S. Thoma, Serra, Cabrera, aliique volunt, gratiam ſacramentalem eſſe modum quendam, ſeu perfectionem aliquam intrinſecam modaliter ab ipſa gratia habituali diſtinctam: ſed contra; quia talis modus eſt ſuperfluus, quum ad eliciendas actiones ſacramentales cuilibet Sacramento proprias ſufficiat gratia habitualis cum donis & virtutibus ipſam conſequentibus, & cum ſpecialibus auxiliis ad operandum requiſitis.

Dicimus II. Gratiam ſacramentalem addere ſupra gratiam habitualem jus quoddam ad auxilia ſpecialia neceſſaria ad exercendas actiones ſacramentales.

I. probatur. Quodlibet Sacramentum producit gratiam, quæ ſit conveniens fini, ad quem ordinatur; ſed unumquodque Sacramentum ordinatur ad finem ſpecialem per auxilia ſpecialia conſequendum: ergo quodlibet Sacramentum debet producere gratiam, quæ conferat hujuſmodi ſpecialis finis conſequutioni: atqui hæc non poteſt eſſe niſi jus, quod diximus, ad auxilia ſpecialia neceſſaria ad exercendas actiones ſacramentales: ergo in hoc gratia ſacramentalis conſiſtit. Minor principalis argumenti probatur. Baptiſmus dat jus ad auxilia, quibus baptizatus exequi poſſit officia hominis chriſtiani: Confirmatio, ut, data occaſione, fidem coram Tyrannis confiteatur: Euchariſtia, ut in Chriſto maneat: Pœnitentia, ut peccata fugiat, & Deo ſatisfaciat: extrema Unctio, ut morbi incommoda tolleret patienter: Ordo, ut ſacras functiones ſancte peragat: Matrimonium, ut concupiſcentia temperetur, ut mutua fides ſervetur, ut Conjuges invicem ſupportentur, ut proles pie educatur: ergo &c. Major etiam prioris argumenti eſt doctrina Bernardi in Serm. de cœna Domini: *diviſiones gratiarum diverſis ſunt traditæ Sacramentis.*

II. probatur. Si gratia ſacramentalis non conſiſteret in jure ad auxilium, prout a nobis eſt explicatum, ideo eſſet, quia potius conſiſteret in auxilio ipſo: ſed in auxilio ipſo non conſiſtit: ergo conſiſtit in jure dicto. Probatur minor. Gratia ſacramentalis confertur in ſu-

ſceptione Sacramenti; ſed auxilium, ut pote quid transiens, non datur niſi quando ſacramentalis actio exercenda eſt: ergo ſacramentalis gratia non importat auxilium in actu ſecundo, ſed in actu primo, ideſt jus ad auxilium, quod quidem jus quid morale eſt.

III. probatur. Jus, quod dicimus ad explicata auxilia, non habet gratia habitualis ſi nude & in ſe ipſa ſpectetur: ergo in alio conſiſtit, quod ſit præter gratiam habitualem; ſed hoc aliud non poteſt eſſe niſi gratia ſacramentalis: ergo gratia ſacramentalis & eſt quid aliud præter gratiam habitualem, & in prædicto jure conſiſtit. Probatur minor; quia ſi jus illud haberet gratia habitualis nude & ſecundum ſe ſpectata, haberet etiam extra Sacramenta; ſeu extra Sacramenta non habet: ergo abſolute gratia habitualis jus illud non importat, ſed importat poti is gratia ſacramentalis, quæ gratia habitu li ſupperadditur.

Opponunt I. Homo poteſt ſemper uti gratia ſacramentali, non ſemper autem utitur auxiliis illis act. alibus: ergo ſignum eſt, quod gratia ſacramentalis non conſiſtit in auxiliis illis. Probatur antecedens quoad primam partem. Qui gratiam ſacramentalem habet, poteſt ipſa ad libitum ſuum uti, ſicuti gratia habituali utitur. Probatur etiam quoad ſecundam partem. Auxilia illa, quum ſint tranſeuntia, non poſſunt remanere ſemper in homine; hoc namque contra ipſorũ naturam eſſet. II. Gratia ſacramentalis unius Sacramenti magis eſt proportionata gratiæ habituali, quæ per idem Sacramentum confertur, quam gratiæ habituali, quæ confertur per aliud Sacramentum; ſed talis proportio major ſalvari nequit, niſi dicatur, gratiam ſacramentalem habere intrinſecam perfectionem in uno Sacramento, quam in alio non habet: ergo gratia ſacramentalis intrinſecam perfectionem gratiæ habituali ſuperaddit. III. Ex S. Thoma q. 62. art. 2. in corp.: illud addit gratia ſacramentalis gratiæ habituali, quod addunt virtutes, & dona ſupra eandem gratiam habitualem; ſed virtutes & dona addunt quid phyſicum ſupra gratiam communiter dictam: ergo &c. IV. Ex eodem S. Doctore citato loco ad 3., ratio ſacramentalis gratiæ ſe habet ad gratiam communiter dictam, ſicut ratio ſpeciei ad genus; ſed ſpecies addit quid intrinſecũ generi: ergo &c. V. Quodlibet morale oritur ex aliquo phyſico: ergo ſi gratia ſacramentalis conſiſtit in aliquo morali novo, debet ſupponere aliquid phyſicum novum; atqui hoc novum phyſicum non ſupponit: ergo &c. VI. Diverſæ gratiæ ſacramentales important diverſa jura moralia; atqui eadem gratia ſanctificans nequit diverſa jura moralia fundare: ergo gratia ſacramentalis non conſiſtit in jure prædicto. VII. gratia communiter dicta ſicut ſecum fert habitus neceſſarios ad omnes actus ſalutares, ita ſecum fert exigentiam & jus ad divina auxilia pro talibus actibus requiſita: ergo ſicut gratia ſacramentalis non addit ullum habitum ad actus ſalutares ſupra gratiam communiter dictam, ita nec addit ullum ſpeciale jus ad divina auxilia.

Reſpondemus ad I., quod gratia ſacramentalis non conſiſtit præciſe in auxiliis, ſed in jure ad auxilia; quod quidem jus eſt quid permanens; unde quamvis auxilia ſint tranſeuntia, & proinde in illis non poſſit conſiſtere gratia ſacramentalis, poteſt tamen conſiſtere in jure ad illa, quod non eſt quid tranſiens, ſed permanens.

Ad II., dicitur, quod major proportio provenit ex ſpeciali jure, quod habet gratia habitualis in uno Sacramento ad actus ſibi proprios, abſque eo quod intrinſeca perfectio ſuperaddita requiratur.

Ad III., dicitur, quod comparatio S. Thomæ ſtat in hoc, quod addatur aliquod permanens per gratiam ſacramentalem, ſicut additur per virtutes & dona; præſcindit autem, an hoc permanens ſit phyſicum, an ſit vero morale.

Ad IV., pariter reſpondetur, quod per illa verba vult S. Thomas, quod gratia ſacramentalis addat aliquid ſupra gratiam, vel communiter dictam, vel habitualem, prout diverſimode eam explicant Thomiſtæ. Hoc autem aliquid non eſt neceſſe, ut ſit quid phyſicum, quum ſufficiat, ſi ſit quid morale.

Ad V., diſtinguitur propoſitio illa, ſcilicet, quod novum morale oriatur ex novo phyſico; ex novo phyſico exiſtente

ſtente iu eodem ſubjecto temper, negatur; exiſtente quandoque in altero ſubjecto, conceditur. In caſu, jus morale ſupponit aliquod phyſicum, non quidem intrinſecum gratiæ habituali, ſed extrinſecum, & eſt divina inſtitutio, ex qua provenit jus morale gratiæ ſacramentalis proprium.

Ad VI., diſtinguitur minor; eadem gratia ſanctificans nequit diverſa jura moralia fundare, ſecundum ſe præciſe, & ſecundum ſuas intrinſecas perfectiones, conceditur; prout ſubeſt diverſæ inſtitutioni divinæ, & diverſæ denominationi extrinſecæ, negatur minor, & conſequentia.

Ad VII., conceditur antecedens, & negatur conſequentia. Diſparitas eſt, quia ad eligendos aliquos actus peculiares, frequentius, facilius, infallibilius, & quocunque ſpeciali modo Sacramentorum proprio, ſufficiunt communes habitus, non vero communia auxilia, nec per conſequens jus ad ipſa. Et ratio eſt, quia, quæ ſunt actui ſecundo proximiora, & ad ipſum magis deducentia, debent eſſe pariter determinatiora.

Pro tertia demum Diſſertationis parte, Scholaſtici omnes peripatetici conveniunt, quod gratia habitualis ſit qualitas habitualis, ſeu per modum habitus, cujus eſſe ſit tantum ineſſe, ſcilicet inhærere ſubjecto, in quo eſt: ac proinde ſit accidens ariſtotelicum, prout in ipſorum hypotheſi explicatur: an vero ſit aliquid aliud diverſum ab accidentibus illis, prout explicant Theologi illi, qui de ſchola peripatetica non ſunt; hoc quidem eſt, quod in hac parte videndũ ſupereſt. Et quidem ad hoc explicandum ac determinandum præmittimus, non eſſe rem hanc talem, quæ dici poſſit ad fidem pertinere, ſed tantum diſputationi Theologorum eſſe concreditam. Quod ſane diffuſe, ſubtiliter, & ſapienter explicat variis in locis Melchior Canus; & præcipue de locis theologicis. lib. 7. cap. 2. circa finem; ubi hæc ſcribit. „ In ſecundo „ genere ea ſunt, quæ neque a Chriſto, „ neque ab Apoſtolis accepimus, neque „ ex iis certe colliguntur, quæ Chriſti „ & Apoſtolorum authoritate retinemus. Ut e.g. an gratia, qua juſtificamur, „ qualitas quædam ſit animo impreſſa, „ quæ ipſi præſtet & eſſe, & vivere, „ unde qualitates aliæ conſequantur; „ hoc eſt virtutes quædam tum theologicę tum morales, infuſæ, per quas animus divinas & ſupernaturales habeat „ actiones, inter Scholaſticos quidem „ diſputatur. Item, an Sacramenta, „ quæ cauſſa gratiæ & virtutum eſſe dicuntur, hujuſmodi effecta vi quadam „ & qualitate inexiſtente divinitus indita efficiant, nec ne, magna multorum diſſenſione certari ſolet. Hujus „ generis vero quæſtiones in poſteriorum ego numerum redigo; neque ſacrarum literarum teſtimonia de his „ qualitatibus intelligenda eſſe exiſtimo: neque controverſiam Catholicorum cum Pelagianis de Gratia ad „ credendum, ad operandum, ad amandum, ad implendam legem, ad perſeverandum &c. de qualitatibus potiſſimum eſſe, ſed de Dei auxilio gratuito & ſpeciali. „ Idem Canus de Sacramentis p. 4. hæc ſcribit: „ Quinta Concluſio: Sacramentum novæ „ legis non attingit vi ſua inſtrumentali & ſupernaturali qualitatem, quæ „ eſt gratia, vel fidem, aut charitatem, aut alios habitus infuſos, ut ſerra attingit figuram rei artificioſæ „ actione reali. Volo dicere, quod „ eſt imaginandus hic modus agendi, „ qui intervenit in cauſſis naturalibus, „ quo pacto, ſcilicet, aqua infrigidat „ per frigus inexiſtens, lavat per humorem innatum, acuta etiam dolabra per aciem dividit lignum. Profitemur primum, quia, ridiculum eſt, „ Concilium velle definire, aut etiam „ Sanctos id aſſerere, quod Sacramenta attingant ſua actione illam qualitatem. Si enim circumciſio, & reliqua „ Sacramenta vetera, non efficiebant „ quidem gratiam, ſed Deus dabat eandem illis in illis tamen non concurrentibus; non admodum refert, quod „ hæc nova realis actio ſit ſuperaddita „ novis Sacramentis. Et cum ad ſalutem noſtrã nihil omnino ſpectet, quod „ Sacramenta contactu reali ſuæ virtutis qualitates ſupernaturales efficiant, „ certe ſupervacaneum eſt, iſtam vim „ agendi in Sacramentis admittere. Eo„ que magis, quod, gratiam eſſe qualitatem, non eſt in Eccleſia certum; „ quare nec Fides, nec Concilium docet, eo modo Sacramenta gratiam „ efficere.

Præter Cani, celeberrimi inter Theologos, teſtimoniũ, proferimus aliud Petri de

DISSERTATIO CCCXX.

De principaliori Sacramentorum effectu, qui eſt Gratia. Utrum æqualis gratia omnibus Sacramenta ſuſcipientibus conferatur? An detur Sacramentum validum & informe? An admittenda ſit Sacramentorum reviviſcentia?; & an omnibus Sacramentis ſit commune, recedente fictione, conferre gratiam?

PRO prima Diſſertationis parte præmittere oportet, quod Sacramenta novæ legis vel ſunt diverſæ ſpeciei, vel ſpeciei ejuſdem; ſi ſunt diverſæ ſpeciei, poſſunt cauſſare inæqualem gratiam; ſi vero ſunt ejuſdem ſpeciei, & diſpoſitio in ſuſcipientibus eſt eadem, poſſunt cauſſare gratiam æqualem; ſi autem diſpoſitio non eſt eadem cauſſant inæqualem.

Præmittimus quoque, quod fere omnium Theologorum communis eſt ſententia, Sacramenta novæ legis diverſæ ſpeciei inæqualem conferre gratiam, & majorem conferre illa, quæ ſunt excellentiora, & initerabilia. Si vero ſunt ejuſdem ſpeciei, & diſpoſitio ſit inæqualis, etiam eſt fere communis omnium Theologorum ſenſus, quod inæqualem cauſſent gratiam, ſive diſpoſitio ſit actualis, ſive virtualis; & hoc eſt contra Alenſem, & paucos alios, quos, tacito nomine, refert Suarez. Si tandem diſpoſitio ſit æqualis aut negative, aut poſitive, æqualem quoque conferre gratiam; & hæc pariter eſt fere communis opinio, contra Paludanum, Mayronem, Gabrielem, qui gratiæ exceſſum non tribuunt tantum virtuti Sacramenti, ſed ſpeciali benevolentiæ Dei, aut impetrationi miniſtri. Solent etiam cum prædictis citari Scotus, & Cajetanus. At hi vere non aliud docent, quam quod orationes baptizantis, vel adſtantium baptiſmo, poſſint prodeſſe parvulo, qui baptizatur ad aliquod gratiæ augmentum.

Dicimus I., Sacramenta novæ legis diverſæ ſpeciei cauſſare inæqualem gratiam, & majorem conferre illa, quæ ſunt excellentiora, & initerabilia: Sacramenta ejuſdem ſpeciei, & ſumpta cum æquali diſpoſitione, aut negative, aut poſitive, æqualem gratiam conferre: Sacramenta tandem ejuſdem ſpeciei, & ſumpta cum inæquali diſpoſitione, ſive actualis, ſive virtualis, ſit diſpoſitio, cauſſare gratiam inæqualem.

Prima Concluſionis pars probatur. Sacramenta ſpecie diverſa ſunt inæqualis perfectionis: ergo debent inæqualem cauſſare gratiam. Antecedens eſt certum; quia, ſi Sacramenta ſpecie differunt, non poſſunt eſſe ejuſdem perfectionis, quum non dentur ſpecies inter ſe æquales. Conſequentia probatur, quia perfectio Sacramentorum maxime attenditur per habitudinem ad gratiam, quam cauſſant. Sacramentum autem perfectius, ſeu excellentius, eſt Euchariſtia: poſt ipſum ſunt Sacramenta, quæ ſunt initerabilia, quæ profecto debent eſſe excellentiora cæteris, quia, quum unica tantum vice poſſint ſuſcipi, nimis ab aliis excederentur, ſi in ſua unica ſuſceptione non plus gratiæ conferrent, quam iſta ſingulis. Poſt Euchariſtiam ergo eſt Baptiſmus, Ordo, & Confirmatio, quæ initerabilia ſunt. Quoad autem alia Sacramenta non eſt certum diſcurrere, ſed eſt potius divinare.

Secunda Concluſionis pars probatur, quia gratia per Sacramenta cauſſanda, ſi non menſuratur diſpoſitioni ſubjecti, menſuratur voluntati Dei; atqui in caſu diſpoſitio ſubjecti eſt eadem, ſeu æqualis, ut ſupponitur, & voluntas Dei eſt etiam æqualis: ergo eſt etiam æqualis gratia. Major patet, quia Sacramenta ſe habent ut agentia

natu-

naturalia; agens autem naturale ad majorem, vel minorem effectum determinatur, vel ex ratione diſpoſitionis materiæ, vel ex ratione conditionis propriæ formæ, ſi ſit agens naturale, vel ex ratione voluntatis & promiſſionis agentis principalis, ſi ſit inſtrumentum. Sacramenta autem ſunt inſtrumenta; adeoque &c. Minor prioris argumenti quoad ſecundam partem probatur, quia quoad primam ſupponitur. Voluntas Dei de gratia conferenda per Sacramentum involvitur in ipſa Sacramenti inſtitutione; ſicut ergo reſpectu cujuslibet Sacramenti in ſpecie inſtitutio eſt unica, ita eſt unica voluntas conferendi gratiam per ipſum.

Tertia Concluſionis pars probatur ex Tridentino ſeſs.6.cap.7., ubi loquens Concilium de juſtificatione, tum universim, tum de ea, quæ per Baptiſmum habetur, ſtatuit, juſtitiam, ſeu gratiam nobis dari *ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*. Dicere poſſunt Adverſarii, quod in verbis Concilii duæ ſunt partes, una, quæ reſpicit voluntatem Dei, & per hanc attendi gratiam, quæ datur in juſtificatione habita per Baptiſmum, altera, quæ reſpicit diſpoſitionem ſuſcipientis, & per hanc attendi gratiam, quæ datur in juſtificatione habita extra Sacramentum. Nos non diffitemur poſſe hanc interpretationem adhiberi ab Adverſariis, quia alias noſtra aſſertio de fide eſſet, & Adverſariorum opinio eſſet hæretica, quod non dicimus, ſed dicimus tamen, interpretationem noſtram, quia magis Patribus adhæret, magis etiam eſſe amplectendam. Adhæret quidem Patribus, quia Damaſcenus lib.4.cap.20. docet: *quamvis peccatorum remiſſio omnibus æque per Baptiſmum detur, ſpiritus tamen gratia pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur*. Accedit etiam rationibus, quia ſicut in naturalibus ſubjectum magis diſpoſitum magis recipit de effectu agentis, ita etiam in ſupernaturalibus; & hæc eſt ratio S.Thomæ q.69.art.8.in Corp.Ulterius, gratia, quæ cauſſat extra Sacramentum, ſequitur menſuram diſpoſitionum: ergo etiam dum eam cauſſat mediis Sacramentis, & per alias etiam congruentias, quæ apud Auctores videri poterunt.

Objiciunt I. Remiſſio peccatorum maxime gratiam exigit: ergo illa Sacramenta maxime & majorem, quam reliqua, gratiam cauſſant, quæ ad peccatorum remiſſionem ſunt inſtituta; ſed talia ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia: ergo majorem hæc Sacramenta cauſſant, quam Euchariſtia. II. Si multi decederent cum æquali diſpoſitione, decederent etiam cum æquali gratia: ergo obtinerent æqualem gloriam; hoc autem non eſt dicendum, & probatur, quia homines in Paradiſo debent implere locos Angelorum; Angeli autem erant omnes inæquales in gloria, ſicut erant inæquales in natura. III. Congruentiæ a nobis adductæ pro prima Concluſionis parte infirmari poſſunt congruentiis contrariis: ergo nihil probant. IV. Gratia, quæ eſt effectus alicujus Sacramenti, tota datur *ex opere operato*; ſed ſi daretur major ſecundum majorem diſpoſitionem, ſecundum aliquam ſui partem daretur ex opere operantis: quod probatur ſimul & explicatur. Accedant duo ad Baptiſmum, unus magis, alius minus diſpoſitus, ille accipiet gratiam ut ſex, iſte ut quatuor: quærimus: duo gradus gratiæ, qui excedunt, vel cauſſantur ex diſpoſitione & virtute ſubjecti, vel ex virtute & efficacia Sacramenti: ſi primum: ergo ex opere operantis: ſi ſecundum: ergo major & efficacior virtus eſſet in uno Baptiſmo, quam in alio: ergo unus Baptiſmus in ratione Sacramenti eſſet alio perfectior. V. Sacramenta ſicuti habent minimum, ita debent habere maximum *quod ſic* gratiæ, quam cauſſant; non haberent, ſi cauſſarent gratiam ſecundum majorem diſpoſitionem, quia quum hæc diſpoſitio poſſit eſſe ſemper major & major in infinitum, gratia etiam eſſet ſemper major & major in infinitum. VI. Major indiſpoſitio non eſt ratio, cur Sacramenta cauſſent minorem gratiam: ergo major diſpoſitio non erit ratio cur Sacramenta cauſſent majorem gratiam. Probatur antecedens. Si quis cum gravioribus peccatis ad Sacramentum Pœnitentiæ accedat, non per hoc minorem gratiam reportabit.

Reſpondemus ad I., remiſſionem peccatorum exigere quidem maxime gratiam,

tiam, non vero exigere maximam gratiam. Primum dictum eſt verum, quia non niſi per gratiam haberi poteſt peccatorum remiſſio; ſecundum etiam eſt verum, quia per gratiam quoque tenuiſſimam eadem remiſſio haberi poteſt. Ulterius, in Euchariſtia eſt præſervatio a peccatis, quæ eſt quid plus, quam peccatorum remiſſio.

Ad II. Argumentum ſupponit, Angelos differre ſpecie tantum, quod in noſtris principiis eſt falſum, ut ſuo loco probavimus. Verum, data ſuppoſitione, dicimus, quod non per hoc, quod homines debeant ſupplere locos Angelorum, illos debent eodem modo ſupplere.

Ad III. Congruentiæ, quas adducunt Adverſarii, ſunt ædem, quas in ſuis objectionibus proponunt, & quam illæ ſint infirmæ, in reſponſionibus noſtris Legentes invenient.

Ad IV., dicitur, quod tota gratia in Sacramentis datur ex opere operato. Negatur autem minor, & ad probationem dicitur, quod illi duo gradus cauſſantur ex virtute & efficacia Baptiſmi. Ad illud autem, quod infertur: ergo eſſet major & efficacior virtus in uno Baptiſmo, quam in alio; diſtinguitur conſequens: quoad exercitium & actum ſecundum, conceditur; quoad actum primum, negatur. Virtus autem & efficacia abſolute attendi debet per actum primum: quoad actum primum Baptiſmus, qui contulit minus diſpoſito quatuor gradus gratiæ, poterat conferre ſex, & contuliſſet, ſi inveniſſet ſubjectum æque diſpoſitum, ac ille alius Baptiſmus invenit.

Ad V. Negatur major; & ratio eſt, quia non habent quid maximum, ut conſtat ex Rationibus, & auctoritatibus adductis.

Ad VI., dicitur, quod indiſpoſitio non ſuſcipit magis & minus, ſed conſiſtit in indiviſibili, & quoties vere datur, totum Sacramenti effectum, & totam gratiam impedit; ſicque non valet argumentum a minori, vel majori indiſpoſitione, quæ implicat in adjecto ad majorem, vel minorem diſpoſitionem, quæ non repugnat. Exemplum, quod affertur, non eſt ad rem, quia ille talis vel accedit attritus, vel non: ſi primum; nullo modo eſt indiſpoſitus; eſto habeat graviſſima & plurima peccata: ſi ſecundum; eſt indiſpoſitus totaliter ad totam gratiam recipiendam & ad minimum gratiæ, ſive plura, ſive pauciora, ſive magis, ſive minus gravia peccata habeat.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, antequam ipſam definiamus, aliqua prænotare oportet: & quidem primo, quod datur in Sacramentis obex, & ille eſt, qui aut impedit Sacramenti valorem, aut impedit Sacramenti effectum. Hinc eſt, quod obex, de quo loqimur, dupliciter conſiderari valet; primo, quatenus eſt impeditivus non ſolum effectus, ſed etiam ſubſtantiæ Sacramenti, & talis obex facit, ut Sacramenta nunquam gratiam cauſſent, nec in ipſa ſuſceptione, nec poſtea, etiamſi obex tollatur: ſecundo; quatenus eſt impeditivus tantum effectus Sacramenti, non vero ſubſtantiæ, ſeu valoris, adeoque facit, ut Sacramenta gratiam non cauſſent in ipſa ſuſceptione, in qua ipſe invenitur; poſt ſuſceptionem vero, quum ipſe tollitur, cauſſent. Primus obex provenire poteſt cum ex parte miniſtri, tum ex parte ſuſcipientis: ſecundus ex parte ſuſcipientis tantum. Ex parte miniſtri quidem, quum ipſius deficit neceſſaria intentio, vel aliquid aliud ex parte ipſius ad Sacramenti valorem eſſentialiter requiſitum. Ex parte ſuſcipientis ulterius primus obex poteſt eſſe vel carentia cujuſcunque intentionis in Adultis, vel exiſtentia extra ſtatum viæ, vel reſpectu aliorum Sacramentorum a Baptiſmo, previi characteris Baptiſmi deficentia, vel alia plura pro diverſis Sacramentis diverſa: ſecundus vero obex ex parte ſuſcipientis eſt omne & ſolum peccatum lethale, ſive actuale, ſive habituale, nullatenus retractatum: quod quidem verificari non poteſt de primo obice, qui ſcilicet Sacramentorum valorem impedit, non per ly *ſolum*, quia alii ſunt obices, ut viſum eſt; nec per ly *omne*, quia peccatum originale in parvulis, a quibus non eſt retractatum, Baptiſmi valorem non impedit: etiam in Adultis, in quibus eſt ſolum peccatum originale, docent Joannes a S. Thoma, aliique Theologi paſſim, quod non requiratur ejuſdem originalis retractatio, quum non ſit peccatũ propria voluntate inductum, adeoque non propria voluntate delendum, ſed ſufficiat tantum intentio

ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipiendi Baptiſmum cum actibus fidei, & ſpei. Verificatur autem de ſecundo obice, quod ſit omne & ſolum peccatum mortale, ſive actuale, ſive habituale, nullatenus retractatum, quia ſolum peccatum non retractatum gratiæ opponitur, quæ eſt principalis Sacramentorum effectus. Ulterius advertí debet, quod datur obex poſitivus, & obex negativus: obex poſitivus eſt peccatum actuale, quod ſcilicet in ipſa Sacramenti ſuſceptione committitur, & hanc peccaminoſam reddit; obex negativus eſt pecatum habituale, quod ſcilicet antecedenter commiſſum ſupponitur, & Sacramenti ſuſceptionem peccaminoſam non reddit. Etiam peccatum habituale debet eſſe invincibiliter oblitum, quia ſi actu ſit in memoria, & in conſcentia illius, qui Sacramentum ſuſcipit, & ab ipſo non retractatur, ſtatim ac cum peccato actuali conjungitur, reddit ſuſceptionem peccaminoſam, & fit obex poſitivus. Unde habet poſitivum gratiæ ſacramentalis obicem, qui culpabiliter habet negativũ, & qui culpabiliter accedit ad Sacramentum cum lethali nullatenus retractato. Talis obex ſive poſitivus, ſive negativus vocatur etiam fictio, & qui cum obice accedit, dicitur accedere cum fictione, vel fictus, quia exterius oſtendit velle Sacramenti effectum, quem interius non vult, quatenus interius apponit, aut non removet impedimentum, ut ex Auguſtino docet S. Thomas. Etiam propter hunc obicem, ſive poſitivum ſive negativum Sacramentum dicitur informe, hoc eſt formæ gratiæ non productivum, quum alias validum ſupponatur.

Secundo prænotamus, certum eſſe primo, Sacramenta ſaltem aliqua interdum eſſe valida, & gratiam in ſua ſuſceptione non conferre, & hoc quidem ratione obicis. Habetur ex Tridentino ſeſs. 7. can. 6., ubi dicitur: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre .... Anathema ſit*. Si ergo Sacramenta gratiam conferunt non ponentibus obicem, ſignum eſt dari aliquem obicem, ratione cujus non conferant. Et Can. 7. ubi dicitur; *Si quis dixerit non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus quantum eſt parte Dei, etiam ſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus; anathema ſit*. Si ergo datur gratia ſemper & omnibus quantum eſt ex parte Dei, non datur igitur per Sacramenta gratiam ſemper & omnibus abſolute, ſed ſolum quantum eſt ex virtute, quam illis Deus communicavit, & quaſi ſub conditione, quod non ponatur obex ex parte noſtra, ex parte ſcilicet ſubjecti ſuſcipientis. Secundo certum eſſe; hunc obicem eſſe peccatum non retractatum, quia hoc peccatum non opponitur valori aliquorum ſaltem Sacramentorum; opponitur tamen gratiæ, quia hoc eſt maximum & unicum gratiæ contrarium. Patet hoc primo in Confirmatione, ad quam, ſi quis accedat cum peccato mortali, fit Sacramentum, ſed gratiam non conſequitur: idem eſt ſecundo in Matrimonio; idem in extrema Unctione; idem in Ordine; idem in Baptiſmo, quando baptizatur Adultus habens peccatum mortale actuale, & ipſum non retractat; idem tandem in Euchariſtia, ex parte ſcilicet illius, qui ſuſcipit; quamvis in ipſo Bonaventura, Alenſis, Paludanus, Cajetanus, Durandus, & aliqui alii, velint, requiri etiam actualem devotionem, qua mentis abſtractiones, & peccata venialia actualia, excludantur. De quo, quum de Euchariſtia. Igitur in omnibus Sacramentis eſt certum, quod poſſit aliquando Sacramenti valor conſiſtere abſque ipſius effectu, adeoque quod poſſit quoad ipſa dari Sacramentum validum & informe. Solum de Pœnitentia eſt difficultas inter Scholaſticos, propter ſpecialem rationem, quæ in ipſo Sacramento Pœnitentiæ reperitur, de qua nunc. Caſus proponitur ſic. Titius habens duodecim peccata mortalia, ſed tantum undecim recordatur, duodecimi vero inculpabiliter oblitus, dolorem habet tantum de undecim, & cum hoc dolore confitetur, duodecimi nullum dolorem habens nec actualem, nec virtualem; certum eſt, quod Sacramenti fructum non conſequitur; quæritur autem an habeatur in tali caſu Sacramenti valor. Diviſi ſunt quoad hoc etiam Scholaſtici; Scotiſtæ enim negativam partem tuentur; Thomiſtæ affirmativam; Scotiſtis accedunt Vaſquez, Amicus, Coninch &c.;

Tho-

Thomiſtis, Suarez, Valenzia, Lugus &c.

Tertio Prænotamus, quod duo alii caſus ponuntur a quibuſdam, in quibus poſſibile volunt Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe; & ſunt, pront refert Gonetus, qui ſequuntur. Primus eſt: Titius fecit ſuam confeſſionem, ſed non integram, quia oblitus fuit aliquorum peccatorum; non fecit tamen diligens examen; ipſe tamen credidit, examen ſe factum fuiſſe ſufficiens, & hoc credit ex ignorantia invincibili, vel etiam vincibili, ſed non craſſa & affectata, qui quidem caſus differt ab alio propoſito, quia ibi ſuppoſuimus diligens examen feciſſe pœnitentem, quod tamen hic non fuit factum, ſed putatum factum ex invincibili ignorantia, quia ſi ignorantia eſſet craſſa, confeſſio abſque dubio apud omnes non foret formaliliter integra, & Sacramentum eſſet nullum. Secundus caſus eſt. Titius confitetur peccata ſua, & habet attritionem excludentem quidem formale propoſitum amplius peccandi, non tamen virtualem, ſeu implicitam quandam & ſecretam peccandi voluntatem, licet, quia mentitur iniquitas ſibi, pœnitens id non cognoſcat. Ledeſma, Candidus, Nugno, volunt, etiam in his duobus caſibus dari Sacramentum validum & informe: Joannes a S. Thoma in his duobus caſibus tantum vult dari poſſe, non vero in caſu a nobis ſupra propoſitu: alii vero docent, in his duobus dari, non dari autem in illo, quem expoſuimus ſupra; ſic Gonetus &c.

Dicimus II., in caſu, quem primo loco propoſuimus, dari poſſe Sacramentum validum & informe; in aliis vero duobus caſibus ſequentibus dari non poſſe.

Prima Concluſionis pars. I. probatur. Effectus eſt extra eſſentiam, & quidditates ſuæ cauſſæ: ergo poteſt cauſſa ab eo ſeparari, ſeu ipſo carere, ipſum quidem actualiter non cauſſando, ob aliquam ſubjecti indiſpoſitionem, quanvis ex ſe ſufficienter ſit cauſſativa ipſius; ſed Sacramentum eſſe validum eſt cauſſa gratiæ, & eſſe formatum eſt effectus: ergo poteſt ſtare valor abſque effectu, adeoque poteſt eſſe Sacramentum validum & informe.

II. Probatur in particulari pro primo caſu propoſito. In hoc caſu, de quo loquimur, habentur ex una parte omnia, quæ ſunt neceſſaria ad Sacramenti validitatem, & ex alia parte deficiunt omnia, quæ ſunt neceſſaria ad Sacramenti fructum conſequendum: ergo in caſu propoſito habetur Sacramentum validum & informe. Duas habet partes antecedens, in quibus tota difficultas conſiſtit, & probatur quoad primam partem, in qua cardo difficultatis hic eſt, an ſcilicet dolor in Confeſſione debeat eſſe omnium peccatorum, quæ peccator commiſit, an vero omnium, quorum peccator recordatur?: ſi primum; quando peccator dolorem habet de undecim, vel dolet etiam aliorum, quæ commiſit, & ſic duodecimi virtualiter dolet, eſto non formaliter, adeoque non tantum conſequitur valorem, ſed etiam effectum Sacramenti: ſi tantum dolorem habet de undecim, quorum recordatur, & nullo modo dolet de cæteris, quæ commiſit, dicunt Adverſarii, quod Confeſſio eſt invalida: e contra vero nos dicimus, quod dolor neceſſarius ad Sacramenti validitatem debet eſſe tantum de iis, quorum recordatur: & probatur ſic: de illis peccati dolere debet pœnitens, quæ peccata confiteri tenetur; ſed tenetur tantum confiteri peccata quorũ conſcientiam habet: ergo dolere tenetur de illis peccatis tantum, quorum conſcientiam habet. Minor eſt Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ubi habetur; *oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri*. Major oſtenditur. Si nullum peccatum confiteri tenetur, nullum dolorem elicere deberet: ergo de illis peccatis dolere tenetur, quæ tenetur confiteri. Ulterius, dolor eſt neceſſarius ad confeſſionem: ergo ad confeſſionem illorum peccatorum, quæ ſubjiciuntur Confeſſioni; quæ omnia terminos penetranti ſunt per quam obvia. Secunda vero pars illius antecedentis probatur ſic: nam pœnitens nullum dolorem habet peccati duodecimi, nec formalem, nec virtualem; juxta autem præſentis providentiæ leges peccatum mortale nullum remittitur, cujus dolorem nullum, vel formaliter, vel virtualiter, retractativum peccator habet; & ulterius, quando non remittitur actualiter peccatum aliquod mortale ex com-

commiſſis, nullum remittitur, quia remiſſio cuilibet inſeparabilis eſt à remiſſione omnium: ergo in prædicta hypotheſi nec duodecimum peccatum remittitur, nec reliqua undecim remittuntur, adeoque actualiter Sacramenti fructus propter doloris carentiam non percipitur. Quod de duodecimo peccato non doleat formaliter, patet, quia ſi illius eſt oblitus, non poteſt de illo formaliter dolere. Quod nec virtualiter doleat, patet etiam, quia ſupponimus dolere tantum de undecim ſola attritione ſupernaturali, & propter motiva particularia illorum undecim peccatorum; quæ proinde nullo modo ad duodecimum poſſint extendi, adeoque de ipſo nec virtualiter dolere.

Secunda Concluſionis pars probatur: vel enim pœnitens invincibiliter credit, ſe ſufficiens examen feciſſe, vel vincibiliter & culpabiliter credit: ſi primum; Confeſſio non ſolum erit valida, ſed etiam formata: ſi ſecundum; nec erit valida, nec formata; ergo in nullo modo Sacramentum erit validum & informe. Probatur primum dictum, quia tunc nullum ponit obicem remiſſioni peccatorum, adeoque peccatum inculpabiliter omiſſum remittitur indirecte, quum de eo ſupponimus, quod habeat dolorem virtualem, qui non fuit in caſu a nobis ſupra poſito; & hoc patet ex Tridentino ſeſs.14. cap.5., ubi habetur: *peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in univerſum, eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: ab occultis meis munda me Domine*. Probatur ſecundum dictum, quia tunc Confeſſio non erit integra formaliter; ad hoc enim ut ſit formaliter integra Confeſſio, oportet, ut omittens aliquod peccatum, illud ex rationabili cauſſa omittat; omittens autem culpabiliter, non ex rationabili cauſſa omittit; ſed integritas formalis per omnes eſt de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ: ergo ſi in illo caſu Confeſſio non erit integra formaliter, neque etiam erit valida.

Tertia Concluſionis pars probatur; quia attritio, quæ eſt pars eſſentialis Sacramenti, debet excludere omnem affectum peccati mortalis, ex Tridentino ſeſs.24. cap.4.: ergo, qui habet attritionem non excludentem omnem affectum ad peccatum mortale, ſed retinens quandam ſecretam & implicitam voluntatem peccandi, non habet attritionem neceſſariam ad valorem Sacramenti: ergo Sacramentum eſt nullum. Neque dicatur, quod inculpabiliter putaretur, attritionem excludere omnem voluntatem peccandi; nam contra eſt; quia, quum attritio ſit pars Sacramenti, eſt proinde neceſſaria neceſſitate medii ad valorem Sacramenti; quod autem eſt neceſſarium neceſſitate medii ad aliquid obtinendum, ſi illud omittatur ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter, non poteſt illud obtineri, ad quod neceſſarium eſt. Alia etiam reſpondet Joannes a S. Thoma, quæ Gouetus optime confutat. Tandem reſtat hic etiam, ut advertant Legentes, quæſtionem hanc de Sacramento valido & informi non eſſe pure ſpeculativam, ſed poſſe ad praxim reduci; quia ſi in caſibus omnibus propoſitis Sacramentum erit validum, non oportebit poſtea iterum confiteri peccata ad gratiam obtinendam, ſed ſufficiet tollere obicem per retractationem peccati obliti &c.: ſi vero non erit valida, oportebit abſque dubio iterum peccata confiteri. Cæterum ut ab his ambagibus pœnitentes immunes evadant, ad Confeſſarios pertinebit ipſos in Confeſſione monere, ut ſemper dolorem habeant univerſalem de peccatis omnibus, quæ per totam vitam commiſerunt, & propoſitum eliciant univerſale, omnem peccati voluntatem excludens.

Arguunt I. Propoſitum neceſſarium ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem debet eſſe univerſale, vitandi ſcilicet omnia peccata de cætero, ſive de futuro: ergo etiam dolor debet eſſe univerſalis, deteſtativus ſcilicet omnium mortalium de præterito. II. Ut Confeſſio ſit valida, propoſitum non peccandi extenditur ad omne mortale poſſibile; ſed eo ipſo propoſitum eſt ſaltem virtualiter dolor deſtativus omnium mortalium commiſſorum: & probatur; quia omnia commiſſa cenſentur eſſe inter poſſibilia. III. Dolor neceſſarius ad hujus Sacramenti valorem tendit efficaciter ad reconciliationem hominis cum Deo; ſed eo

ipſo

Digitized by Google

ipſo eſt virtualiter dolor, & odium omnium impedimentorum reconciliationis, atque adeo omnium mortalium commiſſorum: ergo &c. IV. In caſu propoſito eſſet dolor de undecim peccatis, prout illa ſunt offenſa Dei; ſed ratio offenſæ Dei reperitur etiam in duodecimo: ergo habetur ſaltem virtualis dolor duodecimi. V. Concilium Trident. ſeſs. 14. c. 4. docet; quod contritio eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo: ergo dolor debet eſſe de peccatis, quæ peccator commiſit, non vero quorum recordatur. VI. Eadem ſeſs. cap. 5. docet, intelligi incluſa in eadem Confeſſione peccata, quæ poſt ſufficiens examen non occurrunt memoriæ; ſed ut intelligantur incluſa in eadem Confeſſione eſt neceſſarius ſaltem virtualis illorum dolor: ergo &c. VII. Damnaretur pœnitens ille, ſi ſuſcepto Sacramento valido moreretur, antequam dolorem neceſſarium ad fructum percipiendum eliceret; ſed durum videtur, quod pœnitens poſtquam fecerit omnia, quæ ſibi ad obtinendam Dei gratiam neceſſaria videbantur damnaretur: ergo &c. VIII. Eſſentiale eſt Sacramentis cauſſare gratiam: ergo non poteſt dari Sacramentum, quod gratia non cauſſet.

Reſpondemus ad I., concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens: ergo dolor deteſtativus debet eſſe univerſalis, ſcilicet omnium mortalium de præterito, prout ſunt in conſcientia de præſenti cum obligatione confitendi illa, conceditur, prout ſunt in ſe, & extra conſcientiam de præſenti, aut ſine obligatione confitendi illa, negatur. Tridentinum, cui conſonat Decretum Florentini Concilii, diverſo modo docet in Sacramento requiri dolorem, ac propoſitum: propoſitum volunt univerſale non peccãdi de cætero, ac proinde propoſitum debet extendi ad omne mortale poſſibile committi, dolorem vero volunt ac deteſtationem de peccato jam commiſſo. Dolor autem de peccato commiſſo non eſt ex ſuo conceptu dolor de omni poſſibili peccato, quia non omne poſſibile peccatum commiſſum eſt. Hinc non mirum, quod Concilia petant propoſitum extẽſius, & minus extenſum dolorem; & ſic non currit paritas a propoſito ad dolorem.

Ad II. Tranſeat major, & diſtinguitur minor; virtualitate conſiſtente in dolore formali, & odio peccati, negatur; virtualitate conſiſtente in alio actu, qui non ſit dolor formalis, & odium peccati, conceditur. Dupliciter poteſt concipi propoſitum non peccandi; primo, per formale odium elicitum propter malitiam, & commiſſionem peccati, aut meritum gehennæ repertum in peccati mortalis conceptu: ſecundo, per purum amorem carentiæ peccati, & obſervantiæ divinæ legis. Propoſitum primo modo ſumptum ſufficit & ad valorem Sacramenti, & ad fructum, ſed ad noſtram hypotheſim non pertinet. Secundo modo acceptum ſufficit ad valorem, ſed non ad fructum actualiter percipiendum, & ratio eſt, quia dolor inſufficiens ad valorem Sacramenti eſt inſufficiens ad fructum; ſed dolor virtualis conſiſtens in actu puri amoris eſt inſufficiens ad valorem hujus Sacramenti, quia requiritur dolor formalis, qui ſcilicet formaliter dicat odium peccatorum, ut conſtat ex Conciliis, & Scripturis: ergo &c. Unde dolor vel eſt formalis, vel virtualis; formalis includit odium, ut dictum eſt; virtualis conſiſtit in dilectione Dei ſuper omnia: poſtea formalis dolor poteſt eſſe retractativus peccati, vel formaliter, vel virtualiter, ut dictum eſt; unde advertenda eſt æquivocatio in dolore virtuali, quatenus dupliciter ſumi valet, ut vidimus.

Ad III. Diſtinguitur major; dolor neceſſarius ad Sacramenti pœnitentiæ valorem tendit efficaciter ad reconciliationem hominis cum Deo, ad reconciliationem radicalem, conceditur; ad reconciliationem actualem, negatur. Eodem pacto diſtinguitur minor; eſt virtualiter dolor omnium impedimentorum reconciliationis radicalis, conceditur; reconciliationis actualis, negatur.

Ad IV. Diſtinguitur major. Eſſet dolor de undecim peccatis, prout illa ſunt offenſa Dei, ſcilicet ſi offenſa Dei conſideretur contracta ad illas ſpecies peccatorum, quæ confitetur pœnitens, conceditur; ſi offenſa Dei ſumatur prout abſtracta a peccatis il-

lis, & ab aliis, negatur. Diſtinctio ex ſe ipſa patet, abſque eo quod a nobis ulterius explicetur.

Ad V. Diſtinguitur antecedens: de peccato commiſſo prout in ſe, negatur, prout eſt in conſcientia cum obligatione illud confitendi, conceditur. Ulterius ly *commiſſo* ponitur ad excluſionem illorum peccatorum, quæ pœnitens non commiſit; adeoque de illis dolere non tenetur, non vero ad incluſionem illorum, quæ commiſit, & quorum non recordatur; hæc enim ſe habent, quantum ad Sacramenti valorem, ac ſi non commiſiſſet.

Ad VI. Diſtinguitur major: intelliguntur incluſa peccata, quæ non occurrunt memoriæ, & ad quæ ſe extendit dolor ſaltem virtualis, conceditur; ad quæ non ſe extendit, negatur. Docet enim Concilium, quod peccata illa intelligantur incluſa, pro quibus cum Propheta dicimus; *ab occultis meis munda me Domine*.

Ad VII., dicitur, quod non minus durum eſt, quod Adverſarii dicunt, quando aſſerunt, dolorem, quem nos dicimus valere ad valorem tantum Sacramenti, nec ad fructum, nec ad valorem ſufficere; et tamen pœnitens ille damnabitur, etiam poſtquam fecerit omnia, quæ ſibi ſufficientia videbantur ad ſalutem obtinendam. Ulterius, ſimilis caſus eſt de eo, qui ſuſcipit Baptiſmum validum & informe, & poſtea moritur, qui caſus ponitur ab omnibus poſſibilis. Dicimus ergo, in tali caſu, vel evenire damnationem juſtam, quia non eſt factum quicquid fieri poteſt, adjuvante Deo, ad obtinendum ſalutem, vel quod Deus aliquando miſericorditer inſpirabit dolorem, qui prioris defectus ſit ſuppletivus.

Ad VIII., dicitur, quod Sacramentum in tali caſu non eſſet cauſſans gratiam; eſſet tamen cauſſativum gratiæ; non cauſſaret in actu ſecundo, ſed cauſſaret in actu primo, quod ad rationem Sacramenti ſufficeret.

Pro tertia Diſſertationis parte, quæ reſpicit Sacramentorum reviviſcentiam, prout eam Theologi de Schola appellant; ſcire oportet, quod Sacramentorum reviviſcentia in eo conſiſtit; ut qui ſuſcipit Sacramentum validum & informe, ac proinde Sacramenti effectum, qui eſt gratia, non percipit, hunc eundem jamdiu impeditum poſtmodum percipiat. Et quia aliquo modo Sacramenta mortua dicebantur, utpote primario ſuo effectu privata; inde eſt quod, quando effectum hujuſmodi producunt, dicitur, quod reviviſcant. Obex erat cauſſa, ut mortua eſſent; & per conſequens obicis ablatio facit, ut eadem reviviſcant; unde quando obex tollitur, Sacramenta gratiam producunt, & reviviſcunt. Hæc certiſſima ſunt apud omnes: attamen ut hujuſmodi reviviſcientiæ Sacramentorum exacta notitia habeatur, hæc videnda ſunt; & primum quidem, quomodo talis obex tollatur?; ſecundum, obice ablato ex cujus vi redeat Sacramenti effectus, qui fuerat obice impeditus?; tertium, ablato etiam obice, an reviviſcentia Sacramenta æqualem gratiam conferant? Ex his tribus ſecundum ſilentio præterimus; quum enim in diverſis Sacramentis diverſimode res ſe habeat, congruentius putamus, quando de unoquoque Sacramento ſigillatim erit ſermo, de illo quoque tractare.

Scire etiam oportet, quod pro his duobus, quæ hic ſuſcipimus definienda ac probanda, non una eſt Scholaſticorum opinio. Et quidem primo, Gabriel, Petrus Soto, Maſilius, Vaſquez, aliique pauci volunt, in Sacramentis mortuorum obicem negativum non tolli per ſolam attritionem, contra quos Theologi fere omnes docent, in Sacramentis mortuorum obicem negativum tolli ſufficienter per ſolam attritionem, etiam extra pœnitentiæ Sacramentum. Secundo, Paludanus putat, obicem poſitivum, reſpectu Baptiſmi, poſſe etiam ſola attritione extra Sacramentum pœnitentiæ auferri. Contra ipſum tamen fere omnes Theologi docent, obicem poſitivum, qui ſolum in Sacramento Baptiſmi poteſt habere locum, non auferri niſi per contritionem extra Sacramentum pœnitentiæ, & cum ſola attritione in Sacramento pœnitentiæ. Tertio, communis eſt etiam omnium Scholaſticorum ſententia, quod in Sacramentis vivorum quicunque obex ſive poſitivus, ſive negativus, per contritionem extra Sacramentum pœnitentiæ, & per attritionem in Sacramento, tollatur; & con-

tra

tra hanc ſolum ſtare poſſunt illi, qui Sacramentis vivorum tribuunt virtutem cauſſandi per ſe primam gratiam, de quibus dictum eſt ſupra.

Scire oportet tertio, quod eſt etiam communis opinio, quod Sacramenta reviviſcentia inæqualem conferant gratiam, ſecundum inæqualem diſpoſitionem ſuſcipientium; adeoque reviviſcere ad tantam proportionaliter gratiam, quanta eſt talis diſpoſitio. Contra hanc tamen ſunt illi, qui docent, Sacramenta, etiam quando ſine obice ſuſcipiuntur, ſemper æqualem gratiam conferre; & ultra hos, eſt quoque contra Suarium, Arriagam, Joannem a S. Thoma, alioſque; defenditur tamen, a Vaſquez, Lugo, Gonneto, Maſtrio, Cacherano, aliiſque pluribus.

Dicimus III., in Sacramentis mortuorum obicem negativum etiam per ſolam attritionem, & extra pœnitentiæ Sacramentum, tolli ſufficienter: obicem poſitivum non tolli, niſi per contritionem extra Sacramentum pœnitentiæ, & cum ſola attritione in Sacramento pœnitentiæ: in Sacramentis vivorum, quemcunque obicem, ſive poſitivum, ſive negativum, per contritionem extra Sacramentum pœnitentiæ, & per attritionem in Sacramento, auferri. Tandem Sacramenta reviviſcentia inæqualem conferre gratiam juxta inæqualem ſuſcipientium diſpoſitionem. Quatuor partes habet Concluſio.

Prima Concluſionis pars probatur. Ut non habeatur obex in Sacramento, ſufficit attritio: ergo ut auferatur obex extra Sacramentum, ſufficit etiam attritio. Antecedens pro modo ſupponimus tanquam communem doctrinam; cæterum noſtra mens circa veritatem, vel probabilitatem ipſius, quando de Sacramento pœnitentiæ agetur, expreſſius aperietur. Conſequentia ſequitur; quod enim ſufficit ad impediendum, ne aliquod exiſtat, ſufficit etiam ad deſtruendum, ſeu ad auferendum ipſum, quando exiſtit. Ulterius, obex ex attritionis ſolius carentia oriretur: ergo debet ex ſolius attritionis poſitione perire.

Secunda Concluſionis pars probatur: Attritio, neque vi ſua, neque vi Sacramenti Baptiſmi, poteſt auferre obicem poſitivum: ergo non ſufficit attritio extra Sacramentum, ſed requiritur contritio. Probatur antecedens quoad primam partem, quia obex poſitivus eſt lethale peccatum; ſed lethale peccatum nequit tolli per ſolam attritionem extra Sacramentum: ergo attritio vi ſua nequit tollere obicem poſitivum. Probatur etiam quoad ſecundam partem, quia obex vel eſt antecedens Baptiſmum, vel comitans, vel ſubſequens: hoc ultimum nequit tolli per Baptiſmum, quatenus Sacramenta non auferunt peccata, quæ poſt eorum ſuſceptionem committuntur: ſecundus neque, quia ſupponitur continuari pro illo breviſſimo tempore, quo perficitur & conſumatur Baptiſmus; ſed pro illo tunc ſuſcipiens Baptiſmum jam habet caracterem, & eſt Eccleſiæ ſubditus: ergo eſt continuatus obex: adeoque peccatum perſeverans, & ſic non eſt materia Baptiſmi, ſed pœnitentiæ; obex antecedens non habet rationem obicis poſitivi, niſi quatenus eſt ſimul cum obice comitante, nec unus ſine alio aufertur: quum ergo obex comitans nequeat per Baptiſmum tolli, nequit etiam obex antecedens; ſicque attritio nec vi ſua, nec vi Baptiſmi, poteſt tollere obicem poſitivum: ac proinde requiritur vel Sacramentum pœnitentiæ, vel contritio extra ipſum Sacramentum.

Tertia Concluſionis pars probatur. Obex negativus, peccatum ſcilicet invincibiliter oblitum, cum quo Sacramentum Confeſſionis ſuſceptum fuit, nequit per ſolam attritionem auferri: ergo vel requiritur contritio, vel attritio cum Sacramento pœnitentiæ. Probatur antecedens, quia ſi poſſet per ſolam attritionem auferri, vel auferretur ab ipſa vi attritionis ipſius, vel vi ſuſcipiendæ Confeſſionis: non primum; quia nequit auferre attritio peccata lethalia, etiam invincibiliter oblita: neque ſecundum; quia nequit confeſſio vi attritionis præteritæ auferre peccata lethalia. Hæc autem intelliguntur per ſe loquendo; loquendo autem per accidens, quia diximus Sacramenta vivorum poſſe aliquando cauſſare primam gratiam, hinc eſt etiam, quod, quum ſufficiat ſola attritio in ipſa ſuſceptione Sacramenti vivorum, ſufficit etiam poſt ſuſceptionem ad primam gratiam cauſſandam.

Tan-

gatur major : conceditur minor, & eodem modo diſtinguitur conſequens.

Pro quarta demum Diſſertationis parte, in qua quæritur, an omnibus Sacramentis ſit commune, recedente fictione, conferre gratiam ? ; non conveniunt Scholaſtici. Etſi enim omnes affirment de Baptiſmo, & probent ex Auguſtino lib.3. de Bapt. cap.13., & lib.6. cap.5., in quibus S. Doctor totus eſt, ut probet, Baptiſmum, recedente fictione, ſalutem operari; non ſic tamen de cæteris Sacramentis unanimiter aſſerunt. Scotus ſoli Baptiſmo reviviſcentiam concedit, propter hanc ſpecialem Auguſtini rationem, & auctoritatem, cui Vaſquez pariter ſubſcribit; cæteris vero Sacramentis negat. Alii ſunt pariter, qui pro quibuſdam aliis Sacramentis affirmant; & cum his nos dicimus, probabile eſſe, Confirmationem, & Ordinem ſemper reviviſcere, Matrimonium vero, & extremam Unctionem aliquando.

Dicimus IV., Confirmationem, & Ordinem ſemper reviviſcere; Matrimonium, & extremam Unctionem reviviſcere aliquando.

Prima Concluſionis pars probatur ratione, quæ valet etiam pro Baptiſmo, quia Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, ſunt inſtituta ad digne obeundum ſtatum, in quo nos conſtituunt per gratiam illorum intuitu conferendam. Probabile igitur eſt, Deum ita inſtituiſſe iſta Sacramenta, ut non perpetuo privaremur tali effectu, ſi quando indiſpoſite illa ſuſciperemus, adeoque, quando iterari non poſſunt, reviviſcerent, recedente fictione, & conferrent gratiam, in qua fundatur veluti jus quoddam ad obtinenda auxilia concernentia ad effectum, ſeu finem proprium Sacramentorum.

Secunda Concluſionis pars probatur etiam, quia Matrimonium, & extrema Unctio ita ſunt ex ſe ſancta, ut etiam ſuo modo permaneant; Matrimonium ratione vinculi, & ſtatus, qui viventibus Conjugibus nec iterari poſſunt, nec ſolvi; extrema Unctio, quæ, durante infirmitate, in ægroto iterari non poteſt, adeoque permanet habitualiter in ægroto. Si igitur iterari aliquando non poſſunt, tunc reviviſcunt; quum vero tollitur obex, quando reiterari poſſunt, quando nimirum aliquis Conjux mortuus eſt, vel morbus receſſit, tunc non reviviſcunt, ut patet. Quoad autem Pœnitentiam, & Euchariſtiam videbitur infra in propriis locis.

Arguunt I. Auguſtinus in lib. de Bapt. in, quo ſcripſit cont. Donatiſtas, illa tantum tractavit, quæ a Donatiſtis negabantur; ſed de reviviſcentia Sacramentorum nihil Donatiſtæ aſſerebant: ergo Auguſtinus nihil de hac reviviſcentia exſemetipſo, & ex proprio ejus ſenſu aſſeruit ac propugnavit. II. Verba, quæ ex Auguſtino afferri poſſunt, nullam continent traditionem, nec pontificiam, aut conciliarem definitionem: ergo nihil de hac reviviſcentia Baptiſmi probant. III. Admiſſa auctoritate Auguſtini, illa tantum valeret de Baptiſmo, quia de Baptiſmo tantum loquitur: ergo quia Auguſtinus non loquitur de Confirmatione, & de Ordine, nec pariter de Matrimonio, & de extrema Unctione, ipſius de Baptiſmo aſſertio nequit rationabiliter ad alia Sacramenta extendi. IV. Baptiſmus, qui ſuſcipitur a Peccatore, qui peccatum non retractat, eſt opus mortuum; ſed vivere non poſſunt, quæ nunquam viva fuerunt: ergo Baptiſmus hujuſmodi nunquam poterit reviviſcere. V. Baptiſmus non exiſtit, quando tollitur fictio: ergo non poteſt ſuum producere effectum: ergo non poteſt reviviſcere. VI. Si per pœnitentiam reconciliatur peccator, qui ficte Baptiſmum recepit: ergo non eſt Baptiſmus, ſed pœnitentia, quæ peccatorem perfecte reconciliat, ipſique confert gratiam; ergo nihil operatur Baptiſmus, qui fuit ficte ſuſceptus: ergo non reviviſcit.

Reſpondemus ad I., quod Donatiſtæ tractarunt etiam quæſtionem noſtram, ſaltem implicite, & tranſeunter, ut patet ex Auguſtino lib.11. cap.1., ubi dicebant: Si Baptiſmus noſter remittit peccata, datur apud nos Spiritus ſanctus, ſcilicet gratia, & conſequenter ſumus in vera Eccleſia: ſi non remittit: ergo apud vos, nempe apud Catholicos, redeuntes, debemus rebaptizari. At Auguſtinus reſpondebat, quod illi, qui ſuſcipit ficte Baptiſmum in vera Eccleſia, quem comparat illi, qui ſuſcipit in hæreſi, valet Baptiſmus ad ſalutem, adeoque ad pec-

DISSERTATIO CCCXXI.

De altero Sacramentorum effectu, qui eſt character. De Hæreticorum erroribus circa characterem. De veterum Scholaſticorum opinionibus circa ejuſdem exiſtentiam & explicationem, & an Hæreticorum erroribus faveant? De recentium Scholaſticorum Opinionibus circa ejuſdem eſſentiam: & quid ſit de fide de ipſo credendum, & quid Scholaſticorum diſputationi permittatur.

PER characterem intelligunt communiter Theologi aliquod ſignum ſpirituale, quod animæ imprimatur, & ab ea ſit indelebile; per quod habentes illum diſtinguuntur ab illis, qui ipſum non habent, chriſtiani ſcilicet a non Chriſtianis, & hic imprimitur per Baptiſmum; Confirmati a non Confirmatis, & hic per Confirmationem datur; Ordinati a non Ordinatis, & hic confertur per Ordinem. Metaphoram aliqui ducunt a ſigno, quod imprimitur animantibus Brutis per ferri inuſtionem, quod quidem ſignum eſt nota indelebilis, per quam importatur dominium illius, qui animalia illa poſſidet, & ita explicat Thomas Waldenſis de Sacramento Baptiſmi cap. 109.; alii ducunt a charactere militari, quo illi, qui militiæ nomen dabant, exterius notabantur; & hoc exemplo utitur Auguſt. epiſt. 185. alias 50. cap. 7.; & lib. 1. cont. Creſconium cap. 30.; & lib. 2. cont. Parmenianum cap. 13. Modo accedimus ad Hæreticorum errores circa characterem ſacramentalem; quem omnino negant. Et quidem

Primo, Joannes Wicleſus lib. 4. *Trialogi* cap. 15. affirmabat, characterem Sacramentalem, nec Scriptura, nec ratione, probari poſſe. Refert Thomas Waldenſis loco nuper citato.

Secundo, Martinus Lutherus in *captivitate babylonica* cap. *de Ordine* ſcribit: „ Commentum illud characteris indelebilis jam olim irriſum eſt. Concedo, ut Papa hunc charecterem imprimat, ignorante Chriſto: cæterum ſi ruat hoc Sacramentum, & commentum aliquando, vix conſiſtet ipſe Papatus cum ſuis characteribus. „

Tertio, Joannes Calvinus cont. Synod. Trident. ſeſs. 7. Can. 9. ait: „ quod de charactere indelebili fabulantur, veteribus ignotum fuit, & magis conſentaneum eſt incantationibus magicis, quam ſanæ evangelicæ doctrinæ.

Quarto, Martinus Kemnitius 2. par. *examinis Concilii Trident.*, characterem ſacramentalem non minus audaciter negare, quam mimice etiam irridere, non erubuit, & illius exiſtentiam tanquam novam Pontificum inventionem a temporibus Innocentii III. in aperto poſitam, & quæ nullo modo in Scriptura inveniatur, neo ratione fulciatur, aſſerere auſus eſt; unde characterem ipſum dixit *Innocentii III. Commentum*; ut teſtatur P. Boucat.

Quinto, Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus & Apoſtata Spalatenſis, aſſerebat, ex veteri controverſia circa iterationem Baptiſmatis ab Hæreticis dati inferri optime poſſe, tunc temporis incognitum fuiſſe characterem, quia illius mentionem feciſſent Patres, qui pro validitate Baptiſmi ab Hæreticis collati certabant; quamquum non fecerint, ſequitur, quod apud illos certa non erat characteris exiſtentia.

Ad veterū modo Scholaſticorū opiniones circa characteris exiſtentiā & explicanem deſcendimus. Et quidem quoad exiſtentiam nullus ex iis dubitavit unquam,

tantum, nón vero ut omnino certum; & hujuſmodi opinionis fuiſſe Cardinalem Seripandum, olim Heremitarum Ordinis S. Auguſtini Generalem Magiſtrum, & deinde Archiepiſcopum Salernitanum.

Devenimus modo ad recenſiorum Scholaſticorum enumerandas ſententias circa characteris eſſentiam, ſive naturam, in qua quidem magna eſt inter ipſos varietas, quæ tamen nec in aliquo characteris exiſtentiæ veritati officere unquam poteſt.

Primo, Durandus in 4 diſt.4.q.1. voluit, characterem non eſſe aliquid reale & abſolutum ab anima diſtinctum, ſed eſſe ſolam relationem rationis, ſeu extrinſecam denominationem, per quam homo deputatur, ſive active, ſive paſſive ad ſacras functiones. Bellarminus lib.2. de Sacram. cap.19., & Suarez 3. part. q.63. art.4. diſp.11. ſect.2. Durandi opinionem aſſerunt ab Hæreticorum errore non diſtare; at Vaſquez 3.par.q.63.art.6. diſp.134.cap.2. vindicat Durandum, & magnam differentiam oſtendit, quæ inter ejuſdem opinionem, & Hæreticorum errorem intercedit.

Secundo, Scotus in 4.diſt.6.q.10. aſſerit, characterem non eſſe qualitatem abſolutam, ut aſſerit Durandus, & vult, eſſe relationem realem advenientem animæ ab extrinſeco, ut effectum Sacramenti; & ratio ipſius eſt, quia character eſt in genere ſigni, & ſignum ad relationem ſpectat.

Tertio, Dominicus Soto in 4. diſt.1.q.4. art. 2. de Durandi opinione hæc ſcri-
„ bit: hæc opinio, fateor, quantum ad
„ id, quod ponit, characterem non eſſe
„ rem diſtinctam a ſubjecto, nunquam
„ mihi viſa eſt a veritate multum alie-
„ na, cum quodam tamen moderamine.
„ Nam profecto iſtarum rerum multi-
„ plicatio, ubi excuſari poteſt, nullibi
„ mihi arriſit: moderamen tamen eſt,
„ quod quanvis quiſpiam non cenſeat,
„ characterem rem eſſe ab intellectu di-
„ ſtinctam, non tamen ſubinde negan-
„ dum eſt, Sacramentum characterem
„ imprimere, eſſeque qualitatem ſecun-
„ dæ ſpeciei. Ex quibus verbis deducit
Tournely, quod ſecundum Sotum bene defendi poteſt, characterem non eſſe quid realiter diſtinctum ab anima, modo dicatur imprimi per Sacramentum.

Quarto, alii ſunt Scholaſtici, qui defendunt, characterem eſſe aliquid abſolutum ab anima diſtinctum, ſeu eſſe veram qualitatem. At inter ſe non conveniunt; quia aliqui volunt, quod reducatur ad qualitatem directe, alii vero aſſerunt, quod reducatur indirecte; qui omnes videri poſſunt apud citatum Tournely, qui expreſſius refert, quod Thomiſtæ cum Angelico Doctore conſtituant characterem ſub ſecunda ſpecie qualitatis, quæ eſt potentia, ſive phyſica, ſive moralis.

Quinto, nec conveniunt Theologi de Schola circa ſubjectum, cui character inhæreat. Quidam enim dicunt, inhærere immediate in intellectu, tanquam diſpoſitionem neceſſariam ad intellectus actus exercendos; quidam in voluntate, tanquam diſpoſitionem ad actus charitatis; quidam in utraque potentia; alii demum ſimpliciter in ſubſtantia animæ.

Dicimus I., veterum Scholaſticorum opiniones Hæreticorum erroribus non favere, & recenſiorum Theologorum varietatem catholicum Dogma incertum non reddere, ac proinde nec Hæreticis prodeſſe.

Prima Concluſionis pars probatur I. Aliud eſt negare characteris exiſtentiam, & aliud eſt dubitare, an characteris exiſtentia ſit de fide; ſed veteres Scholaſtici de hoc ſecundo dubitarunt & primū unanimiter admiſerunt, quod tamen Hæretici deinde negarunt, & modo negant: ergo antiquorum Scholaſticorum opiniones ab Hæreticorum erroribus maxime diſtant.

II. probatur. Tempore, quo ſcribebant veteres Scholaſtici, exiſtentia characteris nondum clare & expreſſe ab Eccleſia definita erat, quemadmodum poſtea definita fuit in Concilio Tridentino; atqui veteres Scholaſtici ſcribebant ante Concilium, & Hæretici Novatores vel in Concilio, vel poſt Concilium, ſcribunt: ergo magna eſt inter ipſos differentia.

III. probatur. Etſi veteres Scholaſtici dubitaverint de characteris exiſtentia, quod tamen non concedimus, non per hoc tamen fit, quod de illorum dubitatione poſſint Hæretici gloriari, & aliquam ſibi defenſionem pro errore ſuo promittere; tum quia illorum opinio privata erat, & Eccleſiæ definitionem non continebat, tum etiam, quia

illam Eccleſia nunquam ſibi adopta-
vit, quin potius contra illam in ge-
nerali Concilio definitionem ſuam in-
terpoſuit.

Secunda Concluſionis pars probatur.
Quanvis varii ſint Scholaſtici in Cha-
racteris eſſentia explicanda, omnes
tamen conveniunt in illius exiſtentia
admittenda: ergo non eſt, cur Hære-
tici de horum varietate circa chara-
cteris exiſtentiam, quam ipſi inſician-
tur, aliquid ſibi blandiantur. Quod
optime aſſerit Tournely ſcribens: „ ad
„ fidem enim hoc unum hic pertinet,
„ characterem per aliqua Sacramenta
„ imprimi, cætera ſpectant opinionem
„ Scholæ. Sequatur quiſque quam vero-
„ ſimiliorem judicaverit.

Opponunt I. Veteres Scholaſtici fateban-
tur, doctrinam de characteris exiſten-
tia in Scripturis non legi, nec ex Pa-
tribus erui poſſe; atqui hoc ipſum aſ-
ſerunt Novatores Hæretici: ergo No-
vatores Hæretici cum veteribus Scho-
laſticis conveniunt, contra characteris
exiſtentiam. II. Si Hæretici rebapti-
zantes cognoviſſent characteris exi-
ſtentiam, non admiſiſſent Baptiſmi
iterationem; atqui admittebant: ergo
characteris exiſtentiam non cogno-
ſcebant. III. Si antiqui Patres fuiſſent
certi de characteris exiſtentia, quan-
do contra Hæreticos rebaptizantes
ſcribebant, his hanc oppoſuiſſent; ſed
non oppoſuerunt: ergo eam non agno-
verunt. IV. Nec pariter pro chara-
cteris exiſtentia protulerunt Patres
Eccleſiæ traditionem: ergo ſignum eſt,
quod pro illa Eccleſiæ traditio non
ſtabat.

Reſpondemus ad I., non omnes veteres
Scholaſticos id aſſeruiſſe, & ſi aliqui
aſſeruerunt, intelligendi ſunt de ex-
preſſa & explicita continentia in Scri-
pturis, non vero de implicita. Quod ſi
nullo modo in Scripturis, & Patribus
continebatur, nec etiam eam poterat
Eccleſia definire; quod falſum eſt,
quia eam Eccleſia jam definivit. Un-
de ſcribit de Cajetano citatus Tour-
nely. „ Quanquam in duobus maxime
„ attentionem ac judicium Cajetani hic
„ deſideramus: primo: quod aſſerat,
„ doctrinam Eccleſiæ de charactere,
„ neque ex Scripturis, neque ex ſanctis
„ Patribus, erui poſſe. Si ita eſt; unde
„ ergo Synodus Tridentina dogma illud
„ hauſit?; an nova ipſi facta eſt revela-
„ tio?; minime profecto. Ergo ex tra-
„ ditione ſanctorum Patrum, ac com-
„ muni Doctorum ſententia illud acce-
„ pit: neque enim alius eſt canalis, per
„ quem Chriſti, & Apoſtolorum doctri-
„ na poſſit ad ſubſequentes ætates de-
„ fluere; ac multa ex fide credimus, quæ
„ in Scripturis expreſſa non ſunt, ſed ab
„ una traditione accepimus; qualis eſt
„ Baptiſmus Infantium; qualis neceſſi-
„ tas pronunciandi in forma Baptiſma-
„ tis iſta verba: *in nomine Patris, & Fi-*
„ *lii, & Spiritus Sancti*; qualis veritas
„ Baptiſmi ab Hæreticis collati; & alia
„ hujſmodi non pauca.„

Ad II., dicitur, quod Hæretici puta-
bant, Baptiſmum, quem iterandum
volebant, fuiſſe nullum & invalidum;
& quia ex Baptiſmo nullo & invalido
nullus producitur character, quod
etiam aſſerimus nos Catholici; inde
eſt, quod Hæretici illi nullam de cha-
racteris exiſtentia mentionem fece-
runt.

Ad III.; eadem eſt reſponſio, quam præ-
terea verbis hiſce illuſtrat laudatus
Tournely: „ alterum, quod in Caje-
„ tano, ſicut & in Spalatenſi, arguimus,
„ iſtud eſt, quod nempe ex veteri con-
„ troverſia circa iterationem Baptiſma-
„ tis ab Hæreticis dati inferunt, tunc
„ temporis incognitum fuiſſe characte-
„ rem. Diſtorta plane & obliqua con-
„ ſecutio. Illi enim non negabant, cha-
„ racterem imprimi per Baptiſmum,
„ cum iſte verus ac ratus ſit, ſed nega-
„ bant, in quo error erat, verum ac ra-
„ tum eſſe Sacramentum Baptiſmatis
„ datum ab Hæretico; unde conſequens
„ erat, ut dicerent, nullum ab hujuſmo-
„ di falſo & ficto Baptiſmate imprimi
„ characterem: verum enim Baptiſmum
„ ſemel conferri poſſe, nec unquam ite-
„ rari, communis & certa fuit Vete-
„ rum doctrina.

Ad IV. Traditio de exiſtentia characte-
ris ſacramentalis adducetur, quando
ejuſdem veritas contra Hæreticorum
mendacia afferetur, atque etiam pro-
babitur, tum verbi Dei ſcripti, tum
verbi Dei non ſcripti, quod eſt tradi-
tio, tum denique Patrum teſtimoniis
confirmabitur.

Igitur de ſacramentali charactere tria
Fides docet; primum eſt; quod per
tria Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet,
Confirmationem, & Ordinem, cha-
racter imprimatur; & hanc fidei veri-

tatem

tatem in ſequenti Diſſertatione probabimus contra Hæreticos Novatores. Secundum eſt, quod character ſit ſignum quoddam ſpirituale & indelebile. Tertium eſt, quod Sacramenta, quæ characterem imprimunt, iterari non poſſunt.

Pro iis vero, quæ diſputationi Theologorum ab Eccleſia permittuntur, ſcire oportet, quod character, ſi vim nominis ſpectemus, græcum eſt vocabulum, & latine valet idem, *ac nota*, ſeu *figura*, inſtrumento aliquo impreſſa. Unde ubi ad Hebr. 1. Vulgata legit, *figura ſubſtantiæ*, in textu græco habetur, *character*. Et Apocalyp. 16. Character Beſtiæ in fronte, vel in manu, idem eſt ac Beſtiæ figura, fronti, vel manui, appoſita. Sic pariter literas, quibus ſcribimus, characteres appellamus; & figuras quaſdam in incantationibus protractas, characterũ etiam nomine dicimus. Character vero ſacramentalis ſumitur pro ſigno ſpirituali, ſeu ſignaculo, vel quaſi ſpirituali ſigillo, ex vi alicujus Sacramenti impreſſo ei, qui tale Sacramentum ſuſcipit. Hinc definitur character ſacramentalis a S. Thoma 3. par. q. 63 art. 4. *Signaculum ſpirituale, quo anima inſignitur ad ſuſcipiendum, vel aliis tradendum ea, quæ ſunt divini cultus*.

Dicimus II., circa characterem ſacramentalem de fide ſancitam eſſe ejus exiſtentiam, indelebilitatem, & initerationem; reliqua vero, quæ ejus eſſentiam reſpiciunt, diſputationi Theologorum ab Eccleſia eſſe permiſſa.

Prima Concluſionis pars probatur; quia Romani Pontifices plures, & plura etiam Concilia, characteris ſacramentalis exiſtentiam agnoverunt ac definierunt; quod autem a Romanis Pontificibus ex Cathedra loquentibus in materia fidei & morum definitur, & quod a Conciliis, preſertim generalibus a Romano Pontifice approbatis decernitur, de fide eſt; ſed Romani Pontifices, & Concilia etiam generalia definierunt ſacramentalis characteris exiſtentiam, ut videbimus in mox futura Diſſertatione: ergo characteris ſacramentalis exiſtentia de fide eſt.

Secunda Concluſionis pars, quæ eſt de indelebilitate, probatur; quia hæc eſt differentia inter hos duos Sacramenti effectus, gratiam ſcilicet ſanctificantem, & characterem, quod gratia ſanctificans amitti poteſt, & de facto per lethale peccatum amittitur; character vero nunquam amittitur; unde illum vocant indelebilem; & præcipue Eugenius IV. in decreto Unionis dixit: *inter Sacramenta tria eſſe, Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, quæ characterem, ideſt, ſpirituale quoddam ſignum a cæteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem perſona non reiterantur*; & Concilium Trident. ſeſs. 7. cap. 9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit*.

Tertia Concluſionis pars, quæ eſt de initeratione, probatur quoque, tum ex dictis Eugenii IV., & Concilii Tridentini verbis, tum etiam quia, ſi character iterari poſſet, non eſſet indelebilis; atqui de fide eſt eſſe indelebilem: ergo etiam de fide eſt, iterari non poſſe.

Quarta tandem Concluſionis pars, quæ reſpicit explicationes characteris, in quo ſcilicet ipſe conſiſtat?, in quo reſideat, & alia hujuſmodi, probatur quoque; quia, quum de his nihil Eccleſia definierit, ſignum eſt, quod illa diſputanda Theologis permittit, qui quidem ea diſputant, & diſputationibus ſuis majorem lucem rebus ab Eccleſia definitis afferunt, & contra Hæreticorum cavillationes arma validiora ſubminiſtrant.

Obſtant I. Plures Theologi Scholaſtici, & ſunt præcipue Arriaga, Lugus, Amicus, docent, ex charactere non poſſe neceſſario inferri initerabilitatem, quia non agnoſcunt connexionem phyſicam neceſſariam inter characterem, & initerabilitatem, ſed tantum moralem quandam congruitatem, quæ ſufficiat ad ſalvandum modum loquendi Conciliorum. II. Morinus in lib. *de adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, & in lib. *de ſacris Ordinationibus* pluries docet, quod aliquando Confirmatio, & Ordo iterata fuerunt, ſaltem ſi extra Eccleſiam ab Hæreticis, aut Schiſmaticis data fuiſſent. III. Character ſaltem per mortem deletur; atqui poſt mortem anima remanet: ergo character non eſt ſemper ab anima indelebilis. Probatur

batur antecedens;quia per mortem deſinit finis,propter quem character animæ imprimitur, nimirum, cultus exterior divinus, quia in altera vita Deus non colitur, nec per Sacramentorum adminiſtrationem, nec per eorundem receptionem. IV. Saltem character non eſt indelebilis reſpectu illarum animarum, quæ vel cum Chriſto regnant in Cœlis, vel cum Dœmonibus torquentur in inferno; tum quia ſuperflua eſt in illis characteris pulchritudo, quia ſunt æterna & immortali luce donatæ, tum etiam quia eſſet deducus ſignaculi Chriſti, ſi in caſtra inimicorum ad contumeliam deportaretur.

Reſpondemus ad I., quod utique Concilia non intendunt definire rationes, quibus aliquando utuntur ad veritates definiendas; ſicque ſatis eſt, ſi credamus, & tueamur, in illis tribus Sacramentis imprimi characterem, & quod illa tria Sacramenta iterari non poſſint; ſatis quidem eſt hoc, ut Conciliis pareamus; non autem oportet etiam tenere, ideo iterari non poſſe, quia characterem imprimunt, quæ eſt tantum ratio Conciliorum, non vero definitio. Liberum proinde eſt Scholaſticis Theologis quoad hoc opinari, quod lubet, dummodo omnes una fide teneant, Sacramenta illa tria imprimere characterem, & iterari non poſſe.

Ad II. Jueninus reſpondet, quod duo illa Sacramenta invalide data fuerunt poſtmodum iterata, quod non fuiſſet, ſi fuiſſent valide collata. Et quamvis Morinus dicat, duplex illud Sacramentum datum extra Eccleſiam, & etiam ſecundum ritum a Chriſto præſcriptum, fuiſſe invalidum, eo quia Eccleſia Canonibus ſuis miniſtros extra Eccleſiam exiſtentes inhabiles reddiderit ad ea conferenda, ſicuti Conſanguineos infra quartum gradum Conſanguinitatis ad matrimonium contrahendum inhabiles reddit; attamen idem Jueninus ſubdit, quod Morinus non fuerit bene aſſequutus Eccleſiæ mentem, dicendo, quod Eccleſia inhabiles declaraverit ad duo illa Sacramenta conferenda miniſtros extra ipſam exiſtentes. Unde vult, quod invaliditas illorum Sacramentorum ex alio capite proventa fuerit, ac proinde fuerint poſtmodum iterata. Sed de his loco ſuo prolixior redibit ſermo.

Ad III., dicitur, quod character non ſolum ordinatur ad cultum Dei exteriorem, ſed etiam ad gloriam & dignitatem ſubjecti, quod illo inſignitur. Remanet ergo poſt mortem in Beatis ad ornatum, in Reprobis ad confuſionem & pœnam.

Ad IV., dicimus cum Auguſtino lib. 2. cont. Parmenianum cap. 13., quod *in bonis permanet ad præmium, in malis permanet ad judicium*: & cum S. Thoma 3. par. q. 63. art. 5. ad 3.: *& ideo poſt hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam; ſicut etiam militaris character remanet in militibus poſt adeptam victoriam, & in his, qui vicerunt ad gloriam, & in his, qui victi ſunt, ad pœnam.*

DIS-

DISSERTATIO CCCXXII.

De alterô Sacramentorum effectu, qui eſt character. An aliqua novæ Legis Sacramenta characterem imprimant? An Sacramenta veteris Legis characterem in anima impreſſerint?

DIcimus I., tria novæ Legis Sacramenta, Baptiſmum videlicet, Confirmationem, & Ordinem, imprimere chracterem in anima.

I. Probatur ex Scripturis. Iſaiæ 66. *Venio, ut congregem cum omnibus gentibus, & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis ſignum* Ezech.9. *Signa Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium.* II.adCorinth.1. *Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Ad Epheſ.1. *In quo* (Chriſto) *& credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancte, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Ad Epheſ.4. *Nolite contriſtare Spiritum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis,*

II. Probatur ex Traditione. In celebri illa controverſia inter Cyprianum, & Firmilianum, multoſque etiam Epiſcopos Africanos, qui rebaptizabant ex una parte, & ex altera inter alios Catholici Orbis Epiſcopos, qui non rebaptizabant, editum eſt decretum a Stephano, Romano Pontifice, quod multoties nos laudavimus hiſce conceptum vocibus: *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*; atqui hæc traditio, quam enunciat decretum Stephani, reſpicit etiam characterem ſacramentalem; ergo per hanc eandem traditionem, quam profert Stephanus Papa, character ſacramentalis probatur, exponitur, ac etiam implicite definitur. Probatur minor, tam ex parte Rebaptizantium, quam non Rebaptizantium. Si Rebaptizantes credidiſſent, per Baptiſmi Sacramentum non imprimi characterem, cur tam ſolliciti fuiſſent, ut eum iterarent?, & ſi non Rebaptizantes credidiſſent, non imprimi characterem, cur tam acriter Rebaptizationi contradixiſſent? Eadem igitur fides in utriſque erat, quæ eos ad diverſa impellebat; credentia ſcilicet exiſtentiæ characteris, qui non credebatur impreſſus a Baptiſmo collato ab hæretico baptizante, & ideo volebant, illum conferri a fideli baptizante, ut vere character imprimeretur. Et hæc eadem credentia erat, quæ non Rebaptizantes retrahebat a Baptiſmo iterando; quia credebant, jam per primum Baptiſmum, etiam ab hæretico Miniſtro datum, characterem fuiſſe impreſſum, Eadem igitur traditio erat apud utroſque, quæ characteris exiſtentiam tunc ſupponebat, & modo probat.

III. Probatur ex Romanis Pontificibus: Leo Magnus epiſt 135., alias 37: ad Neonam, Ravennatem Epiſcopum, ſcribit: *ſcimus quidem inexpiabile eſſe facinus, quoties juxta Hæreticorum Dogma, contra ſanctorum Patrum inſtituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire, Apoſtolica reclamante ſententia, quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in Fide Confeſſionem, unum in Baptiſmate Sacramentū.* Et epiſt.129., alias 79. ad Nicetam, Aquilejenſem Epiſcopum; *hanc regulam, ut ſcitis, ſervandam in omnibus Eccleſiis prædicamus, ut lavacrum ſemel initum nulla iteratione violetur, dicente Apoſtolo: unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma: cujus ablutio nulla iteratione temeranda, ſed ſola ſanctificatio Spiritus Sancti invocanda eſt, ut quod ab Hæreticis nemo accipit, a Catholicis Sacerdotibus conſequatur.* Quamobrem eos, qui metu, vel errore, ſunt rebaptizati, pœnitentiæ publicæ ſubjici jubet. *His, qui ad iterandum Baptiſmum, vel metu coacti ſunt, vel errore traducti, & nunc ſe contra Catholicæ fidei Sacramentum egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, quæ in ſocietatem noſtram, non niſi per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manus communio-*

nionis recipia in unitatem, tempora pænitudinis, tuo conſtituente judicio, prout converſorum animos perſpexeris eſſe devotos; pariter etiam habens ſenilis ætatis intuitum, & periculorum quorunque, aut ægritudinis reſpiciens neceſſitates. Gregorius Magnus lib.2 epiſt.32., ſcribit. *Illud autem, quod dicitis, ut is, qui ordinatus eſt, iterum ordinetur, valde ridiculum eſt, & ab ingenii veſtri conſideratione extraneum; niſi forte, quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicandus eſt, qui tale aliquid feciſſe perhibetur. Abſit autem a fraternitate veſtra ſic ſopere. Sicut enim baptizatus ſemel iterum baptizari non debet, ita, quia conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari. Sed ſi quis forſitan cum levi culpa ad Sacerdotium venit, pro culpa pænitentia indici debet, & tamen Ordo ſervari.* Et lib. 12. epiſt. 32. *De dedicationis Eccleſiarum dubitatione, ſuper quam inter cætera nos conſuluiſtis, hoc vos rite tenere debetis, quod nos ab anteceſſoribus noſtris traditum accepimus, ideſt, ut quoties tam de Baptiſmo aliquorum, vel Confirmatione, quam de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur, & nec Scriptis, nec teſtibus, ratio certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati, ſive Eccleſiæ conſecratæ ſint, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Eccleſiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum.* Innocentius III. qui refertur in cap. *Majores* de Baptiſmo. *Sunt qui dicunt, quod Baptiſmus, & Ordo non ſolum dormientibus & amentibus, ſed invitis & contradicentibus, etſi non quoad rem, quoad autem characterem conferuntur; alii non abſurde diſtinguunt; quod hic, qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, ut & qui ficte od Baptiſmum accedit; characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum: Qui vero penitus contradicit, & nunquam conſentit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti; dormientes autem & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent, etſi ſic fuerint immerſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti: ſecus autem ſi prius cathecumeni fuiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi. Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem.* Eugenius III. in decreto Unionis. *Inter hæc Sacramenta* (novæ Legis) *tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, ideſt ſpirituale ſignum a cæteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile.* Alexander III. reſpondit Abbati S. Genovefæ de Juniori Acolytho, qui Presbytero rebaptizanti miniſtraverat, *illud ad ſuperiores Ordines non eſſe promovendum, ſi facinus ſit publicum, niſi vitam religioſam profiteri voluerit, cujus gratia cum ipſo diſpenſari valeat. Si vero ſit occultum promoveri poſſe, & crimen ſuum dignis pænitentiæ fructibus expiare.*

IV. Probatur ex Conciliis. Conc. Trid. ſeſs. 7. Can. 1. *de Sacram. in genere* habet. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile; unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.* Accedunt ſacri Canones deſumpti vel ex conciliaribus decretis, vel etiam ex ſanctorum Patrum dictis. Et quidem ex cap. *Rebaptizare* diſt. 4. *de Conſecratione*, quod continet verba Auguſtini in epiſt. ad Maximinum; & hæc ſunt. *Rebaptizare hæreticum hominem omnino peccatum eſt: rebaptizare autem Catholicum, immaniſſimum ſcelus eſt.* Qui ſequuntur Canones, & in Rebaptizantes, & in Rebaptizatos Irregularitatis pœnam decernunt. Cap. *qui bis*, diſt.4. *de Conſecratione*, ex pœnitentiali Theodori Cantuarienſis ſumptum. Cap. *eos* ibidem ex Felicis III. Pontificis Maximi, epiſt 1. Cap. *licet*, extra *de Baptiſmo, & ejus effectu*, quod eſt Innocentii III: in Concilio generali Lateranenſi contra Græcos ſchiſmaticos, qui baptizatos a Latinis aliquando rebaptizare auſi fuerant, excommunicationis & depoſitionis ab officio, & beneficio pœna decernitur: *Si quis autem tale quid præſumpſerit excommunicationis mucrone percuſſus ab omni officio & beneficio Eccleſiaſtico deponatur.* Denique accedunt Imperiales Leges, & præcipue illa Juſtiniani Imperatoris, qua fertur pœna capitis in Rebaptizantes, & legitur tit. *ne ſanctum Baptiſma iteretur*; & hoc ideo, quia, ut S. Auguſtinus ait,

ut

ut oſtenderetur, homines execrari iterationem Baptiſmi occulta quadam Dei inſpiratione. Hæc ſunt verba Auguſtini l.5. de Bapt. cont. Donatiſtas c.4. *Sic homines occulta neſcio qua inſpiratione Dei deteſtantur, ſi quis iterum Baptiſma accipiat, quem ubicunque jam acceperat, ut iiſdem ipſi Hæretici, cum inde diſputant, frontem conſpicerent, & prope omnes eorum laici, qui apud eos inveteraverunt, & animoſam pertinaciam adverſus Catholicam ſuſceperunt, hoc ſolum illic ſibi diſplicere fateantur; & multi, qui propter adipiſcenda aliqua commoda ſecularia, vel incommoda devitanda, tranſire ad eos volunt, occultis conatibus ambiunt, ut hoc eis quaſi peculiari & domeſtico beneficio præſtetur, ne rebaptizentur; & nonnulli cæteris eorum vanis erroribus, & falſis criminationibus adverſus Catholicam Eccleſiam credentes, hoc uno revocentur, ut eis ſociari nolint, ne rebaptizari cogantur. Quem ſenſum hominum omnia penitus corda occupantem Donatiſtæ metuentes, maluerunt recipere Baptiſmum, qui apud Maximianiſtas, quos damnaverint, datus eſt, & eo modo ſibi linguas præcidere, & ora oppilare, quam denuo baptizare tot homines Muſtitanæ, & Aſſuritanæ, & aliarum Plebium, quas cum Feliciano, & Prætextato, & cæteris a ſe damnatis, & ad ſe redeuntibus, ſuſceperunt.*

V. Probatur ex Patribus græcis. Cyrillus Hieroſolymitanus in præfatione ad Catecheſes, ait: *magnum eſt ſane propoſitum Baptiſma captivitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum ſanctum & indelebile:* quæ quidem indelebilitas nequit intelligi de gratia ſanctificante, quæ aliquando deperditur: ergo intelligi debet de charactere. Et Catecheſi 4. dicit: *Spiritus Sanctus tempore Baptiſmi animam tuam obſignat.* Eadem habet Catecheſi 16., & 17.; & hæc obſignatio nec etiam poteſt intelligi per ſolam gratiam habitualem, ob adductam rationem, quia ſcilicet deperditur: ergo pariter intelligi debet de charactere. Baſilius homil. 13. *Niſi ſignaculum in te agnoſcat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo dices, Dei ſum, ſigna Dei non oſtendens?, an ignoras, quemadmodum ſignatas domos in Ægypto præteriit exterminator, in non ſignatis vero primogenita peremit? Theſaurus non obſignatus facile patet furibus; ovis abſque nota protinus inſidiis eſt obnoxia.* S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. *Baptiſmus eſt ſigillum, quia conſervatio eſt, ac dominationis ſignificatio: ſignificat enim, cujus Domini poſſeſſio ſimus:* & infra: *prius ſignata non facile inſidiis appetitur, quæ non eſt ſignata facile capitur a furibus.* S. Chryſoſtomus homil.2. in epiſt. ad Epheſ. *Signati ſunt Iſraelitæ: ſed nota circumciſionis, ut pecora: nos ut filii in diem redemptionis.* Et homil. 14.: *nos fecit gregem regalem.*

VI. Probatur ex Patribus latinis. Hieronymus ad Epheſ.4. *Deus imprimit animæ ſignaculum Spiritus Sancti.* Ambroſius lib. de Spiritu Sancto c.6. *Spiritu ſignamur, ut ſplendorem & imaginem ejus, & gratiam tenere poſſimus.* *quod eſt ſpirituale ſignaculum.* Auguſtinus lib.6. de Bapt. cap.1. *Eduxit Paſtoribus Eccleſiæ ovem, quæ foris errabat, & dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus foris acceperat venientem ad Chriſtianæ unitatis ſalutem, ab errore corrigi, a vulnere ſanari, characterem tamen dominicum in ea potius agnoſci, quam improbari, quandoquidem ipſum characterem multi lupis infigunt.* Et tract.6. in Joan. *Tene, quod accepiſti, non mutatur, ſed agnoſcitur: character eſt Regis mei, non ero ſacrilegus: corrigo deſertorem, non muto characterem.* Et lib.2. contra epiſt. Parmeniani c. 13. *An forte minus hærent Sacramenta chriſtiana, quam corporalis hæc nota, cum videamus nec apoſtatas carere Baptiſmate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideo amitti non poſſe judicatur.* Eadem habet epiſt. 23., epiſt. 50., epiſt. 204., & epiſt. 185., ubi Donatiſta ſic loquitur; quare ergo me non baptizas, ut abluas me a peccatis? Et Auguſtinus reſpondet: *reſpondeo, quia non facio injuriam characteri Imperatoris, cum errorem corrigo deſertoris.* Eadem inſuper ſcribit lib.2. cont. literas Petiliani cap. ultimo. Lib.1. cont. Creſconium c.30. Tract. 5. in epiſt. Joannis &c.

VII. Probatur ex veteribus Scholaſticis. Guillemus Alvernus, qui floruit circa annum 1230. de Sacramento Confirmationis ſcribit: *qui ſigillum, ſive characterem baptiſmalem falſificant, cujus veritate tenetur jus hæreditatis æternæ, procul dubio nolle ſe oſtendunt, &*

ipſo facto nullum ſe jus habere in hæreditate cæleſti, quemadmodum ſi quis ſigillum regium ſuper donatione caſtri, vel rei alterius ſibi facta falſificaret, & eo ipſo donationi per illud ſibi factæ renunciaret, illam inutilem & irritam ſibi redderet: ſic & iſti donationem cæleſtis hæreditatis, in Baptiſmo ſibi factam, omnino evacuant, dum ſigillum baptiſmale, ſive characterem, falſificant, quod eſt, dum veritatem ſanctitatis, quam ipſum deſignat, & quæ ipſi ſubeſſe debet, cujuſcunque peccata mortalia execratione ſubtrahunt, & diluunt. Richardus de Media Villa, qui floruit circa annum 1280., lib. 4. diſt. 5. art. 2. q. 4., ait. *Non per quodlibet Sacramentum imprimitur character, nec etiam per actus Virtutum; character eſt enim ſignum ſpirituale, indelebile, diſtinctivum, & ſpiritualis poteſtas indelebilis deputata ad aliquod Sacramentum; & hæc communia ſunt cuilibet characteri &c. Sola tria iſta Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, imprimunt characterem.* Joannes Scotus, qui floruit circa annum 1300., in Reportationibus ſuper 4. Sentent. diſt. 6. q. 8. *Character eſt ſignum ſpirituale impreſſum in ſuſceptione Sacramenti non iterabilis, diſtinctivum, remediativum, aſſimilativum, configurativum, aliud a gratia, prius gratia, diſpoſitio ad gratiam indelebilem.* Nicolaus Lyranus, qui floruit circa annum 1320., ad c. 4. ad Epheſ.: *in quo ſignati eſtis*: ait: *per Sacramentum Baptiſmi, in quo character imprimitur.* Auguſtinus Triumphus, qui floruit circa annum 1320., *de Poteſtate Eccleſ.* q. 58. art. 7. *Triplex potentia eſt in Sacramentis ſpiritualibus. In Baptiſmo imprimitur potentia recipiendi: baptizatus enim poteſt omnes perfectiones ſpirituales & ſacramentales recipere. In Confirmatione vero imprimitur potentia reſiſtendi, ut non ibi faciliter recipiatur peregrina impreſſio contra nomen Chriſti. Sed in Sacramento Ordinis imprimitur poteſtas agendi & adminiſtrandi cætera alia Sacramenta. Cum ergo character, & poteſtas ſpiritalis in iſtis tribus Sacramentis a Chriſto imprimatur indelebiliter, a quo Sacramenta ſunt inſtituta, ſicut Papa non poteſt diſpenſare in characteris, & dictæ poteſtatis impreſſione, vel expulſione; quia ex quo imprimitur animæ nunquam poteſt auferri per ſuſpenſionem, vel degradationem, quinimmo in anima ſeparata remanet; ſic non poteſt diſpenſare in dictorum Sacramentorum reiteratione &c. Secundum communiorem opinionem in quolibet Ordine imprimitur character, & quantumcunque in minoribus Ordinibus ordinati transferant ſe ad laicatum, ſemper tamen in eis remanet characteris impreſſio; quia ſi de laicatu ad clericatum revertantur, non ſunt iterum in illis Ordinibus ordinandi.*

VIII. Probatur Rationibus & congruentiis. I. Gratia habitualis & ſanctificans eſt forma animæ perfecta ſupernaturalis; ſed ad formam perfectam ſupernaturalem prærequiritur ſupernaturalis diſpoſitio: ergo hæc etiam requiritur ad gratiam prædictam: atqui hæc eſſe non poteſt, niſi character: ergo character requiritur ſaltem in Baptiſmo; & hæc eſt congruentia Scoti, quam refert Fraſſen. II. Deus, quando inſtituit Sacramenta novæ legis, voluit, ut ea non eſſent vana, & ſine effectu; ſed aliquando carent effectu principali, qui eſt gratia: ergo ne ſint vana & ſine effectu ſaltem carere non debent effectu minus principali, qui eſt character; & hæc pariter eſt Scoti apud eundem Fraſſen. III. Qui adſcribitur militiæ Chriſti debet per aliquid intrinſecum diſtingui ab illis, qui eidem militiæ non adſcribuntur; ſed diſtingui non poſſunt, niſi per characterem: ergo neceſſarius eſt character, ut pote ſignaculum intrinſecum, per quod Chriſtiani, qui conſtituunt populum Chriſti, & Clerici, qui formant familiam Chriſti, a non Chriſtianis, & a Laicis diſtinguantur; & hæc eſt pariter Scoti apud eundem. IV. In omni ordinata Republica, qui in aliquo gradu conſtituuntur, & ad aliqua munera deputantur, notas quaſdam habere ſolent, quibus a cæteris diſcernantur: ergo etiam in Eccleſia, quæ eſt quædam Republica bene inſtituta, per Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, in determinato gradu conſtituimur, & ad certum munus deputamur; non ſic per alia Sacramenta; per Baptiſmum enim aſſumimur in familia Chriſti, & ad ejus famulatum, & cultum deputamur; per Confirmationem promovemur ad militam, & deputamur ad pugnandum pro Chriſti Fide; per Ordinem præferimur ad doctrinam, & deſtinamur ad conſtituendum alios in propriis gradibus. Similia autem per alia Sacramenta non præſtamus. Et hæc eſt congruentia S. Thomæ.

Obi-

Digitized by Google

Objiciunt I. ex Kemnitio. Nulla eſt characteris mentio in Scripturis, & Patribus, nulla apud Scholaſticos eſt concordia, illiuſque primus inventor fuit Innocentius III., qui multa mala partim ſcripſit, partim decrevit. II. Si qui Patres characteris mentionem faciunt, ejus nomine tantum externum Symbolum intelligunt, & præcipue Auguſtinus in Sermone *de Geſtis cum Emeryto* tria habet; primum, quod exterius character cognoſcatur, & agnitus approbetur; ſecundum, quod ſi Donatus in nomine donati baptizaret, Donati characterem infigeret; Donati autem character non poſſet eſſe in anima infixus; tertium, quod character ſit ipſa Trinitatis invocatio, quæ fit in Baptiſmo. III. Ideo Baptiſmus iterari non poteſt, ait Calvinus, non quia imprimat characterem, ſed quia eſt ingreſſus in Eccleſiam, & initiatio quædam Fidei, & quia Eccleſia eſt una, fides eſt una, ideo etiam unus debet eſſe Baptiſmus. IV. Ex eodem Calvino: Baptiſmus eſt inſtitutus ad delendum originale peccatum; ſed deleto ſemel originali peccato, non remanet quid amplius deleatur: ergo Baptiſmus non iteratur, quia imprimit characterem, ſed quia, poſt deletam originalem culpam, non habet amplius quid deleat. V. Character vel ponitur ad ſanctificationem, vel ad diſtinctionem, vel ad deputationem; ſed ex nullo ex his capitibus admittendus videtur: ergo abſolute admittendus non eſt. Major patet, quia nullum aliud caput aſſignatur, ex quo ponendus ſit character. Minor probatur. Non ponitur ad ſanctificationem, quia remanet etiam in peccatoribus; non ad diſtinctionem, quia, quum ſit inviſibilis, non poteſt eſſe hominibus ratio diſtinguendi unum ab alio; nec ad deputationem, quia hæc poteſt fieri per denominationem extrinſecam, quemadmodum fit in iis, qui ad Magiſtratus gerendos in urbibus, ad militaria officia gerenda in exercitibus, deputantur. VI. Character vel eſt perfectio animæ, vel imperfectio; ſi perfectio, non debuit illo carere Chriſtus; ſi imperfectio, non convenit, ut a Sacramento conferatur, quod ad perfectionem animæ inſtitutum eſt. VII. Multæ Patrum auctoritates, etiam a nobis adductæ, poſſunt commode explicari vel de ipſo Sacramento, vel de gratia, quæ eſt principalis Sacramenti effectus: ergo non eſt ratio, ut eas de charactere intelligamus. VIII. In probanda characteris exiſtentia fit circulus vitioſus; ſed hic fieri non debet: ergo characteris ſacramentalis exiſtentia futiliter quidem & inaniter probatur. Probatur major. Ex una parte, ideo dicimus tria Sacramenta imprimere characterem, quia non ſunt iterabilia; ex altera parte, ideo dicimus non eſſe iterabilia, quia imprimunt characterem: ergo fit circulus vitioſus.

Reſpondemus ad I., characteris mentionem eſſe in Scripturis, & in Patribus, ut ex probatis manifeſte conſtat. Et quanvis Scotus aſſerat, characterem ex Scripturis, & ex Patribus probari non poſſe, hoc tamen ait de perſpicua, explicita, & clara probatione; non negat tamen characteris traditionem, quæ nobis poſſet eſſe ſatis. Sicut etiam Gabriel dubitat, an Eccleſia id definierit; dicit tamen preſumtuoſum eſſe, characterem negare; unde Scotus dubitat de modo probandi, Gabriel de definitione Eccleſiæ, Durandus de ejus natura: in eo autem concedendo conveniunt omnes. Cæteri quoque Scholaſtici unanimiter characterem admittunt, quanvis differant in ejus natura exponenda; & diſcrepent pariter in modo probandi. Falſum eſt quod Innocentius III. fuerit primus characteris inventor; ipſe enim citato cap. *Majores* refert quorundam opinionem, qui dicebant, eos, qui inviti baptizantur, recipere tantum characterem, non gratiam, ſicut illi, qui ficte baptizantur. Auguſtinus revera fuit primus, qui characteris nomine uſus eſt, ad explicandum illud ipſum, quod antiquiores Patres *ſignaculi*, aut *ſigni* voce nominabant, & ab Auguſtino deinde *characteris* vocabulum Scholaſtici deſumpſerunt. Verum, quum res ſit eadem, parum refert, ſi nomina varientur. Denique Innocentius III. fuit probatiſſimus Pontifex, qui & bene ſcripſit, & optima decrevit; ut apud Bellarminum, Ciacconium, alioſque videre eſt.

Ad II., dicitur, ſtare non poſſe, quod Patres dicant, characterem eſſe externum Symbolum, & quod ſimul pronuncient, characterem eſſe in anima, non in corpore, ut docet Cyrillus; eſ-

ſe ſpirituale, ut ait Ambroſius; eſſe oppoſitum cauterio Circumciſionis, quod erat iu corpore, ut aſſerunt Epiphanius, & Chryſoſtomus; eſſe quandam conſecrationem, ut Auguſtinus habet: couſecratio enim propria eſt animæ, non corporis, ut ait Tertullianus lib. de Reſurectione Carnis: *Caro iuungitur, ut anima conſecretur*. Auguſtinus denique primo docet, characterem poſſe videri & probari, non quidem in ſe, ſed in ſua cauſſa; ſecundo, infert aliquid impoſſibile ex hypotheſi impoſſibili; Sacramentum autem Donati non ſolum non impreſſiſſet characterem in anima, ſed nec etiam externum Sacramentum fuiſſet; tertio, loquitur de characterem imprimente, non autem de charactere impreſſo; & ſic non ſolum invocatio Trinitatis, ſed totum Sacramentum, ſeu totum externum Symbolum, dici poteſt character imprimens, ſed non impreſſus.

Ad III., dicitur, quod ab Hæretico baptizatus, & illi credeus, non intrat in Eccleſiam, & nihilominus non rebaptizatur, quia character imprimitur. Ulterius, qui exit ab Eccleſia per Apoſtaſiam, ſi poſtea ad Eccleſiam redeat, nec etiam baptizatur, quia character non deletur.

Ad IV., dicitur, quod qui lethalis peccati eſt conſcius, aut eſt expers Fidei, & Baptiſmum ſuſcipit, huic peccatum originale non dimittitur: ergo hic poſſet iterum baptizari; quod nec poteſt concedere Calvinus. Non eſt ergo verum, quod Baptiſmus non iteretur, quia delet originale peccatum, & hoc deleto non habeat amplius, quid deleat.

Ad V. Hæc reponit Hennus. „ Reſpon-
„ deo, characterem imprimi diverſis
„ de cauſis: I., ut Deus hominem ſpe-
„ cialiter ſibi viudicet, tanquam dome-
„ ſticum. II., ut maneat poſt mortem
„ in Beatis ad gloriam, tanquam animæ
„ ornatus, & in Damnatis ad confuſio-
„ nem, tanquam exprobratio impieta-
„ tis & ingratitudinis. III., ad depu-
„ tationem, quæ licet fieri poſſit per de-
„ nominationem extrinſecam, Deus ta-
„ men, qui amicos ſuos voluit adornari
„ gratia interna, quod non reperitur in
„ amicitia humana, voluit & milites
„ ſuos ac miniſtros inſigniri charactere
„ ſpirituali, ad oſtendendam divinæ
„ operationis efficaciam, ac ſuavem
„ Dei providentiam. „

Ad VI. Character eſt perfectio, ſed illis tantum, qui capaces hujuſcemodi perfectionis ſunt, non vero iis, qui propter propriam excellentiam perfectioni huic ſuperiores exiſtunt. Sic quæ ſunt perfectiones militibus, non ſunt Ducibus, & multo minus totius exercitus Imperatori; quæ ſunt perfectiones civibus, non ſunt Principi: unde non mirum, ſi character iu creaturis eſt perfectio, in Chriſto autem non fuiſſet; & ideo in Chriſto nullus admittitur character. Et hæc eſt proprietas, quam in charactere aguoſcunt Theologi, ſcilicet, quod illius tautum creatura ſit capax. Et ratio eſt, quia character importat miniſterium quidem eccleſiaſticum, imperfecte tamen habitum, quia habitum cum participatione; imperfecte autem habere ſoli creaturæ convenit. Unde nullus fuit character in Chriſto Sacerdote, quia perfectum Chriſti Sacerdotium non ex aliqua participatione oriebatur, ſed ex principio ſubſtantiali intrinſeco, quod erat unio hypoſtatica, per quam Chriſtus eſt formaliter Sacerdos.

Ad VII. Quanvis Patrum auctoritates aliquando per characterem aliquid aliud intelligant, quam illud, quod modo per Catholicos intelligitur, aliquando tamen negari non poteſt, quod exprimant characterem in ſenſu catholico intellectum, præcipue ſi ipſis adiungatur traditio, qua, ut dictum eſt, optime docemur, characteris doctrinam ſemper in Eccleſia extitiſſe. Unde Fraſſen reſtringens objectionem ad Baptiſmi Sacramentum ſic reſpondet. „ Nihil aliud intelligunt, quam
„ Sacramentum Baptiſmi, quod eſt ſi-
„ gnaculum cauſaliter & efficienter,
„ ut animæ regeneratio, peccati mors,
„ & remiſſio, concedo; formaliter &
„ per ſe, nego; nam illud ſignaculum
„ dicitur imprimi, vel inſigi credenti-
„ bus, & ab eis portari, ut quid ſemper
„ manens: at ſignum foris adhibitum
„ non eſt ejuſmodi, ſed potius baptiſma-
„ tis effectus; nam ex Cyrillo Cate-
„ cheſ. 16. *Spiritus Sanctus obſignat animas*
„ *in Baptiſmo*. Ex S. Ambroſio lib. de
„ Spiritu Sancto: *ſignamur in corpore, ve-*
„ *ritate tamen in corde ſignamur, ut Spi-*
„ *ritus Sanctus exprimat in nobis effigiem*
„ *imaginis cæleſtis, ut ſciamus, cordis noſtri*

magis

„ *magis hoc, quam corporis, eſſe ſignaculum.* Igitur illud ſignaculum in corde eſt quid interuum, & a Sacramento diſtinctum. „

Ad VIII. Quando probatio deducitur ex diverſo genere cauſſæ, non fit circulus vitioſus, ut quando ſcilicet effectus probatur per cauſſam, & cauſſa probatur per effectum. Ita in caſu; quod non poſſint iterari aliqua Sacramenta, probamus ex charactere, quem imprimunt, tanquam ex Sacramenti effectu; & pariter probamus characterem imprimi a Sacramentis illis, tanquam ex cauſſa. Et hæc eſt reſponſio, quam dat Tournely, cui ſimilis eſt hæc alia, quam dat citatus Fraſſen. „ Circulus enim vitioſus eſt, dum fit in eodem genere cauſſæ: ſecus hic: nam impreſſio characteris eſt cauſſa, cur Sacramentum non iteretur, & non iteratio eſt effectus illius characteris: unde ſicut rationale rite probatur a poſteriori per riſibile, & riſibile a priori demonſtratur per rationale, ita & character recte infertur per negationem iterationis, & hæc per characteris impreſſionem.

Pro altera Diſſertationis parte, quæ reſpicit Sacramenta veteris legis, an illa ſcilicet, & præcipue Circumciſio, characterem impreſſerint?, ſcire oportet, quod Scholaſtici inter ſe dividuntur; ſiquidem Scotus in 4.diſt.6. q.9. ad primum vult, Circumciſionem impreſſiſſe characterem; & Maſtrius etiam extendit ad remedium legis naturæ: S. Thomas vero 3. par. q.63. art.1. docet, nec Circumciſionem, nec ullum veteris legis Sacramentum, impreſiſſe characterem in anima;& hanc ſentẽtiam ſequitur Bellarminus, aliique plurimi; cum quibus

Dicimus II., nec Circumciſionem, nec ullum veteris legis Sacramentum characterem in anima impreſiſſe.

I. Probatur. Circumciſio erat ſignum, quod imprimebatur in corpore, & non in anima; ſed character ſacramentalis imprimi debet in anima: ergo nullus character ſacramentalis a Circumciſione imprimebatur. Major eſt Chryſoſtomi Hom.2.ad Epheſ. *Obſignati ſunt Iſraelitæ, ſed Circumciſione, quemadmodum pecudes*: ergo per Chryſoſtomum Circumciſio erat ſolummodo ſignaculum in corpore, non vero in anima.

II. Probatur. Regulam generalem habemus non inducendi aliquid ſupernaturale ſine neceſſitate; ſed nulla erat neceſſitas apud Judęos inducendi characterem, quatenus eſt aliquid ſupernaturale: ergo apud illos Circumciſio non inducebat characterem ſacramentalem. Probatur minor. Judæi nec debebant ſuſcipere, nec miniſtrare ſupernaturalia: ergo nulla erat neceſſitas apud ipſos inducendi aliquid ſupernaturale. Probatur antecedens. Nulla opera Sacramentorum veteris legis erant ſupernaturalia: ergo Judæi nec debebant ſuſcipere nec miniſtrare ſupernaturalia.

III. Probatur. Nulla Eccleſiæ traditione, nulla Conciliorum definitione, evincitur character pro Sacramentis antiquis: ergo illa characterem non imprimebant. Probatur antecedens. Si aliqua eſſet Eccleſiæ traditio, vel Conciliorum definitio pro charactere impreſſo a Sacramentis veteris legis, eam Adverſarii adducerent; ſed nullam adducunt: ergo nulla eſt.

IV. Probatur. Sancti Patres fere omnes præferunt Baptiſmum Circumciſioni, quia Circumciſio erat obſignatio corporalis & externa; Baptiſmus vero eſt obſignatio ſpiritualis & interna; atqui hoc importat, quod Baptiſmus characterem imprimat; Circumciſio vero non impreſſerit: ergo verum eſt, quod Sacramenta antiqua, & præcipue Circumciſio, nullum characterem impreſſerint.

Opponunt I Multi ſunt Scholaſtici, qui aſſerunt, Circumciſionem impreſiſſe characterem: ergo ſaltem Scholaſticorum unanimitas fuit pro opinione, quam nos impugnamus. II Alii ſunt Scholaſtici, qui docent, Circumciſionem contuliſſe gratiam *ex opere operato*; ſed ex hoc optime ſequitur, quod Circumciſio etiam in anima impreſſerit characterem: ergo vere imprimebat. III. Adeo Circumciſio obſignabat Iſraelitas, ut qui ſine ſigno illo eſſent, non ſalvarentur: ergo ſignum illud, utpote ſpectans ad æternam animæ ſalutem, non ſolum in corpore, ſed etiam in anima eformabatur. IV. Circumciſio erat figura Baptiſmi: ergo quemadmodum Baptiſmus imprimit characterem in anima, ita etiam Circumciſio imprimebat.

Reſpon.

Reſpondemus ad I., falſum eſſe, quod plures Scholaſtici doceant, characterem fuiſſe a Circumciſione in anima impreſſum, ſi excipiatur Scotus cum ſuis, qui ducuntur ab alio principio, quod univerſim cæteri Scholaſtici non admittunt, ut in reſponſione ad ſecundum videbimus.

Ad II. Singularis eſt etiam Scotus, qui tribuit Circumciſioni vim producendi gratiam *ex opere operato*, & contra ipſum ſunt fere omnes Scholaſtici, qui hoc idem negant; & nos pariter ſuo loco negabimus; proinde Bellarminus hæc ſcribit. „ Denique Scotus, quia docuerat, Circumciſionem „ *ex opere operato* conferre gratiam, non „ ſine cauſſa tribuit etiam impreſſionem „ characteris Circumciſioni. At nos, „ qui docemus Circumciſionem nullam „ vim habuiſſe ex ſe, niſi ad præciden„ dam carnem, debemus etiam conſe„ quenter negare vim imprimendi ſpi„ ritualem characterem.

Ad III., negatur abſolute antecedens, quia multi fuerũt extra Populum Hebræorum, qui ſecundum legem naturæ vivebant, & circumciſi non erant, & nihilominus ſalvi facti ſunt, ut patet de Job, aliiſque, quos ſuo loco commemoravimus, & præcipue tom. 3. Diſſert. 196.

Ad IV. Non eſt neceſſe, ut figura æqualis ſit figurato; ſed ſatis eſt, ut eum in aliquibus ſaltem exprimat ac repreſentet. Unde in hoc ſenſu dicitur Circumciſio figura Baptiſmi, quia quemadmodum Circumciſio obſignabat Iſraelitas in carne, ita Baptiſmus per characterem ſacramentalem obſignat Chriſtianos in anima.

DISSERTATIO CCCXXIII.

De altero Sacramentorum effectu, qui eſt character. Quodnam ſit characteris ſubjectum? Quænam proprietates? An poſſit de Dei potentia deleri, vel in hac, vel in altera vita?

Fides docet, characteris ſubjectum eſſe animam, quia in anima imprimitur, animæ inhæret, & in anima, ut Scholaſtici loquuntur, ſubjectatur. At quia in anima tria diſtinguuntur, animæ ſcilicet ipſius eſſentia, & duæ ejuſdem potentiæ, quæ poſſunt eſſe characteris ſubjectum, intellectus, & voluntas, inde eſt, quod Scholaſtici quærunt, an characteris ſubjectum ſit anima ipſa?, an ſit intellectus? an ſit voluntas?

Primo, Scotiſtæ cum Duce ipſorum Scoto docent, characterem immediate & formaliter ineſſe voluntati; mediate autem & realiter ipſi ſubſtantiæ animæ. Sunt verba Fraſſen, qui adducit hæc alia verba Scoti in 4. diſp. 6 q. 10. num. 4. „ Dico ergo ad quæſtio„ nem ſupponendo .... de gratia, quod „ eſt idem cum charitate; & per conſe„ quens eſt primo in potentia, ſcilicet in „ voluntate, & ulterius, quod iſta diſpo„ ſitio ad formam eſt in eodem ſuſcepti„ vo cum forma; character autem ſi po„ natur in eſſe, convenienter ponitur „ diſpoſitio ad gratiam ſacramenta„ lem .... ergo congruum eſt ponere „ characterem formaliter in voluntate. „ Ita Doctor; in quibus verbis ſignan„ ter dicit, eſſe congruum, nam ratio„ nes, quas proferi ad ejuſmodi aſſer„ tionem probandam, non evincunt „ omnino neceſſitatem, ſed ſolum ma„ jorem quandam convenientiam. Et Scoto ſubſcribunt Mayron, Maſtrius, Henrincx, aliique Scotiſtæ.

Secundo, alii docent, ſacramentalem characterem immediate recipi in intellectu, ſeu in anima, ſub ratione potentiæ intellectivæ; & hujus ſententiæ ſunt Paludanus, Richardus, Cajetanus, Sylvius, Joannes a S. Thoma, Gonetus, aliique Thomiſtæ communiter.

Tertio, alii volunt, characterem immediate recipi in intellectu ſimul, & voluntate, ſeu in anima ſub ratione utriuſque potentiæ. Et hanc ſententiam tuentur Alexander de Ales, S. Bo-

Digitized by Google

S. Bonaventura, aliique pauci.

Quarto, cæteri aſſerunt, characterem immediate recipi in animæ eſſentia; & hi ſunt, Aureolus, Marſilius, Gabriel, Suarez, Arriaga, Bellarminus, Madernus, & communiter paſſim cum Nominalibus recentiores Scholaſtici.

Dicimus I., ſubjectum proximum & immediatum ſacramentalis characteris eſſe animæ ſubſtantiam, ſive ab hac diſtinguantur ejus potentiæ, intellectus & voluntas, ſive non diſtinguantur.

I. Probatur. Concilia docent, ſacramentalem characterem imprimi in anima; ſed nomine animæ, quando abſolute profertur, non intelliguntur potentiæ ipſius, at ejus ſubſtantia: ergo ex Conciliis ſubjectum proximum & immediatum ſacramentalis characteris eſt ipſa animæ ſubſtantia, non vero ejus potentiæ, intellectus, & voluntas. Major conſtat ex Conciliis Florentino, quod in decreto Unionis docet: *inter hæc Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem imprimunt in anima*: & Tridentino, quod ſeſs. 7. Can. 9. *de Sacram. in genere* definit: *in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, imprimi characterem in anima*. Minor probatur. Sicut nomine intellectus, & nomine voluntatis, quando abſolute proferuntur, veniunt potentia intellectiva, & volitiva, non vero venit ipſa ſubſtantia animæ, ita etiam quando abſolute profertur animæ nomen, debet ipſa ſubſtantia animæ venire, non vero ejus potentiæ, intellectus, & voluntas, ſive hæ ab anima diſtinguantur, ſive non.

II. Probatur. Munera characteris ſacramentalis aptius verificantur de ipſa ſubſtantia animæ immediata, quam de potentiis ejus, intellectu ſcilicet, & voluntate: ergo aptius dicendum videtur, quod ſubjectum characteris ſacramentalis ſit ipſa animæ ſubſtantia, quam ejus potentiæ, intellectus, & voluntas. Probatur antecedens. Munera characteris ſacramentalis ſunt obſignare, & diſtinguere homines, in certis gradibus conſtitutos, & ad certa munera deputatos; ſed hæc aptius exprimuntur in ea hominis parte, quæ notior eſt, & ad notificandum aptior: ergo hæc pars hominis eſt illa, in qua præfata munera exprimuntur; atqui hæc pars eſt ipſa ſubſtantia animæ, non vero potentiæ illius: ergo &c.

III. Probatur. Supra ipſam ſubſtantiam animæ, melius, quam ſupra ullam ejus potentiam, verificantur denominationes, quæ a charactere ſacramentali importantur: ergo ipſiuſmet characteris ipſa ſubſtantia animæ immediatum eſt ſubjectum. Probatur antecedens. Denominationes hujuſcemodi ſunt famulatus, militiæ, & prælationis, quæ ſunt gradus & munera per characteres importata; ſed hæc melius ſubſtantiæ animæ, quam ipſius potentiis aptantur: ergo &c. Probatur minor. Omnes tres illæ denominationes ſunt non operativæ, ut conſideranti patet,: ergo conveniunt illi parti hominis, quæ ſecundum ſe formaliter non eſt operativa; atqui hæc ſola eſt ipſa ſubſtantia animæ, quia ejus potentiæ ſunt operativæ, ut ex ſe manifeſtum eſt: ergo &c.

Opponunt I. Character eſt ſignum; ſed ſignum pertinet ad intellectum: ergo characteris ſubjectum eſt intellectiva potentia. II. Character eſt lumen de quo loquebatur cap. 2. *de Eccleſias Hierarchia* Auctor illius, qui creditur Dionyſius Areopagita, qui dicit, characterem eſſe *lumen divinum illuminans nos, & configurans Chriſto*; ſed lumen proprium eſt intellectus: ergo character immediate in intellectu ſubjectatur. III. Character eſt ſignum obligationis noſtræ ad Deum; ſed obligatio immediate pertinet ad voluntatem: ergo character immediate voluntati inhæret. IV. Per characterem homo aſſimilatur Deo; ſed hæc aſſimilatio non fit per ſolam animæ ſubſtantiam: ergo fit per omnes ejus tres potentias, in quibus Trinitas exprimitur, & quibus immediate character inhæret.

Reſpondemus ad I., diſtinguendo majorem; eſt ſignum inſtrumentale, cognitum, & cognitionem exciians, conceditur; eſt ſignum formale, non cognitum, & cognitionem non excitans, negatur. Igitur admiſſo etiam, quod character ut ſignum reſpiciat intellectum, non per hoc tamen ſit, quod reſpiciat intellectum ſubjective; at tantum objective; per hoc ſcilicet, quod character intellectum habeat uti objectum, non uti ſubjectum.

Ad

Ad II., dicitur pariter, quod character eſt lumen, at objectivum, non intentionale, ſe tenens ex parte objecti, non ex parte potentiæ; eſt pariter inſtrumentalis & objectiva imago & figura, non autem formalis, aut intentionalis. Unde ſubdit Cacheranus, cujus eſt hæc reſponſio: „ ideo abſtrahendum etiam ab eo, quod prædicta prædicata non ſine aliqua improprietate, & allegoria, characteri tribuantur; dico ex ipſis nullatenus inferri, quod ſubjective, ſed tantum quod objective ad intellectum character pertineat, ut magis explicat Lugus ſect. citata num. 60., & 61.

Ad III., dicitur, quod proprie character non importat obligationem, ſed deputationem, quanvis deinde ex deputatione obligatio oriatur. Si enim character ex ſuis intrinſecis importaret obligationem, quæ conſiſtit in voluntate, & in voluntate, quæ operatur, parvuli, & amentes, qui habent voluntatem non operantem, non eſſent hujus obligationis capaces, ac per conſequens nec poſſent hunc recipere characterem. Capaces ſunt autem deputationis, in qua nos facimus conſiſtere characterem, & conſequenter capaces etiam dicimus illos, ut recipiant illum.

Ad IV. Ex S. Thoma hæc reſpondet Cacheranus. „ Sacramentalis character, „ ut tradit & explicat Divus Thomas „ hic quæſt. 63. art. 3., dicendus eſt „ character Chriſti, potius quam Dei; & „ Chriſto, ejuſque Sacerdotio, nos configurat potius, quam Deo; a Chriſto „ quippe eſt ſpecialiter participative, „ & exemplariter; a Deo ſolum effective; „ & præterea, quatenus ut procedens „ effective a Deo poteſt dici character „ Dei; eſt character Dei ut unius, non „ ut Trini; opere quippe Dei ad extra „ ſunt veſtigia, & quaſi figuræ divinæ „ eſſentiæ, non Trinitatis; nulla igitur eſt proportio inter configurationem trium potentiarum animæ cum „ Trinitate, & configurationem characteris cum Deo; & omni ex parte „ nutat inſtantia, quatenus a configuratione deſumitur.

Pro Secunda & tertia Diſſertationis parte, quæ reſpicit characteris proprietates, & inter has, illam præcipue, quæ dicitur *indelebilitas*, aliqua diximus ſupra, quibus conſtat, characteris proprietates eſſe indelebilitatem, ex qua oritur, quod ipſe ſit initerabilis, ideoneitatem in ſubjecto, & capacitatem illius in creatura. Diximus quoque, characterem eſſe indelebilem & in hac, & in altera vita, ſive creatura in cœlis regnet cum Deo, ſive apud inferos cum Dæmonibus torqueatur. Nunc videndum ſupereſt, an character poſſit de Dei potentia deleri vel in hac, vel in altera vita? pro quo

Dicimus II., characterem ſacramentalem eſſe indelebilem tum in hac, tum in altera vita de potentia Dei ordinaria; de potentia vero Dei abſoluta deleri poſſe in utraque vita.

Prima pars Concluſionis I. Probatur de hac vita. Si character ſacramentalis deleri poſſet in hac vita, vel a Deo, vel a creatura deleretur; ſed a neutro ex his deletur: ergo character ſacramentalis de potentia Dei ordinaria eſt indelebilis in hac vita. Probatur minor. Character ſacramentalis eſt quid ſupernaturale; ſed omnes naturæ vires nihil poſſunt contra id, quod eſt ſupernaturale: ergo a creatura deleri non poteſt character ſacramentalis. Neque a Deo; quia ſi Deus deleret illum, maxime propter demeritum creaturæ deleret; ſed propter demeritum creaturæ non delet: ergo Deus de potentia ſua ordinaria characterem ſacramentalem non delet. Probatur minor. Creaturæ demeritum maxime eſſet peccatum mortale; ſed per peccatum mortale Deus characterem ſacramentalem nō delet: ergo propter demeritum creaturæ non delet. Probatur minor. Propter peccatum mortale non omittit Deus imprimere characterem ſacramentalem: ergo propter peccatum mortale Deus eundem non delet.

II. Probatur de altera vita. Si character ſacramentalis deleretur in morte a Deo, vel deleretur per ſubtractionem concurſus, vel per poſitionem contrarii phyſici, vel per demeritum ſubjecti, vel per ejuſdem ſubjecti deſtructionem; ſed ex nullo ex his capitibus deletur: ergo in altera vita character ſacramentalis a Deo per potentiam ſuam ordinariam non deletur. Probatur minor. Non a Deo per ſubtractionem concurſus, quia

non

non ſolet Deus denegare concurſum ſuum, niſi id exigant cauſſæ phyſicæ, & morales; neque per poſitionem contrarii phyſici, quia nullum hoc eſt aſſignabile: neque per demeritum, ſeu peccatum ſubjecti, quia currit eadem ratio in prima probatione poſita;& hoc vel ex eo magis, quia poſt mortem in altera vita neque meremur, neque demeremur; nec tandem per ejuſdem ſubjecti deſtructionem, quia anima, quæ eſt ejus ſubjectum, eſt incorruptibilis & immortalis.

Secunda Concluſionis pars probatur. Omne creatum, ſicut a Deo dependet in fieri, ita pariter a Deo dependet in conſervari: ergo quemadmodum poterat Deus characterem, qui eſt quid creatum, non producere in anima, ita poteſt etiam illum non conſervare; ſed deleret, ſi non conſervaret: ergo poteſt illum delere.

Obſtant I. Character Ordinis poteſt per nefaria ſcelera deleri: ergo character ſacramentalis non eſt omnino indelebilis in hac vita. Probatur antecedens. Auctoritas adminiſtrandi ea, quæ ſpectant ad cultum divinum, ad Sacramentorum adminiſtrationem, & ad Eccleſiæ regimen, per peccatum ita amittitur, ut reprobetur ab Eccleſia quicquid ab impiis miniſtris factum fuit; ſed hæc auctoritas importatur per characterem ſacramentalem: ergo ſi hæc auctoritas deletur & irritatur, deletur etiam & irritatur character ſacramentalis. II. Eccleſia irritavit ordinationes factas a Photio, Pſeudo-Patriarcha Conſtantinopolitano, ut videre eſt in Synodo Romana coacta a Nicolao I., Summo Pontifice, in qua contra Photium decretum eſt: *ſit omni Sacerdotii honore, & nomine alienus, & omni Clericatus officio exutus*. Et idem Nicolaus Pontifex juſſit: *eos vero, quos Photius Neophitus, & Conſtantinopolitanæ Sedis invaſor, in quolibet eccleſiaſtico Ordine provexit, omni clericali officio privamus*. Et Hadrianus II. pariter decrevit: *quos quidem Photius in gradu quolibet ordinaſſe putatus eſt, ab Epiſcoporum numero & dignitate, quam uſurpative & ficte dedit, merito ſequeſtramus*; ut legitur in VIII. Synodo generali Actione 3. III. Maximus Cynicus ordinatus Epiſcopus per aliquot Ægypti Epiſcopos, qui fuerant per pecuniam corrupti, plures Ordinationes fecit; eas tamen omnes irritas & nullas declaravit Concilium generale Conſtantinopolitanum I. Can. 6. per hæc verba. *De Maximo Cynico Philoſopho propter indiſciplinationis ejus doctrinam, quæ Conſtantinopoli orta eſt, ſtatutum eſt, ut neque Maximus fuiſſe, aut etiam eſſe putetur Epiſcopus, neque hi, qui ab eo ſunt ordinati, qualemcunque gradum Clericatus obtineant, omnibus ſcilicet, quæ circa eum, vel ab eo geſta ſunt, in irritum revocatis*. IV. Proculus, Maſſilienſis Epiſcopus, quum fuiſſet declaratus Metropolitanus ſecundæ Provinciæ Narbonenſis in Concilio Taurinenſi habito anno 397.; Zoſimus, Summus Pontifex, poſt viginti annos, Synodi judicium nullum dixit, & Ordinationes Univerſi, & Terentii Epiſcoporum, quas Proculus fecerat, irritas declaravit; ut conſtat ex ejuſdem Zoſimi epiſt. 6. ad Carthaginenſem Epiſcopum; & epiſt. 9. ad Epiſcopum Arelatenſem, & epiſt. 10. ad Maſſilienſes, in qua leguntur hæc verba. *Cum ipſe Proculus jam non ſit Epiſcopus, quæ Epiſcoporum ſunt, facit, & humanus largitor aliis ſe diei poſſe præſtare, quod datum ſibi aliquando immerito gerere non potuit*. V. Proponitur exemplum Ebbonis, qui fuit Rhemenſis Archiepiſcopus, quod quidem ſic exponit Fraſſen, qui etiam tria præcedentia narrat in Diſput. proemiali *de Sacram. in genere* art. 1. q. 3. Concl. 4.

„ Conſtat quarto exemplo Ebbonis, „ quondam Rhemenſis Archiepiſcopi, „ qui cum anno 835. tempore Gregorii „ Papæ IV., in conventu Epiſcoporum „ in Theodonis Villa habito, Epiſcopatu ſe abdicaſſet, propter nonnulla cri„ mina, de quibus accuſabatur, maxi„ me vero, quod fuiſſet promotor de„ poſitionis Ludovici Pii Imperatoris; „ nihilominus autem poſt ſuam depoſi„ tionem, regnante Lothario, Ludovi„ ci filio, in ſuam ſedem reſtitutus eſt „ per Synodum Epiſcoporum Provincia„ lium, & plures in ea Eccleſia Clericos „ quum ordinaſſet, ab ea demum Caro„ li Regis auxilio, a Galliarum Epiſco„ pis amotus, & depoſitus eſt; eique „ adhuc viventi Hincmarus fuit ſubſti„ tutus: cum autem Hincmarus poſt „ obitum Ebbonis, quos ipſe ordinave„ rat Sacerdotes, & Clericos, nollet ad„ mit-

„ mittere, Galliarum Epiſcopi cele-
„ brarunt Concilium Sueſſionenſe an-
„ no 835. tempore Leonis Papæ, in quo
„ damnarunt ejus ordinationes ab ipſo
„ Ebbone poſt depoſitionem factas, &
„ eas irritas ac nullas declararunt, ut
„ refert Flodoardus lib. 3 Hiſt. Rhem.
„ cap. 11., ubi fuſius acta hujus Concilii
„ enarrat. Igitur his omnibus con-
„ ſtat, quod epiſcopalis character,
„ & authoritas, non ſit indelebilis,
„ & inamiſſibilis, quippe cum per
„ crimina, aut depoſitionem Epiſco-
pi, deſinat. VI. Sacerdos ſi moriatur, & deinde a mortuis reſurgat, non poteſt amplius conſecrare: ergo ſignum eſt, quod poſt mortem character ſacerdotalis in eo non maneat. VII. Character ſacramentalis ideo confertur, ut Sacramenta vel conficiantur, vel ſuſcipiantur: ergo ubi Sacramenta nec conficiuntur, nec recipiuntur, uti eſt in altera vita, character non eſt neceſſarius: ergo non remanet. VIII. Damnati indigni ſunt, ut in ſe ipſis habeant quodcunque donum ſupernaturale: ergo etiam indigni ſunt, ut in ſe ipſis conſervent characterem, qui ſupernaturale eſt donum. IX. Si Altare conſecratum deſtruatur, deperditur ejus conſecratio: ergò pariter deperditur character hominis, vel baptizati, vel confirmati, vel ordinati, ſi ipſe homo moriatur. X. Virtutes theologicæ in Damnatis non remanent, quia ſunt ſupernaturales: ergo nec pariter remanet character ſacramentalis, qui eſt etiam ſupernaturalis. XI. Sicut mortuo viro, ſi deinde reſurgat, matrimonium non perſeverat, nec priorem uxorem poteſt cognoſcere; ita nec mortuo homine baptizato, ſi deinde reſurgat, poteſt recipere alia Sacramenta, niſi prius rebaptizetur. XII. Character ſi eſſet in damnatis, non eſſet cognoſcibilis ab iiſdem: ergo ſuperfluus in iiſdem eſſet. Probatur antecedens. Character eſt objectum ſupernaturale: ergo cognoſci debet per cognitionem ſupernaturalem; ſed Damnati incapaces ſunt cujuſcunque cognitionis ſupernaturalis: ergo incapaces ſunt cognoſcendi characterem tum in ſe ipſis, tum in aliis: ergo character ſacramentalis non eſſet in Damnatis cognoſcibilis.

Reſpondemus ad I., negando antecedens. Ad probationem; diſtinguitur major; reprobatur ab Eccleſia quicquid fit a Sacerdotibus impiis, tanquam invalide factum, negatur; tanquam illicite factum, conceditur. Non per hoc enim Eccleſiæ Miniſter, quod nefarius, quod impius, quod ſit ſceleſtiſſimus, deperdit auctoritatem, quam in ſua conſecratione a Deo accepit; & quamvis plurima illicite faciat, quia ſancta non ſancte tractat, eadem nihilominus valide facit, quia nunquam per ſcelera ſua, etſi immania, auctoritatem illam amittit, quam a Deo in ſua Ordinatione accepit.

Ad II. Aliqui dicunt, Ordinationes a Photio factas fuiſſe validas, ſed illicitas, eo quia Photius illicite etiam fuit ordinatus; ſex enim diebus ex laico homine Patriarcha Conſtantinopolitanus evaſit, ut teſtatur Baronius ad annum 858., & apud ipſum Nicetas verbis hiſce: „ prima die ex laico
„ factus eſt Monachus; ſecundo, effici-
„ tur Anagonеſtes; tertio Subdiaconus;
„ quarto Diaconus; quinto Presbyter;
„ ſexto denique Patriarcha ſedem con-
„ ſcedens pacem populo annunciavit,
„ nihil pace dignum cogitans. Conſecra-
„ tus eſt autem per Gregorium, Syra-
„ cuſanum Epiſcopum, Ignatii perduel-
„ lem, excommunicatum, & e throno
„ ejectum; uſus eſt autem comminiſtris
„ Petro, Sardorum Epiſcopo, qui co-
„ gnominabatur miſer, & Eulapio,
„ Apameæ Epiſcopo. At hic potius eſſet defectus Ordinationis Photii, quam Ordinationum a Photio factarum; & eſſet inſuper defectus, qui non invalidaſſet, ſed potius illicitam feciſſet eandem Photii Ordinationem; unde poſtmodum alii a Photio ordinati, fuiſſent valide ordinati. Revera tamen Photii Ordinatio valida fuit, ut conſtat ex epiſt. Joannis VIII., Summi Pontificis, ad Imperatores Baſilium, & Alexandrum, in qua Photii reſtitutionem in Sedem ſuam poſt Ignatii mortem approbat. *Nos ſtatutis apoſtolicis non præjudicantes, nec beatorum Patrum regulas reſolventes, eundem Photium ſatisfaciendo miſericordiam coram Synodo ſecundum conſuetudinem poſtulantem in vera dilectione Fratrem, in pontificali officio Comminiſtrum, in paſtorali magiſterio Conſacerdotem, pro Eccleſia Dei pace, atque utilitate, a modo Chriſto favente recipimus, atque habemus.*

hemus. Et quanvis idem Joannes VIII. a quibuſdam redarguatur, quod Photium reſtituerit, magna facilitate, nemo tamen redarguit ipſum, quod Photium recipiendum judicaverit abſque reordinatione. His ſuppoſitis de Photii Ordinatione, pergit Fraſſen ad hæc alia ſcribenda de Ordinatis a Photio. „ Idem dicendum de Ordinationibus ab ipſo factis: nam Formoſus Papa ſcribens ad Stylianum, Neocæſareæ Euphrateſiæ Epiſcopum, qui ſupplicem ſe gerebat pro Photio, inter cætera ſcribit. *Cum his, qui a Photio fuerant ordinati, miſericorditer nos gerentes, decernimus, ut ablatis libellis ſe deliquiſſe fateantur, & pœnitentia veniam deprecentur, pollicentes ſe, nunquam tale quid commiſſuros*. Quibus approbat eorum receptionem, cum pœnitentia quidem, ſed abſque nova ordinatione.

Ad III., dicitur, quod Ordinatio Maximi Cynici fuit ſimilis Ordinationi Photii; & quemadmodum illa Photii fuit illicite, & valide facta, ita pariter fuit Ordinatio Maximi. Hoc ipſum ſcribit Hadrianus II. In epiſt. ad Ignatium, Conſtantinopolitanum Patriarcham. Et quanvis uterque dicatur non Epiſcopus, ad hoc tamen citatus Fraſſen hæc alia reponit: „hæc enim dicta ſunt ad communem vulgi intelligentiam, non ad doctrinæ rigorem: ſimili pene ratione, qua veri Sacerdotes non dicuntur impii, & Sacerdotii ſuis actionibus violatores, non quod Sacerdotii dignitatem, gravitatem, authoritatem, ſtatum, perfectionemque non aſſequantur, qui turpibus facinoribus conſcentiam ſuam maculant, ſed quod Sacerdotii Leges non ſervent: quomodo vulgo negantur eſſe Conſules, qui Reipublicæ non conſulunt, medici, qui aliis non medentur, Doctores, qui docendis aliis nullam operam inſumunt, Reges, qui Regis munia aſpernantur. Quas & ſimiles phraſes, immo & duriores ad vitiorum inſectationem dici poſſe, nemo inficias ibit.

Ad IV. Zoſimus, Romanus Pontifex, dixit Proculum, Epiſcopum Maſſilienſem, non Epiſcopum, quia illicite, & contra Canones Metropolitanus ſecundæ Provinciæ Narbonenſis factus fuerat; non vero, quod non habuerit characterem, & auctoritatem epiſcopalem. Et quod verus Epiſcopus fuerit, conſtat tum ex eo, quod reperitur ſubſcriptus ſimul cum Sancto Ambroſio in Concilio Aquilejenſi anno 381., tum etiam quia S. Hjeronymus epiſt. 4. ad Ruſticum hæc de Proculo ſcribit: *habes iſtic ſanctum & doctiſſimum Pontificem Proculum, qui viva & præſenti voce noſtras ſchedulas ſuperet, quotidianiſque tractatibus iter tuum dirigat &c.* Unde ſubdit Fraſſen citatus. „ Quando itaque Proculus dicitur *non eſt Epiſcopus*, vel ordinati ab eo removentur a quocunque gradu eccleſiaſtico, vel dicuntur carere Sacerdotio; hæc omnia intelligenda ſunt non de privatione characteris in conferente Ordines, aut ſuſcipientibus, ſed de privatione honorum, graduum, & officiorum. „

Ad V. Ad exemplum Ebbonis opponimus pariter, quæ idem Fraſſen luculente & ordinate reſpondet. „ Ad quartum dico; quicquid a Synodo Sueſſionenſi, inſtigante Hincmaro, determinatum fuerat contra Clericos ab Ebbone ordinatos, id omne ab Apoſtolica Sede fuiſſe damnatum, & reprobatum, ſicut apparet ex epiſt. 46. & 47. Nicolai, Summi Pontificis. Ex quibus conſtat, quod cum Hincmarus pro confirmatione hujus Concilii iterata Legatione egiſſet apud Leonē IV. nihilque ab eo impetraſſet, Benedictum, Leonis ſucceſſorem, falſis narrationibus induxerit, Synodique confirmationem ſubreptitie obtinuerit, ſed ſub hac forma tantum conditionata; *ſi ita eſt &c*: Refert ibidem Nicolaus Pontifex, quod quum Benedictus Papa per epiſtolam ſuam voluntati Hincmari non plane ſatisfeciſſet, ille quædam eidem epiſtolæ addiderit; quædam vero pro ſuo arbitratu ab ea ſuſtulerit. Adde, quod idem Nicolaus ad calcem epiſtolæ 46. declarat, quod licet omnia, quæ adverſus Ebbonem proponebantur, eſſent vera, nihilominus Clerici ab eo ordinati, quum humilitatem & obedientiam exhiberent, cum ſuis honoribus eſſent recipiendi; quia Ebbo, qualiſcunque fuerit, nullum prorſus illis offendiculum intulit. Quod utique confirmat exemplum Maximi, qui licet Neophitus, & reprehenſibiliter fuiſſet ordinatus, tamen S. Leo noluit eum ab epiſcopali dignitate repelli; Et ex epiſtola Anaſtaſii II., qui reſcribens ad Anaſtaſium Imperato-

,, reni ait, *quod mali bona miniſtrando ſibi*
,, *tantummodo noceant, nec Eccleſiæ Sacra-*
,, *menta commaculent*. Tandem ex ipſius
,, Concilii Sueſſionenſis Actis, necnon
,, & ex iis, quæ poſtmodum pro eorun-
,, dem Clericorum ab Ebbone ordinato-
,, rum reſtitutione geſta ſunt, evidenter
,, conſtat, ejoſmodi Clericos ſuis tantum
,, gradibus pulſos, & a ſuorum Ordinum
,, miniſtratione ſuſpenſos. Conſtat, in-
,, quam, ex Concilio Sueſſionenſi; confir-
,, mat enim, quod ante ab Hincmaro fa-
,, ctum fuerat; quid autem illud ſit, ap-
,, paret ex petitione ejuſdem Clerico-
,, rum, qui ex libello ſupplici oblato
,, ejuſmodi Concilio, inquiunt; *miſeri-*
,, *cordiam petimus nobis a veſtra paternita-*
,, *te impendi de adminiſtratione Ordinum*
,, *Eccleſiaſticorum, ad quos a Domino Ebbo-*
,, *ne quondam provecti, a veſtra autem au-*
,, *ctoritate ſuſpenſi ſumus*. Conſtat pariter
,, ex geſtis pro eorum reſtitutione. Ni-
,, colaus enim, Summus Pontifex, nihil
,, aliud Hincmaro, & aliis Galliæ Epi-
,, ſcopis præcepit, niſi ut tales Clerici in
,, ſuis gradibus reſtituantur; unde quan-
,, do in eodem Concilio dicitur: *Actione*
,, *quinta decretum eſt, ut quicquid in Or-*
,, *dinationibus Eccleſiaſticis idem Ebbo poſt*
,, *ſuam damnationem egerat, præter ſacrum*
,, *Baptiſma, habeatur vacuum & irritum*;
,, hoc intelligendum eſt, quantum ad
,, honorem, & gradum, a quo ſuſpenſi
,, cenſebantur Clerici illi ab Ebbone or-
,, dinati. Eadem ratione accipiendum
,, eſt id, quod ſubjicitur poſt actionem
,, ſextam, de Alduino, qui dicitur Pre-
,, sbyteratum accepiſſe *per ſaltum* a Lu-
,, po, Catalaunenſi Epiſcopo, quia antea
,, Diaconatum ab Ebbone acceperat;
,, mens enim Concilii non eſt, quod
,, Alduinus ille non fuerit revera Dia-
,, conus, ſed quod recipiendo characte-
,, rem Diaconatus, non potuit accipere
,, gradum, & honorem illius Ordinis;
,, unde cum illo agitur eodem modo,
,, quantum ad executionem miniſterii,
,, ac ſi revera per ſaltum fuiſſet pro-
,, motus.

Ad VI. diſtinguitur conſequens: ergo ſignum eſt, quod in eo character non remanet phyſice, negatur; moraliter, quantum ſcilicet ad idoneitatē, quam tribuit character ſubjecto habenti illum, ſuſcipiendi, & conficiendi, vel adminiſtrandi Sacramenta, conceditur. Aliud eſt, quod character non perſeveret in anima, aliud quod non tribuat effectum ſuum habenti illum, non ratione deficientiæ ipſius, ſed ratione ſtatus, in quo eſt habens illum, eſt enim non in ſtatu viæ, quum non ſit viator, qualis debet eſſe, ut ſuſcipiat, vel conficiat Sacramenta; ut dictum eſt ſuo loco.

Ad VII. Character imprimitur, ut illum habentes recognoſcantur deputati ad Sacramenta aliqua recipienda, & ad aliqua reſpective conficienda, & miniſtranda, quanvis actu illa nec recipiant, nec conficiant, nec adminiſtrent. Et quidem congruum eſt, ut ſignum deputationis illius etiam poſt mortem in Deputatis remaneat; ſicut militiæ ſignum remanet in militibus poſt victoriam, in victoribus quidem ad gloriam, in victis vero ad dedecus & ad ignominiam. Ita pariter poſt mortem remanet character in Beatis ad gloriam & honorem, quia victores fuerunt; in Damnatis ad confuſionem & pœnam, quia fuerunt victi; ut pariter ſuo loco diximus.

Ad VIII., diſtinguitur antecedens; Damnati ſunt indigni, ut habeant quodcunque donum ſupernaturale, quod illis ſit ad fœlicitatem, & ad decus, conceditur; quod illis ſit ad tormentum & ad dedecus, negatur; creſcit enim, ſicut in Beatis accidentalis beatitudo ob characteris permanentiam, ita pariter augetur in Damnatis infelicitas ob ejuſdem characteris perſeverantiam.

Ad IX. Negatur paritas; & ratio diſparitatis eſt; quia Conſecratio Altaris eſt in toto & integro Altare, quod ſignificat integritatem Chriſti; adeoque etiam ſi pars Altaris deſtruatur, ipſum non remanet amplius conſecratum; characteris vero impreſſio non eſt in toto homine, ſed in anima ſola, & in ejus ſubſtantia immediate, ut dictum eſt; & ideo uſque dum permanet anima, quæ eſt incorruptibilis, & immortalis, perſeverat etiam character atque perdurat.

Ad X. Negatur quoque paritas; & hæc eſt diſparitas, quia virtutes theologicæ ſupernaturales influunt ad operationem ſupernaturalem, cujus incapaces ſunt Damnati; character vero non ſic; quia in Damnatis nihil facit, ut exerceant actionem, ſed tantum ut maximam percipiant confuſionem & pœnam, quia illo inſigniti, ut pote domeſtici,

fami-

familiares, milites, & miniſtri Chriſti, deinde Dœmonibus, qui implacabiles ſunt Chriſti hoſtes, penitus miſerrime, & infiliciter ſubjiciuntur.

Ad XI. Nec valet paritas adducta, vel quia Matrimonium non inducit characterem, ſed tantum componit nexum, qui per mortem diſſolvitur, vel quia nec per Patres habetur, quod Matrimonium perſeveret poſt unius conjugis mortem, quemadmodum de charactere habetur; quod ſcilicet etiam poſt mortem perſeveret.

Ad XII., dicitur, quod Damnati ſunt incapaces cognitionis ſupernaturalis, quæ conducat ad ſalutem, non vero notitiæ ſupernaturalis, quæ conferat ad confuſionem & pœnam. Porro Viatores capaces ſunt cognitionis ſupernaturalis, & quia illam ex meritis Chriſti Domini habent, cujus in ipſorum ſtatu poſſunt eſſe participes, & quia, quum Viatores ſint, poſſunt mereri, & demereri; quod quidem Damnati non habent, quia non ſunt in ſtatu viæ, ſed ſunt in termino, non quidem beatitatis, ſed infelicitatis æternæ.

DISSERTATIO CCCXXIV.

De altero Sacramentorum effectu, qui eſt character. An character ſacramentalis ſit relatio rationis? An ſit tantum denominatio extrinſeca? An ſit entitas accidentalis, ſeu qualitas prædicamentalis, producta, prout explicat Schola peripatetica?

Recolenda ſunt quæ diximus in Diſſertatione 321. circa characteris naturam, ſeu eſſentiam; prout ſcilicet eam diverſimode explicarunt Scholaſtici Doctores, ſecundum varias, quas in philoſophia ſequebantur, & defendebant, ſententias; convenientibus tamen omnibus in illo, quod ab Eccleſia præſcribitur atque docetur, dari nimirum characterem, qui a tribus Sacramentis, quæ ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, confertur, & eum imprimi in anima, illique inhærere, ſecundum Conciliorum loquendi modum. Durandus, ut diximus, voluit, characterem non eſſe *quid reale & abſolutum, diſtinctum ab anima*, ſed eſſe tantum *relationem*, ſeu *denominationem externam*, per quam homo deputatur ad aliquas ſacras functiones, ſive active, ſive paſſive. Opinioni Duraudi accedit opinio aliquorum Recentiorum, quos ſuppreſſo nomine citat Jueninus, & qui pro charactere, ſolum intelligunt *decretum, quo Deus ſtante & perpetua lege vult, ut Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine initiatus, aptus & idoneus ſiat, vel ad novam aliam conſecrationem recipiendam, vel ad ſacrum aliquod munus obeundum*. Hoc ſane decretum eſſet pariter denominatio extrinſeca, quæ cum illa Durandi coincideret: Scotus ex alia parte docuit, eſſe *relationem realem*, quem ſequuntur Faber, Centinus, Brancatus, aliique, quanvis eum Maſtrius aliter intelligat, ac diverſimode interpretetur; quem non pauci moderni Scotiſtæ ſequuntur. Alii TheologiScholaſtici Peripatetici tuentur, *eſſe modum, ſeu entitatem modalem*; alii, & magis communiter inter eoſdem Ariſtotelis Aſſeclas, volunt, eſſe *qualitatem realiter ab anima diſtinctam*. Et quia Paripatetici quatuor ſpecies qualitatis enumerant, *habitum* ſcilicet, *paſſibilem qualitatem, potentiam*, & *figuram*; inde eſt, quod primæ ſpeciei characterem ſacramentalem adſcribunt Suarez, Bellarminus, Vaſquez, Maſtrius &c. Secundæ ſpeciei Joannes a S. Thoma, Gonetus, Cajetanus &c. Tertiæ ſpeciei Ochamus, Bonavētura, Lugus &c.

Quar-

Quartæ ſpeciei Marſilius, Richardus, Averſa, Salas &c. Tandem Domiuicus Soto, ut refert Du-Hamel, docuit, eſſe *accidens metaphyſicum*, *ratione tantumodo ab ipſa anima diſtinctum*; quanvis Cacheranus velit, Sotum coincidiſſe cum Durando. Durandi ſententiam Gonetus vocat erroneam; Suarez ait, non poſſe nunc ab errore in fi. de vindicari; Bellarminus exiſtimat ab Hæreſi hujus temporis diſtingui vix poſſe; Lugus contra mentem Conciliorum appellat: Vaſquez tamen omnem cenſuram ab ea conatur repellere. Tandem P. Maignanus, P. Saguens, aliique recentiores Philoſophi, qui phyſica accidentia negant, characterem etiam eſſe *accidens phyſicum, vel de genere modalitatis*, *vel de genere qualitatis*, omnino inficiantur.

Dicimus I. Characterem ſacramentalem non eſſe Relationem quandam a ratione fictam, qua quis alicui muneri deſtinatur, vi ſuſcepti Sacramenti.

I. Probatur Concluſio. Juxta modum loquendi Conciliorum, & Patrum, character ſacramentalis importat actionem realem in anima: ergo non poteſt conſiſtere in relatione rationis, prout eam explicat Durandus. Conſequentia ſequitur; quia relatio rationis pro formali non eſt *quid* præter opus intellectus; actio autem realis eſt *quid* præter opus intellectus, ſive ab agente, & a paſſo diſtinguitur, ſive non. Antecedens probatur. Ea prædicata a Conciliis, & a Patribus tribuuntur characteri, quæ omnino realem actionem important, quæ ſit ante omne opus intellectus: ergo ex mente Conciliorum, & Patrum, character ſacramentalis importat actionem realem. Probatur antecedeas. Concilia, & Patres, loquentes de charactere ſacramentali, aſſerunt, quod character imprimatur animæ, quod illam ſignet, quod illam ſigillet; ſed hæc omnia ſunt prædicata, quæ connotant actionem realem: ergo prædicata, quæ a Conciliis, & a Patribus, tribuuntur characteri ſacramentali, omnino actionem realem important, quæ ſit ante omne opus intellectus.

II. Probatur. Relatio rationis a Durando excogitata convenit omnibus Sacramentis; ſed non omnia Sacramenta imprimunt character: ergo character ſacramentalis non conſiſtit in relatione rationis, quam Durandus excogitavit. Probatur major. Omnia Sacramenta producunt gratiam, vel primam, vel ſecundam; ſed per gratiam, quæ producitur, importatur hæc relatio rationis: ergo in omnibus Sacramentis hæc rationis relatio verificatur. Probatur minor. Gratia, quæ producitur, dicit relationem & ad producentem illam, & ad eum, qui illam recipit: ergo ſi in omnibus Sacramentis producitur gratia, produceretur etiam relatio rationis, in qua Durandus conſiſtere facit ſacramentalem characterem.

Dicimus II., characterem ſacramentalem non conſiſtere in extrinſeca denominatione prout illam explicat Sotus.

I. Probatur Concluſio. Character ſacramentalis eſt intrinſecus animæ: ergo non conſiſtit in extrinſeca denominatione. Probatur antecedens. Ex Conciliis, & Patribus imprimitur animæ, inhæret animæ, eſt indelebilis ab anima; ſed hi omnes loquendi modi important, quod character ſit intrinſecus animæ: ergo character ſacramentalis eſt intrinſecus animæ.

II. Probatur. Qui faciunt characterem ſacramentalem conſiſtere in extrinſeca denominatione, illum explicant per ſimilitudinem ad extrinſecam denominationem, quam habet Dux militiæ, Gubernator Civitatis, Rector Eccleſiæ, per relationem ad exercitum, ad Urbem, ad Eccleſiam, quam regunt; ſed per hæc exempla non ſalvantur, quæ ſalvari debent in charactere ſacramentali per relationem ad animam, in qua producitur, & in qua reſidet: ergo non ſufficiens eſt extrinſeca denominatio ad explicandam characteris eſſentiam.

Dicimus III., characterem ſacramentalem non conſiſtere in relatione reali, ut dicebat Scotus, nec in aliquo reali abſoluto, quod pertineat ad qualitatem, ut alii aſſerunt.

Prima Concluſionis pars probatur, tum quia per ipſum Scotum relatio per veram actionem non producitur, ſed reſultat ex fundamento & termino, & character dicitur produci, & imprimi per Sacramenta; tum etiam quia in omni relatione aſſignari debet fundamentum, quod in opinione Scoti non eſt aſſignabile. Et probatur ſic; quia fundamentum hoc non poteſt eſſe gra-

gratia, nec dona, nec virtutes, quia ſine his character imprimitur, & perſeverat; nec poteſt eſſe animæ ſubſtantia, vel aliqua ejus potentia, quia in Sacramentis veteris Legis non imprimebatur character, & nihilominus in recipientibus illa erat animæ ſubſtantia, & erant omnes illius potentiæ. Nec denique ipſa ſacramentalis actio, quia fundamentum ad relationem præſupponitur, & non ex relatione reſultat, ſed potius ex ipſo reſultat relatio.

Secunda Concluſionis pars probatur I. contra illos, qui characterem ponunt in ſpecie potentiæ, quia iſta potentia, ſive activa, ſive paſſiva, eſſet entitas, quæ non eſſet anima, licet eſſet in anima: ergo non magis pertineret ad illam, quam ſi non eſſet in illa: ergo ad aliquam ejus perfectionem non pertineret; ſed omnis potentia eſt perfectio aliqua ſubjecti, cujus eſt potentia: ergo talis entitas non eſſet potentia animæ, ſed eſſet ſolum entitas aliqua intra animam, quæ animam nullatenus intrinſece immutaret, ſicut non immutat intrinſece corpus, aut ullam corporis potentiam per hoc, quod corpori penetretur.

II. probatur; quia multæ ſunt conſignationes ſpirituales, quæ in anima a Deo fiunt, independenter ab hujuſmodi entitatibus diſtinctis: ergo non eſt neceſſe, ut ad explicandos characteres ſacramentales ad qualitates haſce recurramus. Probatur antecedens, tum quia quælibet anima ſpecifice & individualiter conſignata eſt per hoc, per quod animæ inter ſe invicem & a rebus aliis differunt; tum etiam quia anima eſt conſignata ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quum ſuper ipſam *ſignatum ſit lumen vultus Domini*; tum denique quia anima conſignatur per habitus infuſos, qui non ſunt realiter ab ea diſtincti, vel ſi ſunt, non ſunt per qualitates accidentales, ſed alio modo, ut diximus de fide, ſpe, & charitate.

III. Probatur. Si quid obſtaret, quod character ſacramentalis non conſiſteret in qualitatibus iſtis, eſſet hoc, quia non verificaretur, quod dicitur de charactere a Patribus, & a Conciliis, quod ſcilicet character imprimatur, & inhæreat animæ; ſed hoc potius non ſalvatur, ſi dicatur, quod character conſiſtat in qualitatibus realiter diſtinctis: ergo &c. Probatur minor. Salvari debet, quod character ſit indelebilis; ſed non ſalvatur, quod character ſit indelebilis, ſi character conſiſteret in qualitate ſuperaddita: ergo non ſalvatur &c. Probatur antecedens. Si illa entitas eſſet ſuperaddita, eſſet realiter diſtincta ab anima; ſed hoc ipſo non eſſet ex natura ſua indeſtruibilis: ergo non eſſet ex natura ſua indelebilis.

IV. Probatur. In obſignatione facta a ſigillo in cera nihil eſt diſtinctum realiter, quod ſit ſuperadditum aut ſigillo, aut ceræ, ſed tantum eſt hinc actio, hinc paſſio reſpective, quæ realiter ſunt indiſtinctæ ab agente, & a paſſo; ſed characteres ſacramentales ſunt conſignationes quædam, quibus anima eſt, & agnoſcitur deputata ad certa divina officia, & miniſteria: ergo non ſunt, nec explicari debent, per entitates eidem animæ ſuperadditas.

Arguunt I. Character eſt ſignum; ſed omne ſignum dicit relationem ad rem ſignificatam: ergo character conſiſtit in relatione reali, ut aſſerit Scotus. II. Sola externa Dei voluntas, & deſtinatio, ſufficit, ut per ipſam homo deputetur per Sacramenta ad res ſacras, vel percipiendas, vel peragendas; ſed hæc eſſet tantum denominatio extrinſeca, & relatio rationis, quam tuetur Durandus: ergo hæc ſola ſufficit ad characteris naturam explicandam III. Per Concilia character inhæret animæ; ſed inhærere eſt proprium accidentis phyſici, ſeu qualitatis ſuperadditæ: ergo in hac conſiſtit character ſacramentalis. IV. Per Patres character imprimitur in anima; ſed quod imprimitur, eſt quid diſtinctum realiter ab eo, in quo imprimitur: ergo character ſacramentalis conſiſtit in qualitate, quæ ſit realiter ab anima diſtincta. V. Si character non conſiſteret in qualitate realiter ab anima diſtincta, ſequeretur, quod character eſſet ſicut eſt Doctoratus, vel Magiſterium, vel aliquod aliud hujuſmodi, per quod nihil ſuperadditum importatur; ſed hoc improbatur in ſententia Durandi: ergo pariter improbari debet in ſententia aſſerente, characterem non conſiſtere in qualitatibus realiter ab anima diſtinctis. VI. Nemo alius Catholicus Theologus

gus Theologus eſt, qui characterem ſacramentalem explicaverit non recurrens ad qualitates haſce realiter diſtinctas ab anima, & animæ ſuperadditas, & qui fuerit ab Eccleſia toleratus: ergo ſaltem per hoc qualitates illæ, per quas communiter explicatur character ſacramentalis, ſunt admittendæ.

Reſpondemus ad I., quod ſignum dicens relationem ad rem ſignificatam præſupponit aliquod reale, ratione cujus eſt ſignum. Character ſacramentalis, verum eſt, quod eſt ſignum, & relationem dicit ad rem ſignificatam, ſed hæc relatio præſupponit in anima conſignationem realem, quæ in illa fit per actionem ſacramentalem, ratione cujus anima & deputatur ad munera ſacramentalia correſpondentia peragenda, & ad eadem ſignificanda obſignatur.

Ad II., dicit Tournely, quod non ſufficit ad ſalvandam Durandi opinionem, quod ipſa ſit facilior intellectu, & fidei non adverſetur; ſed requiritur præterea, ut aperte cõſentiat cum modo loquendi, & cum proprietate verborum, quæ uſurpantur a Conciliis, & a Patribus. Opinio autem Durandi ſic non conſentit; quia illa ſuppoſita, non verificatur, quod character ſacramentalis ſit ſignum ſpirituale animæ impreſſum, inhærens, & indelebile; etenim revera & proprie externa denominatio,& deſtinatio hominis ad res ſacras, ſive perficiendas, ſive recipiendas, non importat quid animæ impreſſum, inhærens, & indelebile. Ad exemplum Principis idem Tournely dicit. „ Princips enim
„ cum Magiſtratum ad aliqua officia de-
„ legat, nihil in eo ponit, nec aptum
„ eum facit, ſed ſupponit: Deus e con-
„ tra, qui in animam ipſam hominis il-
„ labitur,quem amat ſuo amore dignum
„ facit per infuſionem gratiæ, & quem
„ pariter ad cultum ſuum certa ratione
„ conſecrat, per internam aliquam
„ qualitatem ipſum diſponit, ac de-
„ ſtinat.

Ad III. Concilia dicunt quidem characterem imprimi, non autem dicunt characterem inhærere. Figura imprimitur in cera, ſed per illos, qui dicunt modos non eſſe a rebus realiter diſtinctos, ut ſunt Peripatetici non pauci, non per hoc ſequitur, quod figura inhæreat ceræ, quia non per hoc, quod imprimitur in cera, fit, quod ſit aliquid reale diſtinctum a cera. Poteſt etiam dici, quod metaphyſice inhæreat; quatenus metaphyſice eſt *quid* præter animæ eſſentiam.

Ad IV. Utique imprimitur character in anima, quatenus eam modificat modo illo, quo Deus illam obſignat per actionem ſuam, ut cognoſcatur obſignata & deputata ad ſacramentalia munera vel recipienda, vel peragenda; hæc autem modificatio non eſt neceſſe, ut dicamus, quod importet qualitatem realiter ab anima diſtinctam, & in anima receptam, ut vere non dicunt Peripatetici illi omnes, qui modos a rebus, quarum ſunt modi, realiter diſtinctos non agnoſcunt.

Ad V., dicitur, quod paritas illa Doctoratus, & Magiſterii eſt propria ſententiæ Durandi, non autem noſtræ ſententiæ, quia per nos vere imprimitur, realiter quidem & phyſice character, quod non dicebat Durandus, aſſerens, characterem eſſe *meram relationem rationis, quandam denominationem extrinſecam*, ut Doctoratus, Magiſterium &c. Vel, ut modo dicunt aliqui Recentiores apud Jueninum, qui per characterem ſolum intelligunt decretum, quo Deus ſtaute & perpetua lege vult, ut Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, initiatus aptus & idoneus fiat vel ad novam aliam conſecrationem recipiendam, vel ad ſacrum aliquod munus obeundum. Sane de nec hoc decreto, ſicut nec de illa denominatione,verificari poteſt, quod imprimatur, quod ſit ſignum in anima indelebile, quæ exiguntur a Conciliis, & a Patribus, quæ tamen in noſtra explicatione verificantur.

Ad VI. Verum non eſt, quod omnes Catholici Theologi characterem ſacramentalem explicent per *qualitatem phyſicam ab anima realiter diſtinctam, & animæ ſuperadditam*; ut videre eſt de Durando, de Dominico Soto apud Du Hamel, de Scoto, & de Recentioribus illis, quos affert Jueninus; & tamen hi omnes ab Eccleſia tolerantur. Non enim Eccleſia ariſtotelica placita inter definitiones ſuas adnumeravit, ſed ea tantum nobis proponit, ut nos aſſeramus, quæ ab ipſa definita ſunt; quod ſane nos effeciſſe puta-

putamus, admittendo characterem ſacramentalem in anima impreſſum realiter, & animæ metaphyſice inhærentem, quemadmodum eſt ab anima methaphyſice diſtinctus, ut ſatis explicavimus, ut ſalventur modi loquendi Patrum, & Conciliorum.

DISSERTATIO CCCXXV.

De Sacramentorum proprietatibus? An Sacramenta novæ Legis ſint æqualis dignitatis, vel alia aliis excellant? An eodem ſemper ordine diſpenſata & recepta fuerint in Eccleſia Catholica Sacramenta?

PRIMA Sacramentorum proprietas eſt dignitas ipſorum; quæ quidem dignitas, vel intelligi poteſt *per ſubſtantiam*, ex qua Sacramentum intrinſece conſtat, vel *per effectus*, quos producit, vel *per myſterium*, quod exhibet, vel *per miniſtrum*, a quo confertur.

Dicimus I. Ratione ſubſtantiæ, ex qua conſtat, Euchariſtiam eſſe Sacramentum cæteris præſtantius; ratione effectus Baptiſmum eſſe digniorem; ratione Miniſtri Ordinem cæteris excellere; ratione Myſterii Matrimonium aliis præire.

Prima Concluſionis pars probatur I. Cætera Sacramenta continent gratiam tantum; ſed Euchariſtia continet gratiam, & gratiæ auctorem: ergo Euchariſtia præter gratiam, quam cætera continent, continet Chriſtum; ſed hic eſt præſtantior, quam gratia, quæ ab ipſo producitur: ergo inter Sacramenta Euchariſtia, ratione ſubſtantiæ, ex qua conſtat, eſt Sacramentum cæteris præſtantior.

II. Probatur. Illud eſt præſtantius Sacramentum, quod ſemper continet illud, quod alia Sacramenta continent tantum, quando illis utimur; ſed reliqua Sacramenta habent vim ſanctificandi tunc primum, quando illis utimur, & in Euchariſtia ante illius uſum continetur Chriſtus, qui eſt omnis ſanctitatis auctor: ergo Euchariſtiæ Sacramentum eſt cæteris præſtantius. Minor eſt doctrina Concilii Tridentini ſeſſ.. 13. cap. 3. *Commune hoc quidem eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem; verum illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor ante uſum eſt; nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cum vere tamen ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe, quod præbebat.*

Secunda pars Concluſionis probatur I. Ille eſt effectus dignior Sacramenti, qui dignius confert beneficium recipienti Sacramentum; ſed Baptiſmus confert dignius & locupletius beneficium ſuſcipienti illum: ergo Baptiſmus producit digniorem effectum. Probatur minor. Baptiſmus non ſolum delet peccati culpam, ſed etiam totam ſimul & ſemel delet peccati pœnam; ſed hæc deletio culpæ & pœnæ peccati majus eſt beneficium nobis, quam deletio ſolius culpæ, quæ per alia Sacramenta habetur: ergo majus & locupletius beneficium nobis confertur per Baptiſmum, quam per alia Sacramenta.

II. Probatur. Nobilior effectus Sacramentorum eſt dare aditum, & aperire introitum ad alia Sacramenta ſuſcipienda; atqui hoc præſtatur per Baptiſmum: ergo ratione effectus hujuſce Baptiſmus eſt cæteris Sacramentis dignior. Probatur minor. Illud Sacramentum aditum dat, & introitum aperit ad alia Sacramenta ſuſcipienda, quod vere eſt janua omnium Sacramentorum; ſed Baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum: ergo

Baptiſmus aditum dat, & introitum aperit ad omnia Sacramenta recipienda.

Tertia Concluſionis pars probatur I. Epiſcopi ſunt miniſtri in Eccleſia cæteris aliis miniſtris digniores; ſed ſoli Epiſcopi ſunt Sacramenti Ordinis miniſtri: ergo Ordo a dignioribus miniſtris confertur. De majori propoſitione non eſt dubium, ut probabimus de Sacramento Ordinis contra Hæreticos, pauciſſimos antiquos, & plurimos Novatores. Minor probatur. Sacri Ordines ſaltem a ſolis Epiſcopis conferuntur; ergo ſoli Epiſcopi ſunt miniſtri Sacramenti Ordinis.

II. Probatur. Primi, qui Sacramentum Ordinis contulerunt poſt Chriſtum fuerunt Apoſtoli; atqui Epiſcopi ſunt Apoſtolorum Succeſſores: ergo Epiſcopi ſunt primi & ordinarii Ordinis miniſtri; atqui Epiſcopatus eſt major in Eccleſia dignitas: ergo miniſtri Ordinis primi & ordinarii ſunt digniores cæterorum Sacramentorum miniſtris.

Quarta Concluſionis pars probatur I. Illud eſt dignius Sacramentum ratione myſterii, quod a Scripturis appellatur magnum; ſed ſolum Matrimonium ab Apoſtolo inter Sacramenta ratione myſterii, quod continet, dicitur magnum: ergo ſolum matrimonium ratione myſterii, quod continet, eſt dignius inter Sacramenta. Probatur minor. Apoſtolus ait: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*; quæ quidem verba denotant Chriſti unionem cum Eccleſia, qua quidem unione nullum altius aſſignari poteſt myſterium.

II. Probatur. Matrimonium eſt cæteris Sacramentis antiquius, utpote inter primos Parentes initum, & a Deo inſtitutum, ut ſignificaret, quod deinde Chriſtus inſtituere debebat, & de facto inſtituit, per Sacramentum, ad quod elevavit matrimonium ipſum, ut de facto ſignificaret, quod a ſua prima inſtitutione ſignificaverat, unionem ſcilicet Chriſti cum Eccleſia; atqui hæc antiquitas importat majorem dignitatem in matrimonio ratione myſterii, quod continet: ergo matrimonium ratione myſterii eſt dignius Sacramentum.

Objiciunt I. Confirmatio confert jus ad auxilia actualia, quæ ſunt neceſſaria ad confitendam fidem coram Tyrannis; ſed hoc jus importat gratiam ſacramentalem digniorem cæteris gratiis ſacramentalibus, quæ ab aliis Sacramentis conferuntur: ergo Confirmatio ratione effectus, ſeu gratiæ, eſt cæteris Sacramentis dignior. II. Baptiſmus delet ſolam culpam originalem, Pœnitentia vero delet omnia peccata, quæ poſt Baptiſmum commiſſa ſunt; ſed dignius eſt Sacramentum, quod delet plura peccata, quam quod delet unum tantum: ergo ratione effectus Pœnitentia eſt Baptiſmo dignius Sacramentum. III. Excellentior eſt poteſtas, quæ confertur a Sacramento Ordinis, poteſtate, quam cætera Sacramenta conferunt: ergo Sacramentum Ordinis non ſolum eſt dignius ratione miniſtri, ſed etiam ratione effectus. IV. Nullum Sacramentum eſt, per quod remittantur reliquiæ peccatorum, ita ut anima remaneat omnino a peccatis munda, & ſic æternam beatitudinem ingrediatur, præter ſolam extremam Unctionem: ergo ſaltem ratione hujus effectus extrema Unctio eſt aliis Sacramentis Sacramentum dignius.

Reſpondemus ad I., concedendo totum argumentum, ſi de gratia ſacramentali ſit ſermo; at nos, quando dicimus, Baptiſmum eſſe dignius Sacramentum cæteris ratione effectus, intelligimus de gratia habituali, & de effectu, quem in nobis producit ipſa gratia habitualis; qui quidem effectus, quum ſit remiſſio omnis culpæ, & omnis pœnæ, hoc ipſo dici debet dignior gratia habituali, quæ ab aliis Sacramentis confertur.

Ad II. Baptiſmus non delet ſolam culpam originalem, ſed etiam omnes actuales, quæ commiſſæ fuerunt ante ipſius ſuſceptionem; unde ex hoc eſt dignior pœnitentia, quæ delet ſolas culpas actuales poſt Baptiſmum commiſſas; nullo autem modo delet originale peccatum, immo nec delere poteſt, quia ſoli Baptiſmo Deus hanc tribuit poteſtatem.

Ad III., dicitur, quod poteſtas, quæ confertur a Sacramento Ordinis, ſupponit in ſubjecto, cui illam confert, capacitatem recipiendi illam, quam quidem capacitatem a Sacramento Baptiſmi fuit illi collata; unde ſemper ſtat, quod præſupponi debet Bapti-

ſmus

ſmus in anima, antequam poteſtas Ordinis recipiatur; & per conſequens poteſtas illa Ordinis, ſaltem initiative, a Baptiſmo quoque dependet.

Ad IV. Baptiſmus remittit omnia peccata, & omnes reliquias peccatorum, ſi, qui illum ſuſcepit, ſtatim poſt illius ſuſceptionem ab hac vita decedat, & ſine ullo impedimento æternam ingredi poteſt beatitudinem; & hoc non tantum in Infantibus, ſed etiam in Adultis, qui illico moriuntur poſt Baptiſmum ſuſceptum.

Dicimus II., Septem novæ legis Sacramenta non eſſe æqualis dignitatis, ſed alia aliis excellere.

Primo, Concluſio eſt contra Lutherum, qui in lib. *de inſtituendis miniſtris* ad Pragenſes ſic aſſeruit. *Unum Sacramentum altero dignius eſſe non poteſt, quum eodem verbo Dei omnis conſtent.* Hoc ipſum dicere coguntur Calviniani, non agnoſcentes in Euchariſtia Chriſtum, niſi tantum tropice & figurate; unde nullam habent rationem Euchariſtiam cæteris Sacramentis anteponendi. Idem etiam fateri debent Lutherani Ubiquiſtæ, qui, quum ubique velint Chriſti corpus reperiri, adhuc per conſequens in Baptiſmi aqua, in Confirmationis oleo reperietur; ſicque rationem peculiarem non habent, ut Euchariſtiam aliis Sacramentis præferant.

Secundo, Calvinus in Antidoto, & Kemnitius in Examine part. 2. pag. 75., Tridentini definitionem, quaſi deridendo, ſuſcipiunt, dicentes, ipſos vere ponere Sacramentorum diſparitatem, quam Concilium requirit, quia Baptiſmum, & Euchariſtiam a Chriſto fatentur Sacramenta inſtituta, reliqua vero dicunt eſſe hominum inventa. Verum hæc non eſt diſparitas, at potius deſtructio Sacramentorum, quæ a Concilio non aſſeritur, immo potius contrarium definitur, quando Can. 1. ejuſdem ſeſſ., ſeptenarius Sacramentorum numerus contra ipſorum errores declaratur.

Tertio, Kemnitius a falſitatibus in contumelias prorumpens non erubuit aſſere, Canonis hujuſce cauſſam fuiſſe, quod Concilium renovare voluerit antiquam contumeliam, ſcilicet, Chriſma Baptiſmo præferri, & Ordinem cæteris antecellere, quia lucra miniſtris conferunt majora, & Præbendas afferunt pinguiores. Inſuper Ordinem adeo eſſe conjugio præſtantiorem, ut ſimul cum matrimonio ſtare non poſſit. Verum iſta & hujuſmodi injurioſe nobis imponit hæreticus homo; quum revera Concilii mens in eo Canone fuit, Lutheranorum errorem de Euchariſtiæ, & Baptiſmi paritate damnare. Igitur mens Catholicorum, & Concilii eſt, quod, quanvis Sacramenta omnia ſeptem ejuſdem ſint generis, & vere & proprie omnia ſint Sacramenta, ſpecie tamen differunt, & ſecundum varias rationes nullum ſit, quod alteri non præſtet.

I. Probatur Concluſio ex Concilio Trident. ſeſſ. 7. Can. 3. ubi habetur: *Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.*

II. Probatur ratione, quia, ut diximus & probavimus, Baptiſmus eſt dignius Sacramentum ratione effectus, Euchariſtia ratione ſubſtantiæ, Ordo ratione miniſtri, Matrimonium ratione myſterii; ſed hæ ſunt diverſæ rationes, per quas major dignitas unius Sacramenti ſupra cætera Sacramenta probatur: ergo omnia Sacramenta propter peculiares rationes non ſunt inter ſe paris & æqualis dignitatis.

III. Probatur de aliis Sacramentis propter peculiares rationes, quas habent; & quidem Confirmatio habet peculiarem gratiam ſacramentalem, quæ conferi ſuſcipienti illam vires & fortitudinem, ut confiteatur fidem contra impios infidelitatis miniſtros; extrema Unctio remittit reliquias peccatorum, quæ committuntur poſt Baptiſmum, & Pœnitentia remittit omnia peccata, quæ poſt Baptiſmum etiam homo comiſit: ergo ſecundum has peculiares rationes quodlibet Sacramentum eſt alio præſtantius in ſpecifica ſui ratione, quanvis in generica ratione Sacramenti omnia conveniunt, quia omnia æqualiter ſunt Sacramenta.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, quæ reſpicit ordinem Sacramentorum, non intelligitur hic *ordo dignitatis*, de quo ſatis huc uſque in hac Diſſertatione dictum eſt; ſed intelligitur *ordo enumerationis*, qui pariter vocatur *ordo naturæ*, ſeu *generationis*, quia per hunc naturaliter unum aliquo modo prærequiritur ad alium, aut præſuppoNitur. Secundum hunc ordinem ita Sacra-

Digitized by Google

Sacramenta enumerantur: Baptiſmus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Sic Concilium Florentinum in decreto Eugenii; ſic Trident. ſeſſ.7. can.1. *de Sacram. in genere*; ſic S. Thomas 3. part. q.65. art.2., cum quo & cæteri Scholaſtici; ſic tandem Catechiſmus Romanus juſſu S. Pii V. editus, cujus hæc verba ſunt. *Primus numeratur Baptiſmus, veluti cæterorum janua, quo Chriſto renaſcimur, deinde Confirmatio, cujus virtute fit, ut divina gratia augeamur, & roboremur. Tum Euchariſtia, qua, tanquam cibo vere cæleſti, ſpiritus noſter alitur, & ſuſtinetur; ſequitur quarto loco Pœnitentia, cujus ope ſanitas amiſſa reſtituitur, poſtquam peccati vulnera recepimus; poſtea vero extrema Unctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur, & animæ vires recreantur. Sequitur Ordo, quo publica Sacramentorum miniſteria perpetuo in Eccleſia exercendi, ſacraſque omnes functiones exequendi poteſtas traditur; Matrimonium, ut ex maris & fœminæ legitima & ſancta conjunctione, filii ad Dei cultum, & humani generis conſervationem procreentur, ac religioſe educentur.*

Dicimus III., Sacramenta eodem ſemper ordine nec diſpenſata, nec recepta fuiſſe in Eccleſia; convenientius tamen eſſe, ut hoc ordine diſpenſentur, ac recipiantur.

Prima Concluſionis pars probatur; quia primitus Cathecumenis omnibus, ſive parvulis, ſive Adultis, ſimul conferebātur Baptiſmos, Confirmatio, & Euchariſtia; & hic mos, ut ait Jueninus in Commentario, per duodecim ſecula viguit, & modo adhuc in Eccleſia Orientali viget, ut teſtatur Archudius, & ipſorum Eulologiæ manifeſtant. Ad præſens vero in Eccleſia occidentali parvulis ſolus Baptiſmus confertur, Adultis Cathecumenis, ſi adſit Epiſcopus, confertur etiam Confirmatio, & Euchariſtia reficiuntur, ſi de tanto myſterio, quæ neceſſaria ſunt, didicerint. Lapſi vero poſt Baptiſmum mundabantur per Pœnitentiam, & Euchariſtia reficiebantur; Infirmi autem extrema paritèr Unctione donabantur. In præſenti lapſi poſt Baptiſmum per pœnitentiam ſanantur, per extremam Unctionem puriores fiunt, & Euchariſtia reficiuntur; in multis tamen Eccleſiis, & præcipue in Italia, præmittitur Euchariſtia ipſi extremæ Unctioni. Verum de his omnibus fuſior & diſtinctior redibit ſermo, quando de iiſdem Sacramentis in particulari agetur.

Secunda Concluſionis pars probatur a S. Thoma loco nuper citato. *Prius ponenda ſunt Sacramenta, quæ ſingulos homines, quam quæ totam communitatem reſpiciunt, unitas enim prior eſt, quam multitudo, & privati homines communitate, quæ ex illis componitur, priores ſunt. Sacramenta autem, quæ pertinent ad ſingulos homines, ſunt quinque, & inter iſta quinque ſervatur ordo temporis; Baptiſmo enim habetur generatio, Confirmatione corroboratio, Euchariſtia nutritio, Pœnitentia curatio, extrema Unctione curationis perfectio. Ulterius inter hæc priora debent eſſe, quæ conveniunt rei per ſe, quam quæ conveniunt per accidens: illa ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia; hæc vero ſunt Pœnitentia, extrema Unctio, quæ ratione peccati ad ſpiritualem vitam ordinantur; & inter hæc duo prius ponitur Pœnitentia, quæ ſanationem inchoat, & deinde extrema Unctio, quæ ſanationem perficit. Inter illa tandem duo, quæ communitatem reſpiciunt, prius ponitur Ordo, quia ordinatur ad ſpiritualem propagationem, Matrimonium autem ad carnalem.*

Opponunt I. Bonum commune videtur præferendum particulari: ergo præferenda ſunt Sacramenta, quæ bonum commune reſpiciunt, Matrimonium ſcilicet, & Ordo, illis Sacramentis, quæ particulare bonum ſpectant, quæ ſunt alia quinque. II. Sacramenta enumeranda ſunt ſecundum rationem dignitatis ipſorum; ſed enumeratio a nobis facta non eſt ſecundum rationem dignitatis ipſorum: ergo non eſt bona. III. Sacramenta illa in ipſorum enumeratione debent præcedere, quæ fuerunt prius inſtituta; ſed Matrimonium eſt omnibus antiquius Sacramentum: ergo in enumeratione debet præcedere omnia. IV. Ordo eſt Sacramentum, in quo continentur omnia, quia, qui eſt illo inſignitus, poteſt omnia Sacramenta conferre, poteſt enim baptizare, poteſt confirmare, ſi ſit Epiſcopus, poteſt abſolvere, poteſt Euchariſtiam conficere, poteſt extremam Unctionem adminiſtrare, & poteſt Matrimonio aſſiſtere, vel ut Miniſter, vel ut teſtis

ſtis principalis, ſecundum opinionum varietatem: ergo Sacramentum Ordinis virtualiter continet omnia Sacramenta: ergo in Sacramentorum enumeratione debet in primo loco poni.

Reſpondemus ad I., Matrimonium præferri non debere cæteris Sacramentis, tum quia, quanvis illius bonum ſit commune, eſt tamen corporeum & carnale; bonum vero aliorum Sacramentorum, licet ſit particulare, eſt nihilominus ſpirituale; tum etiam quia, quanvis Ordo reſpiciat bonum commune ſpirituale, & Euchariſtia bonum particulare ſumentis, Euchariſtia tamen continet bonum tum particulare, tum commune, quum contineat ipſummet Chriſtum, in quo eſt omnis perfectio bonitatis. Unde ſemper ſtat, quod Euchariſtia cæteris omnibus Sacramentis ratione Chriſti Domini, quem realiter continet, ſit Sacramentum præſtantius, quod præcipue Tridentinum intendit, & expreſſe declarat ſeſs. 13. cap. 1., & 2.

Ad II., dicitur, quod Sacramenta non enumerantur ſecundum rationem dignitatis, ſed ſecundum rationem ordinis, quo nobis conferuntur, & de quo in præſenti agimus; de ordine enim dignitatis diximus nuper in præmiſſis aliis Concluſionibus hujuſmet Diſſertationis, & in hac præſenti Concluſione de ordine tantum enumerationis verba facimus; quem quidem ordinem obſervarunt Concilia, & Doctores, ut viſum eſt.

Ad III., quanvis Matrimonium fuerit antiquius inſtitutum in ratione contractus, & in ratione myſterii, non fuit tamen pari antiquitate inſtitutum in ratione Sacramenti, quia ad hanc dignitatem fuit a Chriſto Domino elevatum, ut ſuo loco de Matrimonio dicemus; ſicque non debet primum occupare locum in Sacramentorum enumeratione.

Ad IV. Ordo præſupponere debet alia Sacramenta in ſubjecto, cui confertur; ſi enim hoc non eſt baptizatum, ſi non eſt confirmatum, non eſt capax recipiendi Ordinem; etſi non eſt in gratia, per Pœnitentiam ſaltem, non recipit Ordinem licite, quanvis recipiat valide; & ideo, quum ratione temporis præſupponat hæc alia Sacramenta in ſubjecto; inde eſt, quod poſt illa in Sacramentorum enumeratione ponitur.

DISSERTATIO CCCXXVI.

De Sacramentorum proprietatibus, & præcipue de ipſorum neceſſitate. Quæ Sacramenta neceſſaria ſint neceſſitate medii, & quæ neceſſaria neceſſitate præcepti? An Sacramenta ſint neceſſaria neceſſitate convenientiæ?

De neceſſitate cujuslibet Sacramenti in particulari, quando de iiſdem Sacramentis in particulari erit ſermo, in ſuis reſpective locis agetur; nunc ſcribimus de omnium Sacramentorum neceſſitate, & quidem de neceſſitate convenientiæ. Supponimus enim, Sacramenta non fuiſſe abſolute neceſſaria, tum quia poterat Deus per alia media, quæ ſibi viſa fuiſſent apta ad noſtrā ſalutē eandem nobis proponere, & procurare; tum etiam, quia Eccleſiā ſuam poterat aliis auxiliis firmare, regere, atque munire. Neceſſitas autem convenientiæ eſt quædam decentia, qua Deus inſtituit Sacramenta, tanquam hominum creator & rector, & qua Chriſtus tanquam noſtræ Religionis author eadem nobis dedit, atque præcepit. Et hæc eſt ſecunda Diſſertationis pars, quam primo

mo

Digitized by Google

mo loco proponimus examinandam, ut rectius deinde prima pars ejuſdem intelligatur, ac explicetur.

Dicimus I., conveniens fuiſſe, Chriſtum Dominum in ſua lege Sacramenta inſtituere.

I. Probatur Concluſio. Homo ex parte materialis, & ex parte ſpiritualis, materialis ſcilicet quantum ad corpus, & ſpiritualis quantum ad animam, debebat per ſigna materialia & ſenſibilia ad cognitionem Dei ſui manuduci, illum colere & adorare, & auxilia ab eo petere, per quæ poſſet ipſum conſequi & amare; ſed hæc ſigna materialia & ſenſibilia ſunt Sacramenta: ergo homo indigebat Sacramentis, ut poſſet Deum colere, & conſequi; atqui hæc ſigna ſenſibilia, quæ ſunt Sacramenta, inſtituere non poterat niſi ſolus Deus: ergo conveniens fuit ut Deus illa inſtituerit.

II. Probatur. Ea eſt imbecillitas noſtra, tarditas, & ebetudo in iis, quæ ad Deum ſunt, ut niſi a Deo ipſo adiuvemur, nullo modo poſſimus nec Deo credere, nec ipſum amare, nec propriæ noſtræ ſaluti conſulere: ergo conveniens fuit, ut in his omnibus Deus nos adiuvaret; atqui Deus convenientius per Sacramenta, quam per alia media, poterat nobis hoc adjumentum præſtare: ergo conveniens fuit quam maxime, ut Deus in nova lege Sacramenta inſtitueret.

III. Probatur. Multæ, & pene innumeræ, ſunt infirmitates ſpiritnales, quas homo per peccatum contraxit: ergo conveniens erat, ut pro his omnibus Deus homini medicinam pararet; at nulla convenientior poterat eſſe medicina, quam ſacramentalia remedia, quæ per ſeptem evangelicæ legis Sacramenta nobis exhibuit: ergo convenientiſſimum fuit, ut hæc ſeptem Sacramenta pro noſtris curandis infirmitatibus ſpiritualibus Chriſtus Dominus inſtituerit.

IV. Probatur. Chriſtiani ſunt homines in una Religione convenientes ſub Chriſto Domino capite conſtituti, & veram Eccleſiam conſtituentes: ergo debebant per aliqua ſigna exteriora inter ſe invicem uniri, ac colligari, per quæ unitas fidei noſtræ & Eccleſiæ noſtræ demonſtraretur; ſed hæc ſigna alia non ſunt, quam novæ legis Sacramenta: ergo conveniens fuit, ut Chriſtus Dominus pro unione Religionis, quam inſtituerat, & pro unitate Eccleſiæ, quam fundaverat, novæ legis Sacramenta nobis ſubminiſtraret ſimul, atque præciperet.

V. Probatur. Sicut per viſibiles ſpecies humanitas noſtra a Deo Creatore ſuo defecit, ita decebat, ut per ſenſibilia ſigna ad Deum rediret, & cum ipſo reconciliaretur; ſed hæc ſeuſibilia ſigna ſunt Sacramenta: ergo ad reconciliandum hominem cum Deo, & ad humanitatem noſtram reſtituendum auctori ſuo conveniebat, ut Chriſtus auxilia opportuna & apta nobis pararet; atqui hæc ſunt Sacramenta: ergo conveniens fuit, Chriſtum Dominum Sacramenta novæ legis inſtituere.

VI. Probatur. Sanguis, quem Chriſtus Dominus effudit in Cruce uſque ad ultimam ipſius guttam, ut nobis omni tempore prodeſſet, conveniens erat, ut pro nobis omni tempore applicari poſſet; ſed hæc applicatio fit per Sacramenta: ergo conveniens fuit, ut Chriſtus Dominus Sacramenta novæ legis inſtitueret. Probatur minor. Sacramenta ſunt veluti canales, per quos ſanguis Chriſti ad nos defluit modo apto, quem Deus inſtituit, ut nobis applicata proſint: ergo applicatio ſanguinis Chriſti pro nobis hominibus fit per Sacramenta.

Pro altera Diſſertationis parte, ſciendum eſt, quod neceſſitas convenientiæ, eſt illa, per quam finis abſolute haberi poteſt, ſed non modo illo, qui imbecillitati noſtræ conveniat, ad differentiam neceſſitatis abſolutæ, quæ eſt illa, per quam aliquid ita requiritur ad finem aliquem aſſequendum, ut quacunque ſuppoſitione facta, ſine eo acquiri finis nullo modo valeat. Neceſſitas igitur convenientiæ duplex eſt *medii* ſcilicet, & *præcepti*. Neceſſitas *medii* eſt illa, per quam facta aliqua ſuppoſitione, Dei nimirum inſtitutione, ita neceſſaria eſt ad finem, ut ſine ea finis haberi non poſſit. Neceſſitas vero *præcepti* eſt illa, per quam res præcipitur quidem, ſed ſine ea poteſt haberi finis. Quod Sacramenta abſolute non fuerint neceſſaria ad ſalutem, ex iis, quæ pluries diximus, patet, quia Deus per aliam viam, quam per Sacramenta, poterat ſaluti noſtræ conſulere. Quod ſint neceſſaria neceſſitate convenientiæ, jam in hac Diſſertatione

tatione probavimus. Et hæc neceſſitas reſpicit quidem omnia Sacramenta. Neceſſitas vero medii, vel præcepti, ad aliqua tantum Sacramenta reſtringitur, ut in ſequenti Concluſione firmabimus, & deinde quoque probabimus.

Dicimus II. Baptiſmum, & Pœnitentiam eſſe Sacramenta neceſſaria ad ſalutem ſingulis hominibus neceſſitate medii: Ordinem, & Matrimonium eſſe etiam neceſſaria neceſſitate medii, non autem ſingulis hominibus, ſed Eccleſiæ: Confirmationem, & Euchariſtiam omnibus Adultis neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti: extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aliqnibus, ſed non omnibus fidelibus, neceſſaria eſſe neceſſitate præcepti divini.

Concluſio eſt contra Hæreticos Novatores poſteriorum temporum, qui nullum Sacramentum agnoſcunt neceſſarium ut medinm; quia, quum per ipſos ſola fides juſtificet, voluut, Sacramenta adhiberi tautum ad fidem excitandam, vel nutriendam; & qnia fides per ipſos poteſt ſine Sacramentis per ſolum verbum excitari, augeri, nutriri &c.; inde concludunt, quod uulla Sacramenta ſint media nobis ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem. Eſt pariter contra eoſdem ex hoc altero capite, quod nimirum aliqua ex enumeratis Sacramentis e Sacramentorum albo expurgunt. Et quanvis Euchariſtiæ neceſſitatem concedant, attamen de ea eodem modo loquuntur, ac de Baptiſmo; ſcilicet concedunt utrunque Sacramentum eſſe neceſſarinm ad fidem excitandam, augendam, nutriendam &c., ut modo diximus.

I. Probatur Concluſio de Baptiſmo, ſed melius & fuſins probabitur loco proprio, quando de Baptiſmo erit ſermo. Joannis 23. legitur: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*; quæ verba, quum abſolute ſint dicta, abſolute etiam intelligi debent; ſi autem abſolute intelligantur, de omnibus & ſingulis hominibus intelligi oportet; ſed quod omnibus & ſingulis hominibus neceſſarinm eſt ad ſalutem aſſequendam, dici debet neceſſitate medii neceſſarium: ergo Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſarium neceſſitate medii.

II. Probatur de Pœnitentia. Lucæ 13. *niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*. Pœnitentia ſupponit peccatum, & quidem actuale, quod quidem ſi nobis non remittetur, peribimus: ergo, ut non pereamus, neceſſaria nobis eſt Pœnitentia: ergo poſt peccatum actuale omnibus & ſingulis hominibus, qni illud patraverint, neceſſaria eſt Pœnitentia; ſed quod neceſſarium eſt omnibus & ſingulis hominibus, & ita neceſſarium abſolute, ut ſine illo ſalus haberi non poſſit, eſt neceſſarium neceſſitate medii: ergo Pœnitentiæ Sacramentum eſt neceſſarium neceſſitate medii omnibus & ſingulis hominibus.

III. Probatnr de Ordine, & Matrimonio, quod ſcilicet ſint Sacramenta neceſſaria neceſſitate medii non ſingulis hominibus, ſed Eccleſiæ. Sine Ordine & Matrimonio Eccleſia deficeret; ſed illud, quo ablato, aufertur etiam illud, cui eſt neceſſarium, dicendum eſt neceſſarium neceſſitate medii: ergo Ordo, & Matrimonium ſunt neceſſitate medii neceſſaria Eccleſiæ. Probatur major Sine Ordine, & Matrimonio deficeret quidem Eccleſia, quia ſine Ordine non poſſet habere Patres, non Rectores, non Paſtores; ſine Matrimonio autem non poſſet habere filios, non ſubditos, non Oves. Non ſic antem dicendum eſt de ſingulis hominibus, quia plurimi ex his ſine Ordine, & ſine Matrimonio ſalvantur, vel quia recipiunt Baptiſmum, per quem remittitur eis originale peccatum, vel Pœnitentiam, per quam iiſdem actualia peccata remittuntur.

IV. Probatur de Confirmatione, & Euchariſtia. Illud eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, quod a Chriſto Domino præceptum fuit, ut æternam ſalutem aſſequeremur; ſed Chriſtus Dominns nobis præcepit Confirmationem, & Euchariſtiam: ergo Confirmatio, & Euchariſtia ſunt Sacramenta nobis neceſſaria neceſſitate præcepti. Minor, in qua ſtat difficultas probabitur multiplicibus ac luculentiſſimis auctoritatibus & rationibus, quando de ipſis Sacramentis, Confirmationis, & Euchariſtiæ, peculiaris habebitur ſermo.

V. Probatur de extrema Unctione, de Ordine, & de Matrimonio. Et quidem extremæ Unctionis præceptum

impo-

impoſitum a Deo eſt, ſed illis tantum hominibus, qui periculoſe ægrotant; Ordo præceptus eſt iis, quos Eccleſia ad ſuum Miniſterium per ſuos Paſtores vocat; ſicut ergo peccant, qui Ordinem abſque divina vocatione ſuſcipiunt, ita pariter peccant, qui ad illum vocati, venire renuunt. Matrimonium denique præceptum eſt tantum iis, qui non poſſunt caſte vivere: ergo non omnibus & ſingulis fidelibus Adultis extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti.

Argunt. I. Sacramenta ex dictis a nobis figurata fuerunt in ſanguine ſimul cum aqua ex Chriſti Domini latere profluente; ſed ſanguis & aqua duo tantum exprimunt Sacramenta; ſcilicet Euchariſtiam, & Baptiſmum: ergo hæc duo tantum Sacramenta ſunt neceſſaria ad ſalutem. Minor probatur explicationibus Chryſoſtomi, Cyrilli, & Theophylacti, exponentibus verba illa Joannis 19.: *ſed unus militum latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua*: per quæ duo verba intelligunt Euchariſtiam, & Baptiſmum. His accedunt Auguſtinus l.2. *de Symbolo* cap.6., & tract.9. in Joannem; & Damaſcenus lib.4. *de fide* cap.1 n. II. Quod eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, ita eſt neceſſarium, ut ſine ipſo non poſſit haberi ſalus; ſed quod eſt ita neceſſarium, ut ſine ipſo non poſſit haberi ſalus, eſt neceſſarium neceſſitate medii: ergo non eſt tantum neceſſarium neceſſitate præcepti. Minor conſtat ex deſcriptione neceſſitatis medii, quam præmiſimus nuper; de majori non eſt dubium, quia, quod præceptum eſt a Chriſto, obſervari debet, & ſi quis non obſervat illud, non ſalvabitur, ſed peribit. III. Quod eſt neceſſarium neceſſitate medii, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti: ergo non bene explicantur hæc duo membra neceſſitatis convenientiæ, neceſſarium ſcilicet *neceſſitate medii*, & neceſſarium *neceſſitate præcepti*, quia unum ad alterum reducitur; & altera ex parte membra dividentia alicujus totius diviſi ita debent inter ſe opponi, ut unum ad alterum non reducatur. IV. Dato, quod Deus convenienter judicaverit ad conſervandam Eccleſiam ſuam, & ad ſalutem hominum procurandam, Sacramenta inſtituere, nulla tamen fuit ratio convenientiæ, ut hæc ſpecie Sacramenta inſtitueret, quia poterat alia ab his inſtitutis ſpecie diverſa inſtituere: ergo non bene probatur a nobis neceſſitas convenientiæ pro his Sacramentis, quæ modo ſunt in Eccleſia. V. Dato etiam, quod Chriſtus inſtituerit Baptiſmum, Confirmationem, & cætera myſteria, quæ dicuntur Sacramenta, tanquam convenientia ad noſtram ſalutem, non ex hoc ſequitur, quod illa debuerit inſtituere, ut Sacramenta, quia poterat illa inſtituere ut Myſteria, & quemadmodum modo ſunt ſacramentalia, ſcilicet aqua luſtralis, pedum lotio, benedictio Pontificalis &c.: ergo, etſi probetur a nobis neceſſitas convenientiæ Myſteriorum, quæ dicuntur Sacramenta, non per hoc probatur neceſſitas convenientiæ Sacramentorum. VI. Confirmationis Sacramentum non videtur neceſſarium nec neceſſitate medii, nec neceſſitate præcepti, nec omnibus & ſingulis hominibus, nec aliquibus tantum: ergo non omnia Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate convenientiæ. Probatur antecedens. Sacramentum Confirmationis antiquitus tradebatur Infantibus ſtatim poſt Baptiſmum; modo autem prohibitum eſt, ut tradatur ſaltem ante rationis uſum. Hoc poſito, Adverſarii dicunt; vel tunc erat neceſſarium pro illo tempore dari, vel non erat neceſſarium?, ſi erat neceſſarium, quare modo prohibitum eſt dari?: ſi non erat neceſſarium; quare dabatur?

Reſpondemus ad I. cum Bellarmino t.3. *de effectu Sacramentorum* lib.2. cap. 27.
„ locus ille Joannis non male ita exponi
„ poteſt, ut ſignificentur per ſangui-
„ nem, & aquam, Euchariſtia, & Ba-
„ ptiſmus, ut exponunt fere Græci om-
„ nes, ſed non propterea excluduntur
„ cætera Sacramenta. Solum enim duo
„ poſita ſunt, quia ſunt illa magis com-
„ munia & magis principalia, & ex il-
„ lis poterat idem judicium de cæteris
„ fieri. Sicut etiam Hebr.6. Paulus duo
„ tantum ponit Sacramenta, Baptiſma,
„ & manuum impoſitionem, ideſt Con-
„ firmationem: *non rurſum jacentes fun-*
„ *damentum pœnitentiæ ab operibus mor-*
„ *tuis, & fidei ad Deum Baptiſmatum do-*
„ *ctrinæ, impoſitionis quoque manuum.*

Ubi

„ Ubi per manuum impoſitionem intel-
„ ligunt Chryſoſtomus, Theodoretus,
„ Theophylactus, Oecumenius, & alii,
„ Confirmationem, quæ dabatur poſt
„ Baptiſmum, nec meminit Euchari-
„ ſtiæ, quæ ſimul dabatur (ut etiam
„ modo datur, quum baptizantur Adul-
„ ti) cum Baptiſmo, & Confirmatione.
„ Dico tamen ſecundo, non eſſe neceſ-
„ ſarium ſequi illam expoſitionem Græ-
„ corum de ſanguine & aqua. Alii enim
„ æque magni Expoſitores aliter expo-
„ nunt. Cyrillus Cathecheſi 3., &
„ Hieronymus in epiſt.83. ad Oceanum
„ intelligunt, per ſanguinem & aquam
„ ſignificata eſſe duo Baptiſmata, unum
„ in ſanguine, ideſt Martyrium, aliud
„ in aqua. Ambroſius lib.10. in Lucam
„ cap.105., & Leo epiſt.4., & Augu-
„ ſtinus, ac Beda, in cap.19. Joannis,
„ intelligunt per ſanguinem Redem-
„ ptionis pretium, per aquam Bapti-
„ ſmum. Et hæc videtur maxime lite-
„ ralis expoſitio, ut nimirum intelliga-
„ mus, ex Chriſti latere fluxiſſe Bapti-
„ ſmum, qui omnem vim ſuam habet
„ ex Chriſti ſanguine. Nam ideo non
„ dixit: *exivit aqua & ſanguis*, ut ordo
„ poſtulabat, ſi ageretur de Baptiſmo,
„ & Euchariſtia, quum Baptiſmus præ-
„ cedat Euchariſtiam, ſed dixit: *exi-
„ vit ſanguis, & aqua*, ideſt, pretium
„ & applicatio illius pretii. Quod etiam
„ confirmavit ex illo Joan.5.: *hic eſt,
„ qui venit per aquam, & ſanguinem,
„ Jeſus Chriſtus, non in aqua ſolum, ſed
„ in aqua, & ſanguine*. Ubi videtur
„ ipſemet Joannes explicare Myſteriū,
„ quod poſuerat Joan. 19., & ſimul
„ oſtendere differentiam inter Bapti-
„ ſmum Chriſti, & Joannis, quod Joan-
„ nes venerit in aqua ſolum, ideſt,
„ Baptiſmum attulerit non efficacem;
„ at Chriſtus attulerit Baptiſmum effi-
„ caciſſimum, quum aquam dederit ſan-
„ guini ſuo admiſtam.

Ad II. Negatur major; & ad probationem dicitur, verum eſſe, quod non ſalvabitur, ſed peribit ille, qui præceptum non obſervat; at non peribit, quia, quod eſt præceptum, eſt de neceſſitate medii, ſed quia non exhibet obedientiam præcepto Chriſti. Chriſtus pariter præcipit, ut jejunemus, ſive Eccleſia pro Chriſto; qui non jejunat, non ſalvatur, ſed perit, quia non paret præcepto Chriſti, & Eccleſiæ, & nihilominus jejunium non eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſed eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, ſive præceptum ſit divinum, ſive humanum.

Ad III., verum eſt, quod, quæ dicuntur neceſſaria neceſſitate medii, ſunt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti, quia ſi eſt medium abſolute neceſſarium, ſimul eſt præceptum naturale, ut ait Bellarminus, ſi in noſtra poteſtate ſitum ſit. Verum hæc eſt differentia inter ea, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti tantum, & quæ neceſſaria etiam ſunt neceſſitate medii, quia, ſi quis ex invincibili ignorantia, aut ex alia juſta cauſſa præceptum non implet, conſequitur nihilominus ſalutem, ſeu conſequitur finem, quia neceſſitas eſt tantum præcepti. Quando vero neceſſitas eſt medii, ſi non accipiat medium neceſſarium, ſive hoc ex ignorantia invicinbili proveniat, ſive ex quacunque cauſſa, etiam juſtiſſima, ſalutem nihilominos, ſeu finem, non conſequitur. Ita E. G. Baptiſmus in re, vel in voto, eſt præceptum, & medium; adeoque, qui non baptizatur, aut Baptiſmum non deſiderat, non ſalvatur, licet id accidat ex ignorantia, vel impotentia. Confirmatio vero eſt præceptum, non medium, ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium, & ideo, qui Confirmationis Sacramentum non ſuſcipit, peccat quidem, ſed ſi ex legitima cauſſa non ſuſcipit, nec peccat, nec a ſalute arcetur.

Ad IV. Probationes a nobis adductæ, ſi attente conſiderentur, probant & neceſſitatem convenientiæ Sacramentorum, & neceſſitatem convenientiæ horum Sacramentorum, que a Chriſto inſtituta ſunt, & quæ Eccleſia retinet. Ut enim tolleretur culpa & pœna originalis peccati, inſtitutum eſt Sacramentum, qui dicitur Baptiſmus, quo nullum inſtitutori ſuo viſum eſt aptius ad finem aſſequendum, propter quem illum inſtituere intendebat. Sic de cæteris Sacramentis loqui poſſumus; & univerſim dicere quoque valemus, quod, *quis valet humo opera Dei corrigere, fines penetrare, decreta convellere?* Si ita fecit Chriſtus, ita convenientius faciendum exiſtimavit; unde pro cunctis rationibus hæc ſola ſatis eſſe debet, quod ſit auctor Deus. Pro convenientia autem ſingulorum Sacramentorum in

ſuis quibuslibet locis ſermo redibit,

Ad V. Myſteria, quæ enumerantur, & alia, ſi quæ ſunt, & quæ ipſis poſſunt adjungi, nec ſunt, nec eſſe poſſunt Sacramenta, quia virtutem non habent ſignificandi, & conferendi gratiam, ut vere habent, & habere debent Sacramenta, ad hoc ut ſint Sacramenta. Quum ergo Chriſtus hæc myſteria, quæ dicuntur modo Sacramenta, ita inſtituerit, ut ſignificent, & conferant gratiam, & quidem ſanctificantem, ſuſcipientibus illa, inde eſt, quod eadem & myſteria ſunt, & ſunt pariter Sacramenta: cætera vero ſunt myſteria, & non ſunt Sacramenta.

Ad VI. Confirmationis Sacramentum eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, ſed non eſt neceſſarium, ut ſemper uno & eodem tempore conferatur. Tempus ergo mutatum fuit, non vero Sacramentum abolētum; & quod uno, vel altero tempore, conferatur, nihil obſtat ſubſtantiæ Sacramenti, quando illud ſemper confertur, & etiam ad præſens confertur, Infantibus, ſi petatur, non quidem ad robur, quo non egent, ut fidem profiteantur coram Tyramnis, ſed ad majus decus, quod in cœlis habebunt, ob characteris illius pulchritudinem; & hæc eſt pariter noſtris temporibus Eccleſiæ praxis, quanvis ſecundum legem ordinariam, non niſi Adultis conferatur.

DISSERTATIO CCCXXVII.

De Cæremoniis Sacramentorum. Quænam ſit Etymologia, & definitio Cæremoniæ? Quænam Cæremoniarum diviſio?; & quæ ipſarum fuerit origo & initium, in adminiſtratione Sacramentorum in Eccleſia? An fuerit pariter antiquus in Eccleſia illarum uſus?

PRO Etymologia Cæremoniæ, quum ipſa peti poſſit, ab ea, quæ in uſu erat apud Gentiles Romanos, & ab ea, quam obſervabant Judæi; inde eſt, quod diverſimode illius vocis intelligentia interpretatur. Quidam de Cæremonia loquentes, quæ apud Gentiles Romanos inducta fuerat, illius denominationem deducebant a *Cære*, quæ erat Etruriæ civitas, ut aſſerit Feſtus; & ad quam Virgines Veſtales confugerunt, & illuc ſacrum ignem tulerunt, poſtquam Galli Roma potiti ſunt, quod refert Valerius Maximus lib. 1. c. 1. num. 10. de L. Albinio verbis hiſce. *Quod animi judicium in privatorum quoque pectoribus verſatum eſt. Urbe enim a Gallis capta, cum Flamen Quirinalis, Virginesque Veſtales ſacra onere partito ferrent, eaſque Pontem Sublicium tranſgreſſas, & clivum, qui ducit ad Janiculum deſcendere incipientes, L. Albinius plauſtro conjugem, & liberos vehens adſpexiſſet, proprior publicæ Religioni, quam privatæ charitatis, ſuis, ut plauſtro deſcenderent, imperavit, atque in id, Virgines, & ſacra impoſita, omiſſo cœpto itinere, Cærete oppidum provexit; ubi cum ſumma veneratione recepta grata memoris, ad hoc uſque tempus hoſpitalem humanitatem teſtantur. Inde enim inſtitutum eſt, Sacra Cæremonias vocari; quia Cæretani ea infracto Reipublicæ ſtatu, perinde ac florente, coluerunt. Quare agreſte illud, & ſordidum plauſtrum, tempeſtive capax cujuslibet fulgentiſſimi triumphalis currus, vel æquaverit gloriam, vel anteceſſerit.* Hoc ipſum aſſeruit Livius lib. 5. Derivatur quoque Cæremonia a verbo *careo*, ita ut Cæremo-

remonia idem ſit ac *caremonia*; quia apud Judæos præcipue cæremoniæ quædam in abſtinendo & carendo poſitæ erant, videlicet carentia uſus carnis ſuillæ in omnibus Hebræis, abſtinĕtia vini in Nazaræis &c.; & de his loquitur Auguſtinus lib.2. Retractat. c.38. *Cum agerem de obſervationibus Judæorum a quibuſdam eſcis ſecundum legem abſtinentium, dixi, quarundam eſcarum Ceremoniæ, quod nomen non eſt in uſu literarum ſanctarum; ideo congruens mihi viſum eſt, quod a carentia appellatas caremonias, quaſi carimonias, memoria tenebant, eo quod obſervantes careant his rebus.* Hoc ipſum pariter ſenſit Iſidorus l 6. Etymolog. cap. ult. At Junius Camerarius Decuria 3. cap. 4. ſic loquitur: *quaſi geremonia dicitur, a gerendo, ſicut a gemendo gemonias ſcalas fecerunt, & a querendo querimoniam, ut indicarentur ea, quæ in ſacris geri ritu ſolemni deberent.* Inſuper Voſſius ſcribit: *Cærimoniam*; alii vero dicunt: *Cælimoniam*, volentes a cœleſtibus rebus vocem deductam; ut refert Dominicus Macri in Gerolexico Verbo *Cæremonia*. Apud Hebræos Cæremoniæ dicebantur חקים *Chuchim*, quam vocem Græci explicant, ſeu vertunt per δικαιώματα, ideſt *juſtificationes*; quia erant ritus ad hominum juſtificandum & purgandum inſtituti: at latinus Interpres ſemper vertit per *Cæremonias*. Revera tamen *Chuchim* non tam ſignificat ipſam externam actionem, quam ſtatutum, ſeu legem, quæ actionem illam præcipiebat; unde in novo etiam Teſtamento Judaicæ cæremoniæ legis nomine appellantur; ut Matth. 11., & ad Galatas 5. Addit autem citatus Macri: *itaque differt Cæremonia a cultu, ſicut aqua a lavacro; nam Cæremonia, juxta ſacri Tridentini Concilii ſenſum, eſt ipſa actio; ritus autem eſt modus præſcriptus, quo actio ipſa ſacra facienda eſt.* Hæc quantum ad nominis etymologiam.

Quantum vero ad definitionem rei, Jueninus in Coment. diſſert. 1. *de Sacram. in genere* q.8. cap.3. definit Cæremoniam; quod ſit *ritus externus ab Eccleſia ad Dei cultum inſtitutus*. Ubi etiam advertit, quod differt cæremonia ab ipſa Sacramentorum confectione, quia hæc ab ipſomet Chriſto inſtituta, & præcepta fuerit; cæremoniæ vero ab Eccleſia, aut per Apoſtolos, tanquam Paſtores, aut per Epiſcopos Apoſtolorum in Paſtoratu Succeſſores; quamvis Bellarminus dicat, aliquas cæremonias fuiſſe etiam a Chriſto Domino inſtitutas. Advertunt quoque idem Bellarminus, & Bechanus, cæremoniam pertinere ad virtutem Religionis, quæ tres habet actus; *internum* ſcilicet, qui eſt velle Deo debitum cultum præſtare; *externum* correſpondentem interno; & eſt quælibet externa actio, quæ non aliunde laudem habet, niſi quia fit ad colendum Deum; & *actum imperatum*, qui eſt actus cujuslibet virtutis a Religione ad Dei gloriam ordinatus. Primus actus non eſt cæremonia, neque tertius, niſi quatenus a Religione imperatus; ſecundus eſt proprie & ſimpliciter cæremonia; adeoque definitur, quod ſit *ritus, ſeu actus externus*.

Quantum vero ad diviſionem cæremoniarum, primo dividuntur in illas, quæ Sacramentorum adminiſtrationem præcedunt, in illas, quæ comitantur, & in illas, quæ ſubſequuntur. Primæ ſunt illæ, quæ præparant ſubjectum ad recipiendam gratiam Sacramenti; ut ſunt *preces Miniſtri &c.*: ſecundæ adumbrant invisibilem effectum Sacramenti, quod confertur, ut Sacramento concilietur reverentia, & Conſecrandus excitetur ad attentionem & devotionem; tertiæ confirmant initiatum in dono, quod accepit, & docent eum debitum, quod contraxit in Sacramenti receptione. Secundo cæremoniæ dividuntur in illas, quæ ſe tenent ex parte perſonæ, a qua conferuntur Sacramenta, in alias, quæ ſunt ex parte ſubjecti, quod Sacramentum recipit, in alias, quæ reſpiciunt loca, in quibus Sacramenta ſolemniter adminiſtrantur; in alias, quæ ſunt ex parte temporis, quo aut dari, aut recipi poſſunt Sacramenta; & in alias quæ connotant linguam, quæ in confectione Sacramĕtorum adhibetur. Tertio advertunt Bellarminus, & Bechanus, quod, quemadmodum in lege veteri in quadruplici genere erant cæremoniæ, ita etiam ſunt in lege nova. Et quidem in lege veteri primo erant Sacramenta, nimirum *Agnus Paſchalis, Circumciſio, Sacerdotium legale, & variæ expiationes*: ſecundo; *ſacrificia* ſcilicet, *victimæ, ſeu hoſtiæ, immolationes, & libamina*; tertio; *ſacra*,

hoc eſt, *inſtrumenta* ad divinum cultum pertinentia, ut *vaſa*, *candelabra*, *veſtimenta*, *altaria*, *&c.*: quarto; *obſervantiæ*, ſcilicet, *feſta*, *jejunia*, *genuflexiones*, & aliæ ceremoniales actiones, ut docet S. Thomas in 1.2.q.110. art.4. In lege nova pariter Cæremoniæ ſunt in quadruplici genere; primo, *Sacramenta* ad fidelium ſanctificationem proxime inſtituta: ſecundo, *Sacrificium Miſſæ*, quod eſt ſupremus cultus, quo Dei excellentiam profitemur: tertio, *ſacra*, ut *Calices*, *Clauſula*, *altaria &c.*; quarto, *obſervantiæ*, *& jejunia*, *feſta*, *genuflexiones*, *uſus ſigni Crucis*, *aſperſio aquæ benedictæ &c.* Ex his cæremoniis, concludit etiam Bechanus, illas tantum eſſe ſacramentales, quæ in Sacramentorum, & ſacrificii Miſſæ adminiſtratione adhibentur, & non de Sacramentorum, & de ſacrificii Miſſæ eſſentia ſunt. Unde duplices ſunt Cæremoniæ in Sacramentis, *intrinſecæ* ſcilicet, & *ſubſtantiales*, quæ ſunt ipſa Sacramenta, & *extrinſecæ*, ſeu *accidentales*, quæ proprie ſunt Cæremoniæ, & vocantur *Cæremoniæ ſacramentales*, ſeu *ſacramentalia*. Iſta ſacramentalia ſex numerantur, & hoc carmine comprehenduntur: *Orans*, *Tinctus*, *Edens*, *Confeſſus*; *Dans*, *Benedicens*. Per *ly Orans* importatur oratio Dominicalis, vel oratio, quæ fit in Eccleſia conſecrata; ut S. Thomas 3. part. q.87. art.3. in corp. Per *ly Tinctus*, aſperſio aquæ benedictæ. Per *ly Edens*, commeſtio panum, aliorumque ſimilium comeſtibilium, quæ a Sacerdotibus ſunt benedicta. Per *ly Confeſſus*, confeſſio generalis, ſeu *confiteor Deo omnipotenti &c.* Per *ly dans*, Eleemoſyna. Per *ly benedicens*, Benedictio Epiſcopalis, & ſecundum aliquos aliæ etiam benedictiones ab Eccleſia inſtitutæ, *Cinerum* ſcilicet *Candelarum*, *Palmarum &c.* Valent hæc ſacramentalia ad venialium remiſſionem, quia ſi eis reverenter utimur, & quæ recitari debent, devote recitamus, ac de venialibus dolemus, venialia per ipſa delentur. Sic Tridentinum ſeſs.14. c.5. *de Pœnitentia*; ubi docet; *non eſſe neceſſarium venialia confiteri*, *quia ipſa poſſunt multis remediis expiari*.

Antequam ad Concluſionem deveniamus, advertere pariter oportet I., rem hanc clariorem fieri, quando de quovis in particulari Sacramento erit agere; tunc enim cujuſvis Sacramenti ſpeciales ritus, & cæremoniæ afferentur; & examinabuntur. II., non loqui nos de privata Sacramentorum adminiſtratione, ſed de ſolemni, quia, urgente neceſſitate, abſque cæremoniis Sacramenta aliqua confecta & diſpenſata fuerunt, III.; nec eædem ubivis gentium ſemper cæremoniæ adhibitæ fuerunt; variati enim aliquando, & in Oriente, & in Occidente, conficiendorum & diſpenſandorum Sacramentorum ritus ſunt, ſalva tamen ſemper remanente Sacramentorum ſubſtantia, ut ex ſequentibus patebit. IV. Denique, Novatores Hæretici cæremoniarum antiquitatem concedunt, ſed illarum tantum, quæ in Scripturis reperiuntur, non vero illarum, quæ ſola traditione ad nos pervenerunt.

Ut autem Hæreticorum errores a Legentibus ſciantur, eum ipſis ponimus hic etiam mendacia, quæ de nobis Catholicis ſcripſerunt, & calumnias, quas contra nos evulgarunt; quod & præſtitit Bellarminus lib. 2. *de effectu Sacramentorum* cap.30.

Primo, Kemnitius in 2. par. Examinis aſſeruit, Tridentinum quoſcunque ritus ab hominibus excogitatos, quantvis abſurdiſſimos, approbaſſe Idem auſus eſt ſcribere Calvinus in Antidoto.

Secundo, iidem Hæretici hæc alia abſurda nobis imponunt; primum ſcilicet nos aſſerere, quod retinendi ſunt ritus, qui pugnant cum verbo Dei; ſecundo, nos docere, quod Papa poſſit immutare inſtituta Chriſti; tertio, nos dicere, quod immutare aliquid minimum in cæremoniis ſit peccatum mortale, & anathemate dignum; quarto, quod nos anteponamus divinis præceptis cæremonias humanas; quinto, quod nos dicamus, ſine ritibus humanis Sacramenta non habere veritatem, & efficaciam; ſexto, quod tribuamus ſingulis cæremoniis vim aliquam ſpiritualem, immo etiam efficaciam Sacramentorum.

Tertio, idem Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap.10.§.9., & 12., ſcripſit, nos ſentire, quod præcipuus Dei cultus in his cœremoniis conſiſtat; quod per has cœremonias homines juſtificentur; quod habet pariter Calvinus loco citato §.15.

Quar-

Quarto, Lutherus hæc, vel his ſimilia, ſcribere non erubuit in ultima Homilia de Bapt., ubi dixit, Catholicos putare aquam benedictam, & ſimiles res conſecratas, eſſe Sacramenta; quanvis deinde contrarium docuerit in lib. *de Captivit. Babylon.* cap. *de Ordine*.

Quinto, Tilmandus Heshuſius, hæreticus pariter homo, in lib. de 600. Errorib. Pontific., tit. 15. errnre 13., imponit quoque nnbis, quod nos tribuamus ſatis cœremoniis Sacramentorum efficaciam, virtutem ſcilicet efficiendi, & conferendi gratiam ſanctificantem.

Sexto, circa Eccleſiæ auctoritatem pro cœremoniarum inſtitutione hi ſunt Novatorum errores, quos citato loco refert Bellarminus. „ Lutherus in lib.
„ *de formula Miſſæ*, & in lib. *de piis Cœ-*
„ *remoniis*, & Confeſſio Auguſtana art.
„ 15., & 26., & Philippus in locis tit.
„ *de Cœremoniis*, & Illyricus in Apolo-
„ gia pro Confeſſione Antuerpienſi c.10.
„ & communiter Lutherani, fatentur,
„ poſſe Eccleſiam inſtituere aliquas cœ-
„ remonias ad eruditionem, & ſplendo-
„ rem, & ordinem Eccleſiæ, modo ab-
„ ſit nbligatio, & opinio cultns. At Cal-
„ vinus lib.4. Inſtitut. cap.10.§.11. con-
„ tendit, id non licere ullo modo, &
„ idem ſentire videtur Brentius in Con-
„ feſſione Wirtembergenſi cap. *de Cœ-*
„ *remoniis*. Dicit enim, poſſe Eccleſiam
„ inſtituere diſpoſitionem concionum;
„ lectionum, feſtorum, & aliarum re-
„ rum, quæ ſecundum mandata, vel
„ exempla Scripturarum celebrantur;
„ ſed non licere comminiſci novos ritus
„ ad adumbrandam veritatem, jam in
„ Evangelio patefactam; quales ſunt,
„ interdiu accendere cereos, uti vexil-
„ lis, ſeu crucibus, ad ſignificandam
„ victoriam Chriſti &c. Idem denique
„ ſatis aperte docet Kemnitius pag 166.;
„ nam poſteaquam dixit, arduam quæ-
„ ſtionem eſſe, an hominibus permiſſum
„ ſit aliquos ritus quocunque conſilio
„ ſupperaddere iis, quos Dei Filius inſti-
„ tuit; ſubjungit, divinæ inſtitutioni ni-
„ hil addendum, aut detrahendum eſſe,
„ & eos, qui addunt, id videri facere,
„ quaſi cœremoniæ a Chriſto inſtitutæ
„ non ſint ſatis idoneæ, & ſufficientes.

Septimo, pro cœremoniarum origine, & antiquitate oppoſitos pariter docent errores male quidam feriati homines, quos recenſet ſimul cum erroribus ſuis Tournely *de Sacram. in genere*, quæſt. ult. verbis hiſce
„ Duo hic extrema ſunt æqualiter
„ declinanda. Primum eorum, qui non
„ aliam, quam ſimplicem pure litera-
„ lem ac hiſtoricam aſſignant cœremo-
„ niarum noſtrarũ originem; nenpe, aut
„ a decentia cultus divini, aut ab utili-
„ tate, & commodo earum, aut a loco-
„ rum, & Regionum, in quibus Sacra
„ perficiebantur, vario uſu, aut ex for-
„ tuito quodam eventu, aut denique ex
„ relatione & correſpondentia, quæ
„ debet eſſe inter geſtum, & ſitum cor-
„ poris, & verba, quæ ore proferuntur,
„ ita certe, ut illi nihil omnino in prima
„ earum inſtitutione myſterii deprehen-
„ dant: v. g. ſi ab illis ſciſcitatus fueris,
„ unde cereorum, ac luminarium uſus?;
„ reſpondebunt; ad expellendas tenebras
„ quia primi Chriſtiani, metu perſecu-
„ tionum, in locis ſubterraneis & ob-
„ ſcuris latitantes Sacra facere coge-
„ bantur: pariter, quis thuris & incenſi
„ finis?, ad purgandum, inquiunt, te-
„ trum ac fœtidum odorem, qui ex lo-
„ cis illis ſubterraneis exhalabat, & ſa-
„ nitati nocere poterat. Quod ſi urgeas,
„ Eccleſiam uſum illum luminarium, &
„ incenſi etiam retinuiſſe, quando illi,
„ reddita pace, aperto Cœlo, ac depul-
„ ſis tenebris, iiſque in locis Sacra pera-
„ gere licebat, in quibus a fœtido exha-
„ litu nihil erat timendum; ajunt, hanc
„ cauſam eſſe, tum quod Eccleſia ſuo-
„ rum uſuum in officiis publicis reti-
„ nentiſſima ſit; ac cujuſcunque innno-
„ vationis inimica, tum quod populi
„ Regionum, in quibus publica officia
„ eccleſiaſtica celebrata primum fuere,
„ aromatibus, & incenſo plurimum de-
„ lectarentur. Hæc profecto ratio expo-
„ nendi cœremoniarum originem, jeju-
„ na nimis videtur, arida, exſucca,
„ quæ nihil, aut fere nihil juvat Fide-
„ lium animos in Deum erigendos. Fa-
„ tendum tamen eſt, ſimplicem illam,
„ literalem, & hiſtoricam cœremonia-
„ rum expoſitionem placere plurimum,
„ ac ſummo oblectamento eſſe eruditis,
„ ac curioſis antiquitatis exploratori-
„ bus; neque moroſius nos ei repugnabi-
„ mus; modo ſuus etiam ipſis ſervetur
„ myſticus, ac ſymbolicus explicandi
„ modus; unde creſcit, ac nutritur Fi-
„ delium pietas, ac Religio. Eo in
„ argumento ſeſe feliciter exercuit,
„ Eruditorum qui de rebus liturgicis

,, ſcripiere induſtria; imprimis vero
,, D. Claudii de Vert Ordinis Clunia-
,, nenſis Religioſi, in opere Gallico, cui
,, titulum fecit, *Explication ſimple, litte-*
,, *rale, & hiſtorique des Ceremonies de*
,, *l' Egliſe*. Pariſiis 4. Tomis in 8. apud
,, Florentinum Delaulne. Alterum ex-
,, tremum illorum eſt, qui neglecta, ne
,, dicam improbata, illa literali & hiſto-
,, rica origine cœremoniarum, unice
,, ad myſticam & ſymbolicam earum ſi-
,, gnificationem attendunt, ac in minu-
,, tiſſimis quibuſque rebus non nihil
,, altioris ac reconditi myſterii latere
,, arbitrantur. Media, noſtro quidem
,, judicio, quædam via tenenda eſt, qua
,, utraque extrema ſententia concilie-
,, tur; ſi nempe, nec literalis & hiſtori-
,, ca, quæ ad eruditionem, nec myſtica
,, & ſymbolica, quæ ad pietatem valet
,, plurimum, cœremoniarum explica-
,, tio contemnatur, ſed utraque ſimul,
,, quantum fieri poteſt conſocietur. Pri-
,, ma, fateor, aptior videtur ac commo-
,, dior revincendis Novatoribus, qui
,, ſuperſtitionis vitium in ritibus ſacrifi-
,, cii perpetuo nobis obtrudunt; alte-
,, ra vero ad pietatem fidelium, & My-
,, ſteriorum intelligentiam magis com-
,, parata. Prior poſterioris baſis eſt, ac
,, fundamentum; neque certe D. de Vert
,, animus ac conſilium unquam fuiſſe
,, videtur, myſticas illas ac ſpirituales
,, explicandi cœremonias rationes ex-
,, cludendi, ſicut ipſemet aperte profi-
,, tetur pag. 45. præfationis primo tomo
,, præfixæ.

Dicimus I., cœremoniarum in adminiſtratione Sacramentorum in Eccleſia Chriſti uſum eſſe antiquiſſimum, ſive in figuratione ipſarum in lege veteri, ſive in earundem inſtitutione in lege nova.

I. Probatur Concluſio quoad primam partem. In lege veteri plurimas legimus cœremonias, quæ novæ legis cœremonias figurabant: ergo cœremoniarum in adminiſtratione Sacramentorum in Eccleſia Chriſti uſus fuit antiquiſſimus in figuratione ipſarum in lege veteri. Probatur antecedens. In veteri lege antiquiſſima fuerunt Sacrificia, quæ figurabant Sacramenta noſtra; ſed Sacrificia illa non erant ſine cœremoniis & ritibus: ergo in lege veteri fuerunt cœremoniæ & ritus in ſacrificiis, & in Sacramentis. Probatur major. Obtulit Sacrificium Abel, obtulit Abraham, obtulit Jacob, aliique pariter obtulerunt: & quidem de Abrahami ſacrificio Geneſ. 15. ſcribebat Auguſtinus epiſt. 102., alias 49., ad Deogratias in reſponſione ad tertiā quæſtionem: *ſignificativa ſunt omnia talia ſacrificia, & quarundam rerum ſimilitudines*. Et lib. 6. cont. Fauſtum cap. 5. *Non fruſtra ea, quibus non indiget, ſibi juberet offerri, niſi aliquid in eis oſtenderet, quod nobis & noſſet prodeſſe, & talibus ſignis præfigurari oporteret*. Inſuper Jacob, Geneſ. 28., *erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper*. Et Geneſ. 35: *erexit titulum lapideum, in quo loquutus fuerat ei Deus, libans ſuper eum libamina, & effundens oleum*. In quibus verbis oſtenditur ritus Jacobi, & Abrahami in ſacrificiis, quæ Deo offerebant.

II. Probatur. Compertum apud omnes eſt, Gentiles populos ſacra aliqua peregiſſe, & ritus aliquot obſervaſſe, exemplo Hebræorum, quos videbant, vel cum quibus aliquando habitabant: ergo Gentiles etiam ſacros ritus & cœremonias more ſuo habebant, ex imitatione ſcilicet Judæorum: ergo antiquiſſimus fuit in lege veteri cœremoniarum uſus. Antecedens probatur teſtimonio Arnobii lib. 1. advers. Gentes, ubi loquitur de ſe ipſo, quando adhuc Paganorum erroribus tenebatur. *Venerabar, o Cæcitas! nuper ſimulacra ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, & malleis fabricatos, elephantorum oſſa, picturas, veternoſis in arboribus tænias. Si quando conſpexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ſordidatum, tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar, & beneficia poſcebam, nihil ſentiente de trunco*.

Concluſio quoad ſecundam partem probatur I. In novi Teſtamenti libris memoriam cœremoniarum ſacramentalium de quibuſdam Sacramentis habemus, tanquam a Chriſto Domino inſtitutarum: ergo antiquiſſimus eſt cœremoniarum uſus in inſtitutione ipſarum in lege nova. Probatur antecedens. Ad Romanos 6. legitur: *an ignoratis, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Ad quæ verba S. Baſilius lib. *de*

Spiri-

Spiritu Sancto cap. 15. addit: *Aqua in Baptiſmo mortis exhibet ſimilitudinem, corpus velut in ſepulchro recipiens; ſpiritus vero vim vivificam immittit, a morte peccati renovans animas noſtras in novam vitam*. Et hæc quidem de Baptiſmo. De Euchariſtia vero Apoſtolus I. ad Corinth. 5. præcipit: *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio &c. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in Azymis ſinceritatis, & veritatis*.

II. Probatur. Multis in Evangelii locis perhibetur, Chriſtum Dominum aliquas obſervaſſe cœremonias in Sacramentorum inſtitutione & adminiſtratione: ergo vere Chriſtus illas inſtituit, & approbavit. Probatur antecedens. Quando Chriſtus inſtituit Euchariſtiam lavit pedes Diſcipulorum; & per hoc ſignificavit peccatorum expurgationem; inſuper uſum luminarium introduxit, de quo Hjeronymus in lib. adverſ. Vigilantium ſcribebat. *Cereos non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris, ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod ſi aliqui per imperitiam, & ſimplicitatem ſecularium hominum, vel certe religioſarum fœminarum .... hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? ; cauſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret unguentum; ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum; & tamen illa Mulier in honore Chriſti hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicunque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem; dicente Apoſtolo: unuſquiſque in ſenſu ſuo abundet. Idolatras appellas hujuſmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Chriſto credimus, de Idololatriæ errore veniſſe: non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus Idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum Idolis honore venerari? Illud fiebat Idolis, & idcirco deteſtandum eſt; hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum eſt. Nam & abſque Martyrum reliquiis per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria, jam Sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Unde & Virgines illæ Evangelicæ ſemper habent accenſas lampades ſuas. Et ad Apoſtolos dicitur: ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et de Joanne Baptiſta: illa erat lucerna ardens, & lucens, ut ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua in Pſalterio legimus: lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen ſemitis meis*. Alia etiam leguntur fere in omnibus novi Teſtamenti libris.

Dicimus II., originem cœremoniarum ſacramentalium petendam eſſe a Chriſto, & ab Apoſtolis; & fuiſſe traditione propagatam. Et quidem de Chriſto probatum eſt. De Apoſtolis vero

I. Probatur Concluſio. Apoſtolus Paulus I. ad Corinth. 11. de Euchariſtia loquens hæc ſcribit: *cætera, cum venero, diſponam*; ſed Apoſtolus nihil de his literis mandavit: ergo ſolo dicto confecit. Non enim dicere poſſumus, eum non præſtitiſſe, quod promiſerat; nec pariter interiiſſe leges, quas ſcripſerat: ergo ſi leges dedit, & leges ſcriptæ non inveniuntur ab ipſo, illas dedit tantum voce; & hoc ſufficit, ut per traditionem ad nos pervenerint.

II. Probatur. Auguſtinus epiſt. 118. ad Januarium cap. 6. recenſet legem, qua prohibentur Fideles accedere ad Euchariſtiam non jejunos: innuit hanc eſſe unam ex illis, quas Paulus Apoſtolus recenſito loco commemorat: *ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolus, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variaſſet. Quum vero ait Apoſtolus de hoc Sacramento loquens, propter quod Fratres convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis; ſtatim ſubtexit: cætera autem, cum venero, ordinabo*.

III. Probatur. Multæ ſunt cœremoniæ ſacramentales, quæ commemorantur a Patribus tanquam in Eccleſia eorum ſeculo adhibitæ, & nullam aſſignant inſtitutionem ipſarum ab Eccleſia factam: ergo inſtitutio earundem ab Apoſtolis repetenda eſt. Conſequentia ſequitur ex regula Auguſtini, qua firmat, quod, quæ in Eccleſia ſervantur, & in Conciliis inſtituta non reperiuntur, ab Apoſtolis Inſtituta fuiſſe dicendum eſt. Antecedens probatur teſtimonio Patrum. Tertullianus lib.

de

de corona militis ait. *Aquam adituri ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. Dein ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſuſcepti lactis, & mellis concordiam prægustamus, ex quo ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus .... Eucbariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam ante lucanis cætibus, nec de aliorum manu, quam Præſidentium ſumimus: oblationes pro defunctis, pro Natalitiis, annua die facimus*. Cyprianus epiſt. 76. ad Magnum: *quod hodie etiam geritur, ut per Exorciſtas voce humana, & poteſtate divina, flagelletur, & uratur, & torqueatur Diabolus*. Idem S. Martyr in epiſt. ad Cæcilium recenſet, & explicat ritum, quo Eccleſia vinum Euchariſticum aqua temperabat, & nunc etiam temperat. S. Cyrillus Hjeroſolymitanus Catecheſi 2. ſcribit *Deinde vero jam exuti, exorcizato oleo, a ſummis capillis ad infimos uſque peruncti eſtis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ, Jeſu Chriſti*. Et Catecheſi 4. *Ita ſane exutis veſtibus antiquis, & iis, quæ ſunt ſecundum ſpiritum albæ, indutis, perpetuo jam in albis incedere oportet*. Et Catecheſi 5. *Clamat Sacerdos: ſurſum corda: vere enim circa illam maxime tremendam horam ſurſum ad Deum corda levare neceſſe eſt. Vos deinde reſpondetis: habemus ad Dominum. Nullus autem ſic conſiſtat, ut ore quidem dicat; habemus ad Dominum, mente vero circa hujus vitæ curas vagetur. Dicit deinde Sacerdos; gratias agamus Domino &c.* Eadem videri poſſunt apud Juſtinum in altera pro Chriſtianis apologia, & hec reſpiciunt Euchariſtiæ tum confectionem, tum diſpenſationem: apud Tertullianum lib. de Bapt., & hec Baptiſmum ſpectant; & apud Auguſtinum pluribus in locis explicantem vim exorciſmorum, qui Baptiſmo præmittebantur; apud Gregorium Magnum in Sacramentario, in Euchologiis Græcorum. &c. Fatemur tamen ultro, cœremonias ſacramentales, quæ ſunt extra Sacramentorum ſubſtantiam, ad imitationem, ſeu exemplum Chriſti, fuiſſe introductas; non per hoc tamen fuiſſe ab ipſomet Chriſto immediate inſtitutas, ut ait Bechanus, & probat etiam ex Cypriano ep. 63., *nimirum, exemplo Chriſti manaſſe aquæ cum vino mixtionem in Euchariſtia; uſum in azymo conſecrandi &c.*

Arguunt I. Sacramentales cœremoniæ ſunt quædam Judaiſmi, vel Paganiſmi, reliquiæ: ergo non debent iiſdem Chriſtiani uti. Probatur antecedens. Judæi exorciſmis utebantur, & Pagani inunctionibus quibuſdam initiabant ſuos, adgeniculationibus, aliiſque ritibus ſacrificabant: ergo cœremoniæ ſunt quædam Judaiſmi, vel Paganiſmi, reliquiæ. II. Aliquæ cœremoniæ in Sacramentis nihil valent ad docendum Fideles Sacramentorum effectum, aut myſterium: ergo ſunt reiciendæ. III. Cœremoniæ diſtrahunt animos a Sacramentorum contemplatione: ergo non debent a Fidelibus adhiberi. IV Chriſtus inſtruxit nos ad plenum de Dei vero cultu: ergo non debebant Apoſtoli cœremonias inſtituere, quæ ad Dei cultum pertinent. V. Apoſtolus docet, non eſſe petendam ab hominibus doctrinam de vero cultu: ergo nec etiam ab Apoſtolis. VI. Apoſtolus damnat omnem cultum humanum & voluntarium; ſed cœremoniæ ad hunc cultum ſpectant: ergo &c. VII. Matth. 15. Chriſtus reprehendebat traditiones hominum; ſed multæ cœremoniæ ſacramentales a traditione pendent: ergo &c. VIII. Auguſtinus epiſt. 119. cap. 19 conqueritur de multitudine cœremoniarum in Eccleſia, & dicit propter hanc eſſe tolerabiliorem Judæorum conditionem. IX. Proverbior. 30. habetur: *non addas ad verbum Domini, neque minuas ex eo, ne te forte arguas, inveniariſque mendax*; ſed cœremoniæ ſacramentales, ſive ab Apoſtolis, ſive ab Eccleſia inſtitutæ, ſunt additiones ad verbum Dei: ergo non ſunt admittendæ. X. Facilius eſt proponere nuda myſteria Fidelibus, quam ea exterioribus ritibus involvere.

Reſpondemus ad I., quod non eodem fine Chriſtiani, ac Judæi, vel Pagani cœremoniis utuntur; illi enim utebantur, ut Dœmonibus cultum exhiberent, nos autem vero Deo, & viventi. Subſtantia cœremoniarum indifferens eſt, ſpecificatur autem a fine. Quod vero Judæi, & Gentiles iiſdem ritibus uterentur, id inde fuit, quia

Dia-

Diabolus illudebat ſuis per æmulos ritus, qui ad noſtros propius accederent; quod obſervarunt Tertullianus lib. *de Præſcript. Hereticorum* cap. 11., & Auguſtinus lib. 20. cont. Fauſtum cap. 21.

Ad II., dicitur, dato, quod per aliquos ritus non intelligantur effectus, aut myſteria Sacramentorum facilius, inſerviunt tamen, ut per eos & Miniſtrorum, & Recipientium pietas & reverentia excitentur; ut docet Catechiſmus Romanus cap. *de Sacram. in genere* §. 8.

Ad III., negatur antecedens; immo potius animum componunt, & ad hoc præcipue ſunt inſtitutæ, ut mentem dirigant, & cor elevent ad Sacramentorum contemplationem. Quod ſi hoc in quibuſdam miniſtris non invenitur, defectus certe non eſt ex parte cœremoniarum, ſed vel ex negligentia & abſtractione miniſtrorum, vel ex eorundem indevotione & tepiditate.

Ad IV. Verum eſt, quod Chriſtus inſtruxit nos de vero Dei cultu, ſed inſtructione generali, non autem peculiari; quod fatetur ipſemet Calvinus lib. 4. Inſtitut. § 30.

Ad V. Apoſtolus intelligi debet de illis hominibus, qui Chriſti doctrinam deſtruebant, non autem de illis, qui firmabant, & ædificabant. Porro cœremoniæ ſacramentales, ab Apoſtolis, & ab Eccleſia inſtitutæ, non deſtruunt doctrinam Chriſti, ſed confirmant; & chriſtianum populum non diſtrahunt a Chriſto, ſed cum Chriſto uniunt, atque conglutinant; ac proinde illum inſtruunt, docent, & ædificant.

Ad VI. Nomine cultus humani & voluntarii Apoſtolus intelligit illum, qui eſt vere humanus, & proinde non eſt conformis Chriſti doctrinæ, & fidei principiis. At non ſunt mere humana, quæ ab Apoſtolis, & ab Eccleſia ordinata ſunt, quia illa, Deo ordinante, mandarunt. Unde idem Apoſtolus I. ad Corinth. 14., inſtituens varios ritus in Eccleſia, ait: *ſi quis Propheta, aut ſpiritualis eſt, cognoſcat, quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata*.

Ad VII. Chriſtus reprehendebat traditiones Judæorum; & reprehendebat propter tres defectus, quæ in ipſis erant; primus ſcilicet, quia pugnabant cum mandatis Dei, ut erant illæ Matth. 15. & Marci 7.; ſecundus, quod eſſent inanes & inutiles, quale erat lavare toties manus; tertius, quia in obſervatione aliquarum, quæ erant bonæ & utiles, conſtituebant Religionis ſummam, & divina mandata aſpernabantur; unde dicebat Matth. 23.: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Cœremoniæ autem ſacramentales non ſunt ſic, ut nos ad ſatietatem probavimus, & Hæretici Adverſarii nec probarunt aliquando, nec probare unquam poterunt.

Ad VIII. Auguſtinus intelligendus eſt de cœremoniis inductis a privatis hominibus, & præcipue a mulierculis; & hæc ſunt ejus verba citato loco in objectione. *Omnia talia, quæ neque ſanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, neque conſuetudine Eccleſiæ univerſæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum, diverſis moribus innumerabiliter variantur, reſecanda exiſtimo*.

Ad IX. Reſpondet Bellarminus *de effectu Sacramentor.* lib. 2. cap. 32. „ Non „ prohibet Dominus in his locis quam„ libet additionem. Nam ſive per ver„ bum intelligantur Libri ſacri, ſive „ præcepta moralia, aut judicialia, aut „ cæremonialia, ſemper inveniemus fa„ ctam fuiſſe additionem. Nam poſt „ Deuteronomium, ubi habetur illa „ prohibitio additionis ad verba Domi„ ni, ſcripti ſunt omnes alii libri ſacri, „ tum hiſtorici, tum prophetales, & „ totum novum Teſtamentum. Item „ multa ſunt moralia præcepta in Pro„ phetis, & in libris Salomonis, quæ „ videntur addita Pentateucho; & Da„ vid addidit judiciale præceptum, ut „ æqualiter dividerent prædam in bel„ lo, qui pugnabant, & qui ſarcinas „ cuſtodiebant I. Regum 30. Addide„ runt etiam poſteriores Judæi cæremo„ niales leges de novis feſtis diebus; „ Eſther. 9. Judith. ult., & I. Machab. 4. „ Prohibet igitur Dominus additionem „ corrumpentem; & idem eſt: *non ad*„ *des, & minuas*, ac ſi diceret, inte„ gre & perfecte obſerva, quod ego „ præcipio. Id patet ex ratione, quæ „ redditur Proverb. 30.; *ne forte ar*„ *guat te, & inveniaris mendax*. Non „ enim poteſt dici mendax & falſarius, „ qui inſtituit novam cæremoniam,

Digitized by Google

„ modo illa nihil officiat cæremoniis
„ Dei, ſed ille tantum dicitur mendax &
„ falſarius, qui corrumpit Dei verba, aut
„ præcepta. Poteſt autem duobus mo-
„ dis fieri iſta corruptio. Uno modo,
„ ſi quis Dei verbis, aut præceptis, ali-
„ quid addat, vel minuat, quo illa cor-
„ rumpantur; ut ſi quis in Sacrificiis
„ Chriſti offerret panem ſine vino, aut
„ panem, & vinum, & mel. Alio mo-
„ do, ſi quis venditaret pro Dei verbo
„ librum non Canonicum; aut pro Sa-
„ cramento aliquam cæremoniam a ſe
„ inventam; aut contra librum vere
„ Canonicum, aut verum Sacramentum
„ detraheret de numero librorum ſa-
„ crorum, aut Sacramentorum; quod
„ peccatum Hæretici committunt, cum
„ multos ſacros libros negant eſſe Ca-
„ nonicos, & quinque Sacramenta tol-
„ lunt de numero Sacramentorum.
„ Idem videmus in monetarum corrup-
„ tione: illi enim dicuntur falſarii, qui
„ vel ipſas monetas corrumpunt, adden-
„ do ſtannum argento, aut minuendo
„ ipſum argentum; vel qui monetas a
„ ſe cuſas obtrudunt pro moneta Prin-
„ cipis. Nihil autem horum invenient
„ in Cæremoniis Eccleſiæ.

Ad X. Negatur antecedens, & ratio invenitur in Tridentino ſeſs.22. cap. 5. per hæc verba. *Cumque natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero elatiore in Miſſa pronunciarentur, inſtituit. Cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, Thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa, ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quo & majeſtas tanti ſacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc viſibilia Religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

DISSERTATIO CCCXXVIII.

De Sacramentorum Cæremoniis? An fuerit neceſſitas inſtituendi Cæremonias ſacramentales? An ſit utilis illarum uſus? An ſit admittenda literalis & hiſtorica cæremoniarum explicatio? An myſtica, & ſymbolica? Et an utraque ſimul?

NON loquimur hic de neceſſitate obſervandi cæremonias ab Eccleſia præſcriptas in confectione, adminiſtratione, & receptione Sacramentorum, quæ reſpicit illos, qui eadem Sacramenta vel conficiunt, vel conferunt, vel ſuſcipiunt: de hac enim in ſequenti Diſſertatione loquemur. At ſcribimus tantum de neceſſitate inſtituendi eaſdem cæremonias, quæ quidem eſſe non poteſt abſoluta & ſimpliciter; quum Deus liber fuerit in inſtitutione ipſarum; & ſi liber fuit, quando inſtituit Sacramenta, liberum quoque fuiſſe dicendum eſt, quando inſtituit cæremonias, quæ ad ipſa Sacramenta annexæ erant. Loquimur proinde tantum de neceſſitate *ſecundum quid*, quæ eſt neceſſitas convenientiæ, & congruitatis, & quæ fere cum utilitate confunditur. Hoc ſuppoſito.

Dicimus I., admittendam eſſe neceſſitatem cæremoniarum ſacramentalium modo explicato, & utilem eſſe uſum illarum.

I. Probatur ex Concilio Trident. ſeſs.22. *De Sacrificio Miſſæ* cap.5. *Cum natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero clariore, in Miſſa pronuntiarentur, inſtituit; cæremonias item adhibuit, ut myſ-*

ſticas

ſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex apoſtolica traditione & diſciplina, quo & majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia Religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

II. Probatur ex Catechiſmo Romano par. 2. n. 16. *His accedunt cæremoniæ, quæ tametſi prætermitti ſine peccato non poſſint, niſi aliud facere ipſa neceſſitas cogat: tamen; ſi quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione imminui, credendum eſt. Ac merito quidem a primis uſque Eccleſiæ temporibus illud ſemper ſervatum eſt, ut Sacramenta ſolemnibus quibuſdam cæremoniis miniſtrarentur. Primum enim maxime decuit, ſacris Myſteriis eum Religionis cultum tribuere, ut ſancta ſancte tractare videremur. Præterea, quæ in Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipſæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum ſanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, & diligenter obſervant, ad ſublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis, & charitatem excitant: quo major cura diligentiaque adhibenda erit, ut fideles vim cæremoniarum, quibus ſingula Sacramenta conficiuntur, cognitam & perſpectam habeant.*

III. Probatur ex Auguſtino epiſt. 55. alias 119. cap. 11. *Ad ipſum ignem amoris nutriendum & flandum quodamodo, quo tanquam pondere ſurſum, vel introrſum referamur ad requiem, iſta omnia pertinent, quæ nobis figurate inſinuantur: plus enim movent, & accendunt amorem, quam ſi nuda ſine ullis Sacramentorum ſimilitudinibus ponerentur. Cujus rei cauſſam difficile eſt dicere. Sed tamen ita ſe habet, ut aliquid per allegoricam ſignificationem intimatum plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quam ſi verbis propriis diceretur apertiſſime Credo, quod animæ motus, quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur, ſi vero feratur ad ſimilitudines corporales, & inde referatur ad ſpiritualia, quæ illis ſimilitudinibus figurantur, ipſo quaſi tranſitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad quietem.* Et Lib. 9. Confeſſionum cap. 6. & 7. ſcribit. *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis* (apoſtrophe eſt ad Deum) *ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter! voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & exæſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrimæ, & bene mihi erat cum eis. Non longe cæperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis, & exhortationis celebrare, magno ſtudio fratrum concinentium vocibus, & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Juſtina Valentiniani Regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arianis. Excubebat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſervo tuo. Ibi mater, ancilla tua, ſollicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore ſpiritus tui excitabamur tamen civitate attonita atque turbata. Tunc hymni, & Pſalmi, ut caneretur ſecundum morem orientalium partium, ne populus mæroris tedio contabeſceret, inſtitutum eſt; & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus* Et lib. *de cura pro mortuis gerenda* cap. 5. n. 7. docet: *nam & orantes de membris ſui corporis faciunt, quod ſupplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, et ſi quid aliud viſibiliter faciunt, quanvis eorum inviſibilis voluntas, & cordis intentio, Deo nota ſit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus; ſed hinc magis ſe ipſum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius, atque ferventius. Et neſcio, quomodo, cum hi motus corporis fieri, niſi motu animi præcedente, non poſſint, eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent iſta, præceſſit, quia facta ſunt, creſcit.*

IV. Probatur ex aliis Patribus. Tertullianus lib. de Bapt. cap. 13. *Nos manus non tantum attollimus, ſed etiam expandimus divina paſſione modulantes.* Athanaſius lib. de Incarnat. &c. *Signo Crucis omnia magica compeſcuntur, & Veneficia inefficacia fiunt .... Veniat, qui iſtorum dictorum experimentum capere velit, & in ipſis præſtigiis Dæmonum, & impoſturis vaticiniorum, & in miraculis magiæ, utatur ſigno crucis ab ipſis deriſo, nomen Chriſti invocet, & videbit,*

quomodo eis rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquieſcant, magiæ, & veneficia jaceant. Ambroſius lib. *de iis, qui myſteriis initiantur* cap. 9.: *tu dicis tamen, hoc eſt verum: quod os loquitur, mens interna fateatur.*

V. Probatur enumerando utilitates, quæ ex cæremoniis proveniunt; quarum prima eſt majeſtas & reverentia, quæ debetur myſteriis Religionis noſtræ; ſecunda pietas Fidelium, quæ promovetur, excitatur, & nutritur; tertia eſt utilitas ad exponenda, & defendenda fidei noſtræ myſteria; quarta eſt diſtinctio Catholicorum ab Hæreticis, & aliæ, quos Scriptores fuſiori calamo addunt.

VI. Probatur Rationibus, & congruentiis. I. Quia Eccleſia a ſuis incunabulis ſi iis cæremoniis uſa eſt, quis dicere poterit, Eccleſiam rebus vanis & inutilibus a ſui exordio uſque ad noſtra ſecula uſam fuiſſe? II. Apoſtoli poſt Chriſtum fuerunt primi, qui in Eccleſiam chriſtianam cæremonias invexerunt, ut patet ex Auguſtino citata epiſt. 119. ad Januarium: *terribile autem eſt ne Apoſtolos res vanas & inutiles in Eccleſiam invexiſſe?* III. Quia hæ cæremoniæ juvant intellectum, ut facilius Sacramenti effectus cognoſcat; quod de exorciſmis aſſerit Auguſtinus lib. 6. contra Julianum cap. 5., & lib. 1. de Peccator. merit. & remiſs. cap. 34.; & lib. 2. cap. 26. IV. Quia Sancti Patres his cæremoniis uſi ſunt, ut populos in myſteriorum fidem confirmarent: patet ex Ambroſio toto quaſi libro *de iis, qui myſteriis initiantur*. V. Quia per cæremonias quaſi ponuntur ante oculos Fidelium myſteria, quæ in Sacramentis occultantur: ut docet Cyprianus epiſt. ad Cæcilium. VI. Quia hæ cæremoniæ non ſunt ex ſe malæ, ſed indifferentes: ergo, quando ad bonum finem ordinantur, bonæ debent fieri.

Obſtant I. In Chriſtianiſmi exordio Eccleſia ſimplici cultu divina myſteria celebrabat, & abſque cæremoniis: ergo tunc pro comperto habebatur, cæremonias non eſſe neceſſarias, nec utiles. II. Sunt aliquæ cæremoniæ in Sacramentorum adminiſtratione, quæ nihil conferunt ad inſtructionem Fidelium, nec ad illorum pietatem: ergo ſaltem hæ non ſunt neceſſariæ, nec utiles. III. Omne, quod non eſt inſtitutum a Deo, & eſt ad ejus cultum ordinatum, Deo non placet; ſed cæremoniæ, quæ ſunt ab Apoſtolis & ab Eccleſia inſtitutæ, non ſunt inſtitutæ a Deo, ſed ab hominibus: ergo Deo non placent. IV. Cæremoniæ, vel ſunt eſſentiales in Sacramentorum adminiſtratione, vel pertinent ad Sacramentorum integritatem; non eſſentiales, quia ſine illis Sacramenta conſiſtunt; nec pertinent ad Sacramentorum integritatem, quia ſine illis valide conficiuntur Sacramenta, & adminiſtrantur: ergo nullo modo fuerunt neceſſariæ, nec ad præſens ſunt utiles.

Reſpondemus ad I., non mirum, quod Eccleſia in ſui exordio cæremonias non adhibuerit, quia Fideles ob perſecutionum metum in cavernis & ſpeluncis abſcondebantur, ut ſacra myſteria celebrarent, & ibi non poterant ullo apparatu ſacra peragere. Poſtquam autem a Conſtantino Magno reddita fuit pax Eccleſiæ, teſtatur Euſebius in vita Conſtantini, quibus ſumptibus Fideles erexerint templa, qua pompa, & quo apparatu ſacras functiones celebraverint, & quibus cæremoniis ſolemnem Sacramentorum adminiſtrationem peregerint.

Ad II., negatur abſolute antecedens; omnes enim cæremoniæ, ſi recte & ſine æmulationis ardore conſiderentur, proſunt multum ad Fidelium eruditionem, atque pietatem, & præcipue ſi rudes ſint, ipſis exterioribus actionibus edocentur, ut ſpiritualia cum reverentia & devotione pertractent, ſuſcipiant, ac venerentur. Quod & ipſimet, qui fuerunt aliquando noſtrorum myſteriorum irriſores fatentur.

Ad III., dicitur, quod quando ea, quæ ab hominibus inſtituuntur, ſunt oppoſita illis, quæ Deus inſtituit, certum eſt, quod Deo non placent, nec placere poſſunt. At quando ſunt conformia, & ad eundem finem ordinata, ſcilicet ad Dei cultum promovendum, & ad noſtram pietatem fovendam, quam maxime placent Deo; & maxime hoc, quando homines id inſtituunt auctoritate ipſis a Deo tributa.

Ad IV., cæremoniæ non pertinent ad eſſentiam, ſed ad integritatem Sacramentorum, ita quidem, ut quando omittuntur, valide Sacramenta fiant, ſed il-

ſed illicite; At de hoc fuſius in ſequenti Diſſertatione tractabimus.

Pro ſecunda Diſſertationis partæ duæ ſunt extremæ opiniones: quarum una agnoſcit in cæremoniis ſacramentalibus originem pure hiſtoricam ſimplicem ac literalem, altera vero agnoſcit myſticam & ſymbolicam ipſarum ſignificationem. Quæ quidem duæ extremæ opiniones, ut penitus cognoſcantur a Tournely exponuntur verbis, quæ recitavimus nuper. Unde

Dicimus II., non improbandam eſſe literalem & hiſtoricam cæremoniarum expoſitionem; nec negandum eſſe a primis Eccleſiæ exordiis myſticum, & ſymbolicum ſenſum illis fuiſſe annexum.

I. Probatur Concluſio quoad primam partem. Sicut in cæremoniis veteris legis erant, quæ literalem & hiſtoricam expoſitionem atque originem continebant, ita pariter conveniens eſt, ut dicatur eſſe in cæremoniis ſacramentalibus novæ legis: ergo vere in cæremoniis novæ legis habet locum hiſtorica & literalis expoſitio. Probatur antecedens, tum de Circumciſione, quæ continebat ſignum diſtinctionis populi hebraici ab aliis gentibus, & præter hanc myſticam & ſpiritualem ſignificationem habebat, tum de infuſione olei, quam fecit Jacob, quando erigebat lapidem in titulum, quæ continebat & hiſtoriam & conſecrationem, ad quam ipſa effuſio ordinabatur: tum de aliis cæremoniis Hebræorum, quę a ſanctis Patribus, & a ſacris Expoſitoribus literaliter & myſtice explicantur.

II. Probatur a citato Tournely de uſu cereorum, & thuris in cæremoniis Sacramentorum novæ Legis, & præcipue de thuris uſu his verbis: „ nempe
„ adhibitum fuiſſe ad depellendum no-
„ xium odorem, qui ex locis ſubterra-
„ neis, & ex magna Fidelium in il-
„ lis incluſorum copia, exalabat. Ita
„ fert antiquum Miſſale S. Dionyſii in
„ Gallia ad benedictionem incenſi: *hoc*
„ *incenſum ad omnem fœtorem nocivum ex-*
„ *tinguendum Dominus benedicat, & in*
„ *odorem ſuavitatis accendat*. Et S. Tho-
„ mas 3. part. q.53. ar.5. ad.2. ait; *thu-*
„ *rificatione non utimur quaſi cæremoniali*
„ *præcepto Legis, ſed ſicut Eccleſiæ ſtatuto*
„ .... *primo quidem ad reverentiam hujus*
„ *Sacramenti, ut ſcilicet per bonum odo-*
„ *rem depellatur, ſi quid corporaliter pra-*
„ *vi odoris in loco fuerit, quod poſſet pro-*
„ *vocare horrorem; ſecundò ad repreſen-*
„ *tandum effectum gratiæ*. Primis Eccle-
„ ſiæ ſeculis in uſu fuiſſe thus adolere,
„ ſignificat Canon tertius eorum, qui
„ *Apoſtolici* dicuntur: *ne liceat*, in-
„ quit, *aliud aliquid ad altare offerre*,
„ *quam oleum ad luminare, & incenſum*
„ *tempore ſanctæ Oblationis*. Non eſt,
„ quod in re tam certa & explorata
„ comprobanda immoremur diutius:
„ Deus ipſe Exodi 30., thuris compo-
„ ſitionem præſcribit, prohibetque, ne
„ in alium, quam Tabernaculi cultum
„ uſurpetur. *Talem compoſitionem non*
„ *facietis in uſus veſtros, quia ſanctum eſt*
„ *Domino. Homo quicunque fecerit ſimi-*
„ *le, ut odore illo perfruatur, peribit de*
„ *populis ſuis*. Continet igitur uſus thu-
„ ris & incenſi ſacrum aliquid ac divi-
„ num, quod ad Dei cultum ſuo modo
„ refertur. Deo adoletur, tanquam
„ ſupremo rerum omnium Domino,
„ cui latriæ cultus debetur, thure fu-
„ mant & odoribus Altaria, in hono-
„ rem Sacrificii, quod ibi offertur; thu-
„ ris honores exhibentur Crucis & ſan-
„ ctorum imaginibus, qui honos præ-
„ cipue ad Archetypa tendit ac refer-
„ tur. Exibetur quoque ſacro Evangelio-
„ rum libro, in ſignum venerationis,
„ qua verbum Dei proſequimur, & bo-
„ ni odoris, quem reſpergere ubique ac
„ diffundere chriſtiani omnes tenentur.
„ Oblationes etiam ſuffictu perfundun-
„ tur, ut conſecrentur, & Deo gratæ
„ fiant, & acceptæ. Ipſis denique Fi-
„ delibus, dum Sacris interſunt, incen-
„ ſum offertur, ut moneantur oratio-
„ nes ſuas ad Deum dirigere, & bono-
„ rum operum odorem, quaſi thus ac-
„ ceptiſſimum, circumquaque diffunde-
„ re. Hæc pauca de Cæremoniis, quan-
„ tum ad inſtitutum noſtrum ſpectat,
„ ſufficiant, de quibus data opera fu-
„ ſius tractant, qui de rebus liturgicis
„ ſcripſerunt.

III. Probatur teſtimonio ſanctorum Patrum, & veterum Scriptorum eccleſiaſticorum, qui ſacramentales cæremonias commemorant, & illarum literalem & hiſtoricam originem deſcribunt, & myſticam atque ſymbolicam ſignificationem exponunt. Hi autem ſunt, Prudentius Hymno 2. de paſſione S. Laurentii, Paulinus

Poe-

Digitized by Google

Poemate 14., alias 19. de natali S. Felicis verſu 98., Gregorius Thuronenſis lib. *de gloria Confeſſorum* cap.21., 69. 70 71.79. Nazianzenus Orat.4.adverſ.Julianum, Hieronymus epiſt.86. alias 27. ad Euſtochium, Nyſſenus de vita ſancti Macrini, & alii plures apud Auctores videndi.

Objiciunt I. Si cæremoniæ ſacramentales continerent effectum ſpiritualem, Eccleſia declaraſſet; ſed de hoc nihil Eccleſia declaravit, nec definivit: ergo verum non eſt, quod cæremoniæ ſacramentales contineant effectum myſticum ſymbolicum, & ſpiritualem. Probatur major; quemadmodum enim Eccleſia nos docet cæremonias ipſas, uſum illarum, & debitum, quod in nobis eſt adhibendi illas, ita etiam debuiſſet nos inſtruere de effectu, quem in nobis producunt. Quod autem de hoc effectu nihil nobis declaraverit Eccleſia ex eo patet, quod diſputationi Theologorum illum ipſum remittit: ergo ſignum eſt quod non declaravit. II. Poſito ſemel hiſtorico & literali ſenſu cæremoniarũ ſacramentalium, illud omne, quod reducitur ad ſpiritualem & myſticum, eſt arbitrarium, ſed ſi eſt arbitrarium eo ipſo non eſt magni faciendum: ergo ad illud non attendit Eccleſia. Et quidem patet, quod ſit arbitrarium, quia eſt multiplex & varium; quiſque enim ſuo arbitratu inveſtigat, judicat, & exponit. III. Nec etiam finis hiſtoricus & literalis cæremoniarum ſacramentalium eſt certus: ergo vere non poteſt dici, quod ipſe ſit attendendus vel in inſtitutione illarũ, vel in earundem uſu. Probatur antecedens; quia ſi eſſet certus, idem ab omnibus aſſereretur, & omnes in eo aſſignando convenirent; atqui hoc non videmus: ergo non eſt certus. Probatur minor ex iis, quæ diverſimode Scriptores narrant circa initium & ortum aliquorum rituum, qui in Sacramentis adhibentur; puta, in aquæ luſtralis introductione, in cereorum accenſione, in thuris uſu, in olei effuſione &c. IV. Multa, quæ circa ritus ſacramentales a Scriptoribus quibuſdam aſſeruntur, ab aliis negantur: ergo non eſt conſtans illorum rituum, nec inſtitutio, nec uſus: ergo non eſt certus, nec laudabilis finis: ergo non eſt vere a nobis aſſignabilis. V. In aliquibus Sacramentorum ritibus, ut originem aſſignemus, recurrimus ad Gentiles populos, & eam ab eorundem uſu derivamus; ſed hoc nunquam poterit producere finem myſticum & ſpiritualem: ergo cœremoniæ ſacramentales nequeunt habere pro fine aliquid, quod ſit myſticum & ſpirituale. Minor patet, quia Gentilium populorum inſtituta nunquam habere poterunt pro fine aliquid, quod ſit Deo ſacrum, & ſpiritui noſtro opportunum. VI. Si ponitur pro fine cœremoniarum ſacramentalium ſolus ſenſus hiſtoricus & literalis, ſequitur, quod Sacramenta non ſint opus divinum, ſed humanum; ſi vero ponitur aliquid myſticum & ſymbolicum, ſequitur pariter, quod Sacramenta non ſint ſigna rei latentis, ſed ſint potius res ipſæ, quæ latent; ſi autem ponitur utrunque, videtur, quod unum nequeat ſtare cum altero, quia potius ad invicem ſe excludunt, quam inter ſe ipſa componant: ergo ſemper ſtat, quod in Sacramentorum cœremoniis nullus omnino ſit finis: adeoque contra id, quod ſuperius probabatur, nulla pariter ſit neceſſitas, & utilitas.

Reſpondemus ad I., Eccleſiam utique declaraſſe Sacramentorum finem myſticum atque ſymbolicum, quanvis non declaraverit finem hiſtoricum & literalem, quem ſolum Theologorum diſputationi remiſit. Et quid facit Eccleſia, quando declarat cœremonias ſacramentales eſſe laudabiles, eſſe pias, devotionem noſtram promovere, & ſpiritualem profectum nobis pariter commendare? ; nonne hic eſt finis myſticus, ſymbolicus, & ſpiritualis?, & hunc Eccleſia declaravit, & declarat, & præcipue quando nobis imponit obligationem obſervandi illas, ut in ſequenti Diſſertatione videbitur.

Ad II., dicitur, quod quanvis illud omne, quod eſt ſpirituale ac myſticum ſit arbitrarium in individuo, non eſt tamen arbitrarium in ſpecie & in genere; quia, etſi varient Scriptores in hoc aut illo fine myſtico & ſpirituali aſſignando, conveniunt tamen omnes in aliquo ſpirituali dicendo: ergo ſemper ſtat, quod vere in Sacramentorum uſu aliquod myſticum & ſpirituale inveniatur; quanvis deinde controvertatur quale ſit illud. Et hoc eſt, quod Eccleſia diſputationi Theologorum remiſit.

Ad

Ad III. Non fundatur in certitudine humanæ hiſtoriæ, quæ ut plurimum eſt fallibilis, conſtantia finis ſpiritualis & myſtici, qui in cœremoniis ſacramentalibus continetur; quæcunque enim ſit origo, vel initium illarum, finis ſpiritualis earundem in ſpecie & in genere ſemper idem eſt, ſcilicet vel major Dei gloria, vel amplior Dei bonitatis laus, vel fuſior noſtræ perfectionis utilitas, vel largior erga nos divinæ beneficientiæ uſus. Et hæ quidem non pendent ab hiſtorica certitudine rerum particularium, quæ in ſe fallibiles eſſe poſſunt, ſed a divina ordinatione, que ita cœremoniarum uſum in Eccleſia ſtatuit, ac direxit.

Ad IV., dicitur, quod incertitudo factorum nullum affert prejudicium certitudini divinæ inſtitutionis. Sat enim nobis eſt, ut ſciamus, Deum inſtituiſſe in Sacramentis has, & non alias cœremonias, & has, & non alias præcepiſſe. Et ſi Deus hoc fecit per Eccleſiam, ſat pariter nobis eſt, quod Eccleſia ita, & non aliter ſtatuerit. Quod vero hoc, vel aliud motivum habuerit ad hoc ſtatuendum, de materiali ſe habet; & hoc pariter noſtræ diſputationi comiſit, nec quoad hoc nobis aliquam credendi obligationem impoſuit.

Ad V. Dato, quod origo, & initium aliquarum cœremoniarum petatur a conſuetudinibus, quæ inter Gentiles populos vigebat, non per hoc tamen fit, quod ſi fuerint cœremoniæ illæ ſemel in Eccleſiam introductæ, quia ab Eccleſia ipſa inſtitutæ & imperatæ, non poſſint finem in nobis ſacrum & ſpiritualem producere. Productio enim finis hujuſce non dependet ab exemplo, quod deſumeretur a Gentilium praxi, ſed ab obedientia, quæ exhiberetur Eccleſiæ præceptis, & a praxi, quam Fideles exequerentur juxta mandatum ab Eccleſia ipſis datum. Et hoc poſſet non paucis probari exemplis, quæ paſſim in Eccleſiæ hiſtoria quiſque poterit invenire.

Ad VI. In noſtra ſententia ponitur pro fine cœremoniarum ſacramentalium uterque ſenſus; falſum autem eſt, quod objectio ſupponit, ſed non probat, ſcilicet, quod unus finis ab altero deſtruatur, & quod inter ſe potius pugnent, quam adjuventur. Et ut ad exempla recurramus, finis hiſtoricus e. g. Olei, quod adhibetur in Sacramentis quibuſdam deſumitur ab oleo, quod Jacob fudit ſuper lapidem, & finis myſticus & ſymbolicus continet ſpiritualem unctionem, quam percipit anima in Sacramentorum ſuſceptione. Inter autem hos fines quænam eſt repugnantia? Pariter finis hiſtoricus & literalis circa cereorum accenſionem petitur a primis Fidelibus, qui ſacra myſteria intra ſpeluncas & cavernas celebrantes illā adhibebant; finis autem ſpiritualis & myſticus eſt accenſio mentis & illuminatio ejuſdem ad celebrationem Sacrorum. Quæ autem contrarietas inter hos fines? Sic pariter poterit quiſque de aliis ritibus diſcurrere, examinando ſcilicet fines ipſorum, tam literales & hiſtoricos, quam ſymbolicos, & myſticos, & nullos ex his inveniet cum aliis pugnare, at potius convenire.

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCXXIX.

De Sacramentorum Cæremoniis. An in Eccleſia ſit auctoritas inſtituendi & præcipiendi cæremonias in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione ſervandas? An re ipſa inſtitituerit atque præceperit? Et an ſit peccatum, & quale, prætermittere ritus ab Eccleſia ordinatos in Sacramentorum adminiſtratione, etiam citra ſcandalum, atque contemptum?

PRO prima Diſſertationis parte notat Bellarminus Tomo 3. Controverſia 1. lib. 2. cap. 31. *Poteſt Eccleſia inſtituere novas cæremonias, non quidem ad juſtificandum impium, ſed ad alios effectus ſpirituales*. Et poſtmodum ut hanc concluſionem probet, hæc ſequentia verba præmittit. „ Nota pro
„ explicatione, cœremonias ab Eccle-
„ ſia inſtitutas tribus modis poſſe eſſe
„ utiles. Primo, ad ornandum & re-
„ preſentandum aliquod myſterium Re-
„ ligionis, & eo modo juvandos rudio-
„ res; & de hoc inter Catholicos nulla
„ poteſt eſſe dubitatio. Secundo, ad
„ morbos curandos, & Dœmones pel-
„ lendos, & peccata venialia purganda,
„ & alia id genus, idque per modum
„ impetrationis, ut cum Eccleſia bene-
„ dicit candelas, palmas, agros &c.
„ Iſta enim valent ad effectus illos, ad
„ quos inſtituuntur, ex vi orationum Ec-
„ cleſiæ, quæ ſine dubio exaudiuntur; &
„ de hoc etiam non eſt quæſtio apud Ca-
„ tholicos. Tertio modo, probabile eſt,
„ poſſe Eccleſiam inſtituere ejuſmodi
„ cœremonias ad eoſdem effectus per
„ applicationem Chriſti meritorum, ita
„ ut ex opere operato, illos effectus pro-
„ ducant, quomodo Sacramenta ex ope-
„ re operato juſtificant. Chriſtus enim
„ ſine dubio meruit Eccleſiæ ſuæ non
„ ſolum gratiam & gloriam, ſed etiam
„ omnia alia beneficia, quæ illi utilia eſ-
„ ſe poſſunt. Et quidem ad gratiam &
„ juſtificationem impii conſequendam
„ inſtituit ipſe Sacramenta, quibus ap-
„ plicentur ipſius merita; nec licet jam
„ alia ſigna inſtituere ad effectum illum
„ principalem: ad alia beneficia minora
„ reliquit Eccleſiæ poteſtatem, ut inſti-
„ tuat ſigna, quibus applicentur ipſius
„ merita. Ita quidam diſputant, ſed non
„ eſt uſque adeo certum, præſertim cum
„ videamus non habere ſigna iſta in fal-
„ libilem effectum. Quanquam poſſet
„ dici habere effectum infallibilem, ſi
„ id ſit utile hominibus, non autem abſo-
„ lute, quia ſæpe non expedit nobis ea
„ beneficia conſequi: quomodo de ex-
„ trema Unctione dicere ſolemus, quo
„ ad effectum ſanitatis corporalis. Sed
„ quidquid de hoc ſit; noſtra propoſitio
„ ſolum aſſerit contra Hæreticos, licere
„ Eccleſiæ inſtituere novas cœremonias
„ non ad juſtificandum a peccatis mor-
„ talibus, ſed ad alios fines

I. Lutherus in lib. *de formula Miſſæ*, & in lib. *de piis Cæremoniis*; Melanchthonus in locis tit. *de cæremoniis*; Illyricus in Apologia pro Confeſſione Antuerpienſi, c. 10., Confeſſio Auguſtana art. 15., & 16., & Lutherani omnes communiter fatentur ultro, poſſe Eccleſiam aliquas cœremonias inſtituere, ſed ad eruditionem tantum, ſplendorem, & ordinem Eccleſiæ, non autem ut ſit obligatio, & cultus opinio.

II. Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 10. §. 11., id nullo modo licere aſſerit; quem ſequitur Brentius in Confeſſione Wirtembergienſi cap. *de Cæremoniis*. Horum mens eſt, quod Eccleſia poſſit inſtituere diſpoſitionem concionum, lectionum, feſtorum, & aliarum rerum, quæ ſecundum præcepta, vel

exi-

exiſtentiâ Scripturarum celebrantur, ſed non poſſit novos ritus inducere ad veritatem adumbrandam, quæ jam in Evangelio patefacta eſt; quales ſunt, interdiu accendere cereos, uti vexillis, ſeu crucibus, ad ſignificandum victoriam Chriſti &c.

III. Kemnitius his ultimis ſubſcribit, quum velit divinæ inſtitutioni nihil addendum, aut detrahendum eſſe, quaſi, quas Chriſtus cœremonias inſtituit, vel idoneæ non ſint, vel non ſint ſufficientes.

IV. De omnibus Hæreticis hiſce hæc ſcribit Jueninus in Inſtitutionibus theologicis. „ Heterodoxi fatentur, „ Eccleſiam, tum in Occidente, tum in „ Oriente, quovis ſeculo plures adhibuiſ- „ ſe cœremonias in Sacramentorum ad- „ miniſtratione; verum ex iis nonnulli „ contendunt, Eccleſiam nuſquam eas „ cœremonias miniſtris præcipiſſe; ad- „ dunt alii, nec potuiſſe præcipere: „ hi cæque concludunt, adhiberi qui- „ dem poſſe nonnullos ritus in admini- „ ſtratione Sacramentorum, ſed con- „ tendunt, miniſtros pro libito poſſe, vel „ eos omittere, vel in alios, ut libuerit, „ immutare.

Dicimus I., Eccleſiam potuiſſe cæremonias in Sacramentorum adminiſtratione inſtituere & præcipere.

I. Concluſionis pars probatur I. Potuit Synagoga in lege veteri, immo etiam potuerunt privati homines, ritus quoſdam inſtituere in Sacrorum celebratione: ergo a fortiori potuit Eccleſia ſacramentales cœremonias inſtituere. Conſequentia ſequitur, quia major eſt auctoritas in Eccleſia Chriſti, quam in Synagoga, vel in privatis hominibus fuerit. Antecedens probatur enumeratione illorum omnium, qui in lege veteri ſacrorum rituum fuerunt introductores, & præcipue Enoch, Abraham, Melchiſedech, Aaron, Moyſes &c. Si dicant, hos effeciſſe nomine Synagogæ, nos dicemus, Eccleſiam pariter nomine ſuo effeciſſe, & efficere. Si dicant inſuper, id præſtitiſſe ex Dei præcepto, inſpiratione, & aſſiſtentia; nos quoque dicimus, Eccleſiam præſtiſſe & præſtare ex Spiritus Sancti auctoritate & aſſiſtentia.

II. Probatur. Potuerunt Apoſtoli ſacros ritus inſtituere, & alia multa ad diſciplinam pertinentia inducere: ergo ſimiliter poteſt Eccleſia. Probatur antecedens. Apoſtoli prohibuerunt uſum ſanguinis effuſocati, quod legitur in Scriptura, & alia multa pariter inſtituerunt circa ritus & cæremonias ſacras, quæ ex traditione habemus. Conſequentia autem prioris argumenti ſequitur, quia tota illa poteſtas, quæ fuit in Apoſtolis, eſt in Eccleſia: ergo ſi potuerunt Apoſtoli, potuit & Eccleſia.

III. Probatur. Si Eccleſia non potuiſſet ſacramentales cæremonias inſtituere, vel hoc fuiſſet ex parte Eccleſiæ, quia ſcilicet hujuſcemodi auctoritatem non habuiſſet, vel ex parte cæremoniarum, quia nimirum cæremoniæ ſunt propriæ tantum veteris teſtamenti, & non novi; vel tandem ex parte novitatis cæremoniarum; quia non licet addere aliquid cœremoniis a Chriſto Domino inſtitutis; ſed nulla ex his repugnantia locum habet: ergo vere Eccleſia potuit ſacramentales cœremonias inſtituere. Probatur minor. Non habet locum prima, quia Eccleſia poteſt leges ferre in foro conſcientiæ obligantes: ergo poteſt ritus quoſdam in confectione & collatione Sacramentorum adhibendos inſtituere: neque ſecunda, quia etiam in lege nova Chriſtus Dominus inſtituit ſacramentales cæremonias, quæ adhuc per Adverſarios veriſſimæ cœremoniæ ſunt: neque tertium; quia nunquam Dominus prohibuit, ne aliquid cœremoniis ab ipſo inſtitutis adderetur; immo potius contrarium, quia, quum ipſe inſtituerit tantum materiam & formam quorundam Sacramentorum, abſque eo quod determinaverit modum applicandi materiam, & proferendi formam, hanc poteſtatem Eccleſiæ ſuæ reliquit; quæ quidem alia non eſt, quam poteſtas cœremonias inſtituendi ac præcipiendi.

Secunda Concluſionis pars probatur I, exemplo Victoris, Summi Pontificis in *Controverſia de Paſchate* inter Orientales Epiſcopos, quibus Victor excommunicationis pœnam minatus eſt, ſi Paſcha deinceps cum Judæis, hoc eſt, Luna XIV. Martii in quamcunque hebdomadæ diem incideret, celebrarent. Nuſquam in tali controverſia dixerunt Orientales, quod modo Hæretici dicunt, non poſſe ſcilicet Eccleſiā ritus aliquos præſcribere. Ulterius, Concilium Nicænum I. pertinaces Orienta-

les a Victoris ordinatione rebelles excommunicavit, & ſub *Quartodecimanorum* nomine Hæreticis adnumeravit.

II. Probatur. Baptiſmus per Canonem 50 ex iis, qui *Apoſtolici* dicuntur, per trinam immerſionem conferri debebat, & contrarium facientibus depoſitionem minabatur Eccleſia; ſed hæc trina immerſio fuit poſtmodum mutata in trinam ablutionem ab eadem Eccleſia: ergo Eccleſia habuit poteſtatem & inſtituendi, & mutandi ſacramentales cœremonias. Unde fit clarum, quod, quanvis Chriſtus in Baptiſmo præceperit ablutionem, non præcepit tamen illam faciendam eſſe, vel per aſperſionem, vel per infuſionem, vel per immerſionem; & hoc Eccleſiæ ſuæ determinandum reliquit. Inſuper idem Chriſtus in Euchariſtia determinavit panem pro materia, ſed non diſtinxit, an ille panis debeat eſſe azymus, an fermentatus; unde dicebat Auguſtinus epiſt. 118. *Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine* (Euchariſtia) *ſumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum: nam ſi monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variaſſet.* Denique decrevit Chriſtus formam in Sacramentis, ſed non explicavit modum, quo forma proferri debet, indicative, vel deprecative, quemadmodum non determinavit modum, quo materia ſubjecto debet applicari, & utrunque Eccleſiæ determinandum reliquit; ſed modus proferendi formam, & applicandi materiam eſt, cœremonia ſacramentalis: ergo Chriſtus dedit Eccleſiæ poteſtatem præcipiendi cœremonias ſacramentales.

Dicimus II., Eccleſiam de facto cœremonias ſacramentales aliquas inſtituiſſe & præcepiſſe.

I. Probatur Concluſio. Multi Sancti Pontifices fuerunt quidem conſulti ab Epiſcopis de rebus fidei, & morum, ſed multo ſæpius conſulti fuerunt de ritibus, & cœremoniis ſacramentalibus: ergo ſignum eſt, quod Epiſcopi in Pontificibus Maximis poteſtatem hanc cognoſcebant. Et huic probationi adjungi poſſunt exempla, quæ de Victore in Controverſia de Paſchate adduximus, & alia, quæ paſſim apud Scriptores invenientur.

II. Probatur omnibus Canonibus eccleſiaſticis, quibus vel Pontifices, vel Concilia, cœremonias ſacramentales, vel inſtituerunt, vel præceperunt, vel innovarunt, & præ cæteris patet ex Canone illo 50., qui dicitur Apoſtolorum, quia, ut ait Jueninus, Canones illi Apoſtolici dicti continent diſciplinam tribus prioribus ſeculis ſervari ſolitam in Oriente. Hæc ſunt verba Canonis. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, non trinam merſionem unius myſterii celebret, ſed ſemel mergat in baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur.* Loquitur inſuper Cyprianus in epiſt. ad Cæcilium de vino aqua temperando; quod etiam pertinet ad ritus, & cœremonias ſacramentales.

Opponunt I. Eccleſia prioribus ſeculis ſacrorum rituum tranſgreſſores in Sacramentis puniebat vel excommunicationis, vel depoſitionis pœna; ſed hic rigor eſt nimius: ergo dicendum eſt, quod Eccleſia in hac parte ſuæ poteſtatis jura exceſſerit. II. Multa erant in Eccleſia priori Ævo, quæ libera relinquebantur Sacramentorum miniſtris: ergo ſignum eſt, quod Eccleſia circa ritus ſacramentales non ſumebat ſibi provinciam inſtituendi, & præcipiendi præter illa, quæ Chriſtus Dominus circa cœremonias & ritus in Sacramentorum adminiſtratione præceperat. III. Adhuc liberum erat cuique in collatione Baptiſmi vel trinam, vel unam tantum adhibere merſionem; ſed hoc ſpectat ad ritum: ergo ſi hic ritus erat pro libito Miniſtri, Eccleſia circa ipſum nihil inſtituerat, neque præceperat. IV. Quanvis Eccleſia aliquando ſibi uſurpaverit poteſtatem immutandi cœremonias Sacramentorum, non tamen hoc fecit ſemper, neque fecit in cœremoniis illis, quæ dicuntur *ſubſtantiales*; ſed in iis, quæ erant *accidentales*, & plurimum a Sacramentorum ſubſtantia remotæ.

Reſpondemus ad I., jus illud non uſurpaſſe temere Eccleſiam ſibi, ſed habuiſſe a Chriſto per illa Evangelii verba, quibus Chriſtus Apoſtolis ſuis dicebat, & in Apoſtolorum perſona dicebat etiam Eccleſiæ. *Quæcunque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cælis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælis. Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Etnicus, & publicanus. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordi-*

ordinationi reſiſtit. Inſuper quis credat, Præſules ſanctiſſimos, quorum aliqui fuerunt Martyres Chriſti, & aliqui Eccleſiæ Doctores, vel per ſe ipſos, vel in Conciliis congregatos, poteſtatem ſibi non concreditam a Chriſto in uſu poſuiſſe circa ſacramentalium cæremoniarum vel inſtitutionem, vel immutationem? Quod ſi hoc credibile non eſt, dicere jure debemus, antiquos Patres Eccleſiæ jure optimo ſacramẽtales cæremonias inſtituiſſe, præcepiſſe, & aliquando etiam innovaſſe.

Ad II., primo negatur, quod aſſumitur, ſi feciſſet aliquid contra illa, quæ Eccleſia inſtituerat, atque præceperat. Si vero libertas illa ab Eccleſia ipſa Miniſtris Sacramentorum proveniebat, non eam exercebant Miniſtri, tanquam proprio marte uſurpatam, ſed tantum ut ſibi ab Eccleſia datam. Unde ſemper ab Eccleſia primario & principaliter ritus illi, alioquin indifferentes & adiaphori, dependebant.

Ad III., negatur omnino Aſſumptum, tum quia, ſi liberum fuiſſet vel unam vel trinam immerſionem, adhibere, Canon dictus apoſtolicus trinæ merſionis omiſſionem depoſitionis pœna non puniviſſet; quia tanta & talis pœna non ſolet dari ab Eccleſia in traſgreſſione rerum, quæ indifferentes ſunt. Ad hæc ſubdit Jueninus in Inſtitutionibus theologicis exemplum, quod ſequitur. „ Leander, Epiſcopus Hiſpalenſis, ineunte ſeptimo ſeculo, Gregorium Magnum conſuluit de miniſtris quibuſdam catholicis, qui per unam immerſionem in Hiſpaniis baptizabant, ne darent locum Arianis, qui triplici immerſione utebantur, ut triplicem in Trinitate ſubſtantiam adſtruerent; atqui fruſtra de eo facto Leander Gregorium conſuluiſſet, ſi cuique Baptiſmatis Miniſtro liberum fuiſſet aut trinam, aut unam tantum immerſionem adhibere.

Ad IV. Falſitas illius quod aſſeritur in objectione clare deſumitur ex Concilio Tridentino ſeſs.21. cap.2. ubi hæc habet: *declarat, hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ Suſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.*

PAR. VI.

Dicimus III., eſſe peccatum prætermittere ritus ab Eccleſia ordinatos in Sacramentorum adminiſtratione; & quidem grave ſi adfuerit ſcandalum, & contemptus; leve vero ſi non adfuerint.

Prima Concluſionis pars probatur I., quia illicitus eſt cujuſcunque rei ſacræ contemptus, & illicitum eſt quoque omne id, quod Fidelibus poteſt ſcandalum ingerere; ſed contemptus cæremoniarum ſacramentalium in re gravi, gravis eſt contemptus, & poteſt Fidelibus grave ſcandalum ingerere: ergo ſi contemptus ſit in re gravi, & ſcandalum contineat grave, erit peccatũ mortale prætermittere cæremonias ſacramentales in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione. Dicimus in ſolemni adminiſtratione, quia quando urget neceſſitas licitum eſt omittere cæremonias, & ſufficit tantum eſſentialia præſtare

II. Probatur; quia ſi Eccleſia poteſt præcipere, & de facto præcipit, cæremonias ſacramentales, Fideles tenentur obedire, & ſi non obediunt, certiſſime peccant; Eccleſia enim, ut dictum eſt, leges etiam in foro coſcientię obligantes ferre poteſt. Quod patet ex Concilio Tridentino ſeſs.7. can.13. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Eccleſiæ Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.*

Secunda Concluſionis pars probatur I. Quamvis cæremoniarum ſacramentalium omiſſio per ſe ſit peccatum mortale, per accidens tamen poteſt eſſe veniale; ſed per accidens eſt, quando non adeſt contemptus, neque ſcandalum: ergo quando non adeſt contemptus, neque ſcandalum, eſt peccatum veniale. Probatur minor. Quando omittuntur vel ex defectu attentionis, vel ſcientiæ, vel ratione levitatis materiæ, non eſt contemptus, neque ſcandalum: ergo tunc per accidens omittuntur: ergo tunc per accidens eſt peccatum veniale.

II. Probatur. Peccatum deſumit ſuam malitiam vel ex gravitate actionis peccaminoſæ, vel ex ratione contemptus, vel ex circumſtantia ſcandali: ergo quoties materia eſt levis, & non

gravis, & contemptus non adeſt, neque ſcandalum, tunc peccatum erit leve, & non grave; immo poteſt dari caſus, quo aliquando nullum ſit peccatum, ſi nulla ſcilicet ſit advertentia intellectus, & inculpabilis abſtractio inveniatur.

Obſtant I. Cæremoniæ ſacramentales non ſunt Sacramentis eſſentiales, ſed accidentales: ergo illarum omiſſio nequit eſſe peccatum mortale. II. Cæremoniæ dictæ non conferunt gratiam: ergo ſi omittantur, nullum impedimentum gratiæ continent: ergo nullo modo poſſunt continere peccatum. III. Ex Auguſtino ſervari debent cæremoniæ, quæ ſunt præſcriptæ in illa Eccleſia, in qua quis Sacramenta miniſtrat: ait enim in epiſt. 118. *Nec diſciplina ulla eſt in eis melior gravi prudentique chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quamcunque forte devenerit*: ergo cæremoniæ iſtæ ſunt indifferentes, ut obſerventur, vel non obſerventur in quacunque Eccleſia: ergo ipſarum omiſſio non poteſt continere peccatum. IV. Si ſemel admittatur, quod ſine his cæremoniis Sacramenta valide & licite conficiantur, & miniſtrentur, illico habetur quod ipſarum omiſſio, quum non ſit contra validitatem & reverentiam Sacramentorum, nullum generare habeat peccatum.

Reſpondemus ad I., quod quanvis cæremoniæ ſacramentales ſunt Sacramentis accidentales, illarum nihilominus omiſſio poteſt eſſe culpabilis, ſi advertenter fiat, & cum contemptu, & cum ſcandalo, culpabilis quidem mortaliter, venialiter vero, ſi inadvertenter accidat & ſine contemptu, & ſine ſcandalo. Et ratio eſt, quia in accidentalibus etiam tenemur obedire Eccleſiæ inſtituenti & præcipienti. Si ergo Eccleſia inſtituit has cæremonias, & obſervandas in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione præcepit, non obedire illi nequit eſſe ſine peccato, quanvis non ſit periculum invaliditatis Sacramentorum. Adeſt tamen defectus irreverentiæ, quia non obſervando ritus ab Eccleſia præſcriptos inreverenter Sacramenta conficiuntur, & miniſtrantur.

Ad II. Verum eſt, quod cæremoniæ non conferunt gratiam ex opere operato; poſſunt tamen augmentum aliquod gratiæ conferre ex opere operantis, per modum ſcilicet impetrationis, ut in ſequenti Diſſertatione dicemus, in qua de Sacramentalibus erit ſermo. Utcunque autem impedimentum gratiæ peccatum continet, ſi advertenter, & cum contemptu, & cum ſcandalo, fiat.

Ad III. Auguſtinus intelligitur de obligatione, quam quilibet habet obſervandi ritus illius Eccleſiæ, in qua eſt. Et nos pariter loquimur de obligatione, quam Chriſtiani habent, obſervandi cæremonias ſacramentales, & communes, & peculiares illarum Eccleſiarum, in quibus ſunt. Ex hoc autem non ſequitur, quod cæremoniæ illæ ſint indifferentes, ſunt enim obligatoriæ pro illa Eccleſia, in qua ſunt, quanvis non ſint obligatoriæ pro illis Eccleſiis, in quibus non ſunt.

IV. Admittimus ſane ſine cæremoniis ſacramentalibus valide Sacramenta miniſtrari; negamus tamen licite confici, & conferri. Immo Adverſarii, qui contrarium aſſumunt, videntur petere principium, ut dicitur in Scholis, quia ponunt quæſtionem pro ratione.

DIS-

DISSERTATIO CCCXXX.

De Sacramentalibus. Quid, quænam, & quot ſint Sacramentalia? An remittant peccata venialia ex opere operato? An remittant ex opere operantis?

QUÆ dicuntur Sacramentalia in Eccleſia, non hoc nomine appellantur, quod concurrant, vel quid commune habeant, ad Sacramentorum integritatem. Satis enim ſine ipſis Sacramenta integra intelliguntur, & habentur. Nec pariter ita nominantur, quod ſacramentale miniſterium compleant, perficiant, vel exornent; Miniſtri etenim Sacramentorum, adhuc ſecluſis ipſis Sacramentalibus ſunt ad miniſterium ſuum explendum ſufficientes, atque diſpoſiti. Igitur Sacramentalia nominantur, quia ſimilitudinem habent, vel proportionem cum cæremoniis, quæ in Sacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolent; quod communi voce Theologi omnes affirmant. Et hæc quoad nomen, & quidditatem Sacramentalium.

Quoad vero numerum ipſorum, ſex numerantur, quæ hoc carmine comprehenduntur: Orans, Tinctus, Edens, Confeſſus, Dans, Benedicens. Orans exprimit dominicam Orationem; & ad hanc ſunt qui reducunt preces, quæ in Eccleſiis ſolemniter conſecratis Deo diriguntur, & ſunt etiam qui adjungunt pectoris tunſionem, & alia hujuſcemodi ſigna. Tinctus continet aquæ luſtralis aſperſionem, vel ſumpſionem. Edens importat panem benedictum, qui dicebatur Eulogia, ad differentiam panis conſecrati, qui erat Euchariſtia. Eulogiarum habetur mentio in Concilio Carthaginenſi III. Can.5., & in Concilio Nicæno Can.14., & apud Auguſtinum lib.2. de Peccatorum meritis & remiſſione cap.26., & nos tractabimus fuſe, quando de Sacramento Euchariſtiæ ſermonem habebimus. Confeſſus, ſignificat Confeſſionem generalem, cujus initium eſt: Confiteor Deo Omnipotenti, & recitatur in principio miſſæ, in Completorio, & aliquando etiam in Prima. Dans vult ſignificare illum, qui pauperibus Eleemoſynam elargitur. Benedicens vult exprimere Epiſcopi, aut Abbatis benedictionem, ad quam recipiendam Subditi genuflectunt.

Dicimus I., nulla Sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato communem eſſe Concluſionem aſſerit Hennus, contra Valentiam, & Dianam, alioſque paucos, qui hanc virtutem aquæ benedictæ tribuunt.

I. Probatur Concluſio. Nulla Scriptura docet, nulla Traditio continet, nullus Pater aſſerit, nullum Concilium decernit, Sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato: ſed quod ſine Scriptura, ſine Traditione, ſine Patribus, ſine Conciliis, præcipue in rebus Eccleſiæ ſtatuendis, aſſeritur, perperam & irrationabiliter dicitur; ergo pariter perperam & irrationabiliter videtur dicere, qui aſſerit quod Sacramentalia remittant peccata venialia ex opere operato.

II. Probatur. Si Eccleſia poſſet per Sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato, poſſet etiam per ſe ipſam immediate remittere illa; ſed per ſe-ipſam immediate non poteſt remittere illa; ergo nec etiam poteſt per Sacramentalia. Major patet, quia quiſque poteſt per ſe ipſum exercere virtutem illam, quam alteri exercendam tribuere poteſt. Minor autem negari non poteſt, quia Eccleſiæ Prælati, & Patres, nequeunt extra Sacramenta remittere peccata, etiamſi ſint venialia & minima.

Obiiciunt I. Auguſtinus in Enchiridio cap.31. docet, Orationem dominicam remittere peccata venialia; & hæc ſunt ejus verba, *Delet hæc Oratio*

mini-

Digitized by Google

minima & quotidiana peccata; ſed Oratio dominica eſt ex Sacramentalibus unum: ergo Sacramentalia delent peccata venialia. II. Communiter Fideles, tenent quod recipiendo pontificalem benedictionem ipſis peccata venialia remittantur; ſed pariter pontificalis benedictio eſt unum ex Sacramentalibus: ergo eadem infertur Conſequentia. III. Aqua luſtralis aliud non facit, quam tingere frontem illius, qui ipſam tangit, & nihilominus omnes aſſerunt, quod per ipſius aſperſionem peccata venialia deleantur: ergo quum aqua luſtralis ſit unum pariter ex Sacramentalibus, dicendum eſt, quod per Sacramentalia peccata venialia deleantur. IV. Benedictio in pane, qui benedicitur, aliquem producit effectum; ſed non alius effectus eſt aſſignabilis, quam remiſſio venialium: ergo panis, qui eſt unum ex Sacramentalibus, peccata venialia remittit.

Reſpondemus ad I., Auguſtinum intelligendum eſſe de remiſſione peccatorum minimorum & quotidianorum, ex opere operantis, non autem ex opere operato; vel, quod idem eſt, de impetratione remiſſionis, quatenus per orationem illam a Deo venialium remiſſionem impetramus; & hoc ex eo, quod oratio dominica continet peccatorum deteſtationem, quæ eſt opus operantis, in illis verbis, *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*.

Ad II. Verum eſt, quod per pontificalem benedictionem peccata venialia deleantur, ſi tamen adſit aliquis actus internus & externus illius, qui recipit benedictionem, qui quidem actus eſt opus operantis, non vero opus operatum: & quidem externus, qui exhibetur per genuflexionem exhibitam Pontifici, quando ſuam benedictionem impartitur, non autem per ſolam ſalutationem, qui eſt civilis actus, qui omnibus honeſtatis ergo defertur. Et huic actui externo correſpondet etiam actus internus, quo Dei majeſtatem in illo, qui ſuas gerit vices, per cultum quidem ſacrum, non autem mere civilem, veneramur.

Ad III. Pariter in aqua luſtrali agnoſcimus venialium remiſſionem, ſi in illius applicatione reperitur in illo, qui ipſam ſumit, deprecatio, & impetratio effectus illius. Et revera hoc certiſſimum eſſe debet, quia aliter aquæ luſtralis aſpertio non differret ab aſperſione cujuſcunque communis aquæ, in qua nullus actus devotionis, nec externus, nec internus, apparet. Actus autem illos quis negabit eſſe opus operantis, & non opus operatum?

Ad IV. Agnoſcimus ſane in pane benedicto effectum, quem argumentum probat, ſed negamus, effectum illum provenire ex mera & nuda commeſtione panis, ſine ſcilicet āliquo actu impetrationis, vel devotionis illius, qui comedit. Aliter commeſtio cujuſcunque panis, quæ fit ſine ullo actu, eundem produceret effectum, quod nec dicitur, nec dici poteſt. Neque dicant, quod variatur ſuppoſitio, quia ſcilicet ille panis eſt benedictus, & & alii panes non ſunt benedicti, & effectum benedictio operatur; non dicant hoc, quia benedictio debet applicari, & applicatio fieri non poteſt ſine diſpoſitione recipientis illam. Diſpoſitio autem eſt opus operantis, non opus operatum.

Dicimus II., Sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operantis.

I. Probatur Concluſio ſimul & explicatur a S. Thoma 3. par. q. 86. ar. 2. per hæc verba. *Triplicatione aliqua cauſſant remiſſionem peccatorum venialium; uno modo, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infuſionem gratiæ tolluntur venialia peccata .... ſecundo, in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum: & hoc modo Confeſſio generalis, Tunſio pectoris, & Oratio dominica operantur ad remiſſionem venialium; tertio modo, in quantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas, & hoc modo benedictio epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ &c. operantur ad remiſſionem venialium peccatorum*.

II. Probatur. Sacramentalia excitant in nobis peccatorum deteſtationem, vel explicitam, vel implicitam; excitant pariter pium motum in Deum, ac res ſacras, & impetrant nobis a Deo remiſſionem peccatorum illorum, quæ ſine Sacramentis remitti poſſunt; ſed hæc omnia important opus operantis: ergo Sacramentalia remittunt venialia ex opere operantis.

III. Pro-

III. Probatur. Omnes Theologi, & Catholici conveniunt, quod Sacramentalia habeant virtutem conferendi nobis aliquod bonum ſpirituale ſed hoc bonũ ſpirituale non poteſt eſſe niſi remiſſio venialium, & hæc remiſſio venialium nequit eſſe ex opere operato, quæ tantum convenit Sacramentis: ergo vere ſacramentalia conferunt remiſſionem peccatorum venialium, & illam conferunt ex opere operantis.

Obſtant I. Si Sacramentalia, prout a nobis explicantur, ſunt illa, quæ in nobis excitant pios motus, vel ad peccatorum deteſtationem, vel ad Dei amorem, etiam hos effectus in nobis producunt Cruces, Imagines ſacræ, Reliquiæ Sanctorum, piæ Lectiones, Sermones, & Conciones, & alia hujuſmodi: ergo pariter hæc dicta eruntSacramentalia; ſed ſacramentalia non ſunt: ergo verum non eſt, quod Sacramentalia ſint illa, qui motus illos in nobis excitant. II. Eccleſia remittit peccata venialia per Indulgentias, & quidem ex opere operato: ergo pari modo Eccleſia remittit venialia per Sacramentalia, & quidem ex opere operato. III. Abſque Sacramentalibus per pios motus animæ delentur peccata, & præcipue per actus attritionis & contritionis etiam, quando fieri poteſt, & Deus nobis impartitur gratiam, ut illos eliciamus: ergo delere peccata venialia per actus internos, vel externos illius, qui adhibet Sacramentalia, non eſt Sacramentalium ipſorum adeo proprium munus, ut ſine ipſis haberi non poſſit. IV. Eleemoſyna etiam delet peccata, & tamen non includit actum aliquem præter illum, quo pecunia, vel alia res, pauperi confertur; ſed per hoc præciſe eſt actus liberalitatis, non charitatis, & Eleemoſyna eſt unum ex Sacramentalibus, per hoc quod contineat actum charitatis, non vero liberalitatis; ergo ſi præciſe per hoc, quod donet, delet peccata, & per hoc quod donet in liberalitatis, non in charitatis exercitum, non eſt Sacramentale, non ut ſacramentale habet delere peccatum: ergo non eſt proprium Sacramentalium delere peccata venialia etiam ex opere operantis.

Reſpondemus ad I., hanc eſſe differentiam inter ſacramentalia & res alias in objectione poſitas, ſcilicet Cruces, Imagines, Reliquias, Conciones, lectiones ſacras &c., quod hæ poſtremæ excitant bonos actus in nobis per memoriam, quam in nobis renovant illorum objectorum, quæ repreſentant. Imagines utique repreſentant originalia, quorum ſunt imagines, Reliquiæ Sanctos, quorum ſunt Reliquiæ, Crux Chriſtum Dominum, a quo fuit ſuo contactu ſacrificata, & conſecrata, conciones & lectiones exempla illorum, qui chriſtiane viventes æterna gloria a Domino Deo donati ſunt. Sacramentalia vero habent virtutem in ſe ipſis ratione benedictionis, & conſecrationis, quam a Dei miniſtro acceperunt, excitandi in nobis motus illos & pios affectus, per quos a Deo nobis venialium remiſſio concedatur.

Ad II., dicitur, quod Indulgentia tollit pœnam & non culpam; Sacramentalia vero tollunt culpam, etſi venialem. Ad tollendam culpam non ſufficit Sacramentale, ſed debet eſſe Sacramentum, quod penetrat ad animam, in qua eſt macula peccati. Penetrare autem ad Animam nequit Eccleſia, niſi a Chriſto Domino virtutem habeat ratione Sacramenti, quod ipſe Chriſtus inſtituit, non vero ratione Sacramentalis ab eadem Eccleſia inſtituti. Et hinc eſt, quod Indulgentia tollit pœnam peccati per condonationem extrinſecam, ut aſſerunt Theologi, Sacramentalia vero per intrinſecam remiſſionem ex opere tamen operantis.

Ad III., dicitur quoque, quod motus illi attritionis, vel contritionis, debent ſemper includere votum Sacramenti Pœnitentiæ, quando aderit oportunitas illud ſuſcipiendi, ſi peccata ſint mortalia. Cœterum hi motus attritionis, vel contritionis, continentur etiam in Sacramentalibus, & præcipue in verbo illo *Confiteor*, ad quod reducuntur, ſicut aliæ preces, pectoris tunſiones, & alia hujuſmodi, reducuntur ad verbum *orans*.

Ad IV. Eleemoſyna delet quidem peccatum, ut docet Scriptura, ſed prout eſt actus charitatis, non vero prout eſt actus liberalitatis; quia prout eſt actus liberalitatis præciſe, vel fit ad captandam hominum gloriam, & ob nominis vanitatem, & tunc non eſt eleemoſyna, ſed largitas, & non ſolum peccatum non delet, ſed potius auget peccata; vel fit ob Dei amorem, & tunc

eſt

Google

eſt actus charitatis, & eſt unum ex Sacramentalibus, quod continetur in verbo illo *Dant*.

Ex dictis colligere optimo jure poſſumus Hæreticorum procacitatem, atque impudentiam, quibus Catholocis imponunt, quod dicant, Sacramentalia eſſe Sacramenta, quum uſque modo ſatis ſuperque ſit dictum & probatum, quam longe diſtent a novæ legis Sacramentis, quæ nos Sacramentalia appellamus. Et non mirum, quod hæc de nobis ſcribant Hæretici, quum alia qnoque nobis imponant tanquam a nobis dicta de ſacramentalibus cœremoniis, quæ nunquam Catholici ſcripſerunt. Imponunt quidem, quod nos dicamas, poſſe Eccleſiam inſtituere ritus cum verbo Dei pugnantes; poſſe Papam Chriſti inſtituta mutare; eſſe mortale peccatum, & anathemate dignum in cœremoniis vel minimum variare; anteponendas eſſe humanas cœremonias divinis præceptis; fine his ritibus non habere Sacramenta veritatem & efficaciam; aliquibus cœremoniis Sacramentorum efficaciam tribuendam eſſe; præcipuum Dei cultum in his cœremoniis,& Sacramentalibus conſiſtere. Hæc quidem omnia ſunt mendacia, quæ nimis impudenter, & calumnioſe, & inverecunde de nobis proferre auſi ſunt, & publicare, Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Tilmannus. Heſuſius, Confeſſio Auguſtana, aliique ejuſdem furfuris homines, multis quidem in locis operum ſuorum, ut apud Bellarminum videre eſt.

DISSERTATIO CCCXXXI.

De Baptiſmi nomine, & eſſentia. Quibus nominibus fuerit Baptiſmus appellatus? An Baptiſmi vox ſit cæteris præſtantior, & ſignificationis pariter exactioris? Quænam ſit Baptiſmi Definitio, quam Hæretici involvunt, & quam Catholici exponunt?

BAptiſmum in Scripturis divinis pluribus, & quidem variis vocibus,legimus nominatum; etenim ad Hæbræos 6. dicitur *illuminotio*, per verba illa: *impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminoti, guſtaverunt etiam donum cæleſte,& porticipes facti ſunt Spiritus Sancti &c.*; & ratio eſt, quia quilibet, qui baptizatur, per fidem, quam recipit, illuminatur. Ad Romanos 6. *Sepultura* dicitur; *conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ombulemus*:& ratio eſt,quia Baptiſmus Chriſti ſepulturam adumbrat. Ad Titũ c.3. dicitur *lavacrum regenerationis, & renovotionis Spiritus Sancti* nominantur. *Non, ex operibus Juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*: & ratio eſt, quia oos carnaliter jam nati per Baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur.

Aliis quoque nominibus Baptiſmus apud Patres nominatur; & quidem ipſum nominant illuminationem, gratiam, donum, ſigillum, Myſterium, expurgationem &c. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pedagogi cap. 6, Nazianzenus Orat. de Bapt., Chryſoſtomus Homil. ad baptizatos Et hoc nomen *illuminotio* correſpondet græco verbo [illegible]; quo uſus eſt Auctor libri de Eccleſiaſtica Hjerarchia, qui Sancto Dionyſio Areopagitæ tribuitur cap. 2.; quinimmo omnes Græci Ephiphaniæ feſtum, luminum appellarunt, eo quod Chriſtum die illa baptizatum crederent; & S. Cyrillus Hjeroſolymitanus catecheſes ſuas de Baptiſmo, Catecheſes illuminatorum dixit.

Digitized by Google

dixit. Et Concilium Laodicenum c.45. illuminationis pariter nomen uſurpavit. Dicitur *inſuper principium & Janua Sacramentorum* a citato Auctore libri de Eccleſiaſtica Hjerachia cap.2. *Teſſera militum Chriſti, & amictus ſplendens* a Baſilio Orat. exhortatoria ad baptizandos: *Animarum ſplendor, Lucis communicatio, & tenebrarum oppreſſio* a Nanzianzeno Orat.39., & 40., qui poſt multa alia elogia, quibus Baptiſmum exornat, concludit tandem: *quid plura commemorare attinet? Baptiſmus omnium Dei beneficiorum præſtantiſſimum & magnificentiſſimum eſt*. Alia ejuſdem generis nomina, quæ potius ſunt encomia, & quæ ſunt pene innumera, paſſim apud cæteros Patres invenientur.

Hæc autem nomina, quæ Baptiſmo tribuunt, vel deſumuntur a materia; & ſic ſunt, *lavacrum aquæ*; ut ad Epheſios 5. *Sacramentum aquæ*, ut apud Tertullianum lib. de Bapt. cap.1.: *unda genitalis, fluvius aquæ vitalis*, ut apud Cyprianum epiſt.2., & Nanzianzenum Orat. in ſanctum Baptiſma. Vel deſumuntur a forma; & ſic appellatur *ſigillum, ſignaculum, obſignatio fidei, Sacramentum Trinitatis, Sacramentum fidei*; & ratio horum omnium nominum eſt, & quia per Baptiſmum homo adſcribitur Fidelium numero, & quia per ſolemnem fidei profeſſionem, vel per ſe ipſum factam, ſi eſt Adultus, vel per Suſceptores, ſi eſt Infans, chriſtianam fidem confitetur; & quia in eo adminiſtrando expreſſe ſanctiſſima Trinitas invocatur. Vel accipiuntur ab effectibus, & ſunt, *lavacrum regenerationis, & renovationis*, ad Titum 3.: *ablutio peccatorum*, Actor.22: *Vitæ novitas*, ad Romanos 6.: *ſanctificatio* I. ad Corinth.6. *Sepultura hominis cum Chriſto in morte*, ad Romanos 6. *Circumciſio non manufacta*, ad Coloſenſes 2.: *illuminatio ſeu Sacramentum illuminationis*, ad Hebræ.6 Et ex Patribus Tertullianus lib. de pœnitent. cap 6. dicit Baptiſmum, *Fidei obſignationem*; Baſilius Homil.13. *ſigillum, quod conatu nullo frangi poteſt*; Nanzianzenus Orat. 40., *ſigillum eſt, quia conſervatio eſt, ac donationis ſignificatio*; Auguſtinus epiſt. 185., alias 50. cap. 6. *ſignaculum Redemptoris*, & Concilium Tridentinum ſeſs. 6. cap.7. *Sacramentum fidei*. Et pro his omnibus ſatis eſt recitare verba Nanzianzeni Orat.40. in ſanctum Baptiſma: *Baptiſmus eſt ſplendor animarum, vitæ in melius commutatio, conſcientiæ ad Deum interrogatio. Baptiſmus infirmitatis noſtræ adjumentum, Baptiſmus carnis eſt abjectio, Spiritus aſſectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppreſſio. Baptiſmus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Chriſto, fidei adminiculum, mentis perfectio, cœleſtis regni clavis, ſervitutis depulſio, vinculorum ſolutio .... omnium Dei beneficiorum præclariſſimum, & præſtantiſſimum*. Et deinde. *Donum vocamus, gratiam, Baptiſmum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, ſigillum &c.* Tandem vel deſumuntur a cœremoniis, quæ in Baptiſmi adminiſtratione adhibentur; & *veſtimentum candidum* illum appellat S. Cyrillus Hjeroſolymitanus; *unctionem* Nanzianzenus &c.

Baptiſmus autem vulgatum & commune nomen in præſentiarum eſt, quin & fuit etiam apud Fideles omnes, eo quod, quum *Baptiſmus* græca vox, latine *immerſionem* importet, & Myſterium ab ipſo ſignificatum olim per immerſionem celebraretur; hinc Majores noſtri Sacramentum ipſum Baptiſmi nomine uſitatius & communius appellarunt. Attamen circa eandem vocem variæ ſignificationes apud Auctores ſacros inveniuntur, quæ reduci poſſunt ad quatuor; quarum prima eſt, literalis & communis, ſecunda cœremonialis, ſeu legalis, tertia accommodatitia, ſeu metaphorica & figurata, quarta ſacramentalis & eccleſiaſtica. Literalis & communis importat immerſionem & intinctionem, quia quod lavatur, totum ſolet immergi aquis. & Græci utuntur nomine Baptiſmi, ut ſignificent immerſionem, tinctionem, lotionem, & ablutionem vulgarem. Hinc IV. Regum 5. de Naaman Syro habetur: *deſcendit. & lavit in Jordane ſepties*; græce ἐβαπτίσατο: Judith.12. *Exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat ſe in fonte aquæ*, II. Eſdræ 4: *non deponebamus veſtimenta noſtra. unuſquiſque tantum nudabatur ad Baptiſmum*; nimirum lotione communi & vulgari ſe lavabat. Lotiones vero cœremoniales ſeu legales, illæ erant, quibus frequentiſſime utebantur Judæi, & per hoc dicti ſunt a Juſti-

Juſtino Philoſopho & Martyre in Dialogo cum Tryphone *Baptiſta*, & ex hoc etiam nata eſt ſecta Hemerobaptiſtarum, illorum nenpe, de quibus ſcribebat S. Epiphanius Hereſi 17., *qui tam vere, & autumno, quam æſtate, atque etiam hyeme, quotidie lavant*. Et de his Judæorum Baptiſmatibus, ſeu lotionibus ſcribit S. Marcus cap. 7. ſui Evangelii: *Phariſæi, & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant, & a foro niſi baptizentur, non comedunt, & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſma calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum*. Et Apoſtolus ad Hebr. 9. docet, Judæorum hoſtias fuiſſe poſitas *ſolummodo in cibis & in potibus, & variis baptiſmatibus*. Denique Baptiſmus Joannis fuit quidem cœremonialis, ſed de Cœlo veniens, ut dicunt Patres, & ad Baptiſmum Chriſti per pœnitentiam, ad quam hortabatur, viam ſternens, ac præparans. Ulterius ſignificatio Baptiſmi accommodatitia, ſeu metaphorica, & figurata ſignificat in Scripturis afflictionem; quæ hominem inſtar aquæ vehementis mergit, & abſorbet, & in hoc ſenſu Chriſtus Lucæ 12. dicit; *Baptiſmo autem habeo baptizari*, quia aquæ in Scripturis aliquando ſignificant afflictionem & dolorem; ut legitur Pſal. 78., *intraverunt aquæ uſque ad animam meam . . . . eripe me de luto, ut non infigar: libera me . . . . de profundis aquarum. Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum*. Et propter hanc rationem datur aliquando Baptiſmi nomen pœnitentiæ, & martyrio. Pœnitentiæ quidem & perfectæ contritioni, unde dicitur *Baptiſmus flaminis*, & Marci 1. & Lucæ 3. legitur, Joannes *prædicans Baptiſmum pœnitentiæ*. Et rationem aſſignat modernus Tournely,,, quia, qui pœnitentia
,, compunguntur, ii corde contrito, ac
,, lacrimis perfuſi veniam peccatorum
,, ſuppliciter deprecantur; unde a SS. Pa-
,, tribus pœnitentia ſæpius Baptiſmus la-
,, borioſus, ſeu lacrymarum, appellatur.
,, Hoc ſenſu Sedulius de muliere pecca-
,, trice, rigante lacrymis pedes Chriſti,
,, apud S. Lucam cap. 7., ſic canit: *pur-*
,, *gata receſſit per gemitum, propriique la-*
,, *vans in gurgite fletus, mundo ſuis lachry-*
,, *mis rediit, & deterſa capillis*. Non de-
,, ſunt, qui eodem ſenſu interpretantur
,, etiam iſtud Apoſtoli I. Corinth. 15.,
,, *quid facient, qui baptizantur pro mor-*
,, *tuis?*, ideſt, affliguntur, & mace-
,, rantur.,, Martyrio quoque; unde hoc dicitur *Baptiſmus ſanguinis*, & Marci 10. Chriſtus Joanni & Jacobo majori dicebat: *neſcitis quid petatis, poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut Baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?*, ideſt ſuſtinere ſupplicia, & mortem. Et Baſilius Homil. de quadraginta Martyribus, verba faciens de illo, qui ſe adjunxit triginta novem, qui patiebantur in ſtagno, dixit; *baptizatus eſt in ipſum*, (Jeſum Chriſtum) *non ab alio ſed a propria fide; non in aqua, ſed in proprio ſanguine*. Et Chryſoſtomus homil. in S. Lucianum Martyrem: *neque miremini, quod Baptiſmum martyrium vocaverim: nam & hic ſpiritus cum multo advolat ubertate, ac peccatorum abolitio, & animæ fit purgatio quædam mirabilis ac ſtupenda, & quemadmodum ii, qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio ſanguine abluuntur*. Significat etiam Baptiſmus in ſenſu figurato *diffuſionem* gratiæ Dei abundantem & copioſam, ut habetur Actor. 1.: *vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*. Et Math. 3 Joannes Baptiſta dicebat de Chriſto: *ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*. Per ignem Damaſcenus lib. 4 Orthodoxæ fidei cap. 9. intelligit igneas illas linguas, quæ in Pentecoſtes die ſuper Apoſtolos apparuerunt; Chryſoſtomus vero Homil. 11. in Matth., & S. Gregorius Thaumaturgus Serm. in ſancta Theophania ait: *aqua, ut quæ peccatorum ſordes abluere poteſt; Spiritu, ut qui terrenas ſpirituales reddere poteſt; igne, ut qui ſolet iniquitatum ſpinas comburere*. Tandem Diluvium univerſale in ſenſu figurato vocatur quoque Baptiſmus a Tertulliano lib. de Baptiſ., *Baptiſmus mundi*; & maris rubri tranſitus ab Apoſtolo I. ad Corinth. 10., *omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & mari*. Et omnes hæ dictæ voces, & ſignificationes Baptiſmi ejuſdem fuerunt figuræ propter analogiam, & ſimilitudinem, quam vel cum materia, vel cum effectu Baptiſmi noſtri habebant.

Senſus denique ſacramentalis & eccleſiaſticus Baptiſmi eſt, quod ejus nomen ſignificet lotionem illam ſacram, myſticam, & religioſam, qua quis aqua tingitur, ſeu baptizatur in cor-

pore

pore, ut ſpiritu interius renaſcatur, & hic vocatur *Baptiſmus flaminis*, de quo Chriſtus Matth. 28. dicebat Apoſtolis & Diſcipulis: *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: & Joannis 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*. Et hæc circa Baptiſmi vocem, & ejuſdem Etymologiam, ac ſignificationem; pro quibus tamen.

Dicimus I., Baptiſmi nomen eſſe cœteris nominibus expreſſius ac præſtantius.

I. Probatur. Illud eſt præſtantius & expreſſius nomen alicujus rei, quod rem ipſam ſignificat coherenter ad eſſentiam ipſius; ſed Baptiſmi nomen ſignificat Sacramentum, quod exprimit coherenter ad eſſentiam ipſius: ergo hoc nomen Baptiſmus eſt hujuſcemodi Sacramenti expreſſius & præſtantius nomen. Major negari non poteſt; ex terminis enim ipſius cuilibet innoteſcit. Minor probatur ex ipſius Baptiſmi definitione, quam mox trademus & explicabimus.

II. Probatur. Quodcunque aliud nomen huic Sacramento datum, nec ita exprimit ipſum, nec ita ipſum extollit, ut facit Baptiſmi vox: ergo hæc Baptiſmi vox, ſeu nomen eſt cæteris expreſſius, & præſtantius. Antecedens probatur enumeratione aliorum nominum, quæ huic Sacramento tribuuntur, vel in Scripturis, vel apud Patres: quodlibet enim, vel connotat effectum ipſius, vel figurate ipſum deſignat; Baptiſmi vero nomen exprimit ipſius Sacramenti actionem, in qua Baptiſmus ipſe conſiſtit, & proinde eſt nomen nullo modo tropycum & figuratum, ſed omnino proprium.

III. probatur. Illud dicendum eſt expreſſius & præſtantius baptiſmi nomen, quod a Patribus Eccleſiæ ſilentio obtegebatur, quando de myſteriis noſtræ Religionis verba faciebant, tanquam arcanum, de cujus diſciplina erant tenaciſſimi; ſed hoc erat baptiſmi nomen, & non alia nomina: ergo baptiſmi nomen erat cæteris nominibus expreſſius atque præſtantius. Major eſt patens ex ſe ipſa; minor vero probatur ex iis, quæ ſcribit Pitiſcus in Lexico antiquitatum Romanarum ex Auguſtino; verbo *baptiſma*, & hæc ſunt Pitiſci verba: „ Baptiſma, quia „ primum erat chriſtiani dogmatis myſterium, religioni ducebant, illud „ vel nomine tenus prodere. Auguſtinus de baptiſmo c. 1. *Prima illis invidia eſt, quod ventilatur in publico rei ſecreta*. Petilianus enim Donatiſta Auguſtinum arguebat, qui de baptiſmate libros ſcripſiſſet, atque ita ſecretum chriſtianæ religionis myſterium enunciaſſet. „

Ad Baptiſmi modo eſſentiam, ſeu definitionem devenientes, congruum ducimus primo loco definitiones Hæreticorum, afferre, illaſque confutare, & deinde alias Catholicorum adducere, & eas ab Heterodoxorum calumniis & hallucinationibus defendere & vindicare. Igitur primo Philippus Melanchthon *in locis communibus* ſic Baptiſmum definit: *eſt ſignum, quo Deus nobiſcum agit, & recipit nos in gratiam*. Reicitur hæc definitio; primo, quia convenit omni Sacramento; ſecundo, quia applicari etiam poteſt verbo Prædicationis; tertio, quia ſupponit Baptiſmum eſſe nudum ſignum gratiæ ſanctificantis, & illius non productivum.

Secundo, Calvinus lib.4 Inſtitut.cap.15. ita definit: *Baptiſmus eſt ſignum initiationis, quo in Eccleſiæ cooptamur ſocietatem, ut Chriſto inſiti inter filios Dei cenſeamur*. Reicitur pariter hæc definitio; primo, quia explicat Baptiſmum non per effectum primarium, qui eſt regeneratio interior hominis, & a peccatis mundatio, ſed per ſecundarium, qui eſt cooptatio inter filios Dei, & proteſtatio fidelitatis, quam debemus Deo, & Eccleſiæ; ſecundo, quia connotat Baptiſmum non eſſe ſignum efficax gratiæ ſanctificantis, ſed eſſe nudum, & purum ſignum; tertio, quia convenit Circumciſioni, & hoc multo fortius in Calvinianorum principiis, quibus aſſerunt, Fidelium filios, etſi non baptizatos, eſſe in ſocietatem Eccleſiæ cooptatos, & Chriſto inſitos; atque etiam, quia Circumciſio expreſſius diſtinguebat Judæos, quam Baptiſmus Chriſtianos diſtinguat, quia Circumciſio erat in corpore, & illius viſibile permanebat ſignum Baptiſmus vero, etſi pariter ſit in corpore, actio tamen ejus pertranſit, & nihil viſibile in corpore permanet, ſed totum eſt in anima, quod penitus eſt inviſibile.

Tertio, Socinus *de Eccleſia tit. de Bapt.*, & epiſt. ad Matthæum Radecium, & cum ipſo Sociniani ſic Baptiſmum definiunt: *Adumbratio remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti, ejuſque nominis aperta profeſſio, & in ipſius Religione initiatio quædam, per quam nihil revera datur, ſed tantumodo eorum, quæ vel jam data eſſe, vel datum iri certiſſimum eſt, externa quædam agnitio ſignificatur*. Ad quæ addit Socinus Diſput. de Bapt. c. 5. ut ſe melius explicet. *Aqua enim baptizari in nomine Chriſti nihil aliud eſt, quam publice Chriſto nomen dare, ejuſque fidem, quæ in corde latens, palam teſtari ac profiteri, ita ut non Chriſtianum ulla ex parte Baptiſmus efficiat, ſed indicet, atque declaret*. Reicitur adhuc hæc definitio, & quia principalem effectum Baptiſmi, qui eſt gratia ſanctificans, non nominat, & quia denominationem extrinſecam baptizatis a Baptiſmo traditam ſolummodo exprimit, & quia demum dicit per Baptiſmum non fieri hominem chriſtianum, ſed ſolummodo declarari, quæ eſt potius productio vocabuli & nominis, quam rei.

Quarto, Wolchelius lib. 6. *de vera Religione* cap. 14., verbis hiſce definit Baptiſmum: *Baptiſmus nihil aliud eſt, quam publicum chriſtianæ profeſſionis Symbolum, quo, per intinctionem in aquam, homines illius Religionis initiantur*. Reicitur adhuc hæc definitio, & quia exprimit, quod Baptiſmus ſit nuda & otioſa cœremonia, & quia neceſſarius non ſit, ſed indifferens, & quia nullum illius ſit præceptum; quæ omnia falſa eſſe oſtendetur ubi de Baptiſmi neceſſitate & efficacia tractabitur.

Quinto, Epiſcopius in reſponſione ad 64. quæſtiones Tom. 1. pag. 37. has duas profert Baptiſmi definitiones, quas refert Tournely, & prima eſt, quod ſit *Teſſera, nota, ſignum, vel ſigillum, quale Diplomatis ſuis Reges affigere ſolent, profeſſionis publicæ, quo Chriſtiani Religione ſumus, cujuſmodi ſignum in populo Iſraelis erat Circumciſio*. Et conſequenter ad hæc ſubdit: *mandatum Baptiſmi eos omnes obſtringere tantum, qui profeſſione ſunt Chriſtiani*. Secunda vero definitio eſt: *ſignum reſipiſcentiæ, & ſigillum remiſſionis peccatorum ante eum ſuſceptum perpatratorum*. Atque juxta hanc definitionem addit Epiſcopius: *Baptiſmi mandatum ad eos pertinere, qui vel a paganiſmo, ad Religonem Chriſtianam tranſeunt, vel in Chriſtiana Religione nati, peccatis ſe obſtrinxerunt; unde ſi qui nulla peccata, (quod rarum eſt,) perpatraſſet, ad eum mandatum Baptiſmi pertinere non auderem dicere, ſed Chriſti illud dictum referrem Matth. 9.: non eſt valentibus medico*. Reicitur denique hæc definitio, & quia cohæret cum illa, quam tradit Socinus, & quia continet errores plures, qui confutabuntur, quando de neceſſitate, efficacia, & effectibus Baptiſmi erit ſermo.

Accedimus modo ad definitiones Baptiſmi, quas Catholici Theologi tradiderunt. Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacram. par. 6. cap. 2. ſic definit: *Baptiſmus eſt aqua abluendis criminibus ſanctificata*. Petrus Lombardo, ſeu Magiſter ſententiarum lib. 4. diſt. 3.: *Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior facta ſub forma verborum præſcripta*. S. Thomas 3. par q. 66. art. 1. eandem definitionem amplectitur. Catechiſmus Tridentini Concilii par. 2. n. 5.: *eſt Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Alii hanc eandem definitionem ſic exprimunt clarius: *Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis, per aquam cum expreſſa ſanctiſſimæ Trinitatis mentione*.

Dicimus II., hanc ultimam Baptiſmi definitionem eſſe admittendam.

I. Probatur. Definitio illa Baptiſmi admittenda eſt, quæ in Scripturæ verbis continetur; ſed hæc ultimo loco tradita in Scripturæ verbis continetur: ergo eſt præ cæteris admittenda. Probatur minor. Joannis 3. dicitur: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*: & ulterius ad Epheſios 5: *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Et ad Titũ 3.: *per lavacrum renovationis & regenerationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum* Matth 28. *euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

II. Probatur, quia ultimo loco allata definitio partes omnes Baptiſmi explicat per bonæ definitionis regulas. Et quidem dicitur *Sacramentum*, quod ſtat loco generis, & per quod cum aliis Sacramentis convenit. Dicitur *regenerationis*, & eſt differentia, per quam Baptiſmus diſtinguitur a Sacramentis antiquæ legis, & ab aliis etiam

novæ,

novæ, quorum non eſt regenerare. Unde ſcribebat Chryſoſtomus cathecheſi 1. ad Illuminandos: *non ſolum nobis peccata remittit, neque ſolum delicta purgat; ſed ita id preſtat, ac ſi denuo generati eſſemus. Etenim nos denuo creat, & format, non ex terra rurſum effingens, ſed ex alio elemento, aquarum ſcilicet natura creans.* Dicitur *per aquam*, & eſt pariter differentia in materia ipſius, per quam ab aliis quoque novæ legis Sacramentis ſecernitur: Dicitur tandem *cum expreſſa ſanctiſſimæ Trinitatis invocatione*, & eſt differentia in forma, per quam diſtinguitur quoque a Sacramentis jam dictis.

III. Probatur. Per Baptiſmi definitionem tria debent explicari, ſcilicet id, quod eſt Sacramentum tantum, id, quod eſt res Sacramenti tantum, & id, quod eſt Sacramentum ſimul, & res Sacramenti; ſed hæc tria explicantur in definitione ultimo loco allata: ergo hujuſcemodi definitio eſt præ cæteris amplectenda. Probatur minor. Sacramentum tantum eſt id, quod ſignificat, & non ſignificatur, quod nimirum exterioribus ſenſibus ſubjicitur, & interioris effectus eſt ſignum, & hæc eſt aqua, ſeu ejus uſus, & applicatio. Res Sacramenti tantum eſt id, quod ſignificatur, & non ſignificat, & hæc eſt animæ ablutio, ſeu regeneratio; Sacramentum & res Sacramenti ſimul eſt id, quod ſignificat, & ſignificatur, & eſt character baptiſmalis, quia ſignificat interiorem juſtificationem, vel regenerationem, & ſignificatur, quia eſt effectus exterioris ablutionis; quæ quidem omnia in allata definitione continentur.

Arguunt I. In difinitione ultimo loco allata non continetur ablutio, quæ eſt neceſſaria ad Sacramentum Baptiſmi, ſicut continetur in illa, quam tradiderunt Magiſter ſententiarum, & S. Thomas: ergo hæc eſt præ alia amplectenda. II. Aliquando non habetur in Baptiſmo regenerationis effectus propter obicem, qui ponitur ad gratiam ſanctificantem, a qua provenit regeneratio; ergo non bene ponitur in definitione regeneratio, nec bene dicitur, quod Baptiſmus ſit Sacramentum regenerationis III. Gonetus non ponit in definitione verbum illud *in verbo*, & dicit, Baptiſmum eſſe Sacramentum regenerationis ſpiritualis, vel Sacramentum novæ Legis ad ſpiritualem regenerationem a Chriſto Domino inſtitutum. IV. Theologi communiter non acceptant definitionem Baptiſmi, quam tradidit Hugo a S. Victore dicens: *eſt aqua diluendis criminibus ſanctificata per verbum Dei*; & non acceptant ex eo, quod Sacramentum Baptiſmi non eſt ipſa aqua, quæ eſt res permanens, ſed ablutio, quæ eſt res tranſiens; unde S. Thomas citato loco docebat; *cum enim Sacramenta novæ Legis ſanctificationem quamdam operentur, ibi perficitur Sacramentum, ubi perficitur ſanctificatio. In aqua autem non perficitur ſanctificatio; ſed eſt ibi quædam ſanctificationis virtus inſtrumentalis, non permanens, ſed fluens, in homine, qui eſt veræ ſanctificationis ſubjectum. Et ideo Sacramentum non perficitur in ipſa aqua, ſed in applicatione aquæ ad homines, quæ eſt ablutio.* V. Sacramento Pœnitentiæ convenit etiam, quod ſit Sacramentum regenerationis: ergo per hoc verbum non differt Baptiſmus a Pœnitentia, ſed potius convenit: ergo non ſtat loco differentiæ, ſed loco generis. Probatur antecedens, quia utrunque Sacramentum Baptiſmi ſcilicet, & Pœnitentiæ vitam ſpiritualem confert. VI. Bona definitio eſt illa, quæ dicitur metaphyſica, quæ nimirum traditur per prædicata metaphyſica, quæ ſunt genus, & differentia; ſed noſtra definitio eſt phyſica, quæ eſt potius deſcriptio, quatenus traditur per partes phyſicas, quæ ſunt materia & forma: ergo noſtra definitio non eſt præ ceteris amplectenda.

Reſpondemus ad I., negando antecedens: eo ipſo enim quod Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis per aquam, eſt pariter ablutio; aqua enim ad hoc inſervit, ut ſcilicet abluat; immo in ipſa voce *Baptiſmi* continetur ablutio, ut dictum eſt, vel immerſio. Jueninus in Inſtit. theologicis ſic reſpondet; negando ſcilicet conſequentiam, & addens, „ ratio „ eſt, quia, quæ a nobis tradita eſt defi„ nitio, reſultat ex ea, quam S. Tho„ mas tradidit; unde noſtra eſt meta„ phyſica; definitio vero S. Thomæ eſt „ phyſica; hæc autem eſt fundamentum „ alterius, quia regenerationis Sacra„ mentum reſultat ex ea ablutione exte-

„ rio-

„ riori , de qua S. Thomas loquitur .

Ad II. , dicitur , quod , quanvis tunc , quando ſcilicet adeſt obex in anima , non habeatur effectus regenerationis, habetur tamen,quando obex tollitur, & hoc ſufficit , ut verificetur definitio . Immo fortius additur , quod non habeatur tunc effectus , non provenit ex defectu Baptiſmi, ſed ex culpa ſuſcipientis , quia obicem ponit . Baptiſmus enim ſemper producit effectum ſuum , & quando obex non invenitur ,& quando obex tollitur . Et hoc ſatis eſt ad verificanda definitionis verba .

Ad III. , quicquid dicat , vel ſcribat Gonetus nihil nobis officit dictum ſuum ; non enim ,eſt tantæ auctoritatis Doctor , ut verba ejus vel concedere , vel interpretari debeamus . Revera tamen definitio, quam ipſe fingit manca eſt , quia deficit in explicatione formæ Baptiſmi, quæ quan. vis ſit pars phyſica Baptiſmi , debet tamen contineri in explicatione totius , quod conſtituit .

Ad IV. , tranſeat , quod Theologi non acceptant definitionem Hugonis , defectus tamen ipſius nullo modo invenitur in definitione noſtra , quia nos non definimus Baptiſmum , per hoc quod ſit aqua , ſed per hoc quod ſit regeneratio per aquam ; hoc autem , quod eſt eſſe regenerationem per aquam,non eſt aliquid permanens, ſed eſt potius tranſiens ; unde non verificatur in definitione noſtra defectus , qui objicitur in definitione Hugonis a S. Victore .

Ad V. Quanvis utrumque Sacramentum Baptiſmi , & Pœnitentiæ vitam ſpiritualem conferat , diverſo tamen modo unum ab altero confert ; quia Baptiſmus dat per modũ regeneratio. nis , Pœnitentia vero per modum reſuſcitationis ; & ideo de Pœnitentia non verificatur, quod ſit regeneratio, & per conſequens regeneratio non poteſt ſtare loco generis , ſed potius ſtat loco differentiæ, quatenus per ipſam,Baptiſmus a Pœnitentia differt.

Ad VI. , dicitur , quod partes phyſicæ, quando in definitione ponuntur, evadunt prædicata metaphyſica , conſtituendo nimirum differentiam definiti ab omni eo , quod non eſt definitum; ſicque in definitione Baptiſmi ponitur verbum illud *Sacramentum* , quod ſtat loco generis, & ponuntur deinde, *aqua, & expreſſa invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis* , quæ ſunt materia & forma , & ſtant loco differentiæ , quia evadunt pars metaphyſica , vel prædicatum metaphyſicum , quod eſt differentia .

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCXXXII.

De principaliori Baptiſmi figura, quæ eſt Circumciſio. Quandonam Circumciſio fuerit vivificans, quando mortua, & quando mortifera? An in antiqua lege contulerit gratiam ex opere operato, vel ex opere operantis? An finis primarius Circumciſionis fuerit juſtificare Hebræos?; an vero illos tantum extrinſecus ſignare, & ab illis, qui Hebræi non erant, ſecernere?

Plures præceſſerunt in veteri Teſtamento Baptiſmi figuræ, quas potiſſimum in ſaeris literis, & apud Patres inveuire facile quiſque poterit. Verum de principalibus hic agentes, & quas Catechiſmus Romanus recenſet, primo loco ponimus *Diluvium*, cujus meminit S. Petrus in I. epiſt. cap. 3., ubi legitur: *qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, ideſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per Reſurrectionem Jeſu Chriſti*. Secundo loco ſubjungimus *maris rubri tranſitum*, cujus pariter meminit S. Paulus I. ad Corinth. cap. 10. *Nolo enim vos ignorare Fratres, quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt; & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari..... hæc autem in figura facta ſunt noſtri &c.* Tertio loco addunt antiqui Patres *primordiales mundi aquas, ſuper quas ſpiritus Dei ferebatur*; ut aſſerit Tertullianus lib de Bapt., & Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum. Quarto loco iidem SS. Patres adjungunt *Naam Syri ablutionem in Jordane*, de qua idem Tertullianus lib. de Bapt. cap. 1., & Ambroſius lib. 4. in Lucam. Quinto loco aquas illas, quarum fit mentio Iſaiæ 12. 52. 55. Ezech. 36, 47. Zachariæ 14. Sexto loco *Natatoriam Siloe*, quæ erat Piſcina Siloe, hoc eſt ſtagnum prope mænia Jeroſolymæ ad Orientem, de qua dicit Calmet in Dictionario historico ſacræ Scripturæ ad hoc verbum „. Aquis „ fontis Siloe hæc piſcina replebatur. „ Jeſus cæcum natum ad oculos ſibi ter„ gendos in piſcina Siloe miſit. Joan. 9. „ 7. „. Idem Calmet in citato Dictionario ad verbum *Siloe* hæc ſcribit. „ *Si*„ *loe*, vel *Siloa*, vel *Siloam*, fons in„ fra Jeroſolymæ mænia ad latus „ Orientale, inter urbem & torrentem „ Cedron. Precibus Iſaiæ Prophetæ „ aquas illas deductas ſcribit S. Epipha„ nius *de vita, & morte Proph.*; ſed & „ ante eum Prophetam fluxiſſe jam „ conſtat, & facile cum fonte Rogel, „ ſive Fullonis, de quo apud Joſue 15. „ 7. & 17. 16., & lib. 2. Regum 17. 13. „ & 3. Regum 1. 9. confundendæ vi„ dentur. Cum enim fons Rogel ad „ Orientem, & infra mænia urbis ſpe„ ctaretur, ut etiam de Siloe animad„ vertimus, ſimulque unum tantum „ ibi fontem extitiſſe conſtet, quidni „ unus idemque ambo illi cenſeantur? „ De aquis Siloe tum alibi ſæpe agit Jo„ ſephus, cum etiam in obſidione urbis „ per Nabuchodonoſorem, uberiori „ vena fluxiſſe narrat; *de Bello lib. 5.* „ *c. 26.*, quod etiam prodigium in alia „ obſidione urbis per Titum innovatum „ eſt; cum tenues alioqui, & vix pre-

„ tio comparandæ aquæ adeo excreve-
„ runt, ut largas exercitui Romano
„ aquas præberent, ſimulque hortis ir-
„ rigandis ſufficerent. Hujuſce Natatoriæ Siloe, tanquam Baptiſmi figura, meminerunt Chryſoſtomus Homil. 56. in Joan., Ambroſius epiſt. 73., Auguſtinus tract. 44. in Joannem. Septimo loco ponunt *Piſcinæ uſum*, quæ *Probatica* dicebatur: quod aſſerit Chryſoſtomus Homil. 35. in Joan. Attamen principales Baptiſmi figuræ fuerunt Circumciſio, de qua in præſenti Diſſertatione, & Joannis Baptiſma, de quo in ſequenti. Qui de Circumciſione fuerunt errores, modo ſunt recenſendi & adnumerandi, & quidem

Primo, fuerunt Nazareni, & Ebionitæ, qui dicebant, Circumciſionis præcepto Chriſtianos omnes teneri, quod aſſeruit quoque Cerinthus, & cum ipſo Cerinthiani. De his hæc ſcribit Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 8. *Cerinthiani a Cerintho dicentes carne circircumcidi oportere, atque alia hujuſmodi legis præcepta ſervari*. De Nazaræis idem Auguſtinus citato lib. cap. 9. habet. *Nazaræi, cum Dei filium confiteantur eſſe Chriſtum, omnia tamen veteris legis obſervant, quæ Chriſtiani per Apoſtolicam traditionem non obſervare carnaliter, ſed ſpiritualiter intelligere didicerunt*. De Ebioneis ſic ibidem cap. 10. loquitur. *Ebionei mandata carnalia legis obſervant, Circumciſionem ſcilicet carnis & cætera, a quorum oneribus per novum Teſtamentum liberati ſumus*. Contra hos omnes Hæreticos celebratum fuit Concilium Hieroſolymitanum III. anno Chriſti 51., in quo Apoſtoli hoc decretum effecerunt. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, a quibus cuſtodientes vos, bene agetis*.

Secundo, alii ex diametro oppoſiti docuerunt, Circumciſionem, cæteraque legalia, ſtatim poſt Chriſti mortem mortifera fuiſſe, unde nemo abſque peccato potuerit ſincero animo ſervare, & ſi qui ſervaſſent, Cerinthianis, Nazaræis, & Ebionitis adnumerabant. De Paulo autem Apoſtolo, qui Timotheum circumcidit, qui Cenchris votum perſolvit, qui Jeroſolymis a Jacobo admonitus legalia obſervavit, & de Petro pariter Apoſtolo, qui Antiochiæ judaizavit, dicebant, eos non ſincero animo, ſed ſimulate ſe geſſiſſe, quaſi moſaycam legem æſtimaſſent, quam tamen nihil æſtimabant. Subdunt quoque Hieronymum in hunc errorem lapſum fuiſſe, Origenis auctoritate, nonnullorumque antiquorum Patrum adductum. Auguſtinus vero epiſt. 19. egregie confutavit Hieronymum, primo docens, Circumciſionem mortuam fuiſſe, quando Chriſtus mortuus eſt, ſcilicet legem de ea latam tunc fuiſſe penitus abrogatam. Secundo, non ſtatim a Chriſti morte eam fuiſſe mortiferam, ſed inculpabiliter in honorem avitæ patriæque legis potuiſſe aliquandiu a Judæis obſervari. Tertio, propagato poſtmodum Evangelio fuiſſe mortiferam, quæ quidem omnia Auguſtinus & ratione probat, & paritate confirmat.

Tertio, circa efficaciam Circumciſionis errant Hæretici Novatores, qui volentes nova Sacramenta gratiam ex opere operato non conferre, illa ſic extenuant, ut Sacramentis antiquis, qui gratiam non conferebant, aſſimilent omnino.

Quarto, circa eandem vim & efficaciam Circumciſionis apud Judæos duplex eſt pariter opinio inter Theologos de Schola, quarum prima eſt Scoti, S. Bonaventuræ, Alenſis, Gabrielis, Eſtii, Juenini, aliorumque putantium, Circumciſionem ex opere operato juſtificaſſe. Altera vero eſt S. Thomæ, & Diſcipulorum ejus, Bellarmini, & aliorum dicentium, Circumciſionem non ex opere operato, ſed ex opere operantis tantum juſtificantem gratiam contuliſſe, quanvis Gonetus, aliique pauci Angelicum Doctorem interpretantes, primæ ſententiæ adſtipulantur. Defenſores primę ſentētię dicunt, finem primarium Circumciſionis fuiſſe juſtificare, ſecundarium vero ſignare Hebræos, & ab aliis diſtinguere; at Defenſores ſecundę ſentētiæ volunt, hunc fuiſſe primarium Circumciſionis finem, illum vero ratione fidei adjunctum habuiſſe.

Quinto, Magiſter ſententiarum putavit, Circumciſionem ad ſolam originalis peccati remiſſionem fuiſſe inſtitutam, non vero ad gratiam conferendam; alii vero docuerunt, Circumciſionem contuliſſe gratiam quoad effectus pri-

vati-

vativos, quaſi ſolam removiſſet culpam, non vero quoad effectus poſitivos juſtitiæ, & ſanctitatis. Sed repugnat peccatum ſine gratia remitti, ut colligitur ex Tridentino ſeſs.6.c.7., & maxime peccatum originale, quod eſt eſſentialiter privatio gratiæ; & repugnat pariter gratiam conferri non communicatis effectibus ſuis formalibus, qui & ipſi gratia ſunt. Unde Defenſores S. Thomæ ſententiæ concludunt, Circumciſionem vi ſua non juſtificaſſe, ſed juſtificaſſe quateous fidei proteſtatio erat, & fidem applicabat. Judæi ergo juſtificabantur ex merito paſſionis Chriſti, ſicut nos juſtificamur; ſed cum hac differentia, quod meritum nobis applicatur per Sacramentum, Judæis vero per ſolam fidem applicabatur, quæ fides requirebatur ut conditio *ſine qua non*, quia ſine ipſa Sacramentum non operabatur.

Dicimus k, Circumciſionem fuiſſe mortuam, quando mortuus eſt Chriſtus; fuiſſe vero mortiferam, quando ſufficienter propagatum fuit Evangelium Chriſti.

I. Probatur Concluſio Auguſtini verbis in epiſt.19., quæ eſt ad Hieronymum. *Dico ergo Circumciſionem præputii, & cætero hujuſmodi priori popula per teſtamentum, quod vetus dicitur, divinitus data, ad ſignificationem futurorum, quæ per Chriſtum oportebat impleri: quibus advenientibus, remanſiſſe illa Chriſtianis legenda tantum ad intilligentiam promiſſæ prophetiæ, non autem neceſſaria facienda, quaſi adhuc expectandum eſſet, ut veniret fidei revelatio, quæ his ſignificabatur eſſe ventura. Sed quanvis Gentibus imponenda non eſſent, non tamen ſic debuiſſe auferri a conſuetudine Judæorum, tanquam deteſtanda atque damnanda: ſenſim proinde atque paulatim, fervente ſane prædicatione gratiæ Chriſti, qua ſola noſſent credentes ſe juſtificari, ſalvos quæ fieri .... ultra vero non haberet progreſſum, ne putaretur neceſſaria tanquam vel ab illa ſalus eſſet, vel ſine illa eſſe poſſet; quod putaverunt Hæretici, qui dum nolunt Judæi eſſe & Chriſtiani, nec, Judæi nec Chriſtiani, eſſe potuerunt.*

II. Probatur verbis, comparatione, & ratione ejuſdem Auguſtini cit. loc. *Jam cum veniſſet fides, quæ prius illis obſervationibus prænuntiata poſt mortem & reſurrectionem Domini revelata eſt, amiſerant tanquam vitam officii ſui*: ergo poſt Chriſti mortem mortua jam erat circumciſio. Pergit Auguſtinus: *Verutamen ſicut defuncta corpora neceſſariorum officiis deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulate, ſed religioſe, non autem deſerenda continuo*: ergo licet mortua fuiſſet circumciſio, ſicut & cætera legalia, non erant tamen mortifera. Addit Auguſtinus: *vel Inimicorum obtrectationibus tanquam canum morſibus projicienda: Proinde nunc quiſque Chriſtianorum, quanvis ſit ex Judæis, ſimiliter ea celebrare valuerit, tanquam ſopitos cineres exuens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis, ſed impius ſepulturæ violator*: ergo poſt Evangelii prædicationem circumciſio, & alia legalia, mortifera facta ſunt.

III. Probatur. Apoſtoli multos Judæorum ritus obſervarunt, & totam Eccleſiam componentes & repræſentantes, aliquot ex ipſis obſervandos decreverunt: ergo tunc temporis, ſcilicet a Chriſti morte uſque ad Evangelii promulgationem, licet fuiſſent mortua, non fuerunt tamen mortifera. Probatur antecedens. Paulus Act. 16. circumcidit Timotheum, qui ex Matre Judæa natus erat; & c.28. ſervavit Nazaræorum uſum, qui deſcribitur Num.6. Et Act.15. in primo generali Concilio hoc decretum condiderunt, & promulgarunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.*

IV. Probatur. Obſervatio legalium, ut legalium poſt Evangelii propagationem favebat errori Cerinthi, Ebionis, & Nazaræorum: ergo erat mortifera. Probatur antecedens; quia Hæretici illi docebant, obſervationem antiquæ legis eſſe neceſſariam ad ſalutem, etiam poſt Chriſti mortem: ergo obſervatio legalium, ut legalium, poſt Evangelii propagationem favebat illorum Hæreticorum erroribus.

V. Probatur; quia, ut ait Jueninus in Commentario Diſſert.1. de Sacr. in gen. q.2. de Sacr. exiſtentia c.3. obſervatio illa „ erat exitioſa Gentilibus
„ converſis, qui cum in Chriſtianiſmo
„ antiquos ritus ſervari adverterent,
„ vel Chriſti merita ad juſtificationem

 ſatis

„ factis non fuiſſe, vel ipſum gratis eſſe „ mortuum concluſiſſent. Illa incommoda prævidens Paulus Petro reſtitit „ in faciem, eo quod Antiochiæ Gentes ad Judaizandum pertraheret.

Opponunt I. Apoſtolus ad Galatas 2. aſſerit, ſe reſtitiſſe in faciem Petro, qui Antiochiæ Judaizabat, ac proinde non recte ad Evangelii veritatem ambulabat: ergo tunc temporis, ſcilicet poſt mortem Chriſti, Circumciſionis, & legalium obſervatio erat reprehenſibilis, ut ait Apoſtolus: ergo erat peccaminoſa: ergo erat mortifera. II. Idem Apoſtolus ad Galatas 5. ſcribit; *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit*: ergo Circumciſionis obſervatio nunquam Chriſtianis fuit licita. III. Populi Aſiatici uſque ad Victorem Papam celebrarunt Paſcha luna decimaquarta menſis Martii in quamcunque Hebdomadæ diem incidiſſet; & hic erat ritus Judæorum; & nihilominus Aſiaticis ad peccatum non imputabatur: ergo tunc temporis, ſcilicet poſt Evangelii promulgationem, legalium obſervatio, non erat mortifera. IV. Tertullianus, qui tertio ſeculo floruit, confutabat Gentiles, qui Chriſtianis exprobrabant, quod humana carne in ſuis conventibus veſcerentur, verbis iſtis. *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in eſculentis habemus, qui propterea ſuffocatis, & morticinis abſtinemus*: ergo jam tunc temporis, nempe adhuc poſt Evangelii promulgationem, Chriſtiani legalia obſervabant, abſtinentiam ſcilicet a ſanguine, & a ſuffocato, quibus veſci Judæis vetitum erat.

Reſpondemus ad I., Paulum Apoſtolum non reprehendiſſe in Petro rem ipſam, quæ ad meram diſciplinam ſpectabat, ſed modum rei, quia Petrus parum prudenter a Gentilium menſa ſe ſubduxerat, & ad Judæos acceſſerat, cum quibus judaice vivebat, qui tamen antea cum Gentilibus vivens a cibis judaicis abſtinuerat. Unde etſi Petrus nullum peccatum commiſiſſet, vel cum Judæis, vel cum Gentilibus manducans, ob ſcandalum tamen, quod Gentilibus recenter converſis præbebat, reprehenſibilis fuit, quia Gentiles exemplo Petri poterant ad judaizandum induci, putantes antiquorum rituum obſervantiam etiam in lege nova eſſe præceptam ac neceſſariam. Alii reſpondent, Paulum non vere & ſincere, ſed ſimulate reprehendiſſe Petrum judaizantem, quia convenerant inter ſe de adhibenda ſimulatione, ut Judæos ſimul & Gentiles ad Chriſtianam fidem amplectendam inducerent, quod ab Origene, aliiſque Patribus græcis fatetur Hjeronymus ſe didiciſſe. At reſponſionem hanc nos non admittimus, tum quia aliter mentitus fuiſſet Paulus Apoſtolus, qui in epiſt. ad Galatas dicit; Petrum fuiſſe reprehenſibilem; Petrum non ambulaſſe ad veritatem Evangelii; tum etiam quia idem Apoſtolus Paulus initio ejuſdem epiſtolæ ad Galatas proteſtatur dicens: *quæ autem vobis ſcribo, ecce coram Deo, quia non mentior*; tum denique quia hæc reſponſio favet mendacio ſaltem officioſo, quod ſemper ex ſuis intrinſecis malum eſt: unde Auguſtinus in epiſtolis ſuis ab octava uſque ad vigeſimam hæc reponebat: *ſi enim mentiebatur Paulus, cum Apoſtolum Petrum objurgans diceret; ſi tu, cum ſis Judæus gentiliter, & non judaice, vivis: quemadmodum gentes cogis judaizare? & recte illi videbatur Petrus feciſſe, quem non recte feciſſe, & dixit, & ſcripſit, ut quaſi animos tumultuantium deliniret, quid reſpondebimus, cum exurrexerint perverſi homines prohibentes nuptias, quos futuros ipſe pronunciavit, & dixerint totum illud, quod idem Apoſtolus de Matrimoniorum jure firmando loquutus eſt; propter homines, qui dilectione conjugum tumultuari poterant, fuiſſe mentitum; ſcilicet non quod hoc ſenſerit, ſed ut illorum placaretur adverſitas.* Denique Hjeronymus ſententiam mutavit, & Auguſtino manus adjunxit, ut clare conſtat ex ejuſdem Hjeronymi lib. 1. Dialogor. cont. Pelagianos cap. 8.

Ad II., dicitur, quod Apoſtolus arguebat Galatas ad fidem converſos, qui putabant legalia obſervanda propter neceſſitatem ſalutis, adeoque ſe ad eorum obſervationem teneri. Quod teſtatur Auguſtinus epiſt. 19. ſcribens; *qui propterea volebant circumcidi, quia aliter ſe putabant in Chriſto ſalvos eſſe non poſſe. Hoc ergo animo, hac voluntate, iſta intentione, quiſquis tunc circumcidebatur, Chriſtus ei nihil omnino proderat*. Alii vero Chriſtiani Apoſtolos imitantes legalia obſervabant, ob ſolam charitatis neceſſitatem, ut Ju-

dæo-

Judæorum ſcilicet infirmitati conſulerent, qui aliter credidiſſent, Eccleſiam Chriſtianam Moyſi contrariam eſſe, quia ritus rejiceret, quos Moyſes ipſe, Deo jubente, inſtituerat. Et hoc pariter Auguſtinus docet citata epiſt. 19. *Ipſum vero Paulum non ad hoc id geſſiſſe, quod vel Timotheum circumcidit, vel Cenchris votum perſolvit, vel Hjeroſolymis a Jacobo admonitus cum eis, qui voverant, legitima illa celebranda ſuſcepit, ut putari videretur per ea Sacramenta etiam chriſtianam ſalutem dari; ſed ne illa, quæ prioribus, ut congruebat temporibus, in umbris rerum futurarum Deus fieri juſſerat, tanquam Idololatriam Gentilium damnare crederetur.*

Ad III. Aſiatici obſervationem illam in celebratione Paſchæ retinebant, non quia judaica eſſet, ſed quia putabant, in Evangelio fuiſſe præceptam, & ab Apoſtolis, præcipue a S. Joanne Evangeliſta, qui plures in illis Populis Eccleſias fundaverat, fuiſſe quoque derivatam. Quod Victori Papæ ſcribebat Polycrates in epiſtola, quæ refertur ab Euſebio lib. 5. hiſtor. cap. 24. *Nos ergo intemeratum Paſchæ colimus diem, neque addentes, neque auferentes aliquid. Etenim magna quædam luminaria apud Aſiam dormierunt, ſummi & electi viri, quos Dominus ſuſcitabit in adventu ſuo, cum veniet de Cælis in gloria, & requiret omnes Sanctos ſuos, in quibus eſt Philippus Evangeliſta, qui dormivit apud Hjerapolim.... Nec non & Joannes, qui ſupra pectus Domini recubuit.... Iſti ergo omnes diem Paſchæ in quartadecima die menſis obſervarunt ſecundum Evangelium, nihil omnino extrinſecus agentes, ſed fidei regulam per omnia conſervantes.*

Ad IV. Tertullianus intelligendus eſt de abſtinentia a ſanguine, & ſuffocato, quam obſervabant Chriſtiani illius temporis, non quidem ex præcepto moſaycæ legis, ſed ex Apoſtolorum mandato in primo Hjeroſolymitano Concilio, de quo nuper loquuti fuimus. Et hæc eſt pariter reſponſio Auguſtini lib. 32. cont. Fauſtum cap. 13. *Si hoc tunc Apoſtoli præceperunt, ut ab animalium ſanguine abſtinerent Chriſtiani, ne præfocatis carnibus veſcerentur.... elegiſſe mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam obſervantibus onerosam, in qua cum Iſraelitis etiam Gentes, propter angularem illum lapidem duos parietes in ſe condentem, aliquid communiter obſervarent.*

Dicimus II., Circumciſionem non ex opere operato, ſed ex opere operantis tantum ſanctificantem gratiam contuliſſe.

I. Probatur. Ex Concilio Florentino in decreto Unionis, & ex Triden. ſeſſ. 7. c. 2. hæc eſt differentia inter Sacramenta antiqua, & nova, quod antiqua ſignificabant tantum gratiam, nova vero ſignificant & cauſſant: ergo ex Conciliis Sacramenta antiqua ex opere operato gratiam non producebant, & per conſequens nec circumciſio, quæ inter antiqua Sacramenta numerabatur. Neque dicant cum Juenino, quod Concilia pro Sacramentis antiquis intelligunt moſayca; Circumciſio autem non fuit Sacramentum, nec a Moyſe inſtitutum, nec promulgatum; juxta illud Joannis 7. *Circumciſio non eſt ex Moyſe, ſed ex Patribus.* Ne dicant hoc: etenim Concilia explicare intendunt novorum Sacramentorum ſuper quælibet antiqua præſtantiam; talis autem præſtantia non minus obſcuratur, ſi aliquod Sacramentum legis ſcriptæ, quam ſi aliquod legis naturæ, noſtris dicatur æquale. Quanvis ergo circumciſio non fuerit Sacramentum legis ſcriptæ, & a Moyſe promulgatum, & fuerit tantum legis naturæ, non per hoc tamen dicendum eſt, æqualem cum Sacramentis novæ legis efficaciam habuiſſe, ut gratiam ex opere operato conferret, quemadmodum hæc conferunt. Quinimmo, quum Deus proceſſerit gradatim, & imperfectiorē legē in ſtatu naturæ dederit, quam in ſtatu legis ſcriptæ, & in hoc ſtatu imperfectiorem quam in ſtatu Evangelii, dicendū eſt etiam ſic gradatim in Sacramentis proceſſiſſe; adeoque ſi Sacramenta legis ſcriptæ non juſtificabant, multo minus illa legis naturæ juſtificaſſe. Tandem quum Scripturæ dicant, vetera Sacramenta fuiſſe *egena elementa*, Circumciſionem non excludunt, immo de ea maxime loqui videntur, ut Paulus ad Galatas 4. loquitur.

II. Probatur. Ad Roman. 4. Apoſtolus totus eſt, ut Abrahamum probet non in Circumciſione fuiſſe juſtificatum, ut inde concludat non ad juſtificandum datam a Deo Circumciſionem fuiſſe. Quum autem Circumciſio primo data fuerit Abrahæ, ſi eum, cui primo data fuit, non juſtificavit, mul-

ſo unius alii per ipſam juſtificati fuerunt. Accedit, quod idem Apoſtolus I. ad Corinth. c. 7. ait; *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt*; ad Galat. 6. neque *aliquid Circumciſionem valere, neque præputium, ſed novam Creaturam*: ad Philip. 3.: *juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſe ut detrimentum arbitrari.* Ad Hebr. 7: *antecedentis mandati, Circumciſionis ſcilicet, reprobationem fieri propter infirmitatem, & inutilitatem.* Ad hæc autem omnia vel reponere poſſunt Adverſarii, quod Paulus intendat loqui comparative, non abſolute, hoc eſt, majorem gratiam conferri a Baptiſmo, quam a Circumciſione, non vero, ut nulla a Circumciſione collata fuerit; vel quod Paulus loquatur de Circumciſione pro eo tempore, quo jam abrogata erat. Sed utraque ſolutio Calvini eſt, & neſcimus, qua conſcientia poſſint eam Adverſarii adhibere: diverſa autē via Calvinus ab Adverſariis procedit: Calvinus quidem ut noſtra Sacramenta antiquis deprimat; Adverſarii vero ut Circumciſionem ad noſtra Sacramenta extollant. Sed prima reſponſio non ſubſiſtit; quia Paulus abſolute dicit, Circumciſionem nihil eſſe, nihil valere &c. Non igitur loquitur comparative, ſed abſolute. Neque ſecunda; quia poſt abrogationem, Circumciſio non ſolum non proderat, ſed oberat. Si ergo Paulus dicit, Circumciſionem non prodeſſe, abſque eo, quod dicat obeſſe, ſignum eſt de Circumciſione ante abrogationem loqui.

III. Probatur. Antiqua lex a nova diſtinguebatur per hoc, quod nova juſtificabat, antiqua vero non juſtificabat: ergo hoc eodem diſcrimine Sacramenta antiquæ legis a novæ legis Sacramentis diſtinguebantur; atqui hæc diſtinctio importat, quod Sacramenta antiquæ legis non conferebant gratiam ex opere operato, quemadmodum novæ legis Sacramenta conferunt: ergo Circumciſio, quæ erat Sacramentum antiquæ legis, gratiam ex opere operato non conferebat. Antecedens conſtat ex illo Joannis cap. 1. *Lex per Moyſen data eſt; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*; ſed Moyſes non poterat dare gratiam legi, quam in ſe ipſo non continebat, & Chriſtus poterat, quia ipſemet omnis gratiæ fons erat, & origo: ergo antiqua lex a nova diſtinguebatur per hoc, quod antiqua non juſtificabat, nova vero juſtificat.

Arguunt I. Ex Geneſ. 7. poſt Auguſtinum lib. 1. *de Civitate Dei* cap. 17., Deus omni maſculo Hebræorum, etiam Infanti, æternam mortem minatur, ſi Circumciſus non fuerit: ergo per Circumciſionem maſculi ab æterna morte liberabantur; ſed non poterant ab æterna morte liberari, ſi Circumciſio gratiam ſanctificantem ex opere operato non contuliſſet: ergo vere Circumciſio gratiam ex opere operato conferebat. II. Quando Paulus ſcribit, Circumciſionem nihil eſſe, intelligit de Circumciſione, quæ præſcindit a fide in Chriſtum venturum; ita etiam Patres a nobis adducti: ergo nihil loca illa in noſtrum favorem concludunt. Sic arguit Jueninus in Comentario, ubi affirmativam partem tuetur; quamvis in Inſtitutionibus Theologicis problematice ſe geſſerit. III. Ex Auguſtino lib. 2. *de nuptiis, & concupiſcientia* cap. 11. habemus, Circumciſione populum Judaicum ab originali peccato liberatum fuiſſe, quemadmodum nunc Catechumeni per Baptiſmum liberantur: ergo Auguſtinus eandem efficaciam tribuit Baptiſmo, ac Circumciſioni; ſed Baptiſmus confert gratiam juſtificantem ex opere operato: ergo pariter Circumciſio eandem gratiam ex opere operato conferebat. IV. Si ſubſiſterent noſtræ probationes, opinio, quæ nobis opponitur, non eſſet tuta in fide; ſed eſt tuta in fide: ergo noſtræ probationes non ſubſiſtunt. Probatur major, quia in probationibus noſtris adduximus Concilia, & Patres, qui rem faciunt omnino certam, & de fide certam. Minor etiam patet, quia multi ſunt Theologi, qui a noſtra ſententia recedunt, & nihilominus nulla cenſuræ nota ab eorum Adverſariis inuruntur.

Reſpondemus ad I., ideo Auguſtinum intellexiſſe verba illius textus de parvulis, quia in textu græco, quo ipſe utebatur invenit hæc verba; *in die octavo*; quæ tamen verba addita ſunt a Græcis, quum non inveniantur nec in Codicibus hebraicis, nec in paraphraſi caldaica, nec in latina vulgata editione.

Ad II. Hanc reſpondendo inferimus conſequentiam: ergo ex verbis Jueni-

ni

ni tota vis Circumciſionis pendebat a fide in Chriſtum venturum; ſed hoc ipſum eſt, quod intendimus nos, quando dicimus, Circumciſionem contuliſſe gratiam ex opere operantis, ſcilicet per fidem, vel adminiſtrantis, vel ſuſcipientis, Circumciſionem in Chriſtum venturum.

Ad III. vel dicitur, Auguſtinum ad lectionem ſupradictam cohærenter loquutum fuiſſe; vel intellexiſſe Circumciſionem cum fide in Chriſtum venturum, vel ex parte ſuſcipientis, vel ex parte adminiſtrantis.

Ad IV. Ultro concedimus, ſententiam noſtram non eſſe fidei dogma, ſed eſſe ſcholaſticam quæſtionem, in qua abſque fidei præjudicio diverſimode poſſunt Theologi loqui ac diſputare. Et quamvis ex utraque parte afferantur Concilia, & Patres, non ita tamen ſunt perſpicua ipſorum verba, ut ineluctabile faciant argumentum, & proinde ex neutra parte res dici poteſt omnino certa, & de fide.

Pro ultima tandem Diſſertationis parte, nec pariter conveniunt Theologi: ſunt enim, qui dicunt, Circumciſionem fuiſſe a Deo inſtitutam in remedium peccati originalis primario; ſecundario vero ad diſtinctionem Hebræorum a cæteris populis, qui Hebræi non erant. Alii e contra ſcribunt, primario inſtitutam fuiſſe ad diſtinctionem, ſecundario ad deletionem originalis culpæ.

Dicimus III, Circumciſionem primario fuiſſe inſtitutam a Deo ad diſtinctionem Judæorum a cæteris populis, qui Judæi non erant; per accidens vero, ac ſecundario, vi ſua ſimul cum fide, cujus erat publica quædam declaratio, originale peccatum deleviſſe.

I. Probatur Concluſio ex Scripturis, Geneſ. 17 *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.* Quibus verbis nulla fit mentio ſanctificationis, & remedii peccati, ſed tantum ſigni fœderis, quod erat ſignum amoris Dei præcipui erga populum dilectum, per quod Populus hic ab aliis gentibus diſtinguebatur. Inſuper ad Rom. 3. Apoſtolus dicit de Abrahamo, *accepiſſe ſignum Circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio*, & verſ. 9.; *Fidem Abrahæ imputatam eſſe ad juſtitiam, non in Circumciſione, ſed in præputio.* Et addit, non fuiſſe in Abrahamo ſingulare conſequi juſtitiam ex fide, ſed fuiſſe commune omnibus, qui ipſius juſtitiam imitati fuiſſent, ſive fuiſſent Circumciſi, ſive non. *Ut ſit Pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam; & ſit Pater Circumciſionis, non iis tantum, qui ſunt ex circumciſione, ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio Patris noſtri Abrahæ.* Et rationem reddit. *Non per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei.* Denique idem Apoſtolus ad Rom. 3. quærit, quænam ſit utilitas Circumciſionis?, & dicit: multam per omnem modum; primum quidem, quia credita ſunt illi eloquia Dei, ſcilicet, quia lex & mandata Judæis conceſſa fuerant; Juſtitia vero ex fide erat ſive in Circumciſione, ſive in præputio unde concludit Apoſtolus: *unus eſt Deus, qui juſtificat Cicumciſionem ex fide*, & *præputium per fidem.*

II. Probatur ex Patribus Græcis. Juſtinus Martyr & Philoſophus in Dialogo cum Triphone: *Circumciſio, quam ab Abrahamo accepiſtis ſecundum carnem, in ſignum notamque data eſt, ut ſitis ab aliis Gentibus, & a nobis diſcreti..... Abraham.... Circumciſionem accepit in ſignum, non ad juſtitiam, quemadmodum & Scripturæ & res ipſæ nos fateri cogunt.... Et quod genus muliebre Circumciſionis carnalis capax non eſt, ſatis id oſtendit in ſignum datam Circumciſionem iſtam, non ut juſtitiæ opus.* Irenæus lib. 4. cap. 16., alias 30. *Circumciſionem non quaſi juſtitiæ conſumatricem, ſed in ſigno eam dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveret genus Abrahæ.... Et quia non per hoc juſtificabatur homo, ſed in ſigno data ſunt populo, oſtendit, quod ipſe Abraham ſine Circumciſione.... credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Sanctus Epiphanius hæreſi 8., quæ eſt Epicureorum. *Illic corporis præſcripta Circumciſio eſt, quæ in uſu tandiu fuit, quoad ingens eſt illa Circumciſio ſubſecuta, Baptiſmus videlicet, qua nos a peccatis precidimur, & in Dei nomine ſignamur.* Sanctus Chryſoſtomus hom. 27. in Geneſim. *Attende quomodo poſtea tempore procedente, voluerit Circumciſionem pro lege ſtatui, non quod ad animæ ſalutem perficere hæc poſſit aliquid, ſed ut hoc gra-*

ti

Digitized by Google

ti animi indicium, quaſi ſignum & ſigillum circumferrent Judæi, & ne liceret eis commiſceri gentium congreſſibus. Hinc beatus Paulus ſignum hoc vocat, dicens, & ſignum dedit, Circumciſionis ſigillum. Nam quod ad juſtitiam nihil conducat, ecce & hic juſtus, nondum ſtatuta Circumciſione, ad eandem pervenit virtutem.

III. Probatur ex Patribus latinis. Tertullianus lib. cont. Judæos cap. 2. *Si Circumciſio purgat hominem, Deus Adam incircumciſum cum faceret, cur eum non circumcidit; vel poſtquam deliquit ſi purgat Circumciſio?* Et cap. 3. *Prævidens Deus, quod hanc Circumciſionem in ſignum, non in ſalutem eſſet daturus &c.* Cyprianus lib. 1. cont. Judæos cap. 8. aſſerit, oppoſitam fuiſſe Circumciſionem Judæorum Circumciſioni Chriſtianorum; quia illa erat carnalis, hæc vero ſpiritualis, ac proinde illa non operabatur gratiam, hæc vero operatur; additque quod Adam, Henoc, Noe, & Melchiſedech, fuerunt juſti ſine Circumciſione, & rationem fuiſſe; *quia ſignaculum ſeminis nihil profuit*. S. Ambroſius epiſt. 72. nunc 74 ad Irenæum: *ſignum Circumciſio corporalis, veritas autem Circumciſio ſpiritualis; illum membrum amputat, iſta peccatum*. Idem docet lib. 1. de Abraham cap. 4., ubi ex profeſſo tractat de Circumciſione. Hieronymus in cap. 3 ad Galat. loquens de Circumciſione, nec verbum quidem profert de gratia, quam ſupponere potuiſſet a Circumciſione productam.

IV. Probatur Rationibus. I. Si Circumciſio inſtituta fuiſſet in remedium peccati originalis, quum illud contraherent tam mulieres, quam Infantes ante octavum diem, quibus Circumciſio non conferabatur, eveniſſet, quod hi omnes ſine remedio originalis culpæ a Deo fuiſſent relicti; hoc autem non eſt dicendum, ut patet: ergo &c. II Judæi in Deſerto manſerunt per annos quadraginta, & per tot annos Circumciſionis legem non obſervarunt, ut patet ex lib. Joſue cap. 5. v. 6. in quo legitur: *Per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis incircumciſus fuit: donec conſumarentur, qui non audierant vocem Domini, & quibus antea juraverat, ut non oſtenderet eis terram lacte & melle manantem*; ſed hoc non aliunde potuit provenire, quam ex eo, quod, quum Judæi tunc viverent ſine commixtione cum altera gente, non indigebant ſigno, per quod ab aliis gentibus diſtinguerentur: ergo Circumciſio fuit primario inſtituta ad diſtinctionem populi Judaici ab aliis gentibus. III. Philo Judæus in lib. de Circumciſ. enumerat cauſſas Circumciſionis, & nec verbum dicit de remedio originalis peccati; hoc idem ſilentium invenitur apud Joſephum lib. 1. antiquitatum Judaicarum cap. 12., Denique Rabbini res Judæorum explicantes, de Circumciſione ſpirituali penitus ſilent. IV. Etſi Circumciſio plurimum valuerit propter fidem, cujus erat publica profeſſio, & proteſtatio, non tamen per hoc dicimus, quod virtus fidei, quam Circumciſio excitabat, in ſola Circumciſione ſita fuerit, & ut gratiam produxerit; ſicut modo producit Baptiſmus, in cujus ſuſceptione ſupplet fides Eccleſiæ pro iis, qui actus fidei eliciendi ſunt incapaces: ergo ſemper ſtat quod Circumciſio non fuerit primario inſtituta in originalis peccati remedium.

Objiciunt I. Si veteris legis ſacrificia, & Sacramenta, habuerunt a Deo annexam promiſſionem gratiæ & remiſſionis peccatorum, multo magis eam habere debuit Circumciſio, tum ob ſui majorem latitudinem, tum ob majorem neceſſitatem; ſed Sacramenta, & Sacrificia veteris legis habuerunt: ergo habuit pariter Circumciſio. Probatur minor. Levitici 4. & pariter cap. 5., & etiam cap. 17., habentur hæc verba. *Orabit pro eo Sacerdos, & dimittetur ei, & propitius erit Dominus & ſanguis pro animæ piaculo eſt*. Ad Hebr. 3. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*. Actorum 4. *Tunc imponebant manus ſuper eos & accipiebant Spiritum Sanctum*. Deuteronomii ultimo. *Repletus eſt Joſue ſpiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas* Jacobi 5. *Orent Presbyteri ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini .... & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei*. II. Apoſtolus I. ad Corinth. 10. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt: bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra au-*

tem

tem erat Chriſtus; ſed per illam eſcam & potum ſpiritualem intelligitur gratia Chriſti: ergo per Apoſtolum eandem gratiam perceperunt Judæi & Chriſtiani per eorum reſpective Sacramenta. III Ex Auguſtino in Pſ.77. *Cum eſſent omnia communia Sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ Sacramentorum virtus eſt. Sicut & nunc jam revelata fide, quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatis commune eſt lavacrum; ſed ipſa gratia, cujus ipſa ſunt Sacramenta, non communis eſt omnibus.* Et in q. 84. in Levitic *Moyſes ſanctificabat viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum. Dominus autem inviſibili gratia per Spiritum Sanctum, ubi eſt totus fructus etiam viſibilium Sacramentorum*, Et tract. 26. in Joan. ait veteres eandem nobiſcum *ſpiritualem eſcam manducaſſe non eandem corporalem: illi manna; nos aliud .... ſpecie viſibili, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpirituali*: ergo ex Auguſtino Sacramentorum veteris, & novæ Legis par fuit virtus; & quemadmodum novæ Legis fuit virtus ſpiritualis, ita etiam fuit illorum veteris Legis. IV. E Ambroſio lib.7. in Lucam n.66. *Alibi purificatio, alibi ſanctificatio, alibi juſtificatio eſt; Circumciſio purificavit, ſanctificavit lex, juſtificat gratia. Unus in omnibus, & in uno omnia*. Et ex S. Leone Serm.3. de Nativitate Domini. *Hoc magnæ pietatis Sacramentum ... tam potens in ſuis ſignificationibus fuit, ut non minus adepti ſint, qui in illud credidere promiſſum, quam qui ſuſcepere donatum*. Et ſerm.2. in die Pentecoſtes. *Patriarchæ, & Prophetæ, & Sacerdotes, omneſque Sancti, qui prioribus fuere temporibus, ejuſdem ſunt Spiritus Sancti ſanctificatione vegetati; & ſine hac gratia nunquam celebrata Myſteria: ut eadem ſemper fuerit virtus chariſmatum, quamvis non eadem fuerit menſura donorum*. V. Ex eodem Auguſtino lib. 16. *de Civitate Dei*. cap.27. habemus, pactum, quod facit irritum Judæus, qui non eſt circumciſus, eſſe pactum, quod fecit Deus cum Adamo; ſed pactum, illud continebat gratiam ſanctificantem: ergo pariter continebat in Judæis; ac proinde dicebat Auguſtinus, pœnam contentam in verbis illis, *delebitur anima illius de populo*, fuiſſe pœnam damni. Et lib. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 11. *Ex quo inſtituta eſt circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum fidei, ita ad ſignificationem purgationis valeat, & in parvulis originalis veteriſque peccati, ſicut & Baptiſmus ex illo valere cæpit ad innovationem hominis, ex quo inſtitutus eſt*. Et lib 4. cont. Donatiſtas c.24. *Cur ergo ei* (Abrahamo) *præceptum eſt, ut omnem deinceps infantem maſculum octavo die circumcideret, qui nondum potuerat corde credere, ut ei deputaretur ad juſtitiam; niſi quia & ipſum per ſe ipſum Sacramentum multum valebat? Quod in filio Moyſi per Angelum manifeſtatum eſt*. VI. Gregorius magnus lib.4. moral. cap. 3. comparat pariter virtutem Circumciſionis, cum virtute Sacramentorum, verbis hiſce. *Quod valet apud nos aqua Baptiſmatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus Sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierant, myſterium Circumciſionis*; cui concinunt Innocentius III in cap. *Majores*, Bernardus epiſt.77. ad Hugonem, Beda lib. 1. in Lucam cap. 8., Magiſter Sententiarum lib.4. diſt.1., Hugo Victorinus lib. 1. par.2. cap.3.

Reſpondemus ad I. cum S. Thoma 1. 2. q 103. art. 2., quod per vetera Sacramenta & Sacrificia remittebantur peccata, quoad pœnam, & immunditiem legalem, non vero quoad culpam & reatum pœnæ æternæ; quia hoc ſecundo modo ſolum remittebantur ex opere operantis, ſcilicet ex fide, pietate, ac perfecta contritione, vel offerentis Sacrificium, vel Sacramentum percipientis; nullo vero modo ex opere operato, ſeu ex virtute externi ritus, vel Sacrificii; & fundatur reſponſio S. Thomæ in Scripturæ verbis, quibus dicitur, Sacramenta vetera *infirma & egena fuiſſe elementa, quæ non potuerunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſed inquinatos ſolummodo ſanctificaſſe ad emundationem carnis*. Et hæc eadem reſponſio aptari jure merito poteſt ad alia Scripturarum loca, quæ opponuntur.

Ad II. Dicitur, quod Apoſtolus loquutus eſt de eadem eſca, de eodem potu reſpectu Judæorum omnium, non vero reſpectu Judæorum, & Chriſtianorum. Quod autem appellet eſcam illam & potum ſpiritualem, non facit ad rem, quia ita dicit non propter

ad

internam ſanctificationem, ſed ob alias cauſſas, & præcipue propter miraculum. Cæterum, quanvis Judæis data fuerit eadem gratia, quæ datur Chriſtianis, non fuit tamen data eodem modo, quia Judæis dabatur ex opere operantis, Chriſtianis vero ex opere operato.

Ad III. Auguſtinus intelligendus eſt de ſignificatione gratiæ, quæ in utriſque Sacramentis habetur, non vero de colliatione gratiæ, quæ habetur tantum in Sacramentis novis ex opere operato. Et hæc reſponſio probatur verbis ejuſdem Auguſtini, ubi ait, mannam, & aquam, quæ fluebat de petra, *eundem in myſterio cibum & potum fuiſſe Judæorum, qui noſter eſt, ſignificatione, non ſpecie, quia idem ipſe Chriſtus illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatur.* Et quæſt. 25 in lib. Numeror. *Si per ſe attendantur* (Sacramenta vetera), *nullo pacto poſſunt mederi. Si autem res, quarum hæc Sacramenta ſunt* (Chriſti ſcilicet Myſteria) *inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum.*

Ad IV. Ambroſius pariter intelligendus eſt, quod Deus acceſſerit ſemper ad homines per beneficia, ſed non ſemper eodem modo. Acceſſit quidem ad Abrahamum per Circumciſionem, acceſſit ad Moyſen per legem, acceſſit ad Mariam per Incarnationem, & Nativitatem. At modus non ſemper fuit idem, quia, ut ipſemet Ambroſius loquitur in citato loco; *populus enim Judæorum neque purificari potuit, quia Circumciſionem non animi, ſed corporis habuit; neque ſanctificari, quia virtutem legis ignoravit, qui carnalia magis, quam ſpiritualia ſequebatur .... neque juſtificari, quia delictorum ſuorum pœnitentiam non gerebat, & ideo gratiam neſciebat.* S. Leo non loquitur de Sacramentis, ſed de Chriſto, quem aſſerit æternæ ſalutis auctorem omnibus hominibus cujuſcunque ætatis fuiſſe. Hæc ſunt ejus verba. *Non itaque nova conſilio Deus rebus humanis, nec ſecuſa miſeratione conſuluit; ſed a conſtitutione mundi unam eandemque omnibus cauſſam ſalutis inſtituit. Gratia enim Dei, qua ſemper eſt univerſitas juſtificata Sanctorum, aucta eſt Chriſto naſcente, non cœpta.*

Ad V. Omnes, qui noſtram tuentur ſententiam, fatentur ultro, Auguſtinum nobis adverſari; at ſubdunt quoque, nobis fas eſſe ab ejus opinione recedere, ſalva ſemper reverentia, quæ ipſi debetur. Quare autem Auguſtinus ſententiam, quam ſuſtinet, amplexus fuerit, diverſimode loquuntur, & interpretantur Auctores; nobis vero ſufficit, ut ejus mentem, quoad hoc non perſcrutemur, ejus verba non tergiverſemur, & ab honore, quem profundiſſimum ipſi debemus, non recedamus.

Ad VI. De valore Circumciſionis non dubitamus, quando cum ipſa uniebatur opus operantis, de quo intelligendi ſunt præfati Patres, & Theologi; & negamus, quod iidem loquuti fuerint, vel de fine præcipuo Circumciſionis, vel de opere operato, quod nos utrunque negavimus, eo modo quo in præcedentibus Concluſionibus ſtatuimus ſimul, atque probavimus.

DISSERTATIO CCCXXXIII.

De altera præcipua Baptiſmi figura, quæ eſt Baptiſmus Joannis. An Baptiſmus Joannis fuerit Sacramentum? An fuerit diverſus a Chriſti Baptiſmo? Et utrum habuerit eandem cum illo cum virtutem?

Vetere teſtamento ad exitum jam properante, ut precurſorium Sacramentum Baptiſmi Chriſti, Baptiſmum Joannis inſtitutum eſſe docuit Auguſtinus lib.2.cont. literas Petiliani cap. 56. Inſtitutus eſt etiam, ut Chriſtus in Iſrael manifeſtaretur; unde ipſemet Joannes de Chriſto loquens Joan. 5. dicebat: *ut manifeſtaretur in Iſrael, propterea ego veni in aqua baptizans*. Præcipue autem Joannis Baptiſmo Baptiſmus Chriſti adumbratus eſt, nedum Baptiſmi Chriſti inſtitutionem præcurrendo, ſed homines etiam ad illum præparando, quum eos ad fidem Chriſti induceret, ad virtutem Baptiſmi Chriſti aſſuefaceret, & per pœnitentiam ad Baptiſmi Chriſti effectum diſponeret. An autem Joannis Baptiſmus Sacramentum fuerit, & an fuerit idem cum Baptiſmo Chriſti, & an eandem virtutem continuerit? hæc ſunt controverſiæ capita, quæ in hac Diſſertatione examinanda & concludenda ſuſcipimus. Antequam tamen hoc ipſum præſtemus, more noſtro præmittimus & Hæreticorum errorum, & Scholaſticorum opinionum, enumerationem, ut ſic, recto conſuetoque ordine procedentes, res exactius pertractetur.

Primo, Petilianus, Coſtantinienſis Epiſcopus, præcipuus inter Donatiſtas Athleta, contra quem certavit, & non ſemel, ſed ſemper feliciter, Auguſtinus, docebat, unum eſſe Joannis, & Chriſti, Baptiſma; in eo tamen tres eſſe gradus, nimirum, aquam, quam Joannes præbuit, Spiritum Sanctum, quem Chriſtus contulit, & ignem, quem Spiritus Sanctus de cœlis miſit; at hæc tria unum & idem Sacramentum conſtituiſſe, demum concludebat. Ita refert Auguſtinus lib.2. cont. literas Petiliani cap.33., & ſic in eodem libro cap. 34. idem Auguſtinus Petiliani errorem confutat: *cur ergo aquam repetiverunt Apoſtoli in eis, quibus jam Joannes aquam dederat pertinentem ad unum Baptiſmum tribus gradibus conſecratum?*

Secundo, Bogomeli, qui in Bulgarorum idiomate idem ſonant, ac quaſi miſericordiam Dei implorantes, & quorum Auctor fuit quidam Baſilius medicus e ſecta Maſſalianorum, docuerunt, Baptiſmum noſtrum, quia eſt in aqua, non fuiſſe diverſum a Baptiſmo Joannis; Baptiſmum vero ſuum eſſe Baptiſmum Chriſti, quia ficbat per ſpiritum; & hinc eveniebat, quod omnes, qui e Catholicis ad ſectam ipſorum tranſiebant, iterum tingebant Baptiſmo ſuo. Hæc ſecta apparuit circa finem ſeculi XI., quia Euthymius, qui hæc omnia refert in ſua Panoplia par.2. tit.23., qui vivebat circa initium ſeculi XII., aſſerit, eam non multo ante floruiſſe.

Tertio, quamvis Lutherus in diſput. de Bapt. legis, Joannis, & Chriſti, edita anno 20., tria poſuerit inter hæc Baptiſmata diſcrimina; primum, quod illud Joannis non ſit Sacramentum, illud vero Chriſti ſit; ſecundum, quod illud peccata non remitteret; tertium, quod illud iterandum erat per Baptiſmum Chriſti, hoc vero non: Philippus tamen Melanchthon inter primos Lutheri diſcipulos non ultimus, cui Bucerus, Brentius, Kemuitius, Chytræus, Selneccerus, aliique Lutherani, a Luthero ipſorum Magiſtro diſcedentes, ſubſcri-

piſere, retractans ea, quæ ſcripſerat *in locis* anno 22. tit. *de Bapt.*, quando ſcilicet cum Luthero ſentiebat, voluit ptimo, Baptiſma Joannis verum fuiſſe Sacramentum; ſecundo, remiſiſſe peccata eodem modo, quo Chriſti Baptiſmate dimittuntur; tertio, a Joanne baptizatos non fuiſſe iterum baptizandos.

Quarto, Zuinglius, & Calvinus, in hoc uniuntur, & cum Melanchthone conveniunt; quanvis Calvinus dixerit, ſe definire non audere, an Joannis Baptiſmo tincti debuiſſent Baptiſmo Chriſti iterum tingi, hæc ſcribens: *relinquetur quæſtio in medio, ut quæ in utramque partem rationes habet*. Zuinglius ſuum manifeſtat de Baptiſmo Joannis errorem in lib. de vera & falſa Religione cap. de Bapt. Calvinus vero lib. 4. Inſtitut. cap. 15. n. 7, quibus Centuriatores accedunt lib. 1. Centuria 40. tit. de Bapt. Quod ad Baptiſmum Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum attinet. miniſterio, & efficacia prorſus conveniunt. Nam a Deo Joannes miſſus eſt, ut hanc novam cœremoniam auſpicaretur, & Baptiſmo Joannis remiſſio peccatorum applicabatur. Tantum Joannes inter ſe & Chriſtum diſtinguit: *ego quidem*, inquit, *baptizo aqua, ille baptizabit Spiritu Sancto, & igni*: quibus verbis teſtatur, ſe tantum eſſe miniſtrum Baptiſmi, efficaciam autem tribuere, eſſe Chriſti opus.

Ad Catholicorum modo opiniones devenientes, nec inter illos exploratum invenimus, quænam fuerit in Joannis Baptiſmate virtus & efficacia. Primo quidem Magiſter ſententiarum lib. 4 diſt. 2., duo hominum genera, qui a Joanne baptizati fuerunt, diſtinguit, quorum aliqui ſic a Joanne baptizabantur, ut totam ſpem ſuam in hujuſcemodi Baptiſmo ponerent, & nullatenus de Baptiſmo Chriſti cogitarent: alii vero, qui juſtitiam ex illo Baptiſmo non ſperabant, nec eos Chriſti & Spiritus Sancti cogitatio latebat. Illos voluit debuiſſe iterum baptizari, non vero iſtos, & illis re. vera ab Apoſtolis baptizatos fuiſſe contendit: iſtos vero non fuiſſe novo Baptiſmate donatos.

Secundo, S. Thomas ſcribens in Sentent. libros, Baptiſma Joannis veteris legis Sacramentum fuiſſe opinatus eſt, quod & Durandus aſſeruit quæſt. 3. ad ptimum. Summam vero theologicam deinde conſcribens Angelicus ſententiam mutavit, & docuit, ipſum nec antiquæ, nec novæ legis Sacramentum fuiſſe, quum non fuerit nec a Moyſe, nec a Chriſto inſtitutum, ſed meram fuiſſe ad Chriſti Baptiſma præparationem; unde potius ad novam quam ad veterem legem pertinuiſſe. Hoc ipſum docuit S. Bonaventura; & Eſtius copioſe rem expendens, ab hac ultima opinione non recedit, immo illam totis viribus amplectitur, atque tuetur.

Dicimus I., Baptiſmum Joannis non fuiſſe vere, & proprie Sacramentum; fuiſſe tamen large, & improprie Sacramentum ab aliquibus nominatum.

Prima Concluſionis pars probatur I. Ex probatis a nobis ſupra ad Sacramenti rationem requiritur, ut ſit permanenter inſtitutum, ut ſit ſignaculum alicujus Societatis, & Religionis ipſius, & ut habeat materiam & formam, ex quibus conſtet: ſed nulla ex his conditionibus in Joannis Baptiſmo verificata fuit: ergo Baptiſmus Joannis non fuit vere & proprie Sacramentum. Major ex antedictis eſt certa. Minor probatur; & quidem primo, quia Baptiſmus Joannis fuit ad breve tempus: ergo non fuit permanenter inſtitutum: & quidem fuit ad breve tempus, quandiu ſcilicet creditum eſt fuiſſe neceſſarium ad diſponendos populos, ut reciperent Baptiſmum Chriſti; quod poſt plures Patres docuit Scotus in 4. diſt. 2. q. 1. n. 2.; & inde eſt, quod aliqui ex Patribus vocaverunt Joannis Baptiſmum *præparatorium*, alii *initiatorium*, alii *introductorium*, & alii *rudimentum*. Secundo, quia Joannis tempore nulla fuit Societas, quæ peculiarem haberet Religionem, & cujus haberentur Sacramenta; unde non erant alia Sacramenta, quam vel legis moſaycæ, cujus finis imminebat, vel legis Chriſti, cujus initium appropinquabat: ergo, quum Joannis tempore nulla fuiſſet nova Religio, præter, vel moſaycam, vel Chriſtianam, non eſt dicendum Joannis Baptiſmum fuiſſe Sacramentum. Tertio denique, quia ex Scriptura non conſtat, aliquam fuiſſe inſtitutam pro Joannis Baptiſmo, vel mate-

Digitized by Google

materiam, vel formam; ſed hæc materia & forma nullum eſſe poteſt Sacramentum: ergo Joannis Baptiſma vere & proprie Sacramentum non fuit.

II. Probatur. Baptiſmus Joannis nullam produxit gratiam ex opere operato, ſed ad ſummum tantum ex opere operantis, ratione ſcilicet pœnitentiæ, quam ſibi habebat adjunctam; ſed de ratione veri & proprii Sacramenti eſt cauſſare gratiam: ergo Baptiſmus Joannis non fuit vere & proprie Sacramentum. Probatur minor. Baptiſmus Joannis ex Scriptura Marci 1. tribuit tantumodu mundationem exteriorem per aquam: *ego baptizo vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto*. Quibus verbis Baptiſmo Chriſti tribuitur mundatio interior per gratiam, Baptiſmo vero Joannis exterior per aquam.

III. Probatur ex Tertulliano lib. de Bapt. cap. 10 *In actibus Apoſtolorum invenimus, quoniam, qui Joannis Baptiſmum habebant, non accepiſſent Spiritum Sanctum*; & revera quidem Spiritum Sanctum, qui a Joanne baptizati ſunt, non acceperunt, quia aliter Chriſti Baptiſmum non recepiſſent, ut eſt communis Patrū & Theologorum ſententia; & hoc vel eo magis, quia Baptiſmus Joannis ordinabatur ad Baptiſmum Chriſti, tanquam imperfectum ad perfectius, ut dicit Hennus, vel potius ut imperfectum ad perfectum, vel ut perfectum ad perfectius. Ex quo ſequitur, quod Baptiſmus Joannis large & improprie meruerit dici Sacramentum, non autem vere & proprie.

Opponunt I. Non fit peccati remiſſio, ſi non fiat gratiæ infuſio; ſed per baptiſmum Joannis fiebat peccati remiſſio: ergo fiebat gratiæ infuſio; atqui ubi fit gratiæ infuſio, ibi eſt Sacramenti effectus, & ubi eſt Sacramenti effectus, ibi eſt Sacramentum: ergo baptiſmus Joannis fuit Sacramentum vere & proprie. Major propoſitio, in qua ſtat difficultas, eſt doctrina S. Baſilii hom. de baptiſ. c. 5. dicentis: *ſimul atque acceſſerat quis, & peccata ſua, quantacunque, & qualiacunque fuiſſent, confeſſus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur, confeſtim peccatorum remiſſionem accipiebat*. II. Scripturæ iiſdem terminis loquuntur de baptiſmo Joannis, ac de baptiſmo Chriſti; ſed baptiſmus Chriſti fuit verum Sacramentum ergo pariter baptiſmus Joannis. Probatur major. Scripturæ tribuunt baptiſmo Joannis, quod tribuunt baptiſmo Chriſti: ergo iidem terminis &c. Probatur antecedens Marci 1. dicitur de baptiſmo Joannis: *Fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*: & de baptiſmo Chriſti Actor. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. III. Qui baptizabantur baptiſmo Joannis non fuerunt deinde baptizati baptiſmo Chriſti; ſed hoc non aliunde, niſi quia baptiſmus Joannis erat vere & proprie Sacramentum: ergo &c. IV. In baptiſmo Joannis fuit materia & forma: ergo fuit verum Sacramentum. Probatur antecedens. De materia non dubitatur, quia omnes fatentur, remotam fuiſſe aquam, & proximam fuiſſe ablutionem: de forma, quanvis nihil certi habeamus, Durandus tamen cum quibuſdam aliis Theologis docet, fuiſſe ſine ulla verborum forma; alii autem tenent, fuiſſe in nomine Chriſti venturi. V. In baptiſmo Joannis habemus authorem illius principalem, qui fuit Deus; habemus authorem miniſterialem, qui fuit Joannes: ergo habemus omnia, quæ requiruntur ad veri & proprii baptiſmi inſtitutionem: ergo habemus verum & proprium Sacramentum. VI. Quando baptizabat Joannes, Chriſtus jam venerat, quanvis prædicare nondum incepiſſet: ergo liberum erat Joanni Sacramentum inſtituere, quod eſſet baptiſmi Chriſti præparatorium: ergo quanvis Joannes non inſtituiſſet verum & proprium Sacramentum baptiſmi, uti fuit baptiſmus a Chriſto inſtitutus, inſtituit tamen ad ſimilitudinem Sacramentorum veteris legis, quæ, quanvis non fuiſſent, ut fuerunt Sacramenta novæ legis, fuerunt tamen vera & propria Sacramenta.

Reſpondemus ad I. Baſilium, alioſque Patres, qui ſcribunt eo modo, quo ipſe ſcribit de Joannis Baptiſmate, intelligendos eſſe, quod præfatum Baptiſma & peccata deleret, & gratiam conferret, excitando in ſuſcipientibus illud peccatorum deteſtationem, atque dolorem, & hoc eſt conferre gratiam ex opere operantis, quod non eſt proprium Sacramentorum, quorum eſt

conferre gratiam ex opere operato. Proinde ſcribebat S. Petrus Chryſologus ſerm. 137. *Per Baptiſma Joannis purificabatur homo od pœnitentiam, non promovebatur ad grotiam.*

Ad II Differentia eſt inter Baptiſmum Joannis, & Baptiſmum Chriſti, quanvis uterque dicatur in remiſſionem peccatorum, quod in Baptiſmo Chriſti remiſſio peccatorum immediate tribuitur Baptiſmo; in Baptiſmo vero Joannis mediate tribuitur Baptiſmo, & immediate pœnitentiæ, & hoc obſervatur etiam in verbis allatis utriuſque textus. Et ratio eſt, quia Baptiſmus Chriſti peccata delebat per ſe, adeoque ex opere operato; Baptiſmus vero Joannis per pœnitentiam, adeoque ex opere operantis. Et hinc eſt, quod Baptiſmus Chriſti in Scripturis dicitur ſimpliciter Baptiſmus; Baptiſmus vero Joannis Baptiſmus pœnitentiæ appellatur.

Ad III., negatur major; & ratio negationis eſt, tum quia Actor. 19. Paulus Apoſtolus juſſit baptizari Baptiſmo Chriſti illos, qui fuerant baptizati Baptiſmo Joannis, & hæc ſunt verba: *ille vero ait: in quo ergo baptizoti eſtis? qui dixerunt, in Joannis Baptiſmate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit Baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Jeſum. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu:* tum quia Auguſtinus docet hom.5. ſuper Joan: *ſi quos baptizavit Joannes, iterum ſunt baptizandi*; & Auguſtino conformes inveniuntur Origenes, Cryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus, aliique Patres; tum denique quia, ſi qui fuerunt a Joanne baptizati, non fuiſſent iterum a Chriſto baptizandi, male Baptiſmus Jaonnis dictus fuiſſet *præparatio*, *diſpoſitio*, & *initiatio* ad Baptiſmum Chriſti.

Ad IV. Quicquid ſit de materia, de qua etiam dici poteſt, quod, quanvis ex Scriptura probetur applicatio ipſius, non tamen probatur ejuſdem inſtitutio; ſat nihilominus pro nobis eſt incertitudo illa formæ, quam etiam Adverſarii fatentur. Et revera nequit dari proprie & vere Sacramentum, quod habeat formam incertam.

Ad V., dicitur, non ſufficere ad hoc, ut aliquod ſit vere & proprie Sacramentum, aſſignare ejus auctorem, atque miniſtrum; hæ enim ſunt cauſſæ efficientes, principalis nimirum, & inſtrumentalis, adeoque extrinſecæ, quæ non ſufficiunt ad conſtituendum vere & proprie dictum Sacramentum. Deficiunt tamen cauſſæ intrinſecæ, hoc eſt, res & verba, ſeu materia & forma; quum de illis nulla habeatur in Scripturis mentio, nec de inſtitutione earum, nec de earundem determinationem.

Ad VI. Si per Sacramentum intelligitur præciſe, quod ſignificat gratiam, & non confert, cujuſmodi fuerunt Sacramenta veteris legis, Baptiſmus Joannis poteſt dici Sacramentum, ſed large, non vere & proprie, quemadmodum dicuntur Sacramenta novæ legis, quæ ſignificant, continent, & conferunt gratiam, eamque ex opere operato conferunt, & hujuſmodi Baptiſmus Joannis certe non fuit, ut uſque modo probatum eſt.

Dicimus II. Baptiſmum Joannis fuiſſe diverſum a Baptiſmo Chriſti.

I. Probatur Concluſio ex evidenti quatuor Evangeliſtarum conſenſu, ipſiuſque Joannis apud eos teſtimonio. Matth.3. ad eos, qui ad ſe veniebant baptizandi, ne plus aliquid accepturos ſe putarent, quam revera accepturi erant hæc verba dirigebat. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*. Marci 1. *Ego baptizavi vos aqua; ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto*. Lucæ 3. *Exiſtimante autem Populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus; reſpondit Joannes dicens omnibus: ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Tandem Joann. 1: *qui miſit me baptizare in aqua ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto*. Ex quibus verbis manifeſtum eſt diſcrimen illud primum inter Baptiſmum Chriſti, & Baptiſmum Joannis, quod iſte ſolum ablueret corpus, ac mundaret aqua, ille vero homines interius per Spiritum Sanctum a peccatis ablueret, gratiæque divinæ adoptione donaret.

II. Pro-

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in ea fuit ſententia, quam ipſius Patres manifeſtarunt; ſed ipſius Patres manifeſtarunt, Baptiſmum Joannis fuiſſe diverſum a Baptiſmo Chriſti: ergo in hac eadem ſententia fuit Concilium ipſum. Probatur minor. In Actis ejuſdem Concilii Nicæni I. lib. 2. circa finem legitur; quod Patres reſpondentes Philoſopho per Macharium Hjeroſolymitanum ita de Chriſto loquuti ſunt. *Tunc ad Baptiſmum venit, prædicante Joanne Zachariæ filio ad Populum Baptiſmum Pœnitentiæ; non autem Baptiſmum peccatorum, aut adoptionis filiorum Dei largiente; non enim erat Joannis hoc dare, ſed ipſius duntaxat Incarnati Verbi Dei.*

III. Probatur ex Patribus Græcis. Chryſoſtomus in Matth. c. 3. hom 10., & 11. *Spiritus Sancti gratia in Chriſti Baptiſmate eſt; Ioannis vero Baptiſma hac donatione privatur.* Cyrillus lib. 2. in Joannem cap. 57. & 62. docet, quod tantum interſit inter Baptiſmum Joannis, & Baptiſmum Chriſti, quantum inter Joannem, & Chriſtum ipſum; ideoque Chriſtum a Joanne tantopere commendatum fuiſſe, ut intelligeretur, nullam eſſe Baptiſmatum comparationem, uti nec perſonarum; Joannis denique Baptiſmum cum Chriſti Baptiſmo collatum vim tantumodo præparationis habuiſſe. Doctrinam hanc ex Cyrillo teſtatur & refert Eſtius citato loco. Joannes Damaſcenus lib. 4. de Ortodoxa fide c. 5. aperte docet, Baptiſmum Joannis nec gratiam, nec peccatorum remiſſionem contuliſſe, ſed ad utrunque in Chriſti Baptiſmo percipiendum præparatorium quoddam, & ſignum fuiſſe.

IV. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. de Bapt.: *divinum quidem Joannis Baptiſmum fuiſſe, ſed mandato, non poteſtate.* Quæ verba ſic explicat Eſtius: „ quod videlicet Joan-
„ nes mandatum baptizandi a Deo ac-
„ cepiſſet, non tamen per eum, vel Spi-
„ ritum Sanctum, vel remiſſionem deli-
„ ctorum, dari potuerit; idque ex Scri-
„ ptura probat. „ Cyprianus, ſive Auctor Sermonis de Baptiſmo Chriſti, aſſerit, Baptiſmum Joannis duntaxat laviſſe corpora, ut ſequeretur Baptiſmus Chriſti, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remiſſio. Hilarius Can. 2. in Matth. dicit, Baptiſmum Joannis fuiſſe in pœnitentiam, Chriſti vero in ſalutem. Ambroſius lib. 2. in Lucæ 3. vocat Baptiſmum Joannis lavacrum pœnitentiæ, Baptiſmum vero Chriſti lavacrum gratiæ. Hjeronymus in Dialogo cont. Luciferianos: *audi quid Scripturæ doceant; Joannis Baptiſma non tam peccata dimiſit, quam Baptiſma pœnitentiæ fuit in remiſſionem peccatorum futuram. Ut enim Præcurſor Domini Joannes, ſic & Baptiſma ejus prævium Dominici Baptiſmatis fuit .... Si autem Ioannes, ut confeſſus eſt ipſe, non baptizavit in Spiritu, conſequenter neque peccata dimiſit: quia nulli hominum ſine Spiritu Sancto peccata dimittuntur. Aut ſi contentioſe argumentaris, ideo Ioannis Baptiſma dimiſiſſe peccata, quia de Cœlis fuit, edoce quid amplius in Chriſti baptiſmate conſequamur, quod peccata dimittit, & liberat a gehenna. Quod a gehenna liberat perfectum eſt, perfectum autem Baptiſma non eſt, niſi quod in Cruce & reſurrectione Chriſti eſt. Ita dum ſervis Baptiſmo, plus quam habuit, tribuis, Dominicum deſtruis, cui nihil amplius relinquis &c.* Et epiſt. 83. ad Oceanum cap. 3. *Qui Ioannis acceperant Baptiſma, quia Spiritum Sanctum neſciebant, iterum baptizantur, ne quis putaret Gentibus, ac Iudæis, aquas ſine Spiritu Sancto ad ſalutem poſſe ſufficere.*

V. Probatur Rationibus I. Baptiſmus Joannis fuit ab ipſo Joanne denominatus, quia nihil in ſe continebat, quod Joannis vires excederet, quanvis a Deo inſtitutus eſſet, & Joanni inſpiratus; unde Joannes miſſus dictus eſt, ut baptizaret; Baptiſmus vero novæ legis non denominatur a Miniſtro, quia illius effectus, nenpe ſpiritualis regeneratio ex aqua, & Spiritu Sancto, baptizâtis vires prætergreditur; quapropter ſolius Chriſti dicitur, qui interius baptizat in Spiritu Sancto, ut ad longium & ſubtiliter ſuo modo proſequitur Auguſtinus tract. 2. in Joannem. II. Baptizati a Joanne debebant Baptiſmo Chriſti iterum initiari, ut gratiam & ſalutem æternam conſequerentur, ut legitur Actor. 1. & 19. Et ex hoc fit, quod per Baptiſmum Chriſti imprimitur character, quod per Baptiſmum Joannis non imprimebatur, unde ſeqoitur diverſitas inter utrunque. III. Ex ratione ſigni ſenſibilis; quanvis enim utrunque Baptiſ-

ma

Digitized by Google

ma aqua conſtaret, illud tamen Chriſti etiam formam includit, cujus experſerat datum a Joanne. Et quanvis Paullus Actor. 19. aliqua verba in Joannis Baptiſmo fuiſſe innuat, mens ejus tamen eſt, ut ſignificet, Joannem, dum baptizaret, hortatum fuiſſe Populos, ut in Meſſiam crederent. Præter quam quod, dato etiam, quod aliquibus verbis uſus fuerit Joannes in ſuo Baptiſmate conferendo, nunquam tamen expreſſam Trinitatis invocationem adhibuit, quæ Chriſti Baptiſmo eſſentialis eſt. IV. Ratione ſubjecti, quia Baptiſma Joannis ſolis Adultis conferri poterat, ut pote pœnitentiæ idoneis, quam Joannes & Baptiſmate figurabat, & ſermone adhortabatur; Baptiſmus autem Chriſti Infantibus, Amentibus, cæteriſque ratione non utentibus confertur. V. Si Baptiſmus Chriſti fuiſſet idem cum Baptiſmo Joannis, cur Joannis Diſcipuli apud eum conqueſti fuerunt Joannis 3., quod Chriſtus baptizaret? unde Joanni dicebant: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanum, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*: ergo ex his verbis fit clarum Baptiſmum Chriſti, & Baptiſmum Joannis non fuiſſe eundem & unum.

Obſtant I. Baptiſmus Joannis habuit eandem cum Baptiſmo Chriſti materiam; ergo non fuit a Baptiſmo Chriſti diverſus. Probatur antecedens. Materia remota Baptiſmi Chriſti fuit aqua, & aqua pariter fuit Baptiſmi Joannis; proxima fuit ablutio. & hæc fuit quoque alterius: ergo eadem utriuſque fuit materia. II Eadem quoque fuit utriuſque Baptiſmi form;nam Baptiſmus Joannis conferebatur in nomine Venturi, quod idem eſt, ac in nomine Chriſti, in quo etiam nomine legimus collatum Baptiſmum Chriſti: ergo ſi utriuſque Baptiſmi fuit una & eadem forma, unus pariter & idem fuit uterque Baptiſmus. III. Baptiſmi Chriſti Auctor fuit Deus; ſed Deus quoque fuit Auctor Baptiſmi Joannis: ergo idem utriuſque Baptiſmi Auctor: ergo idem Baptiſmus fuit. Probatur minor Matth. 21. dicitur, Baptiſmus Joannis fuiſſe de Cœlo: ergo habuit pro Auctore Deum. IV. Idem fuit effectus utriuſque Baptiſmi: ergo idem fuit Baptiſmus. Probatur antecedens Effectus Baptiſmi eſt remiſſio peccatorum; ſed hic effectus tribuitur tam uni, quam alteri Baptiſmo: ergo idem effectus tribuitur utrique Baptiſmo. Probatur minor. De Joanne dicitur, Marci 1., & Lucæ 3. *Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*: & Actor. 2. dicitur de Baptiſmo Chriſti: *baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*. V. Ex Patribus nulla differentia habetur inter utrunque Baptiſmum: ergo revera fuit unus & idem. Probatur antecedens. Tertullianus lib. de Bapt. cap. 4. *Nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit*. Baſilius lib. 1. de Bapt. *Joannis Baptiſma multimodis excelluit. Nam peccata nullo modo diſcernebat..... Quin etiam ſine ulla prorſus dilatione ſimul atque ad gratiam Dei, & Chriſti ejus aliquis acceſſerat, quantacunque, & qualiacunque peccata confeſſus fuiſſet, & baptizabatur in Jordane fluvio, & ſtatim veniam conſequebatur peccatorum*. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi myſtagogica 2. *Per Baptiſmum Joannis dabatur remiſſio peccatorum, per Baptiſmum Chriſti adoptio filiorum*. Optatus Melevitanus ſcripſit, quod baptizati Baptiſmo Joannis intrarunt in Regnum Cœlorum per violentiam; Baptizati vero Baptiſmo Chriſti intrarunt per legem. Auguſtinus lib. 5. de Bapt. cont. Donatiſtas cap. 10. *Ne quiſquam contendat etiam in Baptiſmo Joannis dimiſſa eſſe peccata, ſed aliquam ampliorem ſanctificationem eis, quos juſſit Paulus Apoſtolus denuo baptizari per Baptiſmum Chriſti eſſe collatam; non ago pugnaciter*. Chryſol. Serm. 137. *Erat penes Ioannem venia, ſed non ſine pœnitentia.... Erat Baptiſma quod culpam tolleret, conſcientiam non deleret*. Damaſcenus lib. 4. de Orthodoxa fide cap. 10. enumerat aliquot genera Baptiſmatum, & quinto loco ponit illud Chriſti, & ait: *quintum erat Chriſti Baptiſma, quo & ipſe baptizatus eſt*; ſed Chriſtus baptizatus fuit Baptiſmate Joannis: ergo Baptiſma Chriſti diverſum non erat a Baptiſmate Joannis.

Reſpondemus ad I. negando, utriuſque Baptiſmi materiam fuiſſe eandem in ſpecie, quanvis fuerit eadem in genere: Materia enim Baptiſmi Chriſti

eſt

eſt omnis aqua; materia vero Baptiſmi Joannis fuit tantum aqua Jordani. Inſuper & hoc ideo dicimus, quia Joannes in Jordane baptizabat, non autem, quod illius aquæ pro materia ejuſdem Baptiſmi inſtitutionem habeamus, vel in Scripturis legamus, quando ex altera parte inſtitutionem materiæ Baptiſmi Chriſti & in verbo Dei ſcripto, & in verbo Dei non ſcripto, hoc eſt in traditione, retineamus.

Ad II. Negatur omnino, quod fuerit in Baptiſmo Joannis aliqua forma; & quanvis dicatur, quod Joannes baptizabat in nomine Venturi, hoc tamen non indicat verba formæ, ſed Joannis poteſtatem, quam accipiebat a Venturo Meſſia, hoc eſt ab illius prædicatione, quæ etſi nondum inceperat, erat tamen imminens, ut inciperet, quia Meſſias jam erat in mundo. Et quemadmodum plerique dicunt de Baptiſmo dato in nomine Chriſti, hoc eſt, auctoritate & inſtitutione Chriſti; ita pariter dici poteſt de Baptiſmo Joannis dato in nomine Venturi, ſcilicet auctoritate & poteſtate Meſſiæ, qui ad prædicationem jam venturus habebatur.

Ad III. Tertullianus dicit quidem Baptiſmum Joannis cœleſte & divinum, ſed intelligitur mandato, non poteſtate; unde legitur Joannis 1., *qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit &c* unde ſubdit Eſtius, & optime quidem ad rem: „ & hoc modo e Cœlo ſunt „ quæcunque a Deo vel præcipiuntur, „ vel inſtituuntur; quales & fuerunt „ omnes cæremoniæ moſaycæ, ſive ad „ aliquid Spiritualiter operandum efficaces eſſent, ſive non.

Ad IV. Baptiſmo Joannis tribuebatur remiſſio peccatorum in ſpe, obtinenda ſcilicet per Chriſtum, ratione pœnitentiæ ad quam Baptiſmus Joannis promovebat; & hoc patet ex differentia, quæ legitur in Scripturis inter utrunque; quia Baptiſmus Joannis dicitur Baptiſmus pœnitentiæ, nunquam vero ſic dicitur Baptiſmus Chriſti, ſed regenerationis, ſed renovationis, & hoc non aliunde, niſi quia pœnitentia alio modo ſe habuit in Baptiſmo Joannis, quam in Baptiſmo Chriſti; Baptiſmum Chriſti præcedebat tanquam diſpoſitio, Baptiſmum vero Joannis ſequebatur tanquam ejus unicum effectum.

Ad V. Tertullianus facit comparationem inter materiam utriuſque Baptiſmi, quæ, quum fuerit aqua eadem ſibi videbatur, quanvis ſit vel maris, vel fluminis, vel tiberis, vel Jordanis; unde dixit; *nulla diſtinctio eſt, mari quis, aut ſtagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur*. Baſilius comparat Baptiſmum Joannis cum Baptiſmo Moyſis, & ſupra hunc extollit illum, non vero comparat cum Baptiſmo Chriſti, quia hunc ſupra illum maxime elevat, quia dicit, tantum diſtare Baptiſmum Joannis a Baptiſmo Chriſti, *quantum Sol ſtellis antecellit*. Cyrillus, Optatus, & Auguſtinus intelligendi ſunt, quod Baptiſmus Joannis dederit remiſſionem peccatorum non propria virtute & efficacia, ſed ratione pœnitentiæ, quam habebat adjunctam. Denique Chryſologus per alia verba, quæ addit, noſtræ ſententiæ favet; ait enim; *per Baptiſmum Joannis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam*.

Ad VI. Verbis hiſce reſpondet Eſtius. „ Interim vero, quod ex Damaſceno „ objicitur, ex eodem facile ſolvitur; „ nam manifeſte eo capite diſtinguit „ Damaſcenus inter Baptiſma Joannis, „ quod quarto loco poſuit, & Baptiſma „ Chriſti, quod quinto. Dicit autem, „ Chriſtum hoc quinti generis Baptiſmi lotum fuiſſe propter expreſſam „ repreſentationem factam Trinitatis, „ dum Chriſtus baptizaretur, ſicut Chriſti Baptiſma celebratur in Eccleſia „ cum expreſſa ejuſdem Trinitatis invocatione, quemadmodum id recte „ explicat Commentator Damaſceni Judochus Clichtovæus, vel certe propterea, quod Baptiſma illud fuerit „ non in aqua tantum, ſed etiam aliquo „ pacto in ſpiritu, non quidem propter „ efficaciam ſpiritualis gratiæ, ſed propter viſibilem apparitionem Spiritus „ Sancti in ſpecie columbæ, ſuper eo „ qui baptizatur.

Dicimus III, Baptiſmum Joannis non habuiſſe eandem cum Chriſti Baptiſmo virtutem & efficaciam.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 3. *Videns autem* (Joannes) *multos Phariſæorum, & Sadducæorum venientes ad Baptiſmum ſuum, dixit eis. Progenies viperarum &c...... Ego quidem Baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus*

non

non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni. Et cap 21. *Baptiſmus Joannis unde erat?, e cœlo, an ex hominibus?* Et Marci 1. *Ego baptizavi vos in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Lucæ 3. *Reſpondit Joannes dicens omnibus: ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me, cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus: ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Joannis 1. *Reſpondit eis Joannes dicens: ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti.* Actor. 5. *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies.* Et cap 19 *Factum eſt autem cum Apollo eſſet Corinthi, ut Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum, & inveniret quoſdam Diſcipulos, dixitque ad eos, ſi Spiritum Sanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum; ſed neque ſi Spiritus Sanctus eſt audivimus. Ille vero ait; in quo ergo baptizati eſtis? qui dixerunt; in Joannis Baptiſmate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit Baptiſmo pœnitentiæ populum dicens, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Jeſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebatur linguis & prophetabant.* Quibus Scripturarum verbis plane conſtat Baptiſmum Joannis a Baptiſmo Chriſti diſcrepaſſe in virtute, & in efficacia, tum quia Chriſti Baptiſmus foret in aqua, & in Spiritu Sancto, Joannis vero tantum in aqua, & non in Spiritu Sancto; ille Chriſti fuerit in regenerationem, Joannis vero in pœnitentiam, non in regenerationem, quam non operabatur; & quod qui baptizati fuerant Baptiſmo Joannis rurſum Baptiſmo Chriſti baptizari debebant; non ſic autem qui fuerant ſemel Baptiſmo Chriſti baptizati.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius I. epiſt 27. cap. 5. *Baptizatos rite ab Evangeliſta Philippo Petrus & Ioannes ſola manus impoſitione conſummant. Illos vero, quos Apoſtolos Paulus Ioannis Baptiſmate baptizatos reperit, interrogavitque, an Spiritum Sanctum accepiſſent, fatentibuſque ſe ne illud quidem nomen audiviſſe, juſſit eos baptizari. Videtis ergo rite baptizatos, illo dono iterari non poſſe: & aliter ſola aqua lotos baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti neceſſarium perviderі.* Leo Magnus epiſt. 4. cap. 6. *Si quis Epiphaniæ feſtivitatem, quæ in ſuo ordine debito honore veneranda eſt, ob hoc exiſtimat privilegium habere Baptiſmatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad Baptiſmum S. Ioannis acceſſerit, ſciat; illius baptiſmi aliam gratiam, aliam fuiſſe rationem, nec ad eandem pertinuiſſe virtutem, qua per Spiritum Sanctum renaſcuntur, de quibus dicitur: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Gregorius Magnus ſuper Evangelia homil. 7. Ego baptizo in aqua: *Ioannes non in Spiritu, ſed in aqua baptizat, quia peccata ſolvere non valens, baptizatorum corpora per aquam lavat; ſed tamen mentem per veniam non ſanat. Cur ergo baptizat, qui peccata per Baptiſmum non relaxat, niſi ut præcurſionis ſuæ ordinem ſervans, qui naſciturum naſcendo prævenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando præveniret; & qui prædicando factus eſt Præcurſor Chriſti, baptizando etiam Præcurſor ejus fieret, imitatione Sacramenti.* Hom. 20. *Cunctis legentibus liquet, quia Ioannes non ſolum Baptiſmum Pœnitentiæ prædicavit, verum etiam quibuſdam dedit; ſed tamen Baptiſmum ſuum in remiſſionem peccatorum dare non potuit. Remiſſio enim peccatorum in ſolo nobis Baptiſmo Chriſti tribuitur. Notandum itaque, quod dicitur: prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: quoniam Baptiſmo quod peccata ſolveret, quia dare non poterat, prædicabat; ut ſicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis, ita Baptiſmum pœnitentiæ, quo peccata ſolvuntur, præcurreret ſuo baptiſmate, quo peccata ſolvi non poſſunt, ut quia ejus ſermo præcurrebat præſentiam Redemptoris, ipſum quoque ejus Baptiſma præcedendo fieret umbra veritatis.*

III Probatur ex Patribus Græcis. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 3. *Magnus Ioannes: ſed quid is ad Dominum?: magnifica vox clamantis; ſed quid ad regem?: bonus ille, qui baptizabat, ſed quid ad illum, qui baptizabat*

Spi-

Spiritu & igne? Spiritu Sancto & igne Apoſtolos baptizabat Salvator, quando eſt de Cœlo factus repente ſonus, tanquam venientis Spiritus vehementis. Baſilius Magnus Exhortatione ad Baptiſmum. *Ioannes ad quem omnis accedebat Iudæa, pœnitentiæ Baptiſmum prædicavit: Dominus autem adoptionis filiorum longe præclarius annuntiat. Quis igitur eorum, quibus ſpes eſt in eo, non obediet? Initiatorum erat Ioannis Baptiſma, iſtud vero perfectorum. A peccato illud avocabat, iſtud cum Deo conjunget, & familiarem reddit*. Gregorius Nazianzenus Orat.39, quæ eſt oratio panegyrica in ſancta lumina. *Age de variis Baptiſmorum generibus aliquid diſſeramus, ut hinc purgati diſcedamus. Baptizavit Moſes, verum in aquam, priuſque etiam in nube, & in mari. Caeterum hoc per figuram agebatur, quemadmodum & Paulo placet. Mare enim aquam, nubes Spiritum, manna panem illum vitæ, potio divinam potionem adumbrat. Baptizavit etiam Joannes: non jam ille quidem judaico more; (non enim in aqua ſolum; ſed etiam ad pœnitentiam) non tamen prorſus ſpiritualiter: nec enim addit: in Spiritu Baptizat quoque Ieſus, ſed in Spiritu. Quod quidem perfectum, numeriſque omnibus abſolutum Baptiſma reddit*. Chryſoſtomus in Matth. hom.11. *Poſtquam Ioannes Baptiſmatis ſui profeſſus eſt ſimplicitatem, nec quicquam illud amplius habere monſtravit, quam ut eos ad pœnitentiam duceret: non enim dixit in aqua remiſſionis, ſed pœnitentiæ: tum demum ponit etiam Chriſti Baptiſma ineffabilium donorum liberalitate cumulatum.*

IV. Probatur ex Patribus latinis. Cyprianus epiſt.73 *Nec recuſabunt baptizari apud nos Heretici legitimo & vero Eccleſiæ Baptiſmo, quando ex nobis didicerint, baptizatos quoque a Paulo eos, qui jam Baptiſmo Ioannis baptizati fuiſſent; ſicut legimus in Actibus Apoſtolorum. Et nunc apud quoſdam de noſtris Hæreticorum baptiſma occupatum aſſeritur, & invidia quadam quaſi rebaptizandi, baptizare poſt hoſtes Dei neſos ducitur; cum baptizatos inveniamus, quos Ioannes baptizaverat: Ille Ioannes major inter Prophetas habitus, ille divina gratia adhuc in utero matris impletus, ille Heliæ ſpiritu & virtute ſubnixus, qui non adverſarius Domini, ſed Præcurſor & prædicator fuit*. Et lib. de Bapt. Chriſti & Manifeſtatione Trinitatis. *Bonis quippe ſæpe malorum miniſteria ſuffragantur ſupponit itaque cervicem Sanctam manibus hominis humilitas Redemptoris, & licet plenam non habeat virtutem, ſuſcipit tamen Chriſtus Baptiſma Joannis. Præparabat viam Domino Joannem lavando exterius corpora, ut præcederet exterius lavacrum ſecuturum Baptiſma, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remiſſio. Præceſſit quod erat ex parte, ut conſummatio ſequeretur*. Hilarius in Matth. cap.2. *Quia legis opus inefficax eſſet ad ſalutem, & Joannes baptizandis in pœnitentiam nuntius extitiſſet, ſe quidem baptizare in pœnitentiam dicit, ſed fortiorem eſſe venturum, cujus ferendorum ac ſolvendorum calceamentorum ſit indignus officio; Apoſtolis circumferendæ prædicationis gloriam derelinquens, quibus ſpecioſis pedibus pacem Dei erat debitum nuntiare. Salutis igitur noſtræ & judicii tempus deſignat in Domino dicens: Ille baptizabit vos in Spiritu Sancto & igni; quia baptizatis in Spiritu Sancto reliquum ſit conſummari igne judicii*. Ambroſius ad cap.3. Lucæ: ego vos aqua Baptizo. *Cito probavit non eſſe ſe Chriſtum, qui viſibili operetur officio. Nam cum ex duabus naturis, homo, ideſt, ex animo ſubſiſtat & corpore: viſibile per viſibile, inviſibile per inviſibile Myſterium conſecratur. Aqua enim corpus abluitur: ſpiritu animæ delicta mundantur. Aliud agimus, aliud invocamus: licet etiam in ipſo fonte ſanctificatio divinitatis aſpiret. Non enim aqua omnis ablutio eſt; ſed hæc inter ſe diviſa eſſe non poſſunt; & ideo aliud fuit Baptiſma pœnitentiæ aliud gratiæ eſt. Iſtud ex utroque, illud ex uno. Nam cum communia delicta ſint mentis & corporis, purificatio quoque debuit eſſe communis*. Et ſerm.16. de Natali Domini. *Sicut enim lucernæ claritas deſtruitur ſolis adventu; ita & Joannis pœnitentiæ Baptiſma ſuperveniente Chriſti gratia vacuatum eſt*. Hieronymus epiſt. 150.ad Hedibiam quæſt. 9. *Unde & in Actibus Apoſtolorum, qui Joannis Baptiſmate fuerant baptizati, & credebant in Deum Patrem, & Chriſtum, quia Spiritum Sanctum neſciebant, iterum baptizantur, immo tunc verum accipiunt Baptiſmo. Abſque enim Spiritu Sancto imperfectum eſt myſterium Trinitatis*. Auguſtinus in Encheridio ad Laurentium cap.49. *Non renaſcebantur,*

ſius diſput.8. de Bapt. Theſi 12. & 13., dicens, quod copioſa & abundans effuſio illa donorum Spiritus Sancti, quæ ſub ſpecie linguarum ignearum facta eſt in Pentecoſtes die figurate dicitur Baptiſmus, & hoc Baptiſmo longe inferior appellatur Baptiſmus Joannis. II. Baptiſmus, qui dicitur Actor. 19. collatus a Paulo illis, qui a Joanne fuerant baptizati, non fuit vere & proprie Baptiſmus, ſed tantum copioſior donorum collatio & infuſio, quæ per figuram Baptiſmus dicitur, ut dictum eſt: ergo non eſt verum, quod nos dicimus, baptizatos ſcilicet a Joanne fuiſſe iterum Baptiſmo Chriſti a Paulo tinctos. III. Ambroſius lib. 1. *de Spiritu Sancto* cap. 2 negat vere baptizatos fuiſſe Baptiſmo Joannis duodecim illos diſcipulos, quos Actor. 19. juſſit Paulus baptizari: ergo parem habebat efficaciam Baptiſmus Joannis ex Ambroſio ac Baptiſmus Chriſti. IV. Optatus Milevitanus lib. 5 adverſ. Parmenianum diſtinguit Baptiſmum Joannis ante reſurrectionem Chriſti a Baptiſmo Joannis poſt reſurrectionem, & docet, illum primum fuiſſe plenum & perfectum, & minime iteratum; ſecundum vero fuiſſe imperfectum & iteratum; quia quum fuerit collatus poſt Reſurrectionem, erat pariter collatus poſt promulgatam Baptiſmi legem, unde Epheſii, qui a Paulo fuerunt iterum baptizati, fuerant baptizati prius Baptiſmo Joannis non ante reſurrectionem, ſed poſt illam. V. Eulogius Alexandrinus lib. 2. adverſ. Novatianos apud Photium Codice 280 Bibliotecæ, teſtatur, illos, qui Actor. 19. dicuntur a Paulo baptizati, non fuiſſe antea baptizatos a Joanne, ſed ab ejus diſcipulis, qui Magiſtri baptizandi ritum violaverant, & proinde iterum baptizati ſunt; illi vero, qui vere fuerunt a Joanne baptizati, non fuerunt denuo tincti, nec a Paulo, nec ab altero ex Apoſtolis, vel Diſcipulis; ſuppoſita autem hac doctrina corruit argumentum, quod nos deducimus ex loco illo Actor. 19. VI. Si Joannis Baptiſmus nullum ſpiritualem effectum contuliſſet, inutilis fuiſſet, quia ad nullum omnino uſum inſerviſſet; atqui hoc dici non valet ergo &c. VII. Si Joannis Baptiſmus omni ſpirituali effectu fuiſſet vacuus, fruſtra Chriſtus eidem Baptiſmo te ſubjeciſſet; atqui Chriſtus voluit a Joanne baptizare: ergo &c. VIII. Joannis Baptiſmus cœleſtis ab ipſomet Joanne cap. 1. Joan, vocatur: *qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit &c.*; atqui cœleſtis eſſe non poterat, ſi nihil cœleſte conferebat; nihil autem cœleſte contuliſſet, ſi non gratiam, non characterem, non peccatorum remiſſionem, in ſuſcipientibus produxiſſet: ergo &c.

Reſpondemus ad I.: nunquam effuſionem illam donorum in die Pentecoſtes factam antiqui Patres vocarunt nomine Baptiſmi, neque etiam figurate, & nec unus ex illis Baptiſmum eidem aſſimilavit, ſed potius Confirmationem, quæ importat perfectionem fidei, & Spiritus Sancti plenitudinem: unde apertiſſime in hoc quoque & ineptiſſime falluntur Calvinus & Voſſius. Baptiſmus vero Joannis non ideo ſic dicebatur, quia Joannes erat illius Miniſter, ſed quia Joannes erat illius Auctor; Baptiſmus autem Chriſti, quamvis fuiſſet miniſtratus a Petro, a Paulo, a Joanne, vel a cæteris Apoſtolis, ſemper Baptiſmus Chriſti dictus eſt, quia ſolus Chriſtus fuerat illius Auctor, Apoſtoli vero Miniſtri. Unde falſum eſt quod dicebat Calvinus, Joannem ſcilicet comparaſſe perſonam ſuam cum Chriſto, non vero Baptiſmum ſuum cum illo Chriſti; utrumque enim comparavit, & perſonam, quando dixit Chriſtum ante ſe factum, & ſe non eſſe dignum corrigiam ejus calceamenti ſolvere; & Baptiſmum quando dixit, ſe tantum baptizaſſe in aqua, Chriſtum vero baptizaturum etiam in Spiritu Sancto.

Ad II. Verum eſt, quod eodem tempore, quo Epheſii baptizati ſunt a Paulo, receperunt plenitudinem donorum Spiritus Sancti; ſed illam non receperunt ratione Baptiſmi, at ratione Confirmationis, quæ venit nomine impoſitionis manuum: unde legitur Actor. 19. *Baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu, & cum impoſuiſſet illis manus Paulus venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabant.* Commentum propterea eſt Calvini, cujus eſt argumentum, dicere, quod non fuerint a Paulo baptizati, quum Scriptura aperte dicat, quod antecedenter baptizati fuiſſent, & deinde Spiri-

DISSERTATIO CCCXXXIV.

De Baptiſmi neceſſitate, & exiſtentia. Quinam fuerint Hæreticorum errores contra Baptiſmi neceſſitatem, & exiſtentiam? An Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii? An ſit neceſſarius neceſſitate præcepti?

Baptiſmi exiſtentiam, prout ad noſtrum attinet inſtitutum, non ex alio certiorem reddi, quam ex ejuſdem neceſſitate & inſtitutione, nobis redditur, exploratum; ſiquidem nullum non exiſtens neceſſarium eſſe poteſt, & omne quod inſtitutum probatur, hoc ipſo exiſtere neceſſe eſt. Si igitur ſemel Baptiſmum probabimus, & inſtitutum a Deo fuiſſe, & nobis eſſe neceſſarium, ſtatim quoque & ipſum extitiſſe, atque adeo exiſtere, demonſtrabitur. Prius autem de neceſſitate hac in Diſſertatione tractamus, in ſequenti poſtmodum de inſtitutione dicturi.

Repetentes igitur, quæ diximus, quando de neceſſitate Sacramentorum in genere agebamus, aſſerimus quoque, duobus modis poſſe aliquid neceſſarium eſſe ad finem aliquem ſupernaturalem obtinendum, neceſſitate medii ſcilicet, & neceſſitate præcepti. Illud neceſſarium dicitur neceſſitate medii, ſine quo finis nullo modo poteſt obtineri, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter omittatur. Illud vero dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti tantum, de quo eſt præceptum, & ſine eo poteſt obtineri finis, ſi ſcilicet inculpabiliter, & ex juſta cauſſa, omittatur. Sic divinum auxilium eſt neceſſarium neceſſitate medii ad actum amoris Dei eliciendum, quia homo etiamſi ſine culpa auxilio illo privabitur, actum amoris Dei nunquam eliciet. Etiam auditio Sacri dicitur neceſſaria neceſſitate præcepti ad obtinendam gratiam, & ſalutem, quia licet omittens Miſſam culpabiliter gratiam non conſequatur, illa tamen non privaretur, ſi inculpabiliter, & ex juſta cauſſa? Miſſam omitteret. Ulterius, quando inquiritur, an Baptiſmus ſit omnibus ad ſalutem neceſſarius, debet intelligi, ſi privilegium non adſit, vel ſi Martyrium excludatur. Certū eſt enim Deum poſſe aliquo ſpeciali privilegio aliquem in utero Matris ſanctificare, & a peccato originale, aut præſervare, aut mundare, ſicut accidit in immaculata Dei Genitrice Virgine Maria, atque in Jeremia, & Joanne Baptiſta. Martyrium autem, ut ex dicendis conſtabit, poteſt etiam Baptiſmi vicem ſupplere, tam in parvulis, quam in Adultis, & illos ex opere operato juſtificare.

Deſcendimus modo ad Hæreticorum errores enumerandos contra Baptiſmi vel neceſſitatem, vel exiſtentiam, ut primæ Diſſertationis parti occurramus; & quidem primo enumerantur *Cajani*, qui dicebant, *Baptiſma, non eſſe neceſſarium & ſolam fidem ſufficere*; qui etiam dicti ſunt *Quintilliani*, a quadam Muliere cujus nomen erat Quintiliia. Refert Tertullianus lib. de Bapt. cap. 1., verbis hiſce: *atque adeo nuper converſata iſtic, quædam de Cajana hæreſi vipera venantiſſima, doctrina ſuo pleroſque rapuit, in primis Baptiſmum deſtruens plane ſecundum naturam: nam fere viperæ, & aſpides, ipſique reguli ſerpentes arida & inaquoſa ſectantur. Sed nos piſciculi ſecundum ἰχθὺν noſtrum, Ieſum Chriſtum, in aqua naſcimur. Nec aliter quam in aqua permanendo ſalvi ſumus. Ita Quintilla monſtroſiſſima, cui nec integre quidem docendi jus erat, optime norat piſciculos necare, de aqua auferens.* Et hi quidem

dem omnes ſecundo ſeculo floruerunt.

Secundo, fuerunt *Manichæi* III. ſeculo, qui dicebant *Baptiſmum in aqua nihil prodeſſe quicquam*. Teſtatur Auguſtinus hæreſi 46. Et hoc ideo dicebant, quia putabant, omnes res corporeas, in quarum numero erat aqua, eſſe a Diabolo creatas. Unde Gentiles, qui ad ipſorum ſecta veniebant, nullatenus baptizabant.

Tertio, fuerunt *Archontici*, qui a Theodoreto lib. 1. *hæreticar. fabular.* cap. 10. dicuntur *Aſcodrutæ*, & aſpernabuntur Baptiſmum, etſi ex illis non parui fuiſſent baptizati. Ratio illis erat, non debere divina Myſteria, quæ inviſibilium ſunt ſigna, per res viſibiles perfici. Proinde illos, qui ad ſe ipſos accedebant, non baptizabant. Refert Epiphanius hæreſi 40.

Quarto, *Seleuciani*, & *Herminiani*, vel *Hermiani* ab aliis dicti, *Baptiſmum in aqua rejiciebant*; quod refert Auguſtinus Hæreſi 59., & ex Philaſtro narrat Coccius Tom. 3. Theſauri lib, 5. art. 4. Et hi omnes cum antedictis ſeculo quarto florebant,

Quinto, extiterũt *Maſſaliani*, ab aliis dicti *Meſſaliani*, qui dicebant, *Baptiſmum nihil conferre, nec peccati radicem excindere, ſed aſſidua precatione hæc omnia fieri.* Unde *Meſſaliani*, nomen, quod eſt ex lingua Syra, græce ſignificat εὐχῖται & latine, *orantes*. Referunt Auguſtinus hæreſi 57., Epiphanius hæreſi 80., Theodoretus lib. 4. *hæreticar fabular.* cap. 10. Damaſcenus lib. *de hæreſibus*; & hi pariter quarto ſeculo vivebant. His adjungitur Adelphius, qui dixit ex Nicephoro lib. 11. cap. 14. *Ex divino Baptiſmo nullam utilitatem pervenire ad eos, qui ipſo uterentur, & ſolam orationem Dæmonem vernaculum ejicere*.

Sexto, *Pelagiani*, qui quinto ſeculo florebant, & negabant originale peccatum, quum præmerentur ab Auguſtino argumento ducto ex neceſſitate Baptiſmi, negarunt, *Baptiſmum eſſe neceſſarium ad delendum originale peccatum*. Et iterum preſſi ab Auguſtino verbis illis Chriſti: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Cœlorum*; ut reſponderent, diſtinguebant Regnum Cœlorum, & vitam æternam, & dicebant, *quod parvuli decedentes ſine Baptiſmo conſequebantur ſide vitam æternam at non intrabant Regnum Cœlorum*; unde aſſerebant, *Baptiſmum eſſe neceſſarium quidem ad obtinendum Regnum Cœlorum, non vero eſſe neceſſarium ad conſequendam vitam æternam*. Narrat ipſemet Auguſtinus hæreſi 69.

Septimo, Vincentius Victor, qui pariter quinto ſeculo floruit, dixit, *aliquos eorum, qui ſine Baptiſmo Chriſti ex hac vita migraverint, interim non ire in Regnum Cœlorum, ſed in Paradiſum; poſtea vero in reſurrectione mortuorum etiam ad Regni Cœlorum beatitudinem admittendos fore*. Ità S. Auguſtinus lib. 3. de Origine animæ cap. 1.

Octavo, adnumeratur Mahometus, qui prohibuit ſequaces ſuos Baptiſmo initiari, voluit tamen ut circumciderentur, recipiunt tamen Chriſtianos in ſuam ſectam, qui ſunt baptizati, at Judæos non recipiunt, niſi antea baptizentur. Legatur Cedrenus in Heraclio.

Nono, circa medium octavi ſeculi fuit Samſon Scotus, qui dicebat, *quenquam ſine myſtica invocatione, aut lavacra regenerationis, poſſe fieri Catholicum Chriſtianum per ſolam Epiſcopalis manus impoſitionem*. Scribit Zacharias Papa in epiſt ad Bonifacium.

Decimo. Circa XI. ſeculum fuit Stephanus quidam Aurelianenſis, qui abnegabat gratiam ſacri Baptiſmatis. Referunt apud Coccium præfatum Papyrius Maſſonius lib. 3. Annalium in Hugone, & Roberto ex Hugone floriacenſe.

Undecimo. Seculo XIII. fuit Petrus Joannis, qui aſſerebat, *in baptiſmo non infundi gratiam, nec virtutes theologicas*; prout refert Guido Carmelita de erroribus hujus Petri Joannis, qui etiam Guido tradit, Armenos dixiſſe, *Sacramenta novæ legis non conferre gratiam*, in errore ipſorum 16., qui Armeni illi erant, qui circa ſextum ſeculum florebant.

Duodecimo *Lollardi* ſpernabantur, & deridebant baptiſmi Sacramentum dicentes: *Si baptiſmus eſt Sacramentum: ergo quodlibet balneum eſt Sacramentum, & per conſequens quilibet balneatus eſt Deus*. Refert Trithemius in Chronico Hirſaugienſi.

Decimotertio. *Flagellantes*, ſic dicti, quia ſe ipſos, vel virgis, vel funibus, vel alio modo concidebant uſque ad ſanguinem, & dicebant, *neminem ſalvari*

Digitized by Google

vari poſſe, niſi in ſanguine, de proprio ſuo corpore per flagella excuſſo baptizaretur; unde prædicabant, *baptiſmum aquæ non amplius valere, & in baptiſmum ſanguinis eſſe mutatum*. Refert Coccius citato loco.

Decimoquarto. *Waldenſes* dicebant, *inutilem prorſus eſſe baptiſmum, quia ex eo nullum fructũ aut parvuli aut Adulti conſequi poterant*. Waldenſibus ſubcripſit Wiclefus, qui non ſolum ad remiſſionem peccati, ſed etiam ad Regnum Cœlorum Baptiſma negavit eſſe neceſſarium. Narrat Thomas Waldenſis t. 2. cap. 96., & conſtat pariter ex ſeſſ. 15. Concilii Conſtantienſis. Hoc idem aſſerit Zuinglius lib. de vera & falſa Religione cap. de Bapt. ubi aſſerit, baptiſma eſſe merum externum Symbolum nullius ad ſalutem præſidii. Hæc ſunt ejus verba ad Urbanum Regium de peccato originali. *Baptiſmi lovacro nullum prorſus peccatum tollitur: baptiſmus eſt Eccleſiæ ſignum, non aliter quam cum exercitus aliquis ſignatur, non quod ſignum hoc conjungat Eccleſiæ, ſed quod ei jam conjunctus eſt, & publicam teſſeram accipit, ſicut nemo in exercitu ſcribitur, eo quod ſignum induit, ſed is, qui in exercitum jam ſcriptus eſt, ſigno publico dignus ducitur, quo omnibus manifeſtus fiat nomen dediſſe eo duci, ſub quo ſe militaturum promiſit*. Et lib. de Bapt. *Fere omnes, quotquot ab Apoſtolorum tempore de boptiſmo ſcribere inſtituerunt, non in paucis a ſcopo aberrarunt. Neque enim ex eorum numero quenquam invenire licet, qui non aquæ tribuerit, quod nec illa habet, nec Apoſtoli eam habere docuerunt. Externus baptiſmus, qui aqua conſtat, peccatorum ablutionem nihil facit*.

Decimoquinto. Lutherus in *captivitate babylonica* cap. *de Bapt.* ſcribit. *Baptiſmus neminem juſtificat, nec ulli prodeſt; ſed fides in verbum promiſſionis, cui additur Baptiſmus: hæc juſtificat, & adimplet id, quod baptiſmus ſignificat*. Ipſi ſubſcripſerunt Diſcipuli ejus. Philippus Melanchthon *in locis communibus* editis anno 1522. cap. *de Signis*; ait. *Non juſtificant ſigna, ut Apoſtolus ait: Circumciſio nihil valet: ita baptiſmus nihil eſt, participatio menſæ Domini nihil eſt, ſed teſtes ſunt* ϗ σφραγῖδες *divinæ voluntatis erga te*. Martinus Bucerus ad cap. 3. Matth. *Baptiſmus, ut ab homine geritur, nec præcipue in Chriſtum reſpicit, quid aliud, quam hominis opus eſt? Fatendum ergo erit de baptiſmate ad hunc modum conſiderato id, quod Apoſtolus ſcripſit de Circumciſione, nempe illud nihil eſſe aut valere, ſed novam requiri Creaturam, & obſervantiam mandatorum Dei*.

Decimoſexto. Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 14. §. 17. blaſphemias haſce evomere non erubuit. *Cavendum, ne in errorem nos inducant, quæ ad amplificandam Sacramenti dignitatem paulo magnificentius a veteribus ſcripta ſunt, ut ſcilicet arbitremur, latentem aliquam virtutem Sacramentis annexam, affixamque eſſe, quam ipſa per ſe Spiritus Sancti gratiam nobis conferunt, quemadmodum vinum in cratere propinatur; cum hoc tantum divinitus illis injunctum ſit munus ſanctificari nobis ac ſanciri Dei in nos benevolentiam, nec ulterius proficiant, niſi acceſſerit Spiritus Sanctus*. Et cap. 15. §. 10. *Jam perſpicuum eſt, quam falſum ſit, quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alii perſiſtunt, per baptiſmum ſolvi nos, & eximi ab originali peccato & a corruptione, quæ ob Adam in univerſam poſteritatem propagata*. Et §. 22. Expreſſius habet; *non arceri a Regno Cœlorum Infantes, quos e præſenti vita migrare continget, antequam aqua mergi datum fuerit. Atqui jam viſum eſt fieri non levem injuriam Dei fœderi, niſi in eo acquieſcimus, ac ſi per ſe infirmum eſſet, cum ejus effectus neque a Baptiſmo, neque ab ullis acceſſionibus pendeat. Accedit poſtea Socramentum ſigilli inſtar, non quod efficaciam Dei promiſſioni, quaſi per ſe invalidæ, conferat, ſed eam duntaxat nobis confirmet. Unde ſequitur, non ideo baptizari Fidelium liberos ut filii Dei tunc primum fiant, qui ante alieni fuerint ab Eccleſia, ſed ſolemni potius ſigno ideo recipi in Eccleſiam, quia promiſſionis beneficio jam ante ad Chriſti corpus pertinebant. Proinde ſi in omittendo ſigno nec ſocordia eſt, nec contemptus, nec negligentia, tuti ab omni periculo ſumus*

Decimoſeptimo Sociniani ex Calvinianorum fæce progeniti primo negarunt, Chriſtum dediſſe Apoſtolis præceptum baptizandi, & verba illa Chriſti Matth. 28.: *euntes docete, baptizantes &c.* explicarunt de doctrina & inſtructione, non de aquæ Baptiſmo. Hæc ſunt verba Volckeli lib. 6. *de vera Religione* cap. 14. *Apoſtolos, etſi non juſſos, ritum baptizandi convenienter uſurpaſſe,*

tum

tum quia populus Judæus cæremoniis valde delectabatur, ut pote in illis quaſi enutritus & educotus, tum quia Baptiſmi cæremonia a magni nominis magnæque auctoritatis viro, nempe Joanne, jam antea introducta, magnoque applauſu ab omnibus recepta fuerat; tum denique quia aptiſſima erat ad adumbrandum Chriſtianorum officium ac ſtatum, unde conveniens fuit viros hujus ætatis per baptiſmi cærimoniam Chriſtianæ Religioni adſcribi. Secundo negarunt baptizandi præceptum fuiſſe univerſale & in perpetuum obſervandum, reſtringentes illud ad ſolos Gentiles, & Judæos, qui ad fidem chriſtianam veniebant, & non extendentes ad illos, qui a Parentibus chriſtianis naſcebantur. Ita Socinus, Oſtorodius, Volckelius &c. Tertio voluerunt Baptiſmum eſſe merum ritum externum & publicum ſignum chriſtianæ profeſſionis, quod ſit omni interiori gratia deſtitutum. Unde in Catecheſi majore Cracovienſi, baptiſmus ſic definitur; quod ſit *ritus exterior, quo homines, vel e Judaiſmo, vel e Gentiliſmo ad chriſtianam Religionem accedentes manifeſte profitentur, ſe Chriſtum pro ſuo Domino agnoſcere*. Socinianis ex parte accedit Epiſcopius, qui eſt Arminianorum, ſeu Remonſtrantium defenſor accerrimus.

Decimo octavo, ponimus hos alios Novatores, qui peſſime quidem de Baptiſmi neceſſitate ſcripſerunt: Et primo, Lucas Sternbergius, qui ſacrum batiſma rejecit, appellans illud, *Satanicam inſtitutionem*, & dicens, *illos, qui eo utuntur, non niſi ad tartarum baptizari, & in æternum damnari. Divinitus enim non baptiſmum, ſed Circumciſionem inſtitutam fuiſſe.* Refert Fridericus Staphylus de Lutheranorum inter ſe concordia. Secundo, Svvenckfeldiani, qui dicunt. *homines ſine myſterio & Sacramentis ſalvari poſſe*. Legitur in Confeſſione Mansfeldenſium cap de Svvenckfeldianis. Tertio, Joannes Sommerus *Declamatione cont. Bapt. Adultor.* aſſerit, *non modo pueros, ſed etiam Adultos non eſſe baptizandos mandatum Chriſti: baptizate omnes gentes: ad eos, qui tunc vivebant, non ad Chriſtianos hujus ſeculi pertinere, quorum cum majores baptizati ſint, non eſſe neceſſe, ut nepotes baptizentur.*

Decimonono. Franciſcus Puccius Felidinus, Aſſertione *de Chriſti Servatoris in omnibus & ſingulis hominibus efficacitate*, Ratione 23. ait. *Abſurdiſſimum eſt credere Deum eſſe iratum & minime clementem, & non parcere innumeris mortalibus non circumciſis nec baptizatis aliorum culpa, aut ex perdita Adæ Maſſa elegiſſe paucos, quos ſervaret, relictis cæteris in pernitioſo originis vitio, ut multi ſentiunt ac docent.* Et Ratione 56. *Illud non naſci, vel non reformari denuo, intelligendum eſt poſitive, non privative, ita ut rei eſſent, non qui carebant illa reformatione, ſed qui illam impugnabant. Quapropter ex verbis ad Nicodemum non probatur, quenquam perire defectu baptiſmi, ſed declaratur pœna imminens perverſis contemptoribus baptiſmi.*

Vigeſimo enumeramus Scholaſticorum opiniones, & quidem primo Cajetanus 3. par. q. 68.art.2. voluit, Infantes Chriſtianorum, qui moriuntur in utero, & quibus baptiſmus applicari non poteſt, ſalvari poſſe votis & orationibus Parentum, maxime ſi his adjungatur exterius aliquod ſignum, quo Parentum votum manifeſtetur. Hanc opinionem defendit etiam Gerſon, Gabriel Biel, & noviſſime P. Antonius Urſaja in integro libro, cui titulum inſcripſit: *De duplici ſtatu vitæ humanæ*. Hos omnes nos impugnavimus in primo tomo Diſſertatione centeſima. Secundo Pichius, & Catharinus aſſignarunt Infantibus decedentibus ſine baptiſmo quandam felicitatem temporalem & naturalem, veluti Paradiſum quendam, quod refert Bellarminus tom 4.lib.6.cap.2. Tertio prudentiſſimus æque ac doctiſſimus, ut Eminentiſſimus Cardinalis, Cœleſtinus Sfrondati in libro quem inſcripſit, *Nodus prædiſtinationis diſſolutus* p.1.§ 1. n.13, ſcribit; *parvulos, qui ſine baptiſmo decedunt, cæleſti quidem Regno, quaſi paternæ culpæ reos, nec expiatos excludi; non tamen excludi naturalibus bonis, & a peccato præſervari, æternoque ſupplicio, quo, ſi adoleſcerent, puniendi eſſent, cum ſola præſervatio a peccatis pluris valeat, majoriſque pretii ſit, quam Regnum ipſe cæleſte.*

Dicimus I., Baptiſmum omnibus omnino hominibus ſive parvulis ſive adultis neceſſarium eſſe neceſſitate medii ad ſalutem.

I. Probatur Concluſio ex Scripturis veteris Teſtamenti. Pſal. 50. *Aſperges*

me

me Domine hyſſopo, & mundabor lavabis
me & ſuper nivem dealbabor . Ad quæ
verba Bellarminus in hunc Pſalmum
ſcribit ex Auguſtino, & Theodoreto.
„ Aperit hic unum ex incertis & occul-
„ tis myſteriis divinæ Sapientiæ, quod
„ videlicet tempore novi Teſtamenti
„ aſpergendi eſſent homines aqua mun-
„ da in Baptiſmo, & perfectiſſime juſti-
„ ficandi; alludit autem ad cœremo.
„ niam, quæ deſcribitur Num. 19., ubi
„ ad expiationem tria neceſſaria eſſe di-
„ cuntur, cinis vaccæ ruffæ immolatæ
„ in holocauſtum, aqua cineribus mixta,
„ & hyſſopus, quo aqua aſpergebatur:
„ per cinerem Vaccæ ruffæ ſignificatur
„ Chriſti mors: per aquam Baptiſmus:
„ per hyſſopum fides: hyſſopus enim
„ herba eſt humilis, radices habens in
„ petra. Sicut enim in illa expiatione
„ typica aqua mundabat, ſed vim ha-
„ bens ex cineribus vaccæ occiſæ, & per
„ hyſſopum aſperſa; ſic etiam in Baptiſ.
„ mo aqua mundat, ſed vim habens ex
„ morte, & merito Chriſti, & per fi-
„ dem applicata. Ad has igitur expia-
„ tiones tum figurantem, tum figura-
„ tam reſpicit David, cum dicit: *Aſper.*
„ *ges me hyſſopo, & mundabor*: petit enim
„ illam purgationem, quam noverat fi-
„ guratam per expiationem aquæ hyſſo-
„ po aſperſæ, & quam ad implendā præ-
„ videbat, & prædicebat in Baptiſmo:
„ & ut oſtendat illius expiationis prima-
„ rium auctorem eſſe Deum, dicit,
„ *aſperges me hyſſopo*, & non dicit, *aſper-*
„ *get me Sacerdos hyſſopo*, & ut demon-
„ ſtret, expiationem Baptiſmi fore per-
„ fectiſſimam, ita ut vere tollat pecca-
„ ta, ut non ſolum non imputentur, ſed
„ ut non ſint, & non ſolum tollat pec-
„ cata, verum etiam infundat copioſam
„ gratiam, addit: *lavabis me, & ſuper*
„ *nivem dealbabor*. Vide S. Auguſtinum
„ lib. quæſt. ſuper Num. cap. 33., &
„ Theodoretum in hunc locum Pſalmi.
Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aquam*
mundam, & mundabimini ab omnibus in-
quinamentis veſtris. Super quibus ver-
bis Cornelius a Lapide in eodem loco
v. 25. ſcribit. „ Judæi per aquam in-
„ telligunt temporalium bonorum abun.
„ dantiam, ac nominatim pluviam, quæ
„ ſegetes riget & fæcundet. Sed hæc
„ non emundat peccata, ut ſequitur;
„ immo ſæpe auget. Aqua ergo hæc eſt
„ gratia, & bonorum ſpiritualium abun-
„ dantia, quæ a Chriſto per Sacramen-
„ ta dimanat; ſed propriiſſime eſt aqua
„ baptiſmi peccata omnia emundans,
„ de qua ait Apoſtolus ad Titum 3. 5.
„ *Mundans eam* (Eccleſiam) *lavacro aquæ*
„ *in verbo vitæ*. Ita Patres paſſim: quin
„ & Chald. & R. David, licet baptiſ-
„ mum non agnoſcant, tamen cenſent,
„ hic agi de remiſſione peccatorum.
„ Quo circa has omnes promiſſiones ad
„ novum Teſtamentum pertinere, do-
„ cet S. Auguſtinus lib. 3. de Doctr. Chri.
„ ſtiana c. 34., & alii paſſim. Præclare
„ S. Clemens lib. 6. Conſtitut. Apoſt.
„ c. 26., ait: *omnis ſecundum veritatem*
„ *baptizatus a ſpiritu quidem diabolico ſe-*
„ *paratus eſt, intra ſanctum vero Spiritum*
„ *conſiſtis, & in eo quidem, honeſtis qui*
„ *actionibus ſtudet, permanet Spiritus San-*
„ *ctus, eumque implet ſapientia & intelle-*
„ *ctu, neque malum Spiritum ſinit accede-*
„ *re, cujus incurſus & aggreſſiones obſer-*
„ *vat*. Audi quid de efficacia baptiſmi,
„ ſuaque per eum immutatione ſcribat
„ S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 2. ad Dona-
„ tum. *Uti ego quamplurimis vitæ prio-*
„ *ris erroribus implicatus tenebar, quibus*
„ *exui me non poſſe crederem, ſic vitiis ab-*
„ *ſecundans eram, & deſperatione melio-*
„ *rum malis meis veluti jam propriis ac ver-*
„ *naculis favebam. Sed poſtquam undæ ge-*
„ *nitalis auxilio ſuperioris ævi labe deterſa,*
„ *in expiatum pectus ac purum deſuper ſe*
„ *lumen infudit, poſtquam cælitus ſpiritu*
„ *hauſto, in novum hominem nativitas ſe-*
„ *cunda reparavit, mirum in modum proti-*
„ *nus confirmare ſe dubia, patere clauſa,*
„ *lucere tenebroſa, facultatem dare, quod*
„ *prius difficile videbatur; geri poſſe, quod*
„ *impoſſibile putabatur ut eſſet; agnoſcere*
„ *terrenum fuiſſe, quod prius carnaliter*
„ *natum delictis obnoxium viveret; Dei eſ-*
„ *ſe cœpiſſe, quod jam Spiritus Sanctus*
„ *animaret*. Deinde ſubdit. *Scis ipſe*
„ *profecto, & mecum pariter recognoſcis,*
„ *quid detraxerit nobis, quidve contulerit*
„ *mors iſta criminum, vita virtutum*. Ubi
„ notā: Baptiſmus eſt *mors criminum, &*
„ *vita virtutum*; quod eleganter carmi.
„ ne expreſſit S. Paulinus epiſt. 12. ad
„ Severum: *culpa perit, ſed vita redit;*
„ *vetus interit Adam; & novus æternis*
„ *naſcitur imperiis*. Idipſum in ſua Con-
„ verſione & Baptiſmo expertum ſe
„ eſſe fatetur S. Auguſtinus lib. 9. Con-
„ feſſ. cap. 12. & ſequent. Hanc Baptiſ-
„ mi vim etiam num experiuntur Indi,
„ etiam feri, & barbari, qui per ba-
„ ptiſmum Chriſti gratia eo ac-

Digitized by Google

„ cepta „ ita ſæpe mutantur , idque
„ ſubito , ut ex beſtiis in homines tran-
„ sformari videantur , ipſique ſuam
„ mutationem admirentur & ſtupeant .
„ Ut alios taceam, nota eſt Japonum
„ converſio , fides , ſanctitas & mar-
„ tyria, quæ cum primis Eccleſiæ mar-
„ tyriis ac Martyribus certant , ſi non
„ ſuperant „. Zachariæ 13. 1. *In die il-*
la erit fons patens domui David , & ha-
bitantibus Jeruſalem , in ablutionem
peccatoris , & menſtruatæ . Ubi idem
Cornelius a Lapide in eodem loco
verſu 1. ſcribit . „ Dico ergo , plene
„ & adæquate hic fons eſt Deus incar-
„ natus , puta Jeſus Chriſtus , qui eſt
„ fons , hebraice *mucor* , ideſt , *vena* ,
„ *ſcaturigo*, perenniter in homines quovis
„ ſeculo ſcaturiens aquas omnis gratiæ ,
„ & doctrinæ . Rurſum Chriſtus eſt fons,
„ & origo Spiritus Sanctus , quem in
„ nos effundit , ut peccata expurget , &
„ animæ ſitim reſtinguat ; juxta illud
„ Joan.7.37. *Si quis ſitit, veniat ad me, &*
„ *bibat . Qui credit in me , ſicut dicit Scri-*
„ *ptura , flumina de ventre ejus fluent aquæ*
„ *vivæ . Hoc autem dixit de Spiritu, quem*
„ *accepturi erant credentes in eum .* Inſu-
„ per fons hic phyſice apertus fuit, cum
„ in Cruce , latere & corpore Chriſti
„ per plagas aperto , factus eſt ipſe qua-
„ ſi fons patens baptiſmi , & Sacramen-
„ torum omnium . Ita Theodoretus, &
„ Hebræi apud Galatas lib. 4. cap. ulti-
„ mo . Item S. Gregorius hom. 20. in
„ Ezech. , quem audi : *Fons quippe occul-*
„ *tus eſt Unigenitus Patris , inviſibilis*
„ *Deus . Fons vero patens eſt idem Deus*
„ *incarnatus : qui fons patens recte domus*
„ *David dicitur , quia ex David genere no-*
„ *ſter ad nos Redemptor proceſſit : hi autem*
„ *Hjeruſalem habitabant , qui in viſione*
„ *pacis intimæ mentem figunt . Peccator*
„ *vero & menſtruata eſt , vel is qui delin-*
„ *quit in opere, vel mens quæ labitur in pra-*
„ *vam cogitationem . Menſtruata namque*
„ *iſta pollutio eſt , quia & aliena carne non*
„ *tangitur , & ſua carne inquinatur . Sic*
„ *itaque ſic eſt omnis anima , quæ etſi ma-*
„ *lum opus non agit , polluta tamen cogita-*
„ *tione ſordeſcit .* Porro ad Crucem &
„ vulnera Chriſti hic reſpicere Prophe-
„ tam, patet tum ex cap. 12. v.10. , ubi
„ dixit : *aſpicient ad me , quem confixe-*
„ *runt* ; tum quia fontem hic explicans
„ verſ 6. ait : *quid ſunt plagæ iſtæ in me-*
„ *dio manuum tuarum .* Quinque ergo
„ vulnera Chriſti fuerunt quaſi quinque
„ fontes, tum gratiæ , quam ſanguinis .
„ Maxime autem reſpicit ad vulnus la-
„ teris Chriſti ; tum quia ex eo exivit
„ ſanguis, & aqua , quæ fuerunt quaſi
„ Symbola Baptiſmi , Euchariſtiæ , &
„ cœterorum Sacramentorum , quibus a
„ abluimur . Unde S. Hjeron. epiſt. 83.
„ *Cum ad occaſum* , ait , *latus Chriſti per-*
„ *cutitur lancea, baptiſmi atque martyrii*
„ *Sacramenta funduntur .* Et S. Ambro-
„ ſius l.5. de Sacrament.cap.1.ait . *Qua-*
„ *re aqua? , quare ſanguis ? , aqua ut emun-*
„ *daret , ſanguis ; ut redimeret .* „

II. Probatur ex Scripturis novi Teſta-
menti . Matth. 3. & Lucæ 3. *Ipſe vos*
baptizabit in Spiritu Sancto , & igni .
Marci 16. *Qui crediderit , & baptizatus*
fuerit , ſalvus erit . Joannis 1. *Hic eſt*
qui baptizat in Spiritu Sancto . Joan. 3.
Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiri-
tu , non poteſt introire in Regnum Dei .
Actor.2.38. *Baptizetur unuſquiſque ve-*
ſtrum in nomine Jeſu Chriſti , in remiſ-
ſionem peccatorum veſtrorum , & accipie-
tis donum Spiritus Sancti . I. ad Co-
rinth.6 11. *Et hæc quidem fuiſtis: ſed ab-*
luti eſtis , ſed ſanctificati eſtis , ſed juſtifi-
cati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu
Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Ad Ga-
latas 3.27. *Quicunque in Chriſto bapti-*
zati eſti Chriſtum induiſtis. Ad Ephes. 5.
25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum*
tradidit pro ea , ut illam ſanctificaret,
mundans eam lavacro aquæ in verbo vi-
tæ . Ad Titum 3. 5. *Salvos nos fecit per*
lavacrum regenerationis & renovationis
Spiritus Sancti . I. Petri 3. 21. *Salvos*
fecit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium,
ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum
per reſurrectionem Jeſu Chriſti .

III. Probatur ex Romanis Pontificibus .
Innocentius I. epiſt.22. *Per baptiſmum*
totum , quod vetus homo geſſerat , puta-
tur auferri . Leo Magnus in Nativita-
te Domini Serm.4. cap. 3. *Terra carnis*
humanæ , quæ in primo fuerat prævari-
catore maledicta , in hoc ſolo beatæ Virgi-
nis partu germen edidit benedictum , & a
vitio ſuæ ſtirpis alienum . Cujus ſpirita-
lem originem in regeneratione quiſque
conſequitur , & omni homini renaſcenti
aqua baptiſmatis inſtar eſt uteri virgina-
lis , eodem Spiritu Sancto replente fon-
tem , qui replevit & virginem ; ut pecca-
tum , quod ibi evacuavit ſacra Conceptio,
hic myſtica tollat ablutio . Et ſerm.5.c.5.
Originem , quam ſumpſit ex utero Virgi-
nis poſuit in fonte baptiſmatis: dedit aquæ,

quod dedit Matri. Virtus enim Altiſſimi, & ombrubatia Spiritus Sancti, quæ fecit, ut Maris pareret Salvaterem, eadem facit, ut regeneret unda credentem. Et ſerm. 6. cap. 2. *Quicquid hominum, in quocunque mundi parte credentium regeneratur in Chriſto, interciſo originalis tramite vetuſtatis, tranſit in novum hominem renaſcenda, nec jam in propagine habetur carnalis patris, ſed in germine Salvatoris.* Gregorius magnus lib. 9. epiſt. 39. *Si qui ſunt, qui dicunt peccata in baptiſmate ſuperficie tenus dimitti, quid eſt hac prædicatione infidelius, in qua ipſum fidei Sacramentum feſtinant ſolvere?, in quo principaliter ad cœleſtis munditia myſterium animo ligatur, ut abſoluta radicitus a peccatis omnibus, ſoli illi inhæreat, de que Pſalmiſta ait: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Certe enim maris rubri tranſitus figura ſancti Baptiſmatis fuit, in quo hoſtes a tergo mortui ſunt, ſed alii contra faciem in Eremo ſunt inventi. Sic quippe omnes, qui in ſancto baptiſmate tinguntur eorum peccata præterita omnia laxantur, quia eis veluti Ægiptii hoſtes a tergo moriuntur. Sed in Eremo alios hoſtes invenimus: quia dum in hac vita vivimus, priuſquam ad promiſſionis patriam pertingamus, multæ tentationes nos fatigant, & ad terram viventium tendentibus iter intercladere feſtinant. Qui ergo dicit peccata in baptiſmate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur neceſſe eſt, peccata in baptiſmate funditus mori; quia nimirum plus valet in abſolutione noſtra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit. Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lovet, ſed eſt mundus totus; ſi igitur peccata in baptiſmate funditus minime dimittuntur, quomodo is, qui lotus eſt, mundus eſt totus?: totus enim mundus dici non poteſt, cui de peccato aliquid remanſit. Sed nemo reſiſtit voci veritatis, quæ ait: qui lotus eſt, mundus eſt totus. Nihil erga ei de peccati ſui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipſe, qui redemit.* Innocentius III. Serm. 2. in feſto Pentecoſtes. *Nomen, id eſt, invocatio Trinitatis ſanctificat aquam, ut tingens corpus purificet cor. Et idea dicebat: mundans eam, ideſt Eccleſiam, lavacro aquæ in verba vitæ. Nam accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ad Pſalm 4. Pœnitentialem. *Tria pertinent ad effectum Baptiſmi: remiſſio culpæ, relaxatio pœnæ, & infuſio gratiæ. Primum notatur cum dicitur: lavabis me; ſecundum cum additur; dealbabor; tertium cum adjungitur; ſuper nivem. Effundam, inquit Dominus per Prophetam, ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Cum igitur audis: aſperges me hyſſopo & mundabor; in aſperſione Sanguinis Chriſti fidem paſſionis intellige. Cum autem: lavabis me, audis, & ſuper nivem dealbabor, in ablutione aquæ Baptiſmi Sacramentum agnoſce. Porro cum fides Adultis ſine Sacramento proficiat, ubi Sacramentum non Religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit: Sacramentum vero Baptiſmi ſine fide Adultis non valeat; juxta quod Veritas ait: qui crediderit & baptizatus fuerit, hic ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Quid eſt; quod in hoc loco plus attribuitur Sacramento, quam fidei? Nam minus eſt aſpergi, quam ablui, & mundari quam dealbari, maxime ſuper nivem. Sciendum eſt ergo, quod fides Chriſti, quæ juſtificat impium, revera mundat a culpa, ſed non ſemper ab omni pœna. Sacramentum vero Baptiſmi, ſi digne ſumatur, liberat omnino a culpa pariter & a pœna. Unde Sacramentum regenerationis a Domino appellatur cum ait: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei. Quia per hoc Sacramentum homo regeneratur in gratia, liberatur a culpa pariter, & a pœna. Recte igitur lavabis me per Sacramentum Baptiſmi, & ſuper nivem gratiæ, quæ mundat a culpa, dealbabor etiam Sacramenti virtute ab omni pœna, præter illam duntaxat, quam neceſſitas primæ corruptionis inducit.*

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. lib. 3 de Sancto Baptiſmate. *Baptiſma noſtrum non oculis corporeis conſiderandum eſt, ſed mentis oculis. Aquam vides?, conſidera virtutem Dei in aquis abſconditam. In ſancto enim Spiritu & igni baptizari nos docet Evangelium. In fide enim baptizantis, & fide baptizati, per ſacram invocationem plenam ſanctificationem Spiritus & ignis divini conſidera: ipſe enim, inquit, baptizabit Spiritu & igne. Deſcendit itaque*

que, qui baptizatur, reus peccatorum, & obnoxius ſervitati corruptionis, & aſcendit liberatus ab hac ſervitute & peccato, factus filius Dei, & hæret ejus gratiæ, cohæret autem Chriſti, indutus ipſum Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt: quicunque in Chriſtum baptizati eſtis Chriſtum induiſtis. Verba hæc Concilii Nicæni citantur a Coccio loco nuper adducto, & ſub eodem titulo ſub quo nos notavimus. Concilium Toletanum IV. c.5. *In aquis merſio, quaſi ad inferuum deſcenſio eſt, & rurſus ab aquis emerſio reſurrectio eſt &c. Jordanis fluenta cum arca populus Dei ſemel tranſiit, per quod ſignificatur ſimplex merſio baptiſmatis, cujus Sacramento Eccleſia abluitur, & de ſeculi hujus laboribus per Baptiſmum quaſi per Jordanem ad terram cæleſtis promiſſionis ingreditur.* Concilium Vienneuſe in Clementinis cap.1. de ſumma Trinitate. *Tam Adultis, quam parvulis in Baptiſma informans gratia, & virtutes conferuntur.* Concilium Florentinum in Decreto Eugenii IV. *Sacramenti Baptiſmi effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfatio, ſed morientes antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad Regnum Cælorum, & ad Dei viſionem perveniunt.* Concilium Sennonenſe Decreto 10. de Bapt. *Cum igitur abolitio peccatorum, ab inquinamentis & ſpurcitiis emundatio, ſalus, renovatio, regeneratio Spiritus Sancti, cæteraque id genus, infuſionem gratiæ palam inſinuent, perſpicuum evadit, Baptiſmi Sacramentum ſua virtute gratiam conferre.* Concilium Trident. ſeſs.5. in Decreto de originali peccato. Can.5. *Si quis per Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum, qui ſecundum Deum eſt creatus, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Deo, cohæredes autem Chriſti, ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu Cæli remoretur.*

V. Probatur ex Patribus Græcis Juſtinus Apolog.2. pro Chriſtianis. *Deinde Catechumeni eo adducuntur a nobis, ubi eſt aqua; atque ea regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur. Nam in nomine cunctarum rerum Parentis, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti, in aqua tum lavantur. Chriſtus enim ipſe dixit: niſi regenerati fueritis ex aqua & Spiritu Sancto non intrabitis in Regnum Cælorum &c. Quandoquidem priorem nativitatem noſtram ignorantes neceſſitate quadam, liquido genitali ſatu mutua Parentum mixtione intercedente progenerati ſumus, & in malis moribus, pravaque conſuetudine educti, ut ne neceſſitatis & ignorantiæ liberi permaneamus, ſed delectus ac ſcientiæ filii fiamus, ac remiſſionem ante commiſſorum peccatorum conſequamur in aqua, ſuper eo, qui renaſcendum ſibi eſſe ſtatuerit, atque per pœnitentiam ab admiſſis delictis reſipuerit, Patris rerum omnium, & Domini Dei, nomen nominatur, atque idipſam ſolum iſtud lavaturum ad lavacrum ducentes invocamus. Vocatur vero lavacrum hoc illuminatio, quod eorum, qui hæc diſcunt, mentes illuminantur.* Iræneus lib.3. cap.19. *Sicut de arido tritico maſſa una fieri non poteſt ſine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Chriſto Jeſu poteramus ſine aqua, quæ de Cælo eſt; & ſicut arida Terra, ſi non percipiat humorem, non fructificat, ſic & nos lignum aridum exiſtentes, primum nunquam fructificaremus vitam, ſine ſuperna voluntaria pluvia. Corpora enim noſtra per lavacrum illud, quod eſt ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per Spiritum; unde & utroque neceſſaria ſunt, cum utraque proficiant in vitam Dei, miſerante Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Clemens Alexandrinus lib.1. Pedagogi cap.6. *Tincti illuminamur; illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur: ego, inquit, dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes. Multis autem modis vocatur hoc opus: Gratia, illuminatia, perfectum, & lavacrum quidem, per quod peccata abſtergimus: gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur; illuminatia autem, per quam ſanctam illam & ſalutarem lucem ſpeculamur, hoc eſt, per quam id, quod*

eſt

Digitized by Google

eſt divinum, perſpicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deeſt. Quid enim ei, deſit, qui Deum novit? eſt enim revera abſurdum, Dei vocari gratiam, quæ non ſit perfecta, & undequaque plena. qui autem eſt perfectus, perfecta utique largietur &c. Qui eſt ſolummodo regeneratus, quemadmodum etiam illuminatus dicitur; illuminatus quidem protinus a tenebris liberatur, & ab eo tempore lucem accepit. Ut ergo, qui ſomnum excuſſerunt, ab eo tempore protinus intus vigilant, ita etiam, qui tingimur, abſterſis peccatis, quæ divino Spiritui inſtar caliginis in tenebris offendebant, liberum, ab omnique impedimento vacuum & lucidum habemus Spiritus oculum, quo quidem ſolo, quod divinum eſt, intuemur, cælitus influente nobis Spiritu Sancto. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 3. *Aqua ſane mundat corpus, ſpiritus autem ſignat animam, ut abluti in corpore aqua munda, & repurgati in corde accedamus ad Deum. Qui itaque in aqua deſcenſurus es, non aquæ ſimplicitati mentem adhibe, ſed Spiritus Sancti virtute ſalutem ſuſcipe. Nam ſine utriſque ad perfectionem deduci non poteris, & ſi quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos Martyres, qui vel ſine aqua regno cæleſti potiuntur &c. Deſcendis quidem in aquam ferens peccata, ſed gratiæ invocatio ſignans animam non permittit deinceps ab horrendo illo ſubmergi dracone. Mortuus in peccatis deſcendiſti, & aſcendis vivificatus in Juſtitia. Deſcendens in aquam, & quodammodo conſepultus Chriſto, ſicut ille in petra excitaris, rurſus in novitate vitæ ambulans, deinde cum tibi gratia confertur, tunc rurſus tibi adverſus contrarias virtutes dat poteſtatem.* Baſilius Magnus Exhortatione ad Baptiſ. *At nunc cum Anima tua, quam omni ſcelere contaminatam reddidiſti, per Baptiſmum renovari ac regenerari nuntietur; tantum deſpicis beneficium, nec ultro properas, aut id pollicenti ſis obviam. Num non tanti muneris rem miram videre deſideras? Quomodo videlicet abſque matre regeneretur homo, quomodo vetus, ac ſecundum deſideria erroris corruptus, rurſus in pubertatem ætatiſque florem reconcinnetur? Baptiſmus igitur eſt captivorum, & æris alieni remiſſio; peccati mors, animæ regeneratio, amictus ſplendens, character indeprehenſibilis, Cæli iter, regni cæleſtis conciliatio, adoptionis gratia &c. Quoniam non materiæ alicujus ſucum, ſed animæ purgationem tibi Rex munificus pollicetur, debebas ad hoc donum accurrere: o rem admirandam!; renovaris, nec conflaris, refingeris, necettereris, curaris, nec dolorem ſentis, & tamen hanc gratiam non expendis.* Gregorius Nazianzenus Orat. 40. in S. Bapt. *Baptiſmus igitur eſt ſplendor animarum, vitæ in omnibus mutatio, conſcientiæ ad Deum interrogatio. Baptiſmus infirmitatis noſtræ adjumentum. Baptiſmus eſt carnis abjectio, Spiritus aſſectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppreſſio. Baptiſmus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Chriſto, fidei adminiculum, mentis perfectio, cæleſtis Regni clavis, vitæ commutatio, ſervitutis depulſio, vinculorum ſolutio, compoſitionis in meliorem ſtatum converſio. Quid plura commemorare attinet? Baptiſmus omnium Dei benificiorum præclariſſimum eſt, & præſtantiſſimum. Ut enim quædam Sancta Sanctorum vocantur, & Cantica Canticorum, quod ſcilicet latius pateant, & plura complectantur, præcipuamque dignitatem habeant, eodem modo baptiſmus quoque illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes ſanctitate ſuperet. Quemadmodum autem Chriſtus hujus dator, multis ac diverſis nominibus appellatur, ita ipſum quoque donum varia nomina ſortitur, ſive id nobis ob miram quandam rei lætitiam accidat (fit enim fere, ut qui rem aliquam impenſiſſime amant, nomina quoque ipſa libenter uſurpent) ſive quod multiplex hujus beneficii utilitas multas quoque appellationes nobis pepererit. Donum vocamus, gratiam, baptiſmum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, ſigillum, ac denique excellentiſſimo quovis nomine appellamus. Donum dicitur, quia iis, qui nihil prius contulerunt, datur; Gratia, quia etiam debentibus. Baptiſmus, quia peccatum in aqua ſepelitur. Unctio, quia ſacer, & regius. Hujuſmodi enim ea erant, quæ ungebantur. Illuminatio porro, quia ſplendor, & claritas. Indumentum, quia ignominiæ noſtræ velamen eſt. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conſervatio eſt, ac dominationis ſignificatio. Huic gratulantur Cæli, hunc Angeli propter ſplendoris cognationem celebrant: Hic beatitudinis illius ſimulachrum geris hunc laudibus quidem, &*

hym-

hymnis celebrare volumus verum pro rei dignitate non poſſumus &c. Atque hæc baptiſmi gratia, & facultas, eſt, non orbem terrarum, ut olim, aquis obruens, ſed uniuſcujuſque hominis peccatum purgans, eaſque obſtructiones vel maculas, quæ vitio contrahuntur prorſus abſtergens. Quandoquidem autem duabus partibus hoc eſt, corpore & anima conſtamus, quarum altera in aſpectum cadit, altera oculorum ſenſum fugit, duabus quoque rebus conſtat Baptiſmus, aqua ſcilicet, & Spiritu, illa viſibili, & corporeo modo accepta; hoc vero incorporeo, & inviſibili concurrente; illa typica, hoc vero & intimos animi ſinus purgante. Qui primæ nativitati opem, & adjumentum ferens, ex veteribus novos, ex humanis divinos efficit, abſque igne nos rurſus conflans, & abſque confractione rurſus effingens.

VI. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. de Bapt. cap.5. *Piſcinam Bethſaidam Angelus interveniens commovebat, obſervabat, qui valitudinem querebantur. Nam ſi quis prævenerat deſcendere illuc, queri poſt lavacrum deſinebat. Figura iſta medicinæ corporalis ſpiritalem medicinam canebat, ea forma, qua ſemper carnalia in figura ſpiritualium antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratia Dei plus aquis & Angelo acceſſit; qui vitia corporis remediabant, nunc ſpiritum medentur; qui temporalem operabantur ſalutem, nunc æternam reformant; qui unum ſemel anno liberabant, nunc quotidie populos conſervant, deleta morte per ablutionem delictorum. Exempto ſcilicet reatu eximitur & pœna.* Cyprianus epiſt. 76. *Cum ad aquam ſalutarem, atque ad Baptiſmi ſanctificationem venitur, ſcire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus divina indulgentia liberatur. Nam ſi Scorpii, & Serpentes, qui in ſicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere non poſſunt, aut ſua venena retinere; poſſunt, & Spiritus nequam qui Scorpii, & Serpente appellantur, & tamen per nos data a Domino poteſtate calcantur, permanere ultra in hominis corpore, in quo baptizato & ſanctificato incipit Spiritus Sanctus habitare. Hoc denique & rebus ipſis experimur, ut neceſſitate urgente in egritudine baptizati, & gratiam conſecuti, careant immundo Spiritu, quo antea movebantur, & laudabiles, ac probabiles in Eccleſia vivant, pluſque per dies ſingulos in augumentum cæleſtis gratiæ per fidei incrementa proficiunt.* Lactantius lib.3. Inſtitut. cap.26. *Dei præcepta, quia & ſimplicia, & vera ſunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonſtrant. Da mihi virum qui ſit iracundus, maledicus, effrænatus; pauciſſimis Dei verbis tam placidum, quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem, jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam propriis, pleniſque manibus largitatem. Da timidum doloris, ac mortis, jam cruces & ignis, & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem, jam ſobrium caſtum, continentem videbis. Da crudelem, & ſanguinis appetentem, jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injuſtum, inſipientem, peccatorem, continuo & æquus, & prudens, & innocens erit. Uno enim lavacro, malitia omnis abolebitur. Tanta divinæ Sapientiæ vis eſt, ut in hominis pectus infuſa, matrem delictorum ſtultitiam uno ſemel impetu expellat. Ad quod efficiendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus eſt. Gratis iſta fiunt, facile, cito; pateant modo aures, & pectus ſapientiam ſitiat. Nemo vereatur nos; aquam non vendimus, nec ſolem mercede præſtamus Dei fons uberrimus, atque pleniſſimus patet cunctis: & hoc cæleſte lumen univerſis oritur, quicunque oculos habens. Nam quis hæc Philoſophorum aut unquam præſtitit, aut præſtare poteſt.* Et lib.7. cap.5. *Quæ ratio docet, mortalem naſci hominem, poſtea vero immortalem fieri, cum cœperit ex Deo vivere, ideſt, juſtitiam ſequi, quæ continetur in Dei cultu, cum excitaverit, hominem Deus ad aſpectum Cœli, ac ſui; quod tum fit, cum homo cæleſti lavacro purificatus exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus ac plenus.* Ambroſius de Sacramentis lib.1. cap. 4. *Qui per hunc fontem tranſit, tranſita terrenis ad cæleſtia. Hoc eſt enim Paſcha, ideſt, tranſitus ejus; tranſitus a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam, ab inquinamento ad ſanctificationem. Qui per hunc fontem tranſit, non moritur, ſed reſurgit.* Et lib. de iis, qui myſteriis initiantur cap. 3. *Aqua eſt, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Seppellitur illic omne vitium* 1 Cap.9. *Si ſuperveniens Spiritus Sanctus in Virginem conceptionem operatus eſt, & generationis munus implevit; non utique*

dubi-

dubitandum eſt, quod ſupervenient in fontem, vel ſuper eum, qui baptiſmum conſequitur, veritatem, regenerationis cooperetur. Hieronymus lib. 1. adverſ. Ruffinum cap. 7. *Audio præterea objici mihi a Chryſogono, ſectatore ejus, cur in baptiſmate dixerim, univerſa peccata dimitti, & mortuo bimarito, novum virum in Chriſto reſurgere, atque iſtiuſmodi Sacerdotes in Eccleſia eſſe nonnullos &c. audiat nos iterum proclamantes: veterem Adam in lavacro totum mori, & novum cum Chriſto in baptiſmate ſuſcitari, perire choicum, & naſci ſuperceleſtem*. Contra Luciferianos cap. 3. *Cum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto baptizatus homo templum Domini fiat, cum veteri æde deſtructa, novum Trinitatis delubrum ædificetur: quomodo dicis, ſine adventu Spiritus Sancti apud Arianos peccata poſſe dimitti? quomodo antiquis ſordibus anima purgatur, quæ ſanctum non habet Spiritum; neque enim aqua lavat animam; ſed prius ipſa lavatur a Spiritu, ut alios lavare ſpiritualiter poſſit. Spiritus Domini, inquit Moyſes, ferebatur ſuper aquas. Ex quo apparet, Baptiſma non eſſe ſine Spiritu Sancto*. Epiſt. 53. ad Oceanum cap. 2. *Omnia ſcorta & publicæ colluvionis ſordes, impietas in Deum parricidium, & inceſtus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriuſque ſexus mutata natura Chriſti fonte purgantur &c. Omnia in baptiſmate condonata ſunt crimina, nec poſt indulgentiam Judicis eſt metuenda ſe veritas, dicente Apoſtolo: & hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Omnia peccata donata ſunt. Bene, & fideliter; quantam autem vim habeat Baptiſma, & aqua in Chriſto ſanctificata gratiam, paululum poſt docebo*. Auguſtinus lib. 1. cont. duas epiſtola Pelagianorum cap. 13. *Dicimus Baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum; & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, unde creſcant iterum reſecanda peccata*. Et lib. 3. cap. 3. *Baptiſmum quidem abluit peccata omnia, prorſus omnia: factorum, dictorum, cogitatorum, ſive originalia, ſive addita, ſive quæ ignoranter, ſive quæ ſcienter admiſſa ſunt. ſed non aufert infirmitatem, cui regeneratus reſiſtit, quando bonum agonem luctatur*. In Enchiridio ad Laurentium cap. 64. *Excepto baptiſmatis munere, quod contra originale peccatum donatum eſt, ut quod generatione attractum eſt, regeneratione detrahatur, & tamen activa quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere commiſſa invenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua ſolvitur omnis reatus, & ingeneratus, & additus &c.*

VII. Probatur traditione, qua primo docemur, Eccleſiam ſemper adhibuiſſe aquam naturalem pro materia baptiſmi, & invocationem expreſſam Spiritus Sancti pro ejuſdem forma: ſecundo; qua diſcimus, Eccleſiam ſemper credidiſſe, perire Infantes, ſi ſine baptiſmo ab hac vita migrarent, etiamſi Infantes illi ex Fidelibus Parentibus orti eſſent. Tertio, qua ſcimus inſtante morte voluiſſe Eccleſiam Catechumenos aqua baptiſmali a ſuis Paſtoribus tingi. Quarto, qua pariter cognoſcimus, Eccleſiam non habuiſſe baptiſmum, ut ritum liberum & indifferentem, ſed ut neceſſarium, & quidem neceſſitate medii. Ex quibus omnibus patet, quod ſemper conſtans perpetua & invariabilis fuit traditio in Eccleſia, baptiſmum eſſe pro omnibus hominibus ſive maribus, ſive fœminis, ſive parvulis, ſive Adultis, neceſſarium neceſſitate medii.

VIII. Probatur Rationibus I Quod ſemper Eccleſia credidit, docuit, & obſervavit, id certum de fide tenendum omnino eſt; ſed Eccleſia ſemper credidit, docuit, & obſervavit in Baptiſmo neceſſitatem medii ad ſalutem: ergo certum de fide eſt, Baptiſmum eſſe pro omnibus, ſive parvulis, ſive adultis, neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. Major negari non poteſt, tum ob antiquitatem, auctoritatemque Eccleſiæ, tum ob traditionis etiam perpetuitatem. Minor probatur quoque negative, reſpondendo ſcilicet Adverſariis, ſi quod poterunt documentum afferre, quo probetur, vel Eccleſiam contrarium credidiſſe, vel docuiſſe, vel obſervaſſe, quod facient nunquam. II. Adeo Eccleſia certum & pro comperto habuit, Baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, ut ſi qui orti fuerint errores contra hanc veritatem, illico illos proſcripſerit, atque damnaverit; ſed hoc eſt certiſſimum ſignum veritatis illius Dogmatis, cujus oppoſitum Eccleſia

damnat:

Digitized by Google

damnat : ergo vere fuit hæc veritas ab Eccleſia propugnata, atque defenſa. Major patet in Cajanis, Quintilianis, Manichæis, Aſcodrutis, Archonticis, Seleucianis, & Herminianis, qui quatuor ſequentibus poſt primum Eccleſiæ ſeculis baptiſmi neceſſitatem negarunt; & fuerunt ſtatim ab Eccleſia proſcripti atque damnati. III. Quovis ſeculo docuit Eccleſia, parvulos eſſe baptizandos, ut participes fiant Regni cœleſtis, & vitæ æternæ; ſed hoc ipſum comprobat, baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem : ergo &c. Major eſt Doctrina Conciliorum, Carthaginenſis, & Milevitani epiſt. 177., & 176., alias 90. & 92., in quibus Patres de Pelagianis hæc habent : *Parvulos etiam propter ſalutem, quæ per Salvatorem Chriſtum datur, baptizandos negant, ac ſic eos mortifera iſta doctrina in æternum necant*. Patet quoque ex epiſt. Auguſtini 166.; alias 28., ad Hieronymum, ubi dicitur, ideo parvulos baptizari, *quia creditur aliter eos in Chriſto vivificari non poſſe*. IV. Ita creditum fuit omni tempore, baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii, ut quanvis Eccleſia ſtatuerit tempora pro baptiſmo ſolemniter celebrando, voluit tamen omne tempus eſſe oportunum, quando neceſſitas urgeret, ut parvuli, vel adulti etiam, baptizarentur; ſed hæc neceſſitas optime arguit baptiſmi neceſſitatem, & ſimul indicat, non aliud eſſe medium ad ſalutem aſſequendam, ſaltem pro parvulis, quam baptiſmus : ergo &c. Minor negari non poteſt, quia ſi aliud fuiſſet medium, illud Eccleſia adhibuiſſet, quod cum non adhibuerit, illico conſtat ſolum medium ad ſalutem eſſe baptiſmum, adeoque baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii. Major vero principalis argumenti eſt doctrina Summorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum; videlicet, Siricii in epiſt. ad Himerium, Epiſcopum Tarraconenſem, Leonis Magni epiſt. 4. ad univerſos Siciliæ Epiſcopos, Concilii Romani ſub Cornelio, Neocæſarienſis Can. 12., Antiſiodorenſis Can. 18., Matiſconenſis 11. Can. 3., Pariſienſis VI. Can 7., Cypriani in epiſt. ad Magnum, Auguſtini pluribus in locis &c. Et pro omnibus valeat ratio quam per hæc verba Siricius affert : *ne ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi, negato deſiderantibus fonte ſalutari, exiens unuſquiſque de ſeculo & Regnum perdat, & vitam*. V. Neceſſarium neceſſitate medii omnino dicendum eſt, quod populi conquerebantur ſe amittere, quando Paſtores ad Martyrium ducti erant, & ideo non poterant ab eis baptiſmi gratiā accipere; ſed lamentationes hasce apud veteres Scriptores legimus : ergo &c. Minor legitur apud Victorem Uticenſem lib. 2. de perſecutione Wandalica, ubi introducuntur Fideles Africani, qui verbis hiſce loquebantur Paſtores ſuos ad martyrium properantes. *Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi ſunt Infantes fontibus aquæ perennis. Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi?* VI. Illi, qui ad mortem uſque baptiſmum recipere differebant, ab Eccleſia legimus, quod fuerint omni tempore reprehenſi, atque etiam pœnis ſuis mulctatis, ſed hoc non feciſſet Eccleſia, ſi baptiſmi neceſſitatem non agnoviſſet : ergo Eccleſia omni tempore cognovit baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. Major conſtat ex Eccleſiæ diſciplina, qua habemus illos, qui in lectulo mortis baptizabantur, irregulares fuiſſe habitos ad Sacros Ordines recipiendos. VII. Ut Eccleſia neceſſitati baptiſmi provideret, quando neceſſitas urgebat recipiendi illum, facultatem dabat & dat omnibus & ſingulis hominibus, ſive viris, ſive mulieribus, adminiſtrandi illum; ſed hoc non niſi, quam quia Eccleſia cognoſcit Baptiſmum eſſe neceſſarium omnibus hominibus neceſſitate medii ad ſalutem : ergo &c. VIII. Fatetur etiam Eccleſia, ac manifeſtat hujuſcemodi neceſſitatem concedendo, ut omnis aqua ſit materia apta ad Baptiſmum, adhoc ſcilicet, ut facillimum ſit adminiſtrare illum, ac recipere : ergo vere Eccleſia concipit & docet, baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. Antecedens habemus ex Tridentino ſeſs. 7. can. 2., ubi loquitur de verbis illis Joan. 3., *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* : & definit : *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque adeo verba illa Domini : niſi quis renatus fue-*

rit

rit ex aqua & Spiritu Sancto &c. ad metaphoram detorſerit; anathema ſit. Et Can. 5. *Si quis dixerit, baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.*

Secunda Conluſionis pars probatur I. Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem; ergo etiam eſt neceſſarius neceſſitate præcepti. Antecedens conſtat ex probatis. Conſequentia probatur. Nec Deus, nec Eccleſia deficit in neceſſariis: ergo ſi Deus voluit Baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, illum præcepit: ergo ſi præcepit, eſt neceſſarius etiam neceſſitate præcepti. II. Tunc eſſet Baptiſmus neceſſarius neceſſitate præcepti, quando Chriſtus illum vere præcepiſſet; ſed Chriſtus vere illum præcepit: ergo eſt necaſſarius Adultis, qui ſunt præcepti capaces, neceſſitate præcepti. III. Innocentius III. cap. *Majores*, extra *de Bapt.* probat, baptiſmum divina lege omnibus præceptum eſſe; ſed quod divina lege præcipitur, eſt neceſſarium neceſſitate præcepti: ergo &c. IV Omnes tenentur credere in Chriſtum, & fidem ejus amplecti: ergo omnes tenentur ad Baptiſmum recipiendum, quia baptiſmus eſt evangelicæ legis profeſſio, eſt fidei Chriſti ſignaculum, & eſt in Eccleſiam Chriſtianam introitus. Quo autem tempore hujuſmodi præceptum cæperit homines obligare, non eſt hic locus diſcurere, inferius aperietur.

Arguunt I. Quando Chriſtus dixit, baptiſmum eſſe adminiſtrandum in aqua non intellexit per aquam elementum, quod nos vulgo vocamus aquam, ſed doctrinam ſuam, quam per metaphoram vocabat aquam; ſed hoc eſt idem, ac de baptiſmo loqui non vere & proprie, ſed improprie & figurate: ergo Chriſtus non præcepit nobis verum & proprium baptiſmum, ſed improprium & figuratum. Probatur major: quia eſt pervium in Scripturis, baptiſmi vocem accipi pro doctrina, ut habetur Matth. 28., ubi verbum *baptizantes* idem ſignificat ac *docentes* a verbo græco, ſcilicet *μαθητεύσατε*, quod eſt *diſcipulos facite*. II. Chriſtus non commiſit Apoſtolis baptizandi provinciam, ſed docendi: ergo vere per verba illa importatur doctrinæ prædicatio, & non baptizandi miniſtratio. Probatur Antecedens. Apoſtolus I. ad Corinth. 1. fatetur, ſe non fuiſſe miſſum ad baptizandum, ſed ad evangelizandum. III. Quamvis Chriſtus præceperit verum baptiſmum, non tamen illum præcepit pro omni tempore, & pro omnibus hominibus: ergo baptiſmus non eſt neceſſarius omnibus & ſingulis hominibus neceſſitate medii ad ſalutem. Probatur Antecedens; quia Patres, qui de baptiſmo ſcripſerunt ante Auguſtinum, non ita magnificant & amplificant baptiſmi neceſſitatem, ut magnificat & amplificat Auguſtinus, ex neceſſitate, quam habuit impugnandi Pelagianos. IV. Chriſtus præcepit illos ſolos eſſe ab Apoſtolis baptizandos, qui ab Apoſtolis inſtruendi, ac erudiendi erant: ergo alii, qui ab Apoſtolis non erant inſtruendi, & erudiendi, neque etiam debebant ab Apoſtolis baptizari. V. Chriſtus inſuper mandavit Apoſtolis, ut illos baptizarent, quos vel a nulla Religione, vel a Judaiſmo, vel a Gentilitate, converterent: ergo illi, qui naſcuntur ex Parentibus Chriſtianis, non ſunt baptizandi. VI. In actibus Apoſtolorum multi leguntur, quod fuerint veri Chriſtiani, & nihilominus non legitur ibidem, ubi, quando, & a quonam fuerint baptizati: ergo potuerunt eſſe Chriſtani ſine baptiſmo. Probatur antecendens, quia Apollo, de quo Actor. 18., ſeptuaginta Diſcipuli, Centum & viginti illi, de quibus eſt ſermo Actor. 1., & quingenti illi Fratres, qui viderunt Chriſtum, poſtquam a mortuis reſurrexit, & de quibus loquitur Apoſtolus I. ad Corinth. 15., immo & Apoſtoli ipſi, non legitur in Scripturis, ubi, quando, & a quonam baptizati fuerint. Et hæc ſunt argumenta Socini, & Socinianorum. VII. Eccleſia antiquitus orabat pro Catechumenis, qui ſcilicet ſine baptiſmo moriebantur: ergo cenſebat, baptiſmum iis non fuiſſe neceſſarium, ut ſalutem æternam conſequerentur. VIII. Judæorum filii ante octavum diem mortui, adeoque non circumciſi; non per hoc tamen damnabantur; atqui ſicut erat Circumciſio apud Judæos, ſic apud Chriſtianos eſt baptiſmus: ergo ſi illi ſine Circumciſione ſalvabantur, poterunt & iſti ſine baptiſmo ſalvari. IX. Ex Apoſtolo I. ad Corinth. c. 7. Fidelium Infantes mundi & puri dicuntur: le-

gitur enim ibi: *filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*; quod ſic explicatur; *quia vos Parentes ſancti eſtis, ideo, quos genuiſtis filii, ſancti etiam ſunt*; ergo ad ipſorum ſanctitatem & munditiem non eſt neceſſarius baptiſmus, ſed ſufficit nativitas a Parentibus fidelibus & baptizatis. X. Profanatur baptiſmus, quando datur ei, qui ad Chriſtum non pertinet; ſicut profanatur ſigillum regium, quando cum ipſo falſum diploma ſignatur; ergo non poteſt miniſtrari baptiſmus filiis Gentilium, & Judæorum; ſed neque filiis Chriſtianorum, ut dictum eſt in præcedenti objectione; ergo nemini adminiſtrandus eſt. XI. Si baptiſmus eſt neceſſarius, & quidem neceſſitate medii ad ſalutem; cur tot Infantes, abſque ipſurum culpa, ſine baptiſmo moriuntur? Hoc ſane contra divinam miſericordiam videtur, & interminabilis Dei charitas non patitur, tot miſeros ſine culpa perire. XII. Per æqualia verba importatur neceſſitas baptiſmi, & Euchariſtiæ; ſed neceſſitas euchariſtiæ non eſt neceſſitas medii ad ſalutem; ergo neque neceſſitas baptiſmi. Probatur major; eadem ſunt verba: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum cælorum*; & hæc alia: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: ergo &c.*

Reſpondemus ad I., Socinum in propoſito argumento confundere, quæ ſeparari debent, & ſeparare, quæ non debent diſtingui. Duo ſunt, quæ continentur in verbis illis, ablutio ſcilicet, & inſtructio, & quanvis unum ſupponat alterum, unum tamen cum altero non eſt idem; ſupponit quidem ablutio inſtructionem, ſed ablutio præciſe non eſt inſtructio. Et revera ſicuti fit verbum de Baptiſmo Matth. 28., ita etiam fit Actor. 19; ſed Actor. 19. non fit verbum de ſola doctrina, ſed de ablutione: ergo pariter Matth. 28. Non negamus in græco textu pro verbo docete, legi μαθητεύσατε, ſcilicet *diſcipulos facite*; & hoc verbum ad Doctrinam pertinere; ſed negamus doctrinam debere a Baptiſmo aquæ ſejungi. Igitur utrunque includimus, & diſtinguimus; includimus quidem, quia Chriſtus præcepit; *docete baptizantes*; diſtinguimus, quia Chriſtus per hæc verba non præcepit unum ſed duo; & ſi per verbum *baptizantes* intellexiſſet *docentes*, idem fuiſſet ac ſi dixiſſet, *docete docentes*; quod non eſt dicendum de Chriſto, qui ſumma eſt & infinita ſapientia Dei.

Ad II., dicitur, falſum omnino eſſe, Apoſtolos non fuiſſe miſſos ad baptizandum. Quum enim ex Scripturis conſtet, fuiſſe multos ab Apoſtolis baptizatos, deberemus ſecundum Adverſariorum doctrinam dicere, aut id Apoſtolos ſine miſſione feciſſe, aut quod non feciſſent, Scripturam narraſſe; quod utrunque indignum dictu eſt. Et certe in Actibus Apoſtolorum legimus ad cap. 2. fuiſſe circiter tria millia Judæorum a Petro baptizatos; ad cap. 4. quinque millia; ad cap. 8. baptizatos a Philippo fuiſſe Samaritanos; ad cap. 10. a Petro pariter Cornelium, cum tota ejus familia: & ſignanter Paulum ad cap. 16. baptizaſſe Lydiam cum familia; ad cap. 18. Criſpum, & Corinthios: ad cap. 19. Epheſios duodecim. Et quando idem Paulus dicit, ſe non fuiſſe miſſum ad baptizandum, intelligendus eſt comparative; hoc eſt, quod inter hæc duo baptizare, & prædicare, prius miſſus ſit, ut prædicaret, deinde ut baptizaret, quia prædicare non omnes valebant, baptizare vero omnes poterant.

Ad III Chriſtum præcipiſſe Baptiſmum pro omni tempore, & pro omnibus hominibus, conſtans & aperta eſt doctrina omnium Patrum, qui Ambroſium præceſſerunt, ut videre quiſquis poterit in ipſorum verbis a nobis in probationibus allatis. Quod vero non omnium & ſingulorum Baptismata in ſacris Scripturis receſeantur; hoc non eſt ſufficiens argumentum, quo probetur, illos non fuiſſe vere baptizatos; eſt enim argumentum negativum, quod nullius eſt ponderis in caſu, de quo loquimur. & ad quod reſpondet optime Auguſtinus, explicando verba illa Joannis 13.: *qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet*: & hæc ſunt Auguſtini verba lib. 3. de anima & ejus origine cap. 9 *Si ipſos Apoſtolos baptizatos eſſe, per hoc nobis innoteſcere potuit, quod beato Petro Dominus ait, qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet: quid de aliis, de quibus vel tale quid nihil legimus dictum, de Barnaba, de Timotheo, de Tito, de Sila, de Philemone,*

de

Digitized by Google

de ipſis Evangeliſtis Marco, & Luca, de innumerabilibus cæteris, quos abſit ut baptiſatos eſſe dubitemus, quanvis non legamus? Similia habet epiſt. 44. alias 163. & epiſt. 265, alias 108.

Ad IV. Hi omnes baptizari debebant, qui debebant Chriſtianam Religionem amplecti, & Chriſto nomen dare; ſed hi non erant ſoli Judæi, & Pagani, ſed omnes homines, qui Chriſtiani non fuiſſent: ergo omnes homines, qui Chriſtiani non fuiſſent, baptizari debebant. Et hoc quidem ita eſt verum, uti veriſſimum quoque eſt, quod Chriſtus pro omnium ſalute venerit, carnem ſumpſerit, ſanguinem fuderit, paſſus & mortuus quoque fuerit. Si igitur Chriſtus pro omnibus hominibus paſſus eſt, & mortuus: ergo voluit omnes homines ſalvos fieri; ſed fieri ſalvi non poterant, niſi per baptiſmum: ergo Chriſtus omnes homines baptizandos voluit. Quod autem Apoſtoli ſolos Judæos, vel Paganos, vel nullam Religionem habentes, baptizaverint, hoc ideo fuit, quia tempore illo non alii homines erant in mundo, quam Judæi, Gentiles, vel qui nullam profitebantur Religionem.

Ad V. Qui ex Parentibus Fidelibus naſcuntur, & non baptizantur, dicant Adverſarii, habent ne aliquam Religionem, an nullam? ſi aliquam; dicant, quam habent; & certe dicere non poterunt Chriſtianam, quia Chriſto nomen non dederant: non moſaycā: quia circumciſi non fuerant; non paganicā, quia ad Idola non erant converſi. Si dicant vero nullam, nos inferemus: ergo baptizari debebant; quia ex ipſorum hypotheſi æque baptizari oportet & illos, qui judaicam, vel paganicam ſuperſtitionem ſectantur, vel qui nullam Religionem amplexi ſunt. Cæterum, quum Chriſtus loquutus fuerit indefinite, ſcilicet, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c*; inſuper, *omnis qui crediderit & baptizatus fuerit*: ulterius: *prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos &c.*; non eſt ratio, qua fiat reſtrictio ad aliquos, & non potius extenſio ad omnes, ut Chriſti verborum legitimus fert ſenſus.

Ad VI. Hoc ſextum argumentum Sociniani his aliis verbis exponi poteſt: Titus, Cajus non leguntur baptizati: ergo vere non fuerunt baptizati. Quis non diceret, ineptam eſſe hujuſcemodi conſequtionem, & argumentationem invalidam, & nihil prorſus probantem? Potius igitur dicere debuiſſet: omnes debebant eſſe baptizati, qui voluiſſent eſſe Chriſtiani; ſed Titius, & Cajus leguntur, quod fuerint Chriſtiani: ergo ut certum ſupponi quoque debet, quod fuerint baptizati. Nec cogendi ſunt hiſtorici, ut in rebus, quas narrant, ſingulas perſonas enumerent, quæ alicui legi univerſaliter prolatæ obedivierunt; ſed ſat illis fuiſſe omnino cenſendum eſt, quod dixerint, fuiſſe tales, quales eſſe debebant, ut eſſent rite illo nomine prædití, cum quo in ipſorum hiſtoriis appellantur.

Ad VII. Ideo Eccleſia pro Catechumenis, quando moriuntur, orat, quia credit eos per baptiſmum flaminis ſalvandos, quanvis non fuerint baptiſmo fluminis tincti. Quum enim Eccleſiæ traditio firma ſit & conſtans, quod baptiſma in voto ſufficiat ad ſalutem, quando neceſſitas urget, & non adeſt locus, ut baptiſmus in re recipiatur; ex hoc plane ſequitur, quod qui urgente neceſſitate ſine baptiſmo in re moritur, & baptiſmum in voto habuerit, ſalvetur. Et quia hoc a libera Dei voluntate & miſericordia dependet, ideo Eccleſia illum orat, ut Catechumeni illius miſereatur, & ejus animā ad æternæ ſalutis portum reducere dignetur.

Ad VIII. Diſpar eſt ratio inter Circumciſionem, & Baptiſmum, ut diximus in Diſſertatione CCCXXXII.; Circumciſio enim cauſſabat gratiam non ex opere operato, ſed ex opere operantis; & opus operantis, quod haberi non poterat per Circumciſionem, quæ per præſcriptum legis ante octavum diem non fiebat, alio remedio, legis naturæ ſcilicet, ut pariter alio loco dictum eſt, ſupplebatur. At baptiſmus confert gratiam ex opere operato; unde ſi baptiſmus non eſt, neque ex opere operato produci poteſt effectus, qui alias ab ipſo infallibiliter producitur, quando eſt.

Ad IX. Sanctitatem, de qua loquitur Apoſtolus, dicitur, non eſſe ſanctitatem, & munditiem internam, & interne ſanctificantem, ſed civilem & politicam, vel ſaltem futuram. Si enim Apoſtolus intelligendus eſſet de interna ſanctitate, ſequeretur, quod Eſau fuiſſet juſtus, quia ex Fideli-

delibus Parentibus progenitus fuit: intelligitur ergo de munditie civili; & politica, quatenus nati ex Parentibus, quorum unus eſt chriſtianus, alter vero infidelis, non ſpurii, ſed legitimi ſunt, quod erat dubium, de quo apud Corinthios diſputabatur. Vel intelligitur de ſanctitate futura, quatenus ſupponit, ut alter ex conjugibus procuret, quod ejus nati per baptiſmum regenerentur, & ſic ſanctificentur. Quod tamen beneficium non eſſet, ſi mulier fidelis a viro infideli quidem, ſed ſine Salvatoris contumelia cohabitante, diſcederet, quem ſane diſceſſum eo loci multis argumentis Apoſtolus impedire conabatur.

Ad X. Non datur baptiſmus ei, qui ad Chriſtum pertinet, ſed ei, qui ad Chriſtum non pertinet, & datur ut pertineat. Exemplum Sigilli non eſt ad rem, quia contra voluntatem Regis imprimitur, & imprimitur in ſcriptura illegitima & falſa, ita ut Regis ſignum, potius quam habeat, amittat valorem ſuum. At Baptiſmus eo ipſo, quod imprimitur animæ illius, qui ipſum recipit, ſignat vere animam illam per characterem, quem ipſi imprimit, & facit illam eſſe Chriſti filiam, & Chriſto fidelem.

Ad XI. Ad hoc argumentum reſponſum dedimus in primo tomo Diſſert. C., in qua diximus, Deum abſque præjudicio miſericordiæ ſuæ permittere, ut infantes, in Matrum utero morientes ſine Baptiſmo, damnentur, & quidem ſine ipſorum culpa; at non ſine culpa matrum ipſorum; ut ibidem fuſe legitur, & ſimul probatur, non eſſe aliud remedium, quo ſalventur infantes illi, ſi Baptiſmus iiſdem miniſtrari non poteſt, quia nondum nati ſunt, & per conſequens renaſci non poſſunt; immo dictum eſt, tantum abeſſe, ut per hoc Deus immiſericors dicatur, quod potius immiſericors eſſet, ſi hoc remedium dediſſet, & Eccleſiæ ſuæ non revelaſſet. Minus enim malum eſt, remedium pro aliquo morbo non dari, quam dari, & neſciri. Legentes ergo conſolant, quæ in præfata Diſſertatione lato quidem calamo ſcripta ſunt.

Ad XII Reſpondent aliqui, diſparem eſſe rationem de baptiſmo, & de Eucharistia; & diſparitatem eſſe, quia Chriſtus ſic voluit, quia ſic inſtituit, & Eccleſia pariter ſic credidit, & ſic obſervavit. Alii vero dicunt diſparitatem manifeſtam ex ipſiſmet verbis eſſe. Quando enim Chriſtus de baptiſmo loquens, ait: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* abſolute loquitur, & nullam diſtinctionem, vel de ſexu, vel de ætate, vel de conditione hominum, facit. Quando vero de Euchariſtia inquit: *niſi manducaveritis carnem filii hominis &c., niſi biberitis &c.*, jam manifeſtum eſt, quod de ſolis adultis loquitur, qui ſoli capaces ſunt manducandi atque bibendi carnem, vel ſanguinem ejus. Unde ſemper ſtat, quod non eadem eſt ratio de baptiſmo, ac de Euchariſtia, loquendi.

DIS-

DISSERTATIO CCCXXXV.

De Baptiſmi inſtitutione, ejuſque obligatione. Quando nam fuerit Baptiſmus a Chriſto inſtitutus? An ante, an vero poſt mortem & reſurrectionem ſuam? Quando nam cæperit baptiſmi lex homines obligare?

CHriſtum fuiſſe Sacramenti Baptiſmi Auctorem, eundemque baptiſmum fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutum, fere omnes conveniunt Scriptores, ſive Orthodoxi ſunt, ſive Heterodoxi. Diſſenſio tamen eſt inter Catholicos circa tempus, quo hujuſmodi baptiſmi inſtitutio a Chriſto Domino facta fuit, an ſcilicet ante mortem & paſſionem ipſius, an vero poſt mortem ejuſdem ac reſurrectionem? Et quidem

Primo, aliqui ex Patribus antiquis videntur docuiſſe, quod Chriſtus poſt ſuam a mortuis reſurrectionem baptiſmum inſtituerit, non ante. Adſcribitur hæc opinio Tertulliano lib. de Bapt. cap. 11., & 12., Chryſoſtomo hom. 28. in cap. 3. Joan., Theophilacto, & Euthymio, qui Chryſoſtomum ſectantur, atque tranſcribunt, & Leoni Magno, qui in epiſt. ad Siciliæ Epiſcopos 16., alias 4. cap. 3. probans baptiſmum adminiſtrari debere in ſola Paſchæ, & Pentecoſtes ſolemnitate, hanc inter alias addjicit rationem; *quia ipſa operis qualitas, docet celebrandæ generaliter gratiæ eum eſſe legitimum diem, in quo orta eſt & virtus muneris, & ſpecies actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipſe Dominus Jeſus Chriſtus, poſtea quam reſurrexit a mortuis, Diſcipulis ſuis, in quibus omnes Eccleſiarum Præſules docebantur, formam & poteſtatem tradidit baptizandi, dicens; euntes docete omnes gentes &c. De quo utique eos etiam ante Paſſionem potuiſſet inſtruere, niſi proprie voluiſſet intelligi, regenerationis gratiam ex ſua Reſurrectione cæpiſſe*. Et ex hac opinione ſequitur, & quod Apoſtoli ante Chriſti mortem non fuerint baptizati baptiſmo Chriſti, & quod ipſi alio non baptizaverint, quam baptiſmo Joannis. Unde Rupertus inter Recentiores lib. 3. in Joan. circa finem ſcribit: quod baptiſmus, quo baptizabant Apoſtoli ante paſſionem Chriſti, non fuerit baptiſmus novæ legis, nec habuerit efficaciam gratiæ, quam a Chriſti morte baptiſmus erat accepturus. *Antea enim*, ſunt ejus verba, *non dabatur Spiritus, quia nondum erat Jeſus glorificatus*.

Secundo, Alexander Alenſis par. 4. de Sacram. queſt. 8. art. 3., non unam ſcribit, ſed multiplicem fuiſſe baptiſmi inſtitutionem, eamquem quintuplicem dicit, primam ſcilicet materialem, ſeu materiæ, quando Chriſtus in Jordane a Joanne baptizari voluit; ſecundam vero formalem, ſeu formæ, quando poſt Reſurrectionem dixit Apoſtolis: *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; tertiam finis, quando Joan. 3. dixit; *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*; quartam effectus, quando Marci ultimo docuit: *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; quintam denique efficaciæ, quando nimirum de Chriſti latere in Cruce exivit ſanguis & aqua, per quorum effuſionem baptiſmi gratia ſignificabatur. Gabriel ſequitur Alenſem, eumque dicit voluiſſe, quod Scriptura variis in locis explicaverit, quæ ad baptiſmi inſtitutionem pertinerent. Melchior Canus lib. 8. de locis theologi-

cis

Digitized by Google

eis cap.5., videtur, quod in hanc opinionem inclinet, præcipue quando ſcribit, *improbabile ſibi videri, Apoſtolos ante mortem Chriſti baptizaſſe in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis*. Sunt qui hanc opinionem Alberto Magno adſcribunt

Tertio alii docent, quod Chriſtus Baptiſmum inſtituerit ante mortem ſuam, de præciſo vero tempore non conveniunt; & quidem primo S Bernardus epiſt.77. ad Hugonem, Eſtius in 4. diſt.3. §. 11., aliique volunt, a Chriſto fuiſſe Baptiſmum inſtitutum, quando dixit Nicodemo Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Tribuitur etiam hæc opinio Valentiæ. Secundo alii docent, Chriſtum inſtituiſſe Baptiſmum tempore, quo ipſemet baptizavit, & Apoſtolos ad Judæos baptizandum miſit. Tertio Magiſter Sentent lib.4. diſt.3. litera G., S. Thomas 3. par. q. 66, Vaſquez, Suarez, Jueninus, aliique multi pro tempore inſtitutionis Baptiſmi a Chriſto factæ aſſignant illud, quo Chriſtus in Jordane a Joanne baptizatus eſt. Quarto denique Scotus in 4.diſt.3. q.4., Gabriel in eadem diſtinctione quæſt. unica art.3. volunt, inſtitutionis Baptiſmi tempus eſſe omnino incertum, conveniunt tamen, ut dicant, inſtitutum fuiſſe a Chriſto, poſtquam fuit a Joanne baptizatus, & antequam Apoſtolos ad baptizandum mitteret; tempore ſcilicet, quando Diſcipulos collegit; & ultra Scotum pro hac opinione citantur Coniuch, aliique Recentiores juxta Gonetum.

Quarto, quamvis citati Scriptores diſconveniant circa tempus inſtitutionis Baptiſmi, conveniunt tamen in eo, ut dicant, obligationem ad Baptiſmum non incæpiſſe, niſi poſt Chriſti mortem, illiuſque Reſurrectionem; illo ſcilicet tempore, quo ſufficiens evangelicæ legis promulgatio facta eſt. Sed fallitur Tournely, qui hæc ſcribit.

Dicimus I., Chriſtum ante ſuam paſſionem, & a mortuis reſurrectionem, inſtituiſſe Baptiſmum, & tunc quidem inſtituiſſe, quando a Joanne in Jordane baptizatus eſt.

Prima Concluſionis pars probatur I. Apoſtoli ante Chriſti paſſionem baptizaverunt; ſed non baptizaverunt Joannis baptiſmate; ergo baptiſmate Chriſti: ergo ante mortem ſuam Chriſtus Baptiſmum inſtituit. Major patet Joan.4. *Quanquam Jeſus non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus*. Minor contra Tertullianum, putantem Apoſtolos Joannis Baptiſmo baptizaſſe, probatur. Illi, qui fuerunt Baptiſmo Joannis baptizati, poſt Chriſti paſſionem fuerunt iterum baptizati; ſed illi, qui fuerunt ab Apoſtolis baptizati, non fuerunt iterum baptizati: ergo illi, qui fuerunt ab Apoſtolis baptizati, non fuerunt Joannis Baptiſmo baptizati. Major conſtat Actor. 19. Minor probatur ex Auguſtino tract.5. in Joannem, ubi habet: *quos baptizavit Judas, non ſunt iterum baptizati; & quos baptizavit Joannes iterum baptizati ſunt; quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit; quos autem baptizavit Judas, Chriſtus baptizavit*.

II. Probatur. Baptiſmus ab Apoſtolis collatus tribuitur Chriſto non Joanni: ergo fuit Baptiſmus Chriſti, non Joannis. Antecedens probatur. Joan. 3. dicitur: *venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in terram judæam, & illic morabatur cum eis, & baptizabat*: baptizaturus erat Chriſtus *in Spiritu Sancto & igni*, ſecundum Joannis teſtimonium: ergo baptiſmus, qui tribuitur Chriſto, alius erat a Baptiſmo Joannis in aqua tantum collato: ergo ſi Chriſtus baptizabat ante mortem ſuam, jam baptiſmum inſtituerat; & ſi cum eo baptizante erant Apoſtoli, hi pariter baptizabant, & quidem Baptiſmo Chriſti non Baptiſmo Joannis baptizabant.

III. Probatur. Inter diſcipulos Joannis exorta eſt contentio ex occaſione baptiſmi; ſed hæc contentio nullatenus fuiſſet, ſi tam Chriſti, quam Joannis diſcipuli, unum & idem Joannis baptiſma contuliſſent: ergo Apoſtoli baptizantes, non Baptiſmo Joannis, ſed Baptiſmo Chriſti, baptizabant.

IV. Probatur ex Auguſtino, qui epiſt.108. ad Seleuciam ex his Chriſti verbis ad Petrum: *qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet: ſed eſt mundus totus*; deducit, Petrum ante Chriſti mortem fuiſſe baptizatum; *ubi intelligitur, quod jam Petrus baptizatus fuerat*. Et idem S. Doctor lib. de unitate Eccleſiæ aſſerit, Judam contuliſſe verum Chriſti Baptiſma; ſic enim habet c.2. *Cum tantum diſtaret inter Petrum & Judam, nihil tamen diſtabat inter baptiſmum*

ſmum

ſmum, qui dabatur per Petrum, & qui dabatur per Judam.

Secunda Concluſionis pars probatur I. Sacramenta ex inſtitutione ſua habent vim gratiam conferendi: ergo Sacramentum aliquod tunc inſtitui videtur, quando virtutem accipit effectum hunc producendi; ſed hanc virtutem baptiſmus accepit, quando Chriſtus baptizatus eſt: ergo Chriſtus tunc baptiſmum inſtituit, quando baptizatus eſt. Minor ſubſumpta probatur ex Patribus. Ex Ambroſio l.2. in Lucæ cap. ultim. *baptizatus eſt Dominus, non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, Baptiſmatis jus haberent, & ideo, qui ad Chriſti lavacrum venerit, peccata deponit.* Auguſtino Ser. 36. *Ex quo Chriſtus aquis immergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Et lib. *de mirabilibus Sacræ Scripturæ c.5.: apparuiſſe columbam, & cœlum apertum fuiſſe, ut baptiſmi Sacramentum quid valeret oſtenderet.* S. Maximo hom. 1. Epiphaniæ. *Sicut relatu paternæ traditionis inſtruimur, ferunt hodie Chriſtum Dominum noſtrum ſuſcepto a Joanne baptiſmate conſecraſſe fluenta Jordanis, ſuumque ſimul purificaſſe baptiſmum.* Gregorio Nazianzeno orat. 33. in Nativit. Chriſti teſtante, *eo tempore aquæ vim generandi in ſpecialem ſcilicet vitam datam eſſe, ac quidem paulo poſt & Jeſum purgatione mea in Jordane purgari videbit, vel potius aquas purgatione ſua purificare.* Et Orat. 39. *Chriſtum baptizari*, ait, *ut totum veterem Adam ſepeliat in aquis.*

Opponunt I. contra primam Concluſionis partem. Apoſtoli non fuerunt ante Chriſti mortem Baptiſmo Chriſti tincti: ergo non potuerunt Chriſti Baptiſmo baptizare. Antecedens eſt Tertulliani, qui lib. de Bapt. cap.2. docet, Apoſtolos ſolo Joannis baptiſmate tunc temporis fuiſſe initiatos. II. Chriſtus nonniſi poſt Reſurrectionem legitur ſuos Apoſtolos myſterium Trinitatis docuiſſe, quum nempe, paulo antequam Cœlos conſcenderet, ſic eos alloquutus eſt: *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ergo antea Baptiſmum, cui Trinitatis invocatio eſſentialis eſt, non inſtituit. III. Baptiſmus ſuam deſumit efficaciam a morte, & paſſione Chriſti: ergo non poteſt inſtitui, niſi poſt illam. Ulterius Chryſoſtomus hom.3. in Joann., Euthymius, & Theophilactus ex illo Joannis 7: *nondum erat ſpiritus datus, quia nondum Jeſus erat glorificatus*: aſſerunt, Chriſti diſcipulos ante illius Reſurrectionem non fuiſſe baptiſmate tinctos. IV. Contra ſecundam Concluſionis partem. Inſtituere Sacramenta eſt actus Legiſlatoris; ſed Chriſtus in Jordane non ſuſtinuit perſonam Legiſlatoris, ſed potius pœnitentis: ergo tunc Sacramentum Baptiſmi non inſtituit. V. Ex illis verbis: *niſi quis renatus fuerit &c.*: poſtquam enim ea a Chriſto prolata fuere, ſtatim diſcipulos ad prædicandum miſit & baptizandum; ait namque S. Joannes: *venit Jeſus & diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic morabatur cum illis, & baptizabat*: ergo ſignum eſt, tunc a Chriſto fuiſſe Sacramentum Baptiſmi inſtitutum. VI. Baptiſmus Joannis nihil habuit commune cum Baptiſmo Chriſti: ergo ex eo, quod Chriſtus Baptiſmum Joannis ſuſceperit, non bene infertur, tunc Chriſtum Baptiſmum ſuum inſtituiſſe. VII. Verba illa Ambroſii, aliorumque Patrum in probationibus a nobis allata non proprie, ſed metaphorice ſumi debent, ſcilicet, non quod ſignificent, quod tunc aquæ vim ſanctificandi acceperint, quum eam non accipiant, niſi per ſanctiſſimæ Trinitatis invocationem Cathecumeno applicentur, ſed quod ſignificent tunc adumbratam fuiſſe virtutem, quam aliquando ex Chriſti meritis erant aquæ accepturæ. VIII. Chriſtus Baptiſmum inſtituit, quum expreſſe Apoſtolos ad baptizandum miſit, quum Matth. 10., Marci 3., Lucæ 9., miſit eos, ut Judæos Meſſiæ adventum docerent: *euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquavit Regnum Dei*: ergo tunc Baptiſmum inſtituit.

Reſpondemus ad I., quod quamvis Tertullianus judicaverit, non fuiſſe Apoſtolos Baptiſmo Chriſti ante ejus mortem baptizatos, contrarium tamen docuit Auguſtinus; & quanquam neutrum ex his expreſſe in Scripturis continetur, probabilius tamen Auguſtini judicium videtur, tum quia ex aliis Scripturæ locis idipſum eruit, tum pariter quia multis etiam congruentiis confirmat. Cæterum non per hoc,

quod

quod quis non ſit Chriſti Baptiſmo tinctus, non poteſt alios eodem Baptiſmo tingere.

Ad II., negatur abſolute antecedens, etenim in multis Evangelii locis legitur, Chriſtum expreſſum ſermonem feciſſe cum Apoſtolis de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, & multa pariter circa eaſdem divinas perſonas revelaſſe, quæ paſſim apud Patres, & apud Scripturarum Interpretes inveniũtur.

Ad III., dicitur, Baptiſmum ante Chriſti mortem inſtitutum efficaciam ſuam habuiſſe ex paſſione Chriſti, non executioni demandata, ſed demandanda. Non enim minus Euchariſtiæ Sacramentum ſuam deſumit efficaciam a morte Chriſti, & tamen ante eam inſtitutum nemo neſcit. Ad Chryſoſtomum, alioſque Patres, quod attinet, ipſius anteponimus Auguſtinum, cujus ſententia probabilior eſt, utpote magis in Scriptura fundata. Locus autem ille Joannis, quo utuntur, non debet intelligi de Spiritu Sancto, qui datur in Baptiſmo, ſed de plenitudine Spiritus Sancti, quam in die Pentecoſtes Apoſtoli acceperunt.

Ad IV. Omiſſa majori, negatur minor; Chriſtus enim in ſua paſſione ſuſtinuit perſonam pœnitentis; & peccatoris, quandoquidem factus eſt pro nobis *maledictum & peccatum*, ut loquitur Apoſtolus; & nihilominus fuit ſimul Legislator, antiquam legem abrogans, & novam condens.

Ad V., dicitur, verba illa non magis probare, tunc inſtitutum fuiſſe baptiſmum, quando prolata ſunt, quam iſta, niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis &c. probent, tunc inſtitutam fuiſſe Euchariſtiam, quando ipſamet prolata ſunt; in quorum tamẽ prolatione certum eſt, hujuſcemodi Sacramentum non fuiſſe inſtitutum. Quod vero Chriſtus ſtatim poſt illorum verborum prolationem diſcipulos ad baptizandum miſerit, probat quidem, Chriſtum debuiſſe ante illam miſſionẽ Sacramentum Baptiſmi inſtituere, ſed non probat, quod immediate antea dũ verba illa proferebat ipſum inſtituerit.

Ad VI., dicitur, quod non ex eo præciſe, quod Baptiſmum Joannis ſuſceperit, inferunt Patres, tunc Chriſtum Baptiſmum ſuum inſtituiſſe, ſed ex congruentiis aliis; nimirum ex manifeſtatione Trinitatis tunc facta, quando Spiritus Sanctus ſub columbæ ſpecie apparuit; & quando divina Chriſti filiatio declarata fuit; Inſuper ex virtute ſanctificativa tunc aquæ collata; & denique quia tunc fuit indicatus Baptiſmi effectus per Cœlorum aperitionem.

Ad VII. Ex illa Adverſariorum explicatione colligitur, tunc non fuiſſe factam applicationem Baptiſmi, non vero non fuiſſe factam inſtitutionem. Illa enim promiſſio virtutis facta aquis eſt inſtitutio Baptiſmi, collatio vero virtutis, quæ fit aquis per Trinitatis invocationem, eſt applicatio Baptiſmi. Porro ex mente Auguſtini aqua tunc recepit virtutem exercendi hujuſmodi effectum, ſi tamen aſſumeretur per invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, adeoque virtutem recepit, non exercitium: in virtute ſtat inſtitutio; in exercitio ſtat applicatio.

Ad VIII. Ex illo ſequitur, Chriſtum debuiſſe prius Baptiſmum inſtituere, ac Apoſtolos ad baptizandum mittere, quod ultro concedimus. At non ſequitur, quod tunc inſtituerit, quando mittebat; vel quod immediate antea ad miſſionem inſtituerit.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, quæ reſpicit tempus, quo Baptiſmi præceptum obligare cæpit, nec etiam inter ſe Theologi conveniunt, contra id, quod nuper dicebat Tournely. Putarunt ſiquidem aliqui, quorum meminit S. Bernardus epiſt. 77., Baptiſmum tunc fuiſſe præceptum, quando Chriſtus dixit Nicodemo; *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Alii vero poſt Chriſti Reſurrectionem Baptiſmi obligationem communiter ſtatuerunt. Sed nec iſti inter ſe concordantur; aliqui enim volunt obligationem incepiſſe in triduo mortis Chriſti; ſic quidam Thomiſtæ, quos, nomine ſuppreſſo citat & impugnat Gonetus; alii aſſerunt incepiſſe ſtatim poſt paſſionem & reſurrectionem Chriſti, quando Chriſtus diſcipulis apparens Baptiſmi legem publice promulgavit Matth. ultimo dicendo, *euntes ergo, docete omnes gentes baptizantes* &c. Sic Sotus, Cabrera, Vaſquez, aliique, quibus Gonetus accedit. Alii tandem docent, non fuiſſe Baptiſmum in præcepto uſque ad ſuffi-

cien-

cientem Evangelii promulgationem, quæ promulgatio per Scotum a die Pentecoſtes incepit. Ita ſentiunt ipſemet Scotus, Eſtius, Suarez, aliique.

Dicimus II. Baptiſmum obligare cæpiſſe nec ante, nec ſtatim poſt Chriſti mortem, ſed ſtatim poſt ſufficentem Evangelii prædicationem reſpective tum ad Judæos, tum ad Gentiles. Ante autem paſſionem Baptiſmum fuiſſe utilem & ſufficientem pro originali expiando.

I. Probatur Concluſio. Prius neceſſe eſt, ut exiſtet exemplar, & deinde ut repreſentetur imago; ſed Baptiſmus eſt imago mortis Chriſti, & reſurrectionis ipſius: ergo prius debebat exiſtere mors, & paſſio Chriſti, quæ erat exemplar, & deinde debebat obligare Baptiſmus, qui debebat eſſe imago. Probatur minor, quia per Baptiſmum conformatur homo paſſioni, & reſurrectioni Chriſti, in quantum moritur peccato, & incipit novam juſtitiæ vitam.

II. Probatur. Baptiſmus non naturali, ſed divina lege poſitiva præceptus eſt nobis: ergo homines ad eum ſuſcipiendum non fuerunt prius obligati, quam lex de illo a Salvatore data ad hominum notitiam perveniret, quod ſufficienti promulgatione per Apoſtolorum prædicationē factum eſt. Quamvis enim renaſci per Spiritū Sanctum ſemper fuerit neceſſariū, modus tamen renaſcendi per aquam non fuit neceſſarius, niſi Circumciſione per Chriſti mortem abrogata, & evangelica lege plene promulgata.

III. Probatur. Scotus in Baptiſmo diſtinguit duo tempora, unum, quo fuit ſub conſilio, & aliud, quo ſub præcepto fuit. Primum duravit a principio, quo per Chriſtum, vel per Apoſtolos, Evangelium, ſeu Baptiſmus prædicabatur, uſque ad ſolemnem prædicationem poſt Domini Aſcenſionem. Secundum incepit in die Pentecoſtes in Jeruſalem, quia uſque ad illum diem Apoſtoli non prædicaverant publice, juxta illud Chriſti Lucæ 24.: *vos autem ſedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*: in die autem Pentecoſtes miſſo Spiritu Sancto de Cœlo, & ab Apoſtolis accepto, iidem ſolemniter in Jeruſalem prædicaverunt, & ut habetur Actorum 2. illo die *circiter tria millia hominum Baptiſmum receperunt*: poſt Jeruſalem ad alias civitates ordinatim facta eſt ſolemnis Evangelii prædicatio, adeoque illis poſt Pentecoſten tempus obligationis incepit, aliquibus quidem ad menſem, aliis ad annum, aliis ad decem annos, aliis ad amplius; ſecundum quod prius aut poſterius illis publica & ſolemnis Evangelii prædicatio facta eſt. Denique hæc quæſtio proprium ſibi habet locum, quando agitur de legibus, & diſputatur de tempore, quo fuerit lex moſaica abrogata, & de tempore, quo lex Evangelica cæperit obbligare.

IV. Probatur pro illa Concluſionis parte, pro qua dictum eſt, Baptiſmum fuiſſe utilem & ſufficientem pro originali expiando etiam ante Chriſti Domini paſſionem. Baptiſmus a prima ſua inſtitutione habuit conferre gratiam: ergo pro omni tempore, quo ipſe fuit admiuiſtratus, gratiam contulit: ergo ſemper, etiam ante Chriſti mortem, utilis & ſufficiens fuit ad originale delendum. Sed dubium eſt, utrum qui ante paſſionem Chriſti recipiebat, recipere teneretur etiam Circumciſionem: negat Scotus; S. Thoma affirmat; ſed nobis magis arridet Scotus, quia ſi tunc Baptiſmus delebat originale, ad quid ergo in illo, qui jam per Baptiſmum ab originali mundatus erat, iterum Circumciſio requirebatur? Neque dicant, tunc fuiſſe Circumciſionem ſub præcepto, Baptiſmus vero ſub conſilio; non autem licet relinquere ea, quæ ſub præcepto ſunt, ot obſerventur illa, quæ ſunt ſub conſilio; ne dicant hoc; etenim utrunque remedium ad unum & eundem effectum ordinabatur; quod Scotus ſic probat: præceptum Baptiſmi evacuat Circumciſionem quantum ad fructum & obligationem: ergo conſilium Baptiſmi removet obligationem Circumciſionis. Probatur conſequentia: quoties una lex alteram legem de aliquo abrogat, etiam conſilium de altero faciendo, quam quod lex præcipit, tollit illius legis obligationem; ac proinde conſilium de ſuſcipiendo Baptiſmo, quod vim obtinuit ab illius inſtitutione, obligationem legis Circumciſionis evacuavit.

Obſtant I. Lex divina non exigit ſui promulgationem, ut vim obligandi habeat:

beat: ergo ante ſui promulgationem Baptiſmi præceptum obligabat. II. Lex vetus in morte Chriſti expiravit: ergo tunc incepit lex nova obligare, & a fortiori præceptum Baptiſmi, quum Baptiſmus ſit additus ad legem novam. III. S. Thomas tria tempora diſtinguit cum S. Auguſtino circa legem veterem; primum ante Chriſti mortem, quando erat viva; ſecundum poſt Chriſti mortem, quando erat mortua; tertium poſt Evangelii prædicationem, quando erat mortifera, & aliunde debebant homines habere remedium Originalis: ergo ſi non juvabat Circumciſio ex lege veteri, neceſſarius erat Baptiſmus ex lege nova: ergo tunc obligabat Baptiſmi præceptum, ante ſcilicet Evangelii prædicationem. IV. Plures ſunt Mundi Regiones, in quibus Baptiſmus non fuit adhuc ſufficienter promulgatus: ergo homines, qui in Regionibus illis degunt, Baptiſmi lex adhuc non ligat. V. Auguſtinus in epiſt. 80. aſſerit, quod in excidio Jeroſolymitano, quod accidit anno quadrageſimo a Chriſti paſſione, adhuc non fuerat ſufficienter omnibus Chriſti Evangelium promulgatum: ergo pro illo tempore, Evangelio non promulgato, Baptiſmus adhuc non obligabat. VI. Tridentinum ſeſs. 6. c. 4. docet, juſtificationem *poſt promulgatum Evangelium, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non poſſe*. ergo ex Concilio ante Evangelii promulgationem juſtificatio fieri poterat ſine Baptiſmo: ergo ante Evangelii promulgationem Baptiſmi lex obligabat.

Reſpondemus ad I., diſtinguendo antecedens; lex divina naturalis, non exigit ſui promulgationem, ut vim obligandi habeat, conceditur: lex divina poſitiva, negatur. Lex autem Baptiſmi eſt lex divina poſitiva; quæ exigit ſui promulgationem; Deus enim non poteſt obligare ad impoſſibile; obligaret tamen ſi inferret neceſſitatem obſervandi ea, quæ ſunt incognita, nec ſufficienter manifeſtata. In lege tamen naturali non requiritur promulgatio hominum, quia ſufficienter ſcripta eſt in cordibus noſtris.

Ad II., negatur conſequentia; ex illo enim antecedente deducitur potius hæc altera conſequentia: ergo lex vetus non amplius obligabat, quia jam erat mortua; cum hoc tamen ſtabat, quod eſſet licita, & utilis iis, ad quos novæ inſtitutionis notitia adhuc pervenire non poterat. Sed hæc reſponſio majorem habebit claritatem ex ſequenti reſponſione ad tertium.

Ad III., dicitur, quod Scotus quatuor tempora pro Circumciſione diſtinguit; primum, quando erat neceſſaria; ſecundum, quando erat utilis, non neceſſaria; tertium, quando nec utilis erat, nec neceſſaria; licita tamen erat; quartum, quando erat omnino illicita & mortifera. Primum tempus Circumciſionis præceſſit utrunque tempus Baptiſmi, quod ſupra dictum eſt, ſub quibus ſcilicet Baptiſmus fuit ſub conſilio, & ſub præcepto. Secundum tempus Circumciſionis comitabatur primum tempus Baptiſmi. Tertium tempus Circumciſionis cucurrit cum ſecundo tempore Baptiſmi, ſed quantum ad Judæos. Quartum tempus Circumciſionis cucurrit etiam cum ſecundo tempore Baptiſmi, ſed quantum ad Gentiles. Sic Scotus, ut apud Fraſſen videre eſt. Sed nos abſque eo, quod ad iſta quatuor tempora recurramus, tria illa communiter poſita admittimus, & ad argumentum reſpondemus dicendo, legalia medio illo tempore fuiſſe quidem mortua, ſed non omnibus, aſt iis tantum, quibus novæ legis inſtitutio manifeſtata præcedere jam poterant; iis autem, quibus manifeſtata non erat, non erant mortua legalia, ſed utilia. Sic reſpondet Eſtius, quam reſponſionem ex S. Bernardo epiſt. 77. ad Hugonem colligit.

Ad IV., negatur conſequentia, & ratio eſt, quia ita prædicatum fuit Evangelium in univerſo Mundo, ut potuerit Baptiſmi lex ad omnium hominum notitiam pervenire; ſecundum illud Pſalmi, quo etiam utitur Apoſtolus in epiſt. ad Romanos: *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Et de facto apud Indos, Japonenſes, & alios mundi jam pridem reperti homines, inventa ſunt quædam Chriſtianæ Religionis ſigna, quæ ſatis indicant, ibidem fuiſſe olim Chriſti Evangelium annuntiatum.

Ad V. Auguſtinus intelligitur de fructu & effectu Converſionis, cum quo adhuc in quibuſdam mundi partibus

Evan-

gelium prædicatum non erat, immo nec erat etiam prædicandum; quia etſi multi homines ipſum audituri eſſent, tamen vel non converterentur, vel ſi converterentur, in accepta Evangelii fide non perſeveraſſent.

Ad VI. Potius ex Tridentini verbis eruitur, potuiſſe fieri juſtificationem ante Evangelii promulgationem ſine Baptiſmo: adeoque ante promulgationem ipſam, hoc eſt, in Chriſti morte, Baptiſmum non obligaſſe.

DISSERTATIO CCCXXXVI.

De Baptiſmo Sanguinis, hoc eſt de Martyrio. Qui fuerint Hæreticorum errores contra ipſum, & circa ipſum idem Quæ Scholaſticorum opiniones? An Martyrium perfecte ſuppleat ex opere operato virtutem Baptiſmi fluminis, tum in Infantibus, tum in Adultis? & quæ in Adultis requirantur præviæ conditiones ad illius effectum conſequendum?

SANCTI Patres, & cum ipſis pariter Theologi de Schola, triplicem diſtinguūt Baptiſmum, fluminis ſcilicet, qui habetur per aquam; ſanguinis, qui recipitur per paſſionem; & flaminis, ſeu ſpiritus, qui habetur per lacrymas & per contritionem cordis. Ex Patribus expreſſe loquuntur Nazianzenus Orat. 391. in ſancta lumina prope finem; Ambroſius in Pſalm. 118., Enarratione in Octonarium tertium; Auguſtinus lib. 4. de Bapt. cont. Donatiſtas cap. 21., & ſequentib.; Iſidorus Hiſpalenſis lib. de inſtitut. clericali cap. 4.; Bernardus epiſt. 77 Ex Theologis S. Thomas 3. par. q. 66. art. 11., rationem reddit hujuſcemodi diviſionis, quæ in Scripturis fundatur; quia nimirum in his Baptiſmi nomen aliquando Martyrio, aliquando pœnitentiæ, & ut plurimum Sacramento illi, quod nos Baptiſmum dicimus, applicatur.

Scire autem oportet, quod Martyrii nomine venit omnis pœna, quæ in Chriſti odium infligitur, & pro Chriſti amore toleratur; attamen proprie & ſtricte venit mors ipſa tolerata pro Chriſto. Duæ requiruntur conditiones, pœna ſcilicet, & cauſſa; & duobus quoque modis conſideratur Martyrium ipſum; primo, ut eſt actus voluntarius fortitudinis, vel charitatis; ſecundo, ut eſt ſimpliciter pœna inflicta in odium Chriſti. Primo modo dici poteſt opus operantis, & illius ſoli Adulti poſſunt eſſe capaces; ſecundo modo eſt opus operatum, & illius capaces ſunt etiam Infantes; unde Bernardus ſcripſit, ex Martyribus alios eſſe voluntate ſimul & opere, alios ſola voluntate, alios ſolo opere. Et hæc ſunt ejus verba in Sermone de Innocentibus. *Habemus in beato Stephano martyrii ſimul & opus & voluntatem; habemus ſolam voluntatem in beato Joanne; ſolum in beatis Innocentibus opus*. Veniamus modo ad Hæreticorum errores.

Primo, fuerunt Gnoſtici, & Valentiniani, qui volebant, nullum eſſe Martyrii meritum, nullam eſſe virtutem; nullam laudem, quia dicebant, nullum eſſe illius tolerandi mandatum, etiam quando neceſſitas exigit Unde apud Tertullianum lib. Scorpiac. cap. 1. dicebant; *nec ſimplicitas iſta, ſed vanitas, immo dementia eſt, pro Deo mori*. Fuerat Valentino antepoſitus in Epiſcopatu homo, qui Martyrii laude in Eccleſia celebris habebatur; & hoc impa-

Digitized by Google

impatienti animo ipſe ferens, odio contra illum, & invidia contra Martyrium percitus debachari incepit; Idem Tertullianus aſſerit lib. adverſ. Valentinianos cap. 4. *Speraverat Epiſcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio, ſed alium ex Martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Eccleſia authenticæ regulæ abrupit, ut ſolent animi pro prioratu exciti, præſumptione ultionis accendi*.

Secundo, fuit Tatianus, qui antea fuerat Juſtini Martyris diſcipulus, & deinde factus eſt Valentini Sectator; unde Tertullianus dicebat lib. de præſcript. cap 52. *Tatianus totus ſecundum Valentinum ſapit*. Contra utrumque ſcripſerunt Juſtinus Martyr & Philoſophus, Irenæus, & Tertullianus prædictus lib. adverſ. Valentinianos c. 5.

Tertio, Kemnitius in 2. par. Concilii Trident., & Illyricus in Centuria 5. cap. 4. voluerunt, per Martyrium peccata dimitti, non tanquam per Baptiſmum, ſed propter ſolam fidem, quæ tempore Martyrii Chriſtum apprehendit. Et in hoc Scriptores noſtri obſervant, parum ſibi conſtare, quia quum juxta illos etiam in Baptiſmo ſola fides juſtificet, ſequitur Martyrium eodem prorſus modo juſtificare, quo Baptiſmus.

Accedimus modo ad Theologorum opiniones, & quidem nemo ex his denegat Martyrio Adultorum vim & efficaciam, quam denegant Hetorodoxi. At diſputant tantum & de Martyrio Infantium, & de diſpoſitionibus requiſitis in Adultis ad Martyrii effectum conſequendum, & de modo, quo in ipſis Martyrium operatur.

Primo, Richardus, Archiepiſcopus Armacanus in Irlandia, lib. 4. de Quæſtionib. Armenorum cap. 37. in fine, dixit probabile, inter Infantes, ab Herode in odium Chriſti occiſos, ſalvos non fuiſſe illos, qui circumciſi non erant, ſed illos tantum, qui Sacramentum Circumciſionis receperant. Addidit quoque, quod ſecundum communem Dei legem, tam veterem, quam novam, parvuli circumciſi nullum incrementum gratiæ ex morte pro Chriſto acceperunt, & hoc modo neque majorem gloriam virtute illius fuerunt conſequuti, quam ſolius Circumciſionis virtute, conſequerentur. Concludens denique, quod non audet affirmare, an Deus peculiari privilegio uſus fuerit cum Circumciſis, ut majorem illis gratiam & gloriam rependeret. Armacano ſubſcripſit Hadrianus in 4. quæſt. ult. de bapt., dicens, ex ſola Scriptura conſtare, eos Infantes, qui ab Herode occiſi ſunt, non accepta prius Circumciſione, ſalutem obtinuiſſe.

Secundo, Jacobus de Vitriaco, S. R. E. Cardinalis, lib. hiſt. occidentalis c. 36., ſcribit: parvulos Chriſtianorum non baptizatos, etſi a Paganis pro Chriſto occiderentur, non ſalvari, nec ad eos extendi privilegium ſpeciale ſanctorum Innocentium, qui ab Herode pro Chriſto occiſi ſunt.

Tertio, ſunt quidem, qui in Martyrio Adultorum nullas in ipſis Adultis exigunt prævias diſpoſitiones; quamvis enim concedant, præceptum dilectionis per ſe obligare, præcipue in mortis articulo, ab ea nihilominus obligatione per accidens liberos exiſtimant illos, qui pro Chriſto moriuntur.

Quarto, ſunt etiam, qui putant, ex opere operantis tantum, & ratione charitatis, quam includit, martyrium efficax eſſe, ſaltem reſpectu Adultorum, quia reſpectu parvulorum aliter diſcurrendum eſſe exiſtimant. Hujus opinionis eſt Vaſquez, & alii, quos citat ad tertiam partem q. 69. diſput. 153. cap. 1.: ſubdit tamen ipſe Vaſquez, quod aliquis peculiaris effectus ex opere operato Martyrio competat, nempe remiſſio omnis pœnæ temporalis; hanc eandem opinionem ſequuti ſunt Melchior Canus in Relectione de Pœnit. par. 3., Sotus in 4. diſt. 4. quæſt. unica. art. 51., Bannes in 2. 2. q. 24. art. 6., Sylvius, Aravius, aliique, volentes, Martyrium juſtificare parvulos ex opere operato, Adultos vero ex opere operantis.

Quinto, Alii exigunt in Adultis quaſdam prævias diſpoſitiones, & æque reſpectu Parvulorum, ac Adultorum, aſſerunt, Martyrium operari ex opere operato, & pro hac opinione citantur S. Thomas in 4. diſt. 4. art. 3. ad primum; & q. 4. per totum; Suarez, Bellarminus, Valenzia, Gonetus, aliique, qui communiter docent, Baptiſmum ſanguinis, ſeu Martyrium, ita vices Baptiſmi aquæ ſupplere, ut non tantum parvulos, ſed & Adultos ex opere operato juſtificet.

Dici-

Dicimus I., Baptiſmum Sanguinis, ſeu martyrium, perfecte ſupplere virtutem Baptiſmi fluminis, ſeu aquæ, tum in Infantibus, tum in Adultis, & effectum ſuum producere ex opere operato.

Prima Concluſionis pars, quæ eſt de Infantibus I. probatur ex Scripturis. Matth 10.: *qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*. Quod hæc verba intelligi debeant de Martyrio, docet Tertullianus in Scorpiaco c.11. *Animam ille invenit, qui negarit Chriſtum lucriſaciendo vitam, ſed perdet in gebennam, qui ſe putat in negando lucriſacere eam. Perdet autem eam ad præſens, qui confeſſus occiditur, ſed inventurus eam in vitam æternam*. Et cap.5. *Voluit Deus martem morte diſſolvere, tormentis tormenta diſcutere, vitam auferendo conferre, carnem lædendo juvare, animam eripiendo ſervare*.

II. Probatur ex traditione, & praxi Eccleſiæ. Eccleſia ſemper conſuevit colere ut ſanctos Infantes illos, qui in odium Chriſti, & pro Chriſto ab impio Herode occiſi ſunt; ſed probabile eſt, inter illos multos fuiſſe, qui non erant circumciſi: ergo, quia omnes Martyrium paſſi erant, & Martyrium Circumciſioni ſupplebat, juſtificationis gratiam per Martyrium conſequuti ſunt. Quod & fatetur Eccleſia in præcibus ſuis, & ſancti Patres in ſuis ſermonibus docent. Eccleſia quidem in feſtivitate ſanctorum Innocentum Deum orat verbis hiſce: *Deus, cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt*. Et Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap.23. *Etiam Infantes illos, qui, quum Dominus Jeſus Chriſtus necandus quæreretur, occiſi ſunt, in honorem Martyrum receptos commendat Eccleſia*. Herodes ergo quum juſſerit, Infantes omnes occidi a bimatu & infra, non impoſſibile fuit, ut inter tot Infantes aliqui fuerint, qui circumciſi non eſſent, & nihilominus de his nec diſtinctionem facit Eccleſia, nec diverſitatem aſſignat Auguſtinus, ſed æqualiter loquuntur de omnibus.

III. Probatur ex Patribus, & primo loco ponimus Leonem Magnum, Romanum Pontificem, Serm. 1. de Epiphania Domini cap. 3. *Necari omnes Betbleem parvulos jubet .... Sed quos Rex impius eximit mundo, Chriſtus inſerit Cælo, & quibus nondum ſanguinis ſui impendit Redemptionem, jam Martyrii tribuit dignitatem*. II., Chryſoſtomum qui hom 3. in varios S. Matthæi locos loquens de Infantibus ab Herode trucidatis ait. *Mercantur pœna Martyrium, gloriam ſanguine comparant, vitam æternam temporali morte commutant*. III. Auguſtinum, qui, aut quiſquis alius eſt Auctor Sermonis ad Cathecumenos tract. de Symbolo c.4. ait: *Præſtitit eis Chriſtus, ut pro Chriſto morerentur, præſtitit, ut ſuo ſanguine ab originali peccato diluerentur. Nati ſunt ad mortem, ſed continuo eos mors reddidit vitæ*. Et in epiſt. ad Hieronymum 166., alias 28., interpretans ea, quæ l.3. de libero arbitrio c.23. de pœnis parvulorum ſcripſerat, ubi dixerat: *Quis novit, quid ipſis parvulis in ſecreto judiciorum ſuorum bonæ compenſationis reſervet Deus? quoniam quanquam nibil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid iſta perpeſſi ſunt*: ſubjungit: *hoc non immerito dici video de his, qui vel pro Chriſti nomine, ac vera Religione, tale aliquid neſcientes patiuntur, vel Sacramento Chriſti jam imbuti ſunt*. Et lib. 13. de Civitate Dei cap 7. *Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti Confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis. Qui enim dixit; ſi quis non renatus fuerit ex aqua &c., alia ſententia iſtos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit; qui me confeſſus fuerit &c.; & alio loco; qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*. IV. Bernardum Sermone de Innocentibus. *Ille pro Chriſto trucidatos Infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto non credit inter adaptivos filios numerari. Alioquin quomodo coævos ſibi pueros puer ille, qui natus eſt nobis, non contra nos, pateretur occidi, quod utique ſolo nutu poterat prohibere, niſi melius aliquid ejus provideret?, ut quemadmodum cæteris Infantibus tunc quidem Circumciſio, nunc vero Baptiſmus, ſine ullo propriæ voluntatis uſu ſufficit ad ſalutem; ſic nibilominus pro eo ſuſceptum martyrium illis proficeret ad ſanctitatem*.

Secunda Concluſionis pars, quæ eſt de Adultis I. probatur ex Scripturis. Matth 10. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt*. Marci 8. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam*

face-

facere perdet eam, qui autem perdiderit animam ſuom propter me, & Evangelium, ſalvam faciet eam. Ad quæ verba reſpexit Auguſtinus, quando generalitatem, quæ per ipſa exprimitur, obſervans, ſcripſit lib.13. de Civitate Dei cap.7. *Qui dixit, niſi quis renatus fuerit ex aqua &c., idem & generaliter dixit, qui me confeſſus fuerit &c.* Et conſonant verba Joannis 15. *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Si enim qui ponit animam ſuam perfectam habet charitatem, & perfecta charitas peccata delet: ergo qui ponit animam ſuam, deletionem conſequitur peccatorum, quod eſt conſequi gratiam juſtificantem ex opere operantis.

II. Probatur pariter ex Traditione & praxi Eccleſiæ; I. quja Eccleſia in Martyrum morte nec ſacrificia Deo offert, nec preces fundit: ergo fatetur, quod eis martyres non indigent. Unde ſcripſit Innocentius III. in cap. *cum Marthæ, de celebratione miſſorum: injuriam enim facit Mortyri, qui orat pro martyre.* Quod dictum deſumptum eſt ex Auguſtino tract. 84. in Joan: *Ideo quippe ad ipſam menſam non ſic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiom pro eis oremus, ſed magis ut ipſi pro nobis, ut eorum veſtigiis adhæreamus.* II. Antiquitus Eccleſia, Martyribus orantibus illam, temporales pœnas peccatoribus pœnitentibus relaxabat, ut teſtatur Cyprianus. III. Aliquando etiam mitigabat, & homines lapſos Deo reconciliabat, Martyribus quoque id petentibus atque rogantibus.

III Probatur ex Patribus. Tertullianus in Apologetico in fine. *Quis non pati exoptet, ut totam Dei grotiom redimat, & omnem veniam ab eo compenſatione ſui ſanguinis expediat?; omnio enim huic operi delicta donontur.* Et lib. de bapt. cap.16. *Eſt nobis etiam ſecundum lavacrum, ſanguinis ſcilicet, de quo Dominus, habeo inquit Baptiſmo tingi.... Hic eſt Baptiſmus, qui lavacrum* (nempe aquæ) *& non acceptum repræſentat, & perditum reddit.* S. Cyprianus præfatione in librum *de exhortatione Martyrii: Nos, qui, Domino permittente, primum Baptiſma,* (aquæ, ſeu fluminis) *credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos præparamus, inſinuantes & docentes, hoc eſſe baptiſma in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore præſtantius: Baptiſma, in quo baptizant Angeli, in quo Deus, & Chriſtus ejus exultant; Baptiſma, poſt quod nemo jam peccat; Baptiſma, quod fidei noſtræ incrementa conſummat; Baptiſma, quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat. In aquæ baptiſmo accipitur peccatorum remiſſio, in ſanguinis corona virtutum.* Et cap.12. ejuſdem tractatus. *Quis non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Chriſto ſtatim gaudeat... Quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas, exire hinc lætum, exire inter preſſuras & anguſtias glorioſum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eoſdem ſtatim, ut Deus videatur & Chriſtus?* Et Epiſt.73. ad Jubajanum paulo poſt medium. *Nunquid poteſt vis Baptiſmi eſſe major, aut potior, quam paſſio, ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur?.... Sciant, Catechumenos* (pro fide occiſos) *nec privari Baptiſmi Sacramento, ut pote qui baptizentur glorioſiſſimo & maximo ſanguinis Baptiſmo, de quo & Dominus dicebat, ſe habere aliud Baptiſma baptizari; ſanguine autem ſuo baptizatos, & paſſione ſanctificatos conſummari, & divinæ pollicitationis gratiam conſequi, declarat in Evangelio idem Dominus.* Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 3. *Si quis non baptizatur, ſolatem non habet, præter ſolos Mortyres, qui vel ſine aqua Regno cœleſti potiuntur.* Auguſtinus lib.1. *de anima & ejus origine* cap.9. *Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto.* Euſebius lib.6. hiſt. cap.14. narrat de muliere, quam dicit fuiſſe Catechumenam, & teſtatur adeptam fuiſſe Baptiſmum per ignem, quia cremata fuit. Mulieris nomen erat Herais.

IV. Probatur Rationibus I. Similitudo mortis Chriſti, quæ eſt in baptiſmo aquæ, confert eidem virtutem delendi peccata; atqui martyrium non per figuram, ſed per veritatem imitatur mortem Chriſti: ergo multo magis martyrium habet virtutem delendi peccata. Argumentum eſt S. Baſilii lib. de Spiritu Sancto cap. 15. *Jam vero ſunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate revera, non imitatione Chriſti* (ut evenit in baptiſmo aquæ) *mortem per-*

peſſi,

paſſi, nihil hujuſmodi Sacramentis, quæ ſunt in aqua, opus habuerunt ad ſalutem, nimirum in proprio ſanguine baptizati. II. Martyrium juſtificat Infantes: ergo pariter Adultos. Dominicus Soto ait, eſſe privilegium parvulorum; at hoc ſine fundamento aſſerit, non enim eſt minus efficax & potens Adultorum, quam Infantum martyrium; cur ergo in iſtis majorem habebit, quam in illis virtutem & efficaiam? III. Patres tribuunt martyrio Adultorum vim remittendi peccata; atqui hoc dici non poſſet, ſi non haberet martyrium vim & virtutem ſanctificandi: ergo &c. Major patet ex Teſtimoniis Patrum, quæ recitavimus. Minor probatur. Si Martyrium non haberet virtutem juſtificandi, vis illa tribui deberet contritioni potius, vel charitati; atqui Patres tribuunt illam martyrio: ergo &c. IV. Si martyrium non haberet ex ſe ipſo virtutem juſtificandi, & illam tribueret ex vi charitatis, vel contritionis, quam habet annexam, ſequeretur, quod nullum eſſet diſcrimen inter baptiſmum ſanguinis, & flaminis; atqui hoc diſcrimen vere datur ex communi omnium Theologorum ſenſu, & ex praxi pariter Eccleſiæ: ergo &c. Probatur major; quia ſi martyrium non haberet ex ſe virtutem juſtificandi, haberet illam ratione charitatis, vel contritionis ſibi adjunctæ; ſed hoc ipſum eſt, quod conſtituit baptiſmum flaminis: ergo nullum eſſet diſcrimen &c.

Tertia Concluſionis pars, quod ſcilicet martyrium ex opere operato juſtificet, probatur I., Ex Patrum teſtimoniis, Baptiſmus ſanguinis non ſolum comparatur baptiſmo aquæ, ſed etiam illo dicitur excellentior: ergo ſi baptiſmus aquæ juſtificat ex opere operato, pariter baptiſmus ſanguinis ex opere operato juſtificat. II. Martyrium juſtificat Infantes Martyres ex opere operato: ergo ita pariter juſtificat Martyres adultos. Conſequentia ſequitur, quia utriuſque baptiſmi eadem eſt vis & efficacia. III. Dari poteſt caſus, quod charitas ſit intenſior in aliquo homine, qui ſit Confeſſor, & non martyr: ergo iſte talis haberet gloriam martyrii, quod non eſt dicendum. Probatur antecedens; quia ſi vis & efficacia Martyrii pendet a charitate, ubi major eſt charitas, ibi etiam major erit virtus, & efficacia. IV. S. Thomas 3.par. q.87.art.1. ad 2. docet; *dormienti dimitti peccata mortalia & venialia ratione mortis illatæ pro Chriſto, modo non invenerit voluntatem peccato actu adhærentem.* Et 2.2.q.124. art.1.ad 1. *Effuſio ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit baptiſmatis. Unde ſicut in pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occiſis propter Chriſtum meritum martyrii Chriſti operatur ad palmam martyrii conſequendam.* Et in 4.diſt.4 q.3. art.3. ad 1. *Non habet hoc* (nempe liberationem a culpa & pœna) *tantum ex opere operante, neque quantum ad pœnam, qua aliquis peccatum per martyrium expiet, quam contingit non eſſe ſufficientem ad ſatisfaciendum pro peccata, neque quantum ad devotionem juſtæ voluntatis, quia continget, quod voluntate majori charitate informata aliquis ſine martyrio non poteſt ab omni pœna liberari: ſed hoc habet ex imitatione paſſionis Chriſti.*

Objiciunt I. Apoſtolus I. ad Corinth. 13. habet: *ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*: ergo martyrium ex opere operato nihil præſtat. II. S. Cyprianus in epiſt. ad Cornelium Papam aſſerit, lapſos reconciliationi debere donari, ante quam ad patiendum martyrium prodeant: ergo ſi indigent reconciliatione Martyres, ut juſtificentur, ſignum eſt quod per martyrium juſticari non poſſunt. III. Martyrium eſt actus Fortitudinis, & Charitatis; ſed Infantes non poſſunt elicere hunc actum: ergo non poſſunt ſubire martyrium. IV. Sententia Chriſti: *niſi quis renatus fuerit &c.*: eſt univerſalis: ergo valere etiam debet pro Martyribus: ergo non eſt verum, quod Martyres ſalventur per martyrium, etiam ſi ſine baptiſmo moriantur. V. Tertullianus lib. *de pudicitia* cap. ult. negat baptiſmum ſanguinis, & probatur, quia reſpondit illis, qui pro fide Chriſti in vinculis detinebantur, & poſtulabant tempus pœnitentiæ, id fieri non poſſe: & per hæc verba reſpondit: *quod ſi eſt jam & martyrium, aliud erit baptiſma.* VI Martyrium eſt actus charitatis & quidem perfectiſſimæ: ergo agit ex opere operantis, non ex opere operato. VII. Si martyrium conferret gratiam ex ope-

re ope-

Digitized by Google

re operato, hoc ipſo eſſet Sacramentum; ſed Sacramentum dici non poteſt: ergo &c. VII. Si Virtus martyrii eadem eſt cum virtute baptiſmi, non tenebitur Martyr baptiſmum aquæ deſiderare, cui paſſio pro baptiſmo deputatur; hoc autem dici nequit, alioquin ad præceptum baptiſmi implendum Martyres non tenerentur. IX. Nequit deſignari tempus, quo martyrium gratiam conferat; quandiu enim martyr vivit, nondum eſt martyrium; & per conſequens tunc temporis gratiam non confert; poſt mortem vero non eſt tempus conferendæ gratiæ idoneum, ſed gloriæ recipiendæ potius: ergo &c. X. Eſt injuria, quæ fit baptiſmo, dum ipſi martyrium comparatur; & ideo Auguſtinus reprehendit Cyprianum, qui hac comparatione uſus fuerat. XI. Præceptum charitatis obligat ſub mortali in mortis articalo; ergo ſi illud non adimpleant Martyres, dum moriuntur, non ſolum non juſtificantur, ſed etiam peccant; Et ſi habent, nihil amplius faciunt, quam faceret quilibet homo in fide chriſtiana ſine martyrio decedens. XII. Martyrium, vel conſiſtit in morte, vel in voluntate moriendi pro Chriſto; non in voluntate, aliter, quia hæc voluntas poteſt mutari, ſequeretur quod martyrium poſſet amitti, quod negatur a Cypriano in præfat. ad lib. de exhortat. Martyrii; & pariter verificatum fuit exemplo in uno ex illis quadraginta Martyribus, quorum feſta celebrat Eccleſia ſeptimo Idus Martii, & Nazianzenus in Orat. 39 quæ eſt *in Sancta lumina* ſcribit martyrium eſſe baptiſmi genus *cæteris eo præſtantius, quod nullis poſtea ſordibus contaminatur*. Si vero dicant quod conſiſtat in morte, eſt inexplicabile tempus, quo gratiam ex opere operato producat, & redit argumentum nuper factum.

Reſpondemus ad I., charitatem eſſe poſſe, vel antecedentem, vel conſeqnentem ad martyrium. Quanvis autem non ſit aliquando antecedens, ſemper tamen eſt conſequens; & a Deo, vel cum gratia, vel in ipſa gratia, prout Theologi de Schola diverſimode ſecundnm varias eorum opiniones loquuntur, infunditur. Sine autem charitate, vel antecedente, vel conſequente, certe martyrium nihil prodeſt.

Ad II. Cyprianus in eo loco Euchariſtiam pariter recenſet, & tamen nemo intulit, martyrio vim non ineſſe, niſi dependenter ab Euchariſtiæ perceptione. Revera tamen per Cypriani verba aliud non importatur, niſi ut illi, quibus certamen imminebat, prius Sacramentis munirentur, ad hoc ut ſecuri pugnarent; unde voluit pœnitentiam, & reconciliationem eſſe ad martyrium neceſſarias, ut diſpoſitiones prævias, quemadmodum dicuntur neceſſariæ ad Baptiſmum fluminis in Adultis; & nihilominus nemo dixit, baptiſmum fluminis non juſtificare ex opere operato.

Ad III. Quidam de Schola Theologi reſpondent diſtinguendo majorem, martyrium eſt actus fortitudinis, & charitatis in Adultis concedunt, in Infantibus ſubdiſtinguunt; ex parte operis operati, ſeu pœnæ in odium Chriſti inflictæ, concedunt: ex parte operis operantis, negant. Et dicunt ſatis eſſe in Infantibus, ut laudem & præmium martyrii reportent, quod in Chriſti odium occidantur. Cui pariter reſponſioni nos ſubſcribimus.

Ad IV. Generalis eſt utique illa Chriſti aſſertio, *niſi quis renatus fuerit &c.*; ſed etiam eſt generale hoc alud Chriſti effatum; omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Ad ſalvandam igitur priorem illam aſſertionem, dicitur, quod qui per martyrium moriuntur, renaſcuntur quoque, non quidem ex aqua, ſed ex ſanguine, quatenus baptiſmus ſanguinis baptiſmi aquæ vices vere ſupplet.

Ad V. Aliqui dicunt, quod Tertullianus in iis, quæ citato libro ſcribit, non eſt audiendus, quia illum ſcripſit tempore, quo a Catholica fide deſciverat, & ad Montani caſtra ſe receperat. Cæterum explicari etiam poteſt, quod martyrium ſit aliud Baptiſma quoad effectum, non vero quoad rationem formalem Sacramenti baptiſmi, ut dictum eſt. Inſuper addunt, quod Tertullianus voluerit tantum in illo loco non eſſe relaxandam pœnitentiam lapſis propter Martyrum merita & preces; ait enim; *ſufficiat Martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati vel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſequutus*. Et qui hanc ultimam adhibet reſponſionem ſubdit

hæc

hæc verba, Tournely ſcilicet: „ Quanquam & in hoc aberrat Tertullianus, „ quod nolit in gratiam Martyrum „ lapſis quandam concedi indulgentiam, ſeu pœnas relaxari; Montaniſta enim factus exiſtimabat, non poſſe „ ab Eccleſia peccata dimitti. De eadem „ intempeſtiva indulgentia nonnunquam conqueſtus eſt S. Cyprianus ex „ amore diſciplinæ, non ex deſperatione „ indulgentiæ: non negabat enim poſſe, „ & debere aliquando Eccleſiam in gratiam Martyrum lapſis aliquam pœnarum canonicarum partem relaxare; „ ſed ægre admodum ferebat, totum „ relaxari, ita ut ſine ulla pœnitentia „ ſtatim ad participationem myſteriorum admitterentur; inde eccleſiaſticam diſciplinam enervari ac peſſumdari conquerebatur. „

Ad VI., diſtinguitur antecedens; martyrium eſt actus perfectiſſimæ charitatis objective, vel effective, quatenus ex martyrio oriatur, conceditur; elicitive, quatenus martyrium præcedat, negatur. Et quidem mors, quæ eſt ſubeunda pro Chriſto in martyrio, eſt objectum arduum, & difficillimum, & proinde vi ſua charitatem producit maximam; at non ſemper ex maxima charitate elicitive promanat. Supponit ergo alquando charitatem, ſed non neceſſario, quia aliquando ex vitio provenire poteſt, ex ſuperbia ſcilicet, vel ex vanagloria; unde dicitur; *Martyres non facit pœna, ſed cauſſa*. A primo ad ultimum, martyrium ſupponit charitatem, ſaltem inchoatam & imperfectam tanquam diſpoſitionem neceſſariam; quod ſi eveniret quod charitas eſſet perfecta, tunc virtute pœnæ martyrium efficaciter influeret ad pœnam delendam; unde docet S. Thomas 2.2.q.124.art.2. ad 2. *Ad actum Martyrii inclinat quidem charitas, ſicut primum & principale motivum per modum virtutis imperantis; fortitudo autem ſicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde eſt, quod martyrium eſt actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis; inde etiam eſt, quod utranque virtutem manifeſtat. Quod autem ſit meritorium, hoc habet ex charitate, ſicut & quilibet virtutis actus, & ideo ſine charitate non valet*.

Ad VII. Aliqui Teologi de Schola, ſcilicet, Major &c. voluerunt baptiſmum ſanguinis eſſe Sacramentum, qui reducitur ad baptiſmum ut ſic; quemadmodum plures Ordines faciunt unum Sacramentum; unde hoc non obſtante Sacramenta non eſſent plura, nec pauciora, quam ſeptem. At hæc reſponſio omnimode nobis diſplicet, & quidem primo, quia etiam in lege veteri martyrium conferebat gratiam, & tamen non erat Sacramentum. Secundo, quia martyrium non conſtat verbis, adeoque non habet formam. Tertio, quia non invenitur hoc martyrii Sacramentum a Deo inſtitutum. Dicimus autem nos, quod licet martyrium conferat gratiam ex opere operato, non eſt tamen ſignum talis gratiæ ex divina inſtitutione, prout requiritur ad Sacramentum. Unde S. Thomas 3. par. q. 67. art. 11. ad 2., docet: *Sacramenta habent rationem ſigni; alia vero duo* (intelligit baptiſmos flaminis, & ſanguinis) *conveniunt cum baptiſmo aquæ, non quidem quantum ad rationem ſigni, ſed quantum ad effectum baptiſmatis: & ideo non ſunt Sacramenta*.

Ad VIII., dicitur, quòd baptiſmus, & pœnitentia pro lapſis, ſunt diſpoſitiones ad martyrium, & votum pro illis qui non poſſunt, eſt etiam diſpoſitio; unde per hoc non fit, quod martyrium gratiam ex opere operato non conferat.

Ad IX. In martyrio gratiæ plenitudo confertur in inſtanti ſeparationis animæ a corpore; tunc enim videtur martyrium perfici, quando vi cruciatuum anima a corpore diſcedit. Quod ſi contingat, Martyrem accepto vulnere lethali aliquandiu eſſe ſuperſtitem, tunc gratiam martyrii obtinebit, quando ex vi illati vulneris vitam cum morte commutabit. Et hoc pacto Sanctorum Marcelli, Sylverii, & Martini Pontificum martyrium ab Eccleſia celebratur, qui variis laboribus, & ærumnis confecti deceſſerunt. Requiritur autem, ut martyr poſt acceptа vulnera ſuperſtes in Dei dilectione perſeveret, a qua ſi per peccatum mortale excidat, in vanum pro Chriſto lethiferas pertulit paſſiones.

Ad X. Martyrium æquiparatur baptiſmo non quantum ad dignitatem Sacramenti, ſed quantum ad effectum. Falſum eſt autem, Auguſtinum pro hoc reprehendere Cyprianum, quum eum

quando adeſt juſta & rationabilis cauſſa: ergo quando non adeſt juſta & rationabilis cauſſa, non licet alicui ſe offerre Martyrio. Et quidem ad præfata Chriſti verba hæc habet Athanaſius in Apolog. de fuga ſua. *Verbum propter nos homo factum, non indignum putavit, cum quæreretur, quemadmodum & nos, abſcondere ſe, & cum perſecutionem pateretur, fugere & inſidias declinare.*

II. Probatur exemplo illorum Sanctorum, qui perſecutiones fugiebant, in antris & in cryptis ſe occultabant, ut a Tyrannis, & Carnificibus declinarent, & alia etiam adhibebant remedia, quæ licite, & prudenter fieri poſſunt, ut ſe ab imminente morte liberarent; & hoc quidem exemplum Eccleſia non reprobavit, immo potius approbavit, & eoſdem Sanctos nobis colendos propoſuit, ut patet in Athanaſio, in Hilario, & aliis multis.

III. Probatur, quia illi, qui ſine rationabili cauſa, aut divino inſtinctu, Martyrio ſe offerunt; quum ſint de ſua perſeverantia incerti ſe exponunt periculo fidei abnegandæ; ſed vetitum eſt periculo fidei abnegandæ ſe exponere, ſine rationali cauſſa, & ſine inſtinctu divino: ergo &c. Argumentum fundatur in Cypriani verbis epiſt. 83.: *temeritate non ceret, temere procurare martyrium*

IV. Probatur. Se offerre Martirio abſque cauſſa rationabili, & abſque inſtinctu divino, eſt illud quærere abſque eo quod expectetur infidelium Converſio, nec ſperetur Dei gloria, aut fidei exaltatio; ſed hoc eſt illicitum: ergo pariter illicitum eſt illud. Maior patet, quia aliter eſſet rationabilis cauſſa, quam nos non ſupponimus. Minor probatur; illicitum eſt Tyrannorum peccato cooperari, & ipſos ad ſævitiam inducere ac impellere, quum ſit intrinſece malum; ſed hoc idem faciunt, qui abſque rationabili cauſſa, & ſine divino inſtinctu, martyrio ſe offerunt: ergo &c.

Secunda Concluſionis pars probatur. Si fiat alicui neceſſitas, ut vel peccet, vel moriatur, ut vel fidem neget, vel martyrium ſubeat; ut vel contra Religionem aliquid notabile moliatur, vel perficiat, aut vitam amittat; in his caſibus urget potius præceptum non comittendi peccatum, non amittendi fidem, & Religionem conſervandi, quam quælibet alia obligatio, aut inclinatio mortem evitandi, & propriam vitam conſervandi, vel tuendi: ergo adeſt aliquando obligatio ſubeundi martyrium.

Obſtant I. Licitum eſt, immo eſt meritorium, ſe ad virtutis actum exercendum exhibere; ſed hoc ipſum importat ſe offerre martyrio: ergo in quocunque caſu licitum eſt ſe offerre martyrio. II. Chriſtus Joannis 3. impellebat Judam, ut ſe traderet ad occidendum; ſed hoc ipſum eſt quid plus, quam ſe offerre martyrio, ergo ſi licitum erat unum, licitum pariter eſt aliud. III. Legimus plures Sanctos, & inter hos etiam parvulos, qui ſe Carnifici obtulerunt, ut eos occiderent, ergo horum exemplo licitum eſt ſe offerre martyrio. IV. Sancti Confeſſores, qui martyrium fugiebant, habebant juſtam cauſſam, ut martyrium ſubirent: ergo non ſine culpa fugiebant. Probatur antecedens. Inter illos eodem tempore inveniebantur, & qui martyrium ſubibant, & qui a Martyrio declinabant: certum eſt autem, quod aliqui ex his faciebant bonum: ergo alii, quum ex adverſo operarentur, faciebant malum: ergo ſemper ſtat, quod aut malum erat fugere martyrium, aut malum erat illud ſubire.

Reſpondemus ad I. Verum eſſe antecedens, ſi ex illo virtutis actu non proveniat in alio actus vitii & impietatis; tum enim eſſet dare operam alterius peccato, quod non eſt faciendum, quanvis ex illo ſequatur bonum. Ita enim martyrium continet virtutis actum ex parte unius, ut ex alterius parte contineat quoque actum malitiæ, & crudelitatis exercitium; qui ſane actus non ſunt inter ſe ſeparabiles; unde non poteſt quis intendere unum, niſi pariter alterum intendat.

Ad II., dicitur, quod Chriſtus non provocabat, non incitabat, nec impellebat Judam ad proditionem, ſed tantumodo intendebat, ſe oſtendere paratum ad ſuſtinendam mortem, ut per illam genus humanum a peccati ſervitute liberaret. Et quanvis Judæ proditio conſideraretur, vel ſupponeretur a paſſione ſua, illam tamen Chriſtus non intedebat, niſi permiſſive. Sic pariter nos non intendimus niſi permiſſive ali-

aliquem malitiæ actum quatenus hic includeretur in opere bono, quod nos efficaciter appetimus, & exequi omni ſtudio procuramus. Deſiderans etiam actionem bonam in ſe ipſo, non per hoc deſiderat etiam actionem malam in altero; at ſuppoſita actione mala, ad quam permiſſive tantum ſe habet, gaudet de actione in ſe bona.

Ad III., dicitur, quod Sancti illi, & parvuli quoque, qui, adducuntur in exemplum, vel rationabiles cauſſas habuerunt, quibus inducebantur, ut ſe martyrio traderent, vel divinum inſtinctum, a quo ducti ſe cruciatibus & morti obtulerunt. Noſtra autem concluſio dicit, quando non adſunt rationabiles, cauſſæ vel divinum inſtinctum, ut dictum eſt.

Ad IV., dicitur, ex utraque parte fuiſſe bonum, & ex neutra malum. Et quanvis eſſent rationabiles cauſſæ ex parte aliquorum, qui martyrium ſubibant, erant quoque rationabiles cauſſæ ex parte aliorum, qui martyrium fugiebant. Non eædem proinde apud omnes illos erant cauſſæ, quæ ad diverſimode operandum inducebant, vel non eodem modo ab omnibus ipſis cognoſcebantur. Unde fiebat, quod diverſimode ab illis cognitæ ad diverſimode quoque operandum ſuadebant. Quod quidem quam facile ſit in diverſis, qui diverſimode agunt, & omnes bene agunt, facillimum eſt exemplis pluribus demonſtrare,

Pro ultima tandem Diſſertationis parte, præſciendum eſt, Theophylum Raynaudum, Societatis Jeſu virum alioqui eruditum, & infinita propemodum lectione præditum, ad extollendum illud eximiæ charitatis, & chriſtianæ patientiæ opus, quo peſte infectis ita adminiſtramus, ut inde mortem conſequamur, docuiſſe, mortem hujuſmodi martyrium charitatis eſſe, ſtrictúque martyrii genus per peſtem dictum conſtituere. Opinionem hanc Urbanus VIII., & Innocentius X. accurata oblongi examinis indagine præmiſſa, damnarunt, quibus & nos cohærenter.

Dicimus III., mortem, in obſequio peſte contractorum oppetitam, ſtrictam rationem martyrii non habere.

I. Probatur. Martyrium, quod dicunt per peſtem, nunquam cognovit Eccleſia, & Patres omnes ignorarunt: ergo non eſt admittendum, ut verum & in rigore Martyrium. Antecedens eſt doctrina ipſiusmet Raynaudi. Conſequentia ſequitur: nam ut ait Vicentius Lyrinenſis, *id ſolum tenendum, credendumque eſt, quod univerſaliter Eccleſiam Catholicam antiquitus tenuiſſe cognoſcimus*.

II. Probatur. Patres non ſolum hujus martirii generis non meminerunt, ſed etiam hoc ipſum ex profeſſo refutarunt: ergo martyrium hoc a Raynaudo excogitatum, quum non fuerit a Patribus admiſſum, immo potius negatum, non debet a Scriptore catholico admitti. Antecedens patet, quia Auguſtinus lib. *de immartalitate*, Chriſtianos quoſdam peſtem fugientes, & obſequium languentium ea ratione detractantes, quia vitam martyrio ſubeundo reſervabant, nec ob præmaturam mortem volebant martyrio privari, hos certe chriſtianos refellit S. Pater; at non ex eo, quod in obſequio illo oppetita mors martyrium æquet, aut ſuperet, ut Theophylus arbitratur; quod quidem in promptu eſſet, ſi morti ex peſte martyrium aſſereretur; at ex eo tantum excuſationem illam confutat, *quod*, inquit, *non eſt in noſtra poteſtate, ſed in Dei dignatione, martyrium, nec poſſumus nos dicere perdidiſſe, quod neſcimus, an mereamur accipere*. Argumentum eſt Thomæ Hurtadi.

III. Probatur. Verum martyrium, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 124. art. 1. eſt actus virtutis, quo aliquis contra impetus perſequentium firmiter in juſtitia, & veritate permanet: unde infert, martyrium conſiſtere in debita ſuſtinentia paſſionum injuſte inflictarum, & ad illud requiri rationem prælii, & certaminis: & art. 4. hanc affert rationem, quia Martyr eſt quaſi teſtis fidei chriſtianæ, corporalibus ſuis paſſionibus, & fuſo ſanguine teſtimonium perhibens oppugnatæ veritati, juxta illud Iſidori lib. 7. Etymolog. cap. 11. *Martyres græce, teſtes latine dicuntur, quia propter teſtimonium Chriſti paſſiones ſuſtinuerunt, & uſque ad mortem pro veritate certarunt*; atqui illi, qui graſſante lue languentibus inſerviunt, quanvis eximiam charitatem demonſtrent, etiam mortem vel quærendo, vel inveniendo, mortem

tem

tem tamen violentam a Tyramno veritatem, aut juſtitiam perſequente non patiuntur, ſed potius ultroneæ morti ſponte ſe offerunt, non ut oppugnatam veritatem defendant, ſed ut infirmis opitulentur, & charitatem exerceant. Immo ea cautela ſe gerunt, ut ad evertendam mortem præſidia quærant, & remedia opportuniora parent, quam denique perſæpe ſubſidiis hiſce declinant, quod in vero Martyrio totum contra ſe habet.

IV. Probatur. Verum martyrium eaſdem habet dotes, quas Baptiſmus fluminis, ſcilicet juſtificationem ex opere operato, remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ, exemptionem a neceſſitate precum, & ſuffragiorum Eccleſiæ, & quartam habet ſingularem, aureolam nempe perfectiſſimæ victoriæ; atqui hæc privilegia nunquam Eccleſia credidit eſſe communia morientibus in obſequium peſte infectorum, præſertim quod illis ex opere operato omnis culpa remittatur; quod & fortius confirmatur, quia puero in utero matris in obſequio illo mortuæ decedenti non remittitur peccatum originale; & nihilominus ex alia parte, quando mater in odium Chriſti per verum martyrium occiditur, puer materno ſanguine baptizatur.

Objiciunt I. In Martyrologio Romano ſub die 28. Februarii recolitur memoria ſanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valentiniani Imperatoris, quum peſtis graviſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes libentiſſime mortem oppetierunt, quos, inquit Martyrologium, veluti martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit. Hinc, ut refert Cardinalis Baronius, ex Euſebio lib. 7. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 16. & 17., in notis ad illum diem, S. Dionyſius Alexandrinus de illorum ſanctorum morte loquens ait: *iſtud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil a martyrii ſplendore abeſſe videtur*. II. Ille eſt vere martyr, qui pro Chriſti nomine ærumnas ſuffert, & mortem tandem obit; ſed ille, qui præſtantiſſimæ virtutis motivo vitam ſuam in obſequium peſte laborantium impavidus profundit, pro Chriſti nomine moritur: ergo hic eſt vere martyr. Minor eſt doctrina Divi Thomæ citato loco art 5. ubi ſcribit: *ille Deum magis ſe amare ſignificat, qui pro illo rem magis amatam, ſcilicet vitam, flocci pendet, & rem magis odioſam, ſcilicet mortem, lubens ſubit*. III. Ex eodem S Thoma art. 5.; *cujuslibet martyrii cauſſa, eſt fidei veritas; ſed ad fidei veritatem non ſolum pertinet ipſa credulitas cordis, ſed etiam exterior proteſtatio, quæ quidem fit non ſolum per verba, quibus aliquis confitetur fidem, ſed etiam per facta, quibus fidem ſe habere oſtendit*. Et ideo omnium virtutum opera ſecundum quod referuntur in Deum, ſunt quædam proteſtationes fidei, per quam nobis innoteſcit, quod Deus hujuſmodi opera a nobis requirit, & nos pro eis remunerat, & ſecundum hoc poſſunt eſſe martyrii cauſſa; ergo qui inſervit infirmis graſſante peſte, & moritur inſerviendo, martyrii palmam conſequitur. IV. Si quid obſtaret, quin martyr dici poſſet, qui ſe exhibet morti in obſequiū peſte laborantium, & in illo moritur, hoc maxime eſſet, quia ſequeretur, eundem eſſe carnificem & martyrem, quatenus ſcilicet ille idem, qui martyr eſt, ſe martyrem facit, quum ſe ipſum ſponte offerat, ac deputet ad exercitium, in quo mors neceſſario oppetitur; atqui hoc nihil obſtat: ergo &c. Probatur minor. Etiam qui per nimiam pœnitentiam in ſe ipſum ſævit, carnifex eſt ſui ipſius, & nihilominus martyr dicitur; ut de ſancto Patre Franciſco de Paula canit Eccleſia; *longum tulit martyrium*: ergo ob parem rationem nihil etiam obſtat, quin martyr dici poſſit, qui in peſte moritur, quanvis ipſe ſit martyr, & carnifex ſui ipſius.

Reſpondemus ad I., Sanctos illos per analogiam, & ſimilitudinem, dici martyres, unde & velut martyres eos religioſa pietas colebat, quia non fuerat in eis cauſſa, quæ martyres facit fuit fides tamen, pietas, & conſtantia martyrum, quæ ad meritum præmii eſſentialis nihil a martyrii ſplendore abeſſe videntur; ſplendor nanque martyrii a virtutibus, quæ inibi demonſtrantur, provenit. Per extenſionem ergo, & imitationem conſtantiæ martyrum, dicuntur martyres,

eo modo, quo viri chriſtiani vita ad Evangelium exacta martyrium à Patribus dicitur.

Ad II., dicitur, ad plenum ſtrictumque martyrium non ſufficere tolleratam pœnam, vel mortem, juxta celebre Auguſtini dictum: *martyr non facit pœna, ſed cauſſa*. Qua de re idem Auguſtinus plenius epiſt.50. hæc habet. *Dominus cum latronibus crucifixus eſt, ſed quos pœna jungebat, cauſa ſeparabat. Ideo in Pſalmo vox illa intelligenda eſt verum martyrium: judica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta; non dixit, diſcerne pœnam, ſed diſcerne cauſam meam*. Et epiſt.48. *Tres cruces in uno loco erant; in una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Chriſtus alterum damnaturus, alium liberaturus. Quid ſimilius iſtis crucibus? Quid diſſimilius iſtis pendentibus*. Rurſus non quæcumque cauſſa etiam pia, non quæcunque mors in exercitio alicujus boni, aut proſequtione virtutis maturata, ad martyrium ſufficit, ſed omnino requiritur, ut mors in odium fidei, veritatis, aut virtutis, quam Chriſti miles intrepide tutatur, inferatur. Alioquin verus erit Martyr, qui vigiliis, jejuniis, & aliis pœnitentiæ operibus vitam contraheret, & in annos cogeret pauciores, quemadmodum nos omnes Minimos quadrageſimalem vitam obſervantes dicere non immerito quis poſſet. Martyr eſſet etiam Prædicator, ob labores concionum infirmatus & mortuus; martyr S. Caſimirus mori malens, quam virginitatis jacturam facere.

Ad III., dicitur, quod S. Thomas id unum intendit, ut non ſolum fidei orthodoxæ propugnandæ cauſſa, ſed etiam in omnis generis virtutum praxi contigere poſſit martyrium, quando ſcilicet ab illarum exercitio Tyrannus, minis, & morte intentata, nititur aliquem amovere. In cujus confirmationem affert exemplum S Joannis Baptiſtæ, qui non ob fidem, quam profitebatur, ſed pro adulterii reprehenſione occiſus fuit, quemadmodum & de S. Thoma Cantuarienſi dici ſimiliter poteſt, qui pro libertate Eccleſiaſtica tuenda, licet non pro fide, mortem oppetiit.

Ad IV. Sicut non vere, proprie, & ſtrictim eſt martyr, qui ob nimiam pœnitentiam ſe ipſum occidit, ſed largo modo & ſimilitudinarie dicitur martyr; ita etiam, qui in obſequium peſte laborantium moritur, non vere proprie, & ſtrictim dicitur martyr, ſed tantum large & ſimilitudinarie; unde quemadmodum uni martyrum aureola non convenit, ita nec alteri debetur; & ſicuti Eccleſia alterum non proponit, ut martyrem venerandum, ita nec unum, ut martyrem, colendum exhibet.

DISSERTATIO CCCXXXVIII.

De Baptiſmo flaminis. Quinam fuerint circa ipſum Antiquorum errores, & quænam ſint Scholaſticorum opiniones? An ad ejuſdem baptiſmi efficaciam requiratur neceſſario charitas? An perfecta charitas, & cordis contritio includens baptiſmi aquæ votum, illius vices in Adultis ſuppleat?

PRimo, fuerunt antiquis temporibus, qui ita neceſſarium exiſtimarunt ad ſalutem baptiſmum flaminis, ut nullo modo putaverint ſufficere, etiam in neceſſitatis caſu, Baptiſmi deſiderium, vel votum, quod idem eſt, ac flaminis baptiſmus. Inter hos aliqui adnumerant Nazianzenum Orat. 40. in ſanctum Baptiſma, ubi probat, quod iis, qui fortuito ſine Baptiſmo moriuntur, nihil proſit baptiſmi votum, ſeu deſiderium. Alii vero aliter explicant ſanctum Doctorem, & dicunt, ipſum diſtinguere tres ordines illorum, qui non ſunt baptizati; in quorum primo ponunt illos, qui vitiis omnimode ſtudent, & de baptiſmo non curant; in ſecundo illos, qui baptiſmum honorant & deſiderant, ſed illum protrahunt, ac differunt præ ignavia, & ut liberius vitiis vacent; in tertio illos, qui vivunt quidem recte, ſed vel propter ignorantiam, vel propter tyramnidem a baptiſmo excidunt; & quid intelligat tyramnidis nomine hiſce verbis explicat: *tyramnis autem nihil aliud eſt, quam rei alicujus conſequendæ inopinato erepta facultas*. Ex his aſſerunt ex Nazianzeno, graviter puniendos fore primi & ſecundi ordinis homines; tertii vero ordinis nec puniendos pœna æterna, nec æterna gloria donandos. Attamen nonnulli benignius ſanctum Doctorem intelligunt, & ajunt, ſupponi ab illo, quod tertii ordinis homines, non habeant deſiderium percipiendi baptiſmum ex charitate, ſeu contritione perfecta, ſed aliquam habeant ex ipſorum parte cauſſam, ob quam baptiſmo priventur.

Secundo, Gennadius Maſſilienſis docuit, Catechumenos non ſalvari, etiamſi vixerint in bonis operibus, niſi baptiſmo aquæ, aut ſanguinis, purgati fuerint. Hic eſt Gennadius Maſſilienſis, qui eſt Auctor libri de Dogmatibus eccleſiaſticis, cujus antea credebatur Auctor S. Auguſtinus, ut legitur in Tomo 8. ejus operum in Appendice cap. 41., alias 74.

Tertio, S. Fulgentius interrogatus a Ferrando Diacono, quid dici deberet de quodam Æthiope, qui diu catechumenus fuerat, & deinde ſubito morbo ſenſu & voce privatus in extremis baptizatus fuerat; reſpondit; illum recte fuiſſe baptizatum, & per præcedentem fidei promiſſionem, quam non revocaverat, fuiſſe ſalvum. Cæterum in ſequentibus inclinare videtur, quod baptiſmi votum ad ſalutem non ſufficiat, etiam neceſſitate urgente. Unde in epiſt. 12. ad eundem Ferrandum cap. 8. hæc habet: *illum ſine baptiſmi Sacramento ſola confeſſione non potuiſſe ſalvari. Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; illum utique Adoleſcentem, quia credidiſſe, & confeſſum fuiſſe novimus, ideo per Sacramentum baptiſmatis ſalvum fuiſſe firmamus; qui ſi non baptizaretur, non ſolum neſciens, ſed etiam ſciens, nullatenus ſalvaretur: Via enim ſalutis fuit in confeſſione, ſalus in baptiſmate. Nam in illa ætate non ſolum ei Confeſſio ſine* bapti-

baptiſmate nihil prodeſſet, ſed nec ipſum baptiſma non credenti, neque confitenti, ullatenus proficeret ad ſalutem. Et lib. de fide ad Petrum cap.3. ſic loquitur. *Ex illo tempore, quo Salvator noſter dixit: ſi quis renatus non fuerit &c., abſque Sacramento baptiſmatis, præter eos, qui in Eccleſia Catholica ſine baptiſmate pro Chriſto ſanguinem fundunt, nec Regnum Cœlorum poteſt quiſpiam accipere, nec vitam æternam*.

Quarto, circa ſeculum XIII. quidam fuerunt docentes, neminem ſalvari poſſe ſine baptiſmo *in re*, vel ſine Martyrio, quamvis baptiſmum cum vera fide, & cum contritione cordis, deſideraret; & hoc, quia volebant, verba illi Chriſti, *niſi quis renatus fuerit &c.*, intelligenda eſſe ad literam. Teſtis eſt S. Bernardus in epiſt 77. ad Hugonem Victorinum, qui ipſum de hác quæſtione interrogaverat; loquitur pariter idem, Hugo lib.1. de Sacram. par.6 cap.7., & Magiſter Sententiar. lib.4. diſt.4,

Quinto, Michael Bajus in Propoſitionibus, quas damnaverunt S. Pius V, & Gregorius XIII., putavit, Catechumenos habere quidem poſſe ante baptiſmi perceptionem charitatem perfectam, & contritionem, peccatorum vero remiſſionem, niſi per baptiſmum, haberi non poſſe. Et hæc ſunt verba ipſius in Propoſitione XXXI. ex damnatis. *Charitas perfecta, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, in Catechumenis, & pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum*.

Ad Scholaſticos modo devenimus; & quidem primo, Eſtius in 4. diſt.17.§.2. aſſerit, non remitti peccata per viam ordinariam ante actualem baptiſmi, vel pœnitentiæ perceptionem; et ſi perfecta ſit charitas, tum intenſive, tum extenſive, remitti tantum raro, & in neceſſitate.

Secundo, Pamelius in Scholiis ad epiſt. 54. S. Cypriani vult, ſolam contritionem ſufficere ad peccatorum remiſſionem in neceſſitatis caſu, non vero extra neceſſitatem.

Tertio, alii putant, ſufficere implicitum baptiſmi deſiderium ad juſtificationem, at ad vitam æternam obtinendam neceſſarium eſſe deſiderium explicitum. Ita Canus in Relectione de Sacram. in genere art.2. Concl.3.

Quarto, alii volunt, ſufficere ſolummodo deſiderium implicitum, tum ad juſtificationem, tum ad vitam æternam conſequendam; & hujuſmodi ſunt Vega lib. 5. ſuper Concilium Tridentinum cap.14., Vaſquez, aliique.

Quinto, alii faciunt diſtinctionem inter illos, quibus promulgata eſt lex baptiſmi, & illos, qui penitus illam ignorant, & aſſerunt, quod his ultimis ſufficiat votum implicitum; primis vero ſit neceſſarium explicitum. Tribuitur hæc ſententia Dominico Soto in 4. diſt.5. q. unica art.2.

Sexto, alii tenent, quod per votum baptiſmi omnis culpa, & pœna remittatur: & alii concedunt hoc ipſum de culpa, ſed negant de pœna; alii denique concedunt de culpa, & de pœna, ſed non de tota pœna temporali in altera vita.

Pro ſecunda Diſſertationis parte ſcire oportet, baptiſmi votum reperiri poſſe, vel in ſubjecto nullam habente charitatem in Deum, vel in habente imperfectam. Subjectum nullam habens charitatem, omnes concedunt, quod per baptiſmum in voto etiam in caſu neceſſitatis remiſſionem non conſequatur peccatorum; & conſentiunt etiam illi, qui docent, attritionem ſufficere ad juſtificationem, quatenus volunt, ſufficere quidem cum Sacramento, aut baptiſmi, aut pœnitentiæ, non vero extra Sacramentum. Unde aſſerunt, quod, qui ſolam attritionem haberet, & non haberet baptiſmum, aut pœnitentiam, etiamſi cujuſvis illorum votum haberet, tamen ſi moriretur, periret. S. Fulgentius, ſi in rigore intelligitur, videtur voluiſſe, nec etiam perfectam charitatem ſufficere; ſed nos mitius agentes, benigne ipſum interpretati ſumus. Eſtius vult perfectam charitatem requiri, ſed tantum in neceſſitatis caſu, non vero paſſim, & ordinarie, baptiſmi voto peccata remitti, ut diximus. Chriſtianus Lupus in Diſſertat. *de neceſſitate charitatis in Sacramento pœnitentiæ, ac baptiſmi*, ait, ſufficere imperfectam charitatem in caſu neceſſitatis, ſed extra hunc caſū requiri perfectam, cui adheret Juenius in Commentario. Alii autem magis communiter volunt, quovis in caſu, ſive paſſim, & ordinarie, etiam quando neceſſitas non urget, baptiſma in voto receptum juſtificare impium,

in quo

in quo eſt charitas in Deum, quamvis imperfecta.

Dicimus I., fide catholica eſſe certum, quod baptiſmi votum cum perfecta charitate in ultimo vitæ juſtificet.

I. Probatur, ex Concilio Tridentino ſeſſ.14.. cap.4. ubi legitur. *Docet præterea, etſi contritionem hanc aliquando charitatem perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.*

II. Probatur ex Conſtitutione S. Pii V., per quâ proſcribitur propoſitio xxxi. Baji, quæ eſt, ut nuper eſt dictum: *Charitas perfecta, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, in Catechumenis, & pænitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum*; unde per eandem decernitur, quod voto baptiſmi extra etiam neceſſitatis caſum dimittitur peccatum Catechumeno, qui illud ex motivo perfectæ charitatis deteſtatur.

III. Probatur ex ſacra Facultate Pariſienſi, quæ anno 1560, propoſitionem hanc damnavit: *per contritionem non adhibito realiter Sacramento baptiſmi, vel pænitentiæ, non dimittitur crimen extra caſum Martyrii, & neceſſitatis.*

Dicimus II., ſufficere etiam charitatem Dei ſuper omnia, etiamſi imperfectam, quæ conjungatur cum baptiſmi voto, in caſu neceſſitatis; extra vero hunc caſum non ſufficere.

I. Probatur ex Scripturis. Joelis 2.: *omnis quicunque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*. Matth.7. *Omnis, qui petit, accipit*. Et quidem aſſertiones hæ, quum ſint generales, exprimuntur enim per verbum *omnis*, quod univerſalitatem importat, non debent reſtringi ad aliquos, nec per aliquam exceptionem circumſcribi, ſed intelligi debent de omnibus, qui Deum creatis rebus per charitatem anteponunt.

II. Probatur ex Traditione, qua conſtat, Teſtimonio Patrum, Cathecumenos, qui habebant charitatem Dei ſuper omnia, conſequutos fuiſſe juſtitiam in neceſſitatis caſu per votum baptiſmi. Et quidem probatur teſtimonio Cypriani in epiſt. ad Jubajanum. *Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes ſine baptiſmo admiſſi ſunt? Potens eſt Dominus, miſericordia ſua indulgentiam dare, & eos, qui ſimpliciter admiſſi in Eccleſia dormierunt, ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare*. Quibus verbis Cyprianus intendit aſſerere, quod ſi hæretici morirentur cum invalido baptiſmo, ut ipſe juxta ſuam falſam hypotheſim ſentiebat, nihilominus ſalvabantur, ratione baptiſmi flaminis, quem cum charitate, licet imperfecta, conceperant. Ambroſius in Orat. funebri de obitu Valentiniani dicit, quod hic Imperator per baptiſmi deſiderium peccatorum ſuorum remiſſionem conſequutus fuerat. *Sed audivi vos dolere, quod non acceperit Sacramenta baptiſmatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis eſt niſi voluntas, niſi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut antequam in Italiam veniſſet, initiaretur, & proxime baptizari ſe a me velle ſignificavit, & ideo præceteris cauſis a me accipiendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam deſideravit? Non habet, quam popoſcit; & quia popoſcit, accepit. Et ubi illud eſt: juſtus quacunque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit..... Qui habuit ſpiritum tuum; quomodo non accipit gratiam tuam? aut ſi, quia ſolemniter non ſunt celebrata myſteria, hoc movet: ergo nec Martyres, ſi catechumeni fuerint, coronentur, Non enim coronantur, ſi non initientur. Quod ſi ſuo abluuntur ſanguine; & hunc ſua pietas abluit, & voluntas*. Auguſtinus lib.4. de bapt. cont. Donatiſtas c.22. *Invenio non tantum paſſionem pro nomine Chriſti, id quod ex baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem converſionemque cordis; ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt*. Bernardus epiſt.77. *Ab his columnis, Auguſtinum loquor, & Ambroſium, crede mihi, difficile avellor. Cum his inquam, me aut errare, aut ſapere fateor, credens, & ipſe ſola fide hominem poſſe ſalvari cum deſiderio percipiendi Sacramenti: ſi tamen pio adimplendi deſiderio mors anticipans, ſeu alia quæcunque vis invincibilis obviarit*.

III. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius III., qui refertur in cap. *Debitum* de baptiſmo, interrogatus de Judæo non vere baptizato, reſpondit:

dit : *ſi continua deceſſiſſet ad patriam protinus evalaſſet, propter Sacramenti fidem, etſi nan prapter fidem Sacramenti* : ubi vox illa *pratinus* non ſignificat immediatum poſt mortem in Cœlos trauſitum, ſed brevi futurum ; quod ex eodem Iunocentio patet in cap. *Apaſtolicum*, ubi poſtquam aſſeruit, quendam Presbyterum non baptizatum incuntanter poſt mortem adeptum eſſe cœleſtem gloriam, jubet, ut pro illius requie orationes fiant, & ſacrificia Deo offerantur. Afferuntur etiam Damnationes propoſitionis Michaelis Baji, quæ factæ fuerunt a S. Pio V., & a Gregorio XIII., ut nuper diximus.

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium Carthaginenſe IV. ſeculo quinto habitum Can. 79. *Pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis ſubveniri nan poſſit, memoria earum, & orationibus, & oblatianibus commendetur*. Concilium Arelatenſe can. 12. *De his, qui in pœnitentia paſiti, vitam exceſſerunt, placuit nullum vacuam communione debere dimitti, ſed pra eo, quad honoravit pœnitentiam, ablatio illius recipiatur*. Concilium Toletanum II. can. 12. *De his autem, qui accepta pœnitentia, antequam reconcilientur, ab hac vita receſſerint, quanquam diverſitas præceptarum de hoc capitulo habeatur*, (loquitur de Leonis Magni epiſt 91.) *illorum tamen ſententia nobis placuit, qui multiplices numero de hujuſmodi humanitas decreverunt, ut & memoria talium in Eccleſiis commendetur, & oblatia pro earum delicto a Presbyteris recipiatur*. Et præ omnibus aliis, quæ afferre poſſemus, ſubdimus Concilium Tridentitum ſeſs. 6. cap. 4., in quo docet : *Paſt Evangelium promulgatum, nunquam fieri translationem a ſtatu veteris Adæ ad ſtatum gratiæ, ſine lavacro regenerationis, aut ejus vato*. Et ſeſs. 7. can. 4. *de Sacram. in genere* damnantur ; qui aſſerunt : *ſine Sacramentis, aut eorum voto, per ſolam fidem homines a Deo gratiam juſtificatianis adepiſci*. Et ſeſs. 14. cap. 4. *Docet præterea*, (Sancta Synodus) *etſi cantritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur ; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritiani ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam* : Sed ex eodem Concilio eadem eſt ratio reſpectu pœnitentiæ, ac reſpectu Baptiſmi : ergo &c. Minor probatur ex verbis ejuſdem Concilii cap 2. *de Sacram. Pœnitentiæ*, ubi dicitur. *Eſt autem hoc Sacramentum pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe baptiſmus*.

V. Probatur Rationibus I. Deus in caſu neceſſitatis nunquam relinquit hominem ſine remedio, quod poſſit ab ipſo homine adhiberi ad æternam ſalutem conſequendam ; ſed hoc remedium aliud non eſt, quam baptiſmus in voto : ergo baptiſmus in voto ſufficit ad conſequendam ſalutem in caſu neceſſitatis. II. Votum baptiſmi nunquam habebitur perfectum ſine aliqua charitate erga Deum, ſaltem imperfecta : ergo ſemper requiritur ad votum baptiſmi charitas, ſaltem imperfecta, erga Deum, ut ſuum ſortiatur effectum. III. Quæ eſt pro altera Concluſionis parte ; quia Patres, qui loquuntur de caſu neceſſitatis, non loquuntur ſine eodem caſu ; Immo potius arguunt illos, qui baptiſmum differunt, & quando tempus habent ſuſcipere negligunt ; ergo ex ſententia Patrum extra caſum neceſſitatis baptiſmi votum non ſufficit, etſi in neceſſitatis caſu ſufficiat. IV. Praxis Eccleſiæ pro antiquis temporibus docuit, illam oraſſe, pro Catechumenis, qui cum baptiſmi voto deceſſerant, & tempus opportunum non habuerant ſuſcipiendi illum in re ; non autem oraſſe pro illis, qui tempus habuerant & non ſuſceperant : ergo mens Eccleſiæ erat, baptiſmi votum ſufficere in caſu neceſſitatis non vero extra.

Dicimus III., Baptiſmum flaminis, ſaltem in ultimo vitæ, delere peccatum, & quoad culpam & quoad pœnam ; non autem quoad totam pœnam temporalem in altera vita

Prima Concluſionis pars probatur I. ex Ambroſio ſupra citato in Orat. de obitu Valentiniani, qui baptiſmum quidem expetiverat, ſed certis ob cauſſas diſtulerat, volens ab ipſo Ambroſio baptizari, & a morte fuit interceptus, antequam ad illum perveniret : ubi Ambroſius pluries repetit ; Valentinianum baptiſmi gratiam accepiſſe.

II. Probatur ex Aug. l. 4. de bapt. cont. Donatiſtas cap. 22. 23. 24. 25., ubi fuſe oſten-

Digitized by Google

oſtendit exemplo Latronis, Cornelii, & aliorum, baptiſmi vim & efficaciam in ſe habere fidem converſionis cordis, quæ votum ſaltem implicitum baptiſmi continet, modo tamen Sacramentum ipſum ex voluntate hominis non defuerit, nec contemptus, nec crecitæ negligentiæ reus fuerit.

III. Probatur. Eccleſia orat pro Catechumenis: ergo ſupponit, quod Catechumeni, qui cum voto baptiſmi decedunt, remiſſionem conſequantur & quoad culpam, & quoad pœnam, & non quoad totam pœnam temporalem in altera vita. Conſequentia probatur quoad utranque partem, & quidem quoad primam; quia ſi non conſequuti fuiſſent culpæ remiſſionem, in vanum Eccleſia oraret pro illis, & etiam quoad ſecundam, quia orat Eccleſia, ut eis remittatur illa pars pœnæ temporalis, quam tenet iiſdem non fuiſſe remiſſam.

Arguunt I. Joannis 3. dicitur expreſſe: *niſi quis renatus fuerit &c.*; ſed lex illa eſt generalis: ergo gratis ab ea aliqui excipiuntur, & ſolo baptiſmi voto ſalvari dicuntur; unde Ambroſius lib. de Abraham cap. 11. ſcribit: *nullum excipit, non infantem, non aliqua neceſſitate præventum &c.* II. Auguſtinus paſſim recurrit ad inſcrutabilia Dei judicia, & ad illa refert, quod aliquis ab aliqua neceſſitate erui non poſſit, in qua poſitus baptizari non poteſt, & damnatur; & quod aliquis eruatur, & baptizetur, & ſalvetur: proinde in epiſt. ad Honoratum, quantum detrimenti in perſecutionis tempore fuga Paſtoris inferat, expendit, & hoc provenire ait, quia abſente miniſtro non poſſunt tingi Catechumeni; atque adeo nec ſalvari: atqui hujuſmodi Auguſtini timor locum habere nullatenus poſſet, ſi Catechumeni poſſent ſalvari ſolo baptiſmi voto: ergo &c. III. Ex cap. *Catechumenum* diſt. 4., de *Conſecratione*, quod citatur ſub Auguſtini nomine, quando revera eſt Gennadii lib. *de eccleſiaſticis dogmatibus* cap. 74., in quo legitur: *Catechumenum quanvis in bonis operibus defunctum, vitam habere non credimus, excepto martyrio.* IV. Ex S. Fulgentio in epiſt. ad Ferrandum cap. 8., qui de quodam Æthiope Catechumeno, qui fuerat jam baptizatus, ait: *eum quidem juſtitiam conſequutum fuiſſe, eam tamen nequaquam conſequutum, ſi baptiſmate actu initiatus non fuiſſet.* V. Concilium Bracharenſe I. Can. 35. oblationes & ſacrificia pro Catechumenis prohibet, quam etiam prohibitionem facit Chryſoſtomus hom. 3. in epiſt. ad Philippenſ. VI. Eccleſia Romana per quinque ſecula priora nec preces fudit, nec ſacrificia obtulit pro pœnitentibus, qui ſine pace, & pro Catechumenis, qui ſine baptiſmo, moriebantur: ergo &c. Antecedens probatur ex Leone Magno epiſt. 91., quæ eſt ad Theodorum, Epiſcopum Forciulienſem. *Si autem aliquis eorum, pro quibus & omnino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo, a munere indulgentiæ preſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit.* Item Gelaſio I. in Concilio Romano, quod habitum fuit pro abſolutione Miſeni, qui erat Epiſcopus Cumanus: *nec nos jam mortuis veniam præſtare depoſcant, quod nobis poſſibile non eſſe manifeſtum eſt. Alia eſt cauſa ſuperſtitum, alia defunctorum.* Item Vigilio I., qui mortuus eſt anno 559., & Præceſſoribus ſuis Leoni, & Gelaſio adhæſit. VII. Ex Ambroſio lib. *de Myſteriis* cap. 4. *Credit Catechumenus in Crucem Domini Jeſu, quia & ipſe ſignatur; ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritalis gratiæ munus haurire.* VIII. Ex Auguſtino pluribus in locis, ſcilicet, tract. 18. in Joan. *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc tamen ſarcinam ſuæ iniquitatis portat: non illi dimittitur, niſi cum venerit ad baptiſmum.* Et tract. 4. de iiſdem Catechumenis loquens. *Omnia peccata ſuper illos ſunt, & niſi venerint ad ſalutarem baptiſmum, ubi peccata ſolvuntur cum omni ſua excellentia, non poſſunt intrare in Regnum Cælorum.* Lib. 1. *de Origine animæ* cap. 9. *Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto.* Lib. 2. *de peccator. merit. & remiſſ.* cap. 26. *Sanctificatio Catechumeni, ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in Regnum Cælorum.* Lib. *de Unit. Eccleſiæ* cap. 22. *Utrumque neceſſarium eſt ad Regnum Dei adipiſcendum, & baptiſmus, & juſtitia.* Denique lib. 4. *de baptiſ.* cont. Donatiſtas

tiſtas cap. 21. *Sicut bono Catechumeno baptiſmus deeſt ad capeſcendum Regnum Cœlorum, ſic malo baptizato vera converſio .... Alterum ſine altero parum eſt, utrumque perficit illius poſſeſſionis hæredem.* Ex quibus quidem Auguſtini verbis unum ex his duobus infertur, aut quod nemo juſtificari poſſit, antequam baptizetur, aut quod Catechumenus juſtificetur ante baptiſmum, ſicut de Cornelio idem Auguſtinus dixit lib. 4. de bapt. cap. 21. 22. 24, quanvis non conſequatur peccatorum remiſſionem, ut volebat Bajus. IX Innocentius III. in citato cap. *Debitum* dixit de Judæo, qui deficiente miniſtro ſe ipſum baptizaverat, & proinde tantum baptiſmum in voto habuerat; quod *ſi continuo deceſſiſſet, ad cœleſtem patriam protinus evolaſſet*: ergo ſi protinus evolaſſet, nullam pertuliſſet pœnam temporalem in altera vita. X. Ambroſius in Orat. funebri pro Valentiniano Imperatore, dicebat, quod jam æterna gloria fruebatur, & nihilominus Valentinianus deceſſerat Catechumenus, & baptiſmum tantum in voto habuerat: ergo ex Ambroſio votum baptiſmi remmittit omnem pœnam temporalem tam in hac, quam in altera vita.

Reſpondemus ad I., nullam fieri exceptionem, quia ſenſus legis eſt, ſine baptiſmo, vel in re, vel in voto nullum ſalvari. Sic Patres explicant, ſic traditio firmavit, ſic Eccleſia interpretata eſt. Stat ergo, quod regula illa ſit generalis, & quod martyrium baptiſmi loco ſuccedat, eodem Chriſto dicente: *qui me confeſſus fuerit coram hominibus confitebor & ego eum coram Patre meo*; ut explicat Auguſtinus lib. 3 de Civitate cap. 7.

Ad II. Auguſtinus vel de parvulis loquitur, vel de iis, qui baptiſmum ſuſcipere negligunt. Abſentiam Paſtorum deplorat, quia, ſecundum graviores Theologos, Cathechumeni non habent ſemper illum charitatis gradum, qui poſſit eos ſine Sacramento juſtificare; unde ad evitandum hoc periculum deſiderabat, ut Paſtores ſemper gregi aſſiſterent, maxime perſequutionis tempore, ut ovibus ſuis neceſſaria Sacramenta miniſtrarent.

Ad III. Catechumenus ille erat, ut modo diximus, ſine charitate requiſita ad juſtificationem extra Sacramentum. Vel ſi intelligatur aliter Gennadius, dicimus, quod doctrina ejus ab Eccleſia non probatur.

Ad IV. Fulgentius intelligitur vel de iis, qui baptiſmum contemnunt, vel de iis, qui neceſſariam charitatem non habent, vel ſi aliter, dicimus quoque, quod Eccleſia ſententiam illius non approbat.

Ad V. Concilum, & Chryſoſtomus loquuntur de Cathechumenis illis, qui ſua culpa non ſunt baptizati; aliter aliorum Patrum dicta conformes non eſſent.

Ad VI Ideo allati Pontifices nec preces nec ſacrificia pro Catechumenis offerebant, quia quæſtionem de Catechumenorum & pœnitentium ſalute intactam remanere voluerunt, eamque divino judicio reliquerunt. Hæc ſunt verba Leonis Magni. *Nec neceſſe eſt, nos eorum, qui ſic obſerunt, merita actuſque diſcutere, cum Dominus Deus noſter cujus judicia nequeunt comprendi, quod Sacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit.* Et hæc ſunt pariter verba Gelaſii. *Quantum præmonente Domino poſſibilitatis eſt humanæ, deſideranti remedia præbeamus, totum, quod ſupra noſtræ facultatis eſt modolum, divino judicio relinquentes.*

Ad VII. Ambroſis intelligitur de Adultis illis, qui poterant, & debebant baptizari, negligebant tamen, vel etiam contemnebant baptiſmum. Et hi quidem, quod ſine baptiſmo ſalvi eſſe non poterant, merito, & jure ſcribebat.

Ad VIII. Auguſtinus pro primo, & ſecundo loco intelligitur de Catechumenis, qui præſumentes de ſuis bonis operibus, baptiſmum ſuperbe, vel negligebant, vel contemnebant. Et hanc eſſe ejus mentem ipſemet declarat tract. 13. in Joan. verbis hiſce. *Quare oportebat, ut Dominus baptizaretur?, quia multi contempturi erant baptiſmum, eo quod jam majore gratia præditi viderentur, quam viderent alios fideles; v. g. jam continenter vivens Catechumenus, contemueret conjugatum; & diceret ſe meliorem, quam ille ſit fidelis. Ille Catechumenus poſſet dicere in corde ſuo, quid mihi opus eſt baptiſmum accipere, ut hoc habeam, quod & iſte, quo jam melior ſum.* Pro tertio loco dicit, quod nemo fiat membrum Chriſti, niſi per baptiſmum: hoc eſt, per baptiſmum ſive in re, ſive in voto, ut colligi-

ligitur ex aliis ejuſdem verbis, quæ nos in probationibus adduximus. Pro quarto, loquitur de Cæremoniis, quibus Catechumeni ad Baptiſmum præparabautur, & has quidem non ſufficere, niſi baptiſmus recipiatur, nos etiam cum Auguſtino profitemur. Pro quinto, qui deſumptus eſt ex lib: de unitate Eccleſiæ, intelligitur de illis, qui ſine neceſſitate urgente baptizantur, & ſunt Adulti. In his porro neceſſarius eſt baptiſmus, & neceſſaria eſt juſtitia, quatenus neceſſaria eſt charitas. Pro ultimo tandem, loquitur Auguſtinus de bono Catechumeno, ſed qui ad baptiſmum non accedebat, non quidem propter contemptum, ſed propter negligentiam.

Ad IX. Dicimus, quod verbum illud *protinus* non intelligendum eſt in rigore, quaſi illico, poſt ſeparationem animæ a corpore, anima ipſa ad cœlum evolaſſet, quod etiam explicavimus ſupra in hac eadem Diſſertatione; ſed poſt paucum tempus, quantum ſcilicet ſufficiens erat, ut anima illa pœnæ temporalis reliquias in altera vita perſolveret.

Ad X. Multi dies interceſſerunt inter Valentiniani mortem, & funebrem Ambroſii orationem; quod patet; quia mors Valentiniani evenit in Galliis, & oratio Ambroſii facta eſt Mediolani. Cæterum Ambroſius ipſe in illa eadem oratione populum hortabatur, ut pro Valentiniani anima preces ad Deum funderet.

DISSERTATIO CCCXXXIX.

De Materia remota baptiſmi. Quinam fuerint contra illam Hæreticorum errores? Quænam ſit materia remota & neceſſaria baptiſmi, itaut ſine ea baptiſmus ſit irritus? Quænam ſit materia remota ſufficiens baptiſmi, itaut cum ea baptiſmus, quanvis ſit validus, tamen non ſit licitus.

PRimo, contra materiam remotam baptiſmi, quæ eſt elementum, ſeu aqua, errarunt *Cajani*, qui negabant, baptiſmum conſtare ex aqua. Refert Tertullianus lib: de bapt. cap. 1. de Quintilla, quæ hæreſi Cajanorum nomen dederat, verbis hiſce: *atque adeo nuper converſata iſtic quadam de Cajana hæreſi vipera venenatiſſima, doctrina ſua pleroſque rapuit, inprimis baptiſmum deſtruens plane ſecundum naturam: nam feræ viperæ, & aſpides, ipſique reguli ſerpentes, arida & inaquoſa ſectantur. Sed nos piſciculi ſecundum ἰχθὺν noſtrum, Jeſum Chriſtum, in aqua naſcimur; nec aliter, quam in aqua permanendo, ſalvi ſumus. Ita Quintilla monſtroſiſſima, cui nec integre quidem docendi jus erat, optime norat piſciculos necare de aqua auferens.* Hinc prædicti ab aliquibus dicti ſunt *Quintillani* a Quintilla, & *Peputiani*, a vico Pepuſæ, in quo conventus ſuos peragebant. Citatus Tertullianus cap. 2. ejuſdem libri ſubdit, quod rejiciebant aquam in baptiſmo, quia aqua vilis erat, & ſimpliciſſimæ conditionis. Attamen advertũt Scriptores, quod Quintilla ſequuta eſt hunc errorem antequam Montano adhæreret; poſtquam vero ad Montanum acceſſit, cum eodem aquam in baptiſmo adhiberi non reſpuit.

Secundo, *Manichæi* putantes aquam fuiſſe productam a malo principio, illam odio proſequebantur, ac proinde in baptiſmo non adhibebant, & prorſus ut inutilem rejiciebant. Narrat Auguſtinus lib. *de hæreſibus*, hæreſi 44., per hæc verba: *baptiſmum in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis afferre; nec quenquam eorum, quos decipiunt, baptizant.* *Marcionitæ* tamen,

Digitized by Google

licet idem crederent de rerum corporearum productione a malo principio, adhibebant tamen in ſuo baptiſmo aquam, propter Domini præceptum, ut refert Theodoretus lib. 1. hæreticar. fabular. cap. *de Marcione*.

Tertio, *Seleuciani*, & *Herniani*, qui ſic a ſuis Auctoribus dicebantur, aquam a baptiſmo excludebant, illo ducti teſtimonio, quod Joannes de Chriſto perhibuit, *ille baptizabit vos Spiritu Sancto & igne*; unde de iiſdem dixit Auguſtinus lib. de hæreſib. hæreſi 59., *baptiſmum in aqua non recipiunt*; & Philaſtrius, qui ante Auguſtinum ſcripſit, in Catalogo Hæreſum, quæ Apoſtolorum temporibus fuerunt, eos, ait, aquæ baptiſmo non uti, propter verbum hoc, quod dixit Joannes Baptiſta; *ipſe vos baptizabit in Spiritu, & igne*: unde conſtat, hæreticos hoſce in baptiſmi miniſtratione aquam non adhibuiſſe. An autem adhibuerint ignem, Scriptores aliqui dicunt, eſſe omnino incertum: alii vero hæc monumenta proferunt ex antiquis Auctoribus; ſcilicet ex Heracleone apud Clementem Alexandrinum in lib. de Prophetia; *quidam obſignatorum aures igne notabant*. Tertullianus de Valentino ſcribit: *bis docuit tingi, traducto corpore flamma*. *Jacobitæ*, quorum Auctor fuit Jacobus Zanzalus, Syrus, baptiſmum aquæ non miniſtrabant, & loco ipſius ferro candente in frontibus crucis figuram imprimebant; quod refert Bernardus Lutzemburgus in Catalogo Hæretic. lib. 2. verbo *Jacobitæ*. Denique ſunt, qui ſcribunt, Æthiopes quoque adhibere ignem in baptiſmo; ſcilicet, Sanderus l. 3. de viſibili Monarchia hæreſi 113., Prateolus verbo *Jacobitæ*.

Quarto, *Pauliciani* nulla materia voluerunt conſtare baptiſmum, & nomine aquæ intelligebant Chriſtum, qui ſe eſſe aquam vivam dixerat. Sic narrat Euthymius in 2. par. Panopliæ tit. 21., unde baptiſmum hac ſola verborum prolatione perficiebant: *ego ſum aqua viva*. Sic refert Bellarminus lib. 1. de bapt. cap. 2., qui ait, Paulicianos hoſce e ſecta fuiſſe Manichæorum. Contra Bellarmini teſtimonium atque judicium hæc ſcribit Tournely de Sacramento baptiſmi art. 2. n. 6. „ Bellarminus lib. 1. de bapt. cap. 2., & poſt eum multi alii recenſent inter hæreticos, qui penitus aquam e baptiſmo eliminarunt, Paulicianos e ſecta Manichæorum, qui, teſte Euthymio Panopliæ par. 2. tit. 21., videntur pro elemento ea tantum verba inter baptizandum ſubſtituiſſe: *ego ſum aqua viva*. Verum ex Euthymio non videtur illud poſſe colligi: neque enim ille ait, Paulicianos exiſtimaſſe baptiſmum in his verbis poſitum eſſe, ſed tantum eos finxiſſe, ſe ſuſcipere baptiſmum, eo quod admitterent Evangelium; baptiſmum autem eſſe Evangelii verba, quia Dominus dixit: *ego ſum aqua viva*. Unde colligi quidem poteſt, ejuſmodi Hæreticos circa vim & efficaciam baptiſmi erraſſe, non circa materiam, præſertim cum, ut ibidem obſervat Euthymius, *illi infantes ſuos Presbyteris baptizandos offerrent, eo quod baptiſmum corpori prodeſſe putabant, quamvis animæ nullam afferret utilitatem*. At contra Bellarminum parum caute & caſtigate loquitur nuperus hic Scriptor, alioqui doctus & diligens; ſi enim formam illam adhibebant: *ego ſum aqua viva*, ut refert Euthymius, jam errabant in forma baptiſmi; quod autem erraſſent quoque in materia, ſcilicet in aqua, deducitur etiam ex ejuſdem Euthymii verbis, quibus dicit, quod infantes ſuos Presbyteris baptizandos offerebant, ſed non ſubdit *in aqua*; unde ſemper ſtat, quod Pauliciani pro materia & forma baptiſmi, hoc eſt, pro elemento & verbis, utebantur illa ſola propoſitione, ut Bellarminus teſtatur: *ego ſum aqua viva*. Proinde ſequitur contra eundē Tournely, quod non ſolum errabant circa vim & efficaciam baptiſmi, ſed etiam circa materiam & formam ejuſdem.

Quinto, *Cathari*, qui ſeculo XII. vivebant, & erant ex Manichæorum fæcibus progeniti, dicebant, baptiſmum aquæ nihil prodeſſe, adeoque in aqua baptizandum non eſſe, ſed in igne. Refert Eckbertus Præsbyter, qui floruit anno 1160. Serm. 8. adverſ. quintam illorum Manichæorum hæreſim, quæ eſt de baptiſmo aquæ; quod errorem ſuum deſumebant ex male intellectis verbis illis Joannis Baptiſtæ Matth. 3.: *ille baptizabit vos in Spiritu Sancto & igne*: quæ quidem non ſic interpretabantur, ut vellent,

ignem

ignem & uſtionem in baptiſmo adhiberi, ſed hoc alio modo, quo *baptiſmus in igne dicitur, propter ignem luminum, quæ in circuitu ardent*; ut narrat Eckbertus, qui & modum baptizandi, quem ipſi uſurpabant, ita pariter deſcribit. *Locantur luminaria copioſe in circuitu cum reverentia magna. Statuitur in medio infelix ille, qui baptizandus ſeu catachizandus eſt, & aſſiſtit ei Archicbatarus, tenens in manu libellum deputatum ad officium hoc, quem imponent vertici ejus, dicit benedictiones ... orantibus cæteris, qui circumſtant .... & ſic perficitur ille baptiſmus.*

Sexto, *Waldenſes*, qui etiam ex Manichæorum putri orti ſunt, aquam quoque a baptiſmo auferebant. Refert Ebrardus in opere, quod adverſ. eoſdem ſcripſit, cap.6. dicens: *Hæretici duo teſtimonia extinguunt, ſanguinem in ſacrificio, aquam in baptiſmo non credunt.*

Septimo, *Flagellantes*, ſeculo XIII. inſanientes, & currentes per vicos, & plateas, maxime in Germania, in Gallia, in Polonia, in Hungaria, & per Italiam quoque, divitias ſpernentes, & paupertatem evangelicam ſe profiteri jactantes, dicebant, *unumquemque baptizari debere proprio ſanguine, per flagella de corpore excuſſo*. Refert Bernardus Lutzemburgus ſupra relatus in Catalogo Hæreticorum. Dubitant quidam, an revera baptiſmum aquæ rejecerint, ex eo quod Gerſo, qui edidit contra illos tractatum tom.1. par.1. narrat quidem, quod negligebant Confeſſionem ſacramentalem, & pœnitentiam, & flagellorum dignitatem ac meritum martyrio ipſi anteponebant; ſed quod rejecerint baptiſmum aquæ, non narrat. Et hæc ſunt verba Gerſonis. *Conſtat per experientiam, quod taliter ſe flagellantes non curant de Sacramento Confeſſionis, vel pænitentiæ ſacramentalis, dicentes, quod hæc flagellatio potior eſt ad delendum peccata, quam quæcumque Confeſſio, immo eam æquiparant nonnulli, vel præponunt Martyrio, quoniam facimus, inquiunt, ultro fundendo ſanguinem proprium, quod ab aliis Martyres pati cogebantur.* Attamen quod baptiſmum aquæ rejecerint, Scriptores communiter narrant, ut videre eſt apud Siandam in ſuo Lexico polemico ad verbum *Flagellantes* n. 2. ubi dicit, dogma horum Hæreticorum fuiſſe, baptiſmum aquæ mutatum eſſe in baptiſmum ſanguinis.

Octavo, voluerunt aliqui retinendam eſſe aquam pro uſu communi, & ordinario, ſed in caſu neceſſitatis poſſe baptiſmum in alio liquore conferri. Ita quidam baptizavit Judæum in Eremo in arena, quia deficiebat aqua; ut refert Joannes Moſchus cap. 176. Pariter Presbyter periclitantem infantem baptizavit vino, volens aquæ ſupplere defectum, & interrogavit Stephanum II., qui ejus baptiſmum nullum eſſe dixit. Adhuc in Norvergia ob aquæ penuriam baptizabant Infantes in cerviſia; & Gregorius IX. interrogatus ab Archiepiſcopo Nidrioſenſi in Norvergia, reſpondit, ſecundum doctrinam evangelicā baptizandum eſſe in aqua. Denique Armeni in neceſſitate varie baptizabant, quidam in vino, quidam in lacte; quod refert Thomas Waldenſis lib.2. c.114.

Nono, Lutherus in Sympoſiacis Colloquiis cap.17. dubitavit, num aquæ loco, ſi neceſſitas urgeat, alio liquore, vino v.g., baptiſmus collatus valeat; & hac de re interrogatos, divino judicio committendum eſſe dixit. Alibi vero clarius ſe expreſſit, dicens: quidquid balnei loco eſſe poteſt, illum aptum eſſe ad baptizandum.

Decimo, Theodorus Beza in epiſt. 2. ad Tillium, ſcripſit: „ ſi deſit aqua, & tamen
„ baptiſmus alicujus differri am-
„ plius cum ædificatione non poſſit, nec
„ debeat, ego certo quovis liquore,
„ non minus rite, quam aqua baptiza-
„ rem. Et addit ibidem: *non aliter ſentire Scholaſticos noſtros*: quod putidiſſimum eſt mendacium.

Undecimo, Calvinus l.4. Inſtitut. c.15. vult, per aquam baptiſmi intelligi ſanguinem Chriſti, *propter mundandi, abluendique, ſimilitudinem*; quam interpretationem ſequitur Dallæus, inter Calvinianos celebris, lib. 2. de Confeſs.cap.3. Et Pallavicinus in l.6. Hiſt. Concilii Trident. cap.7. refert, hunc errorem excerptum ex Calvinianis: *aqua vera & naturalis non eſt de neceſſitate baptiſmi*, & per conſequens illa verba: *niſi quis renatus fuit ex aqua, & Spiritu Sancto*: detorquenda eſſe ad metaphoram. Et hunc errorem idem Tridentinum damnavit ſeſs. 7. can.2.

 Vv 2 Duo-

Duodecimo, aliqui narrantur hæretici, qui quidem aquam in baptiſmo non negarunt, ſed eam adulterarunt per aliarum rerum mixtionem; & hi fuerunt *Marcoſii* e ſecta Gnoſticorum, qui, Sancto Epiphanio teſte hæreſi 34., adhibebant in baptiſmo oleum aqua temperatum. *Nondeſunt interillos, qui ad aquam perducere ſupervacaneum arbitrantur, ſed oleum aqua temperatum cum ſolemnibus carminibus ſuper initiatorum capita inſpergunt, idque demum redemptionem nominant.* Fuerunt etiam hæretici, qui contendebant, in baptiſmo ignem adjungendum eſſe aquæ, & hos confutavit antiquus Auctor Anonimus, cujus opus ad calcem operum S. Cypriani legitur. Denique alii miſcebant vinum cum baptiſmatis aqua; & hos impugnavit Egbertus, Eboracenſis Archiepiſcopus *in excerptis* c.42., dicens; *& hoc non recte, quia Chriſtus non juſſit baptizari vino, ſed aqua.*

Dicimus I., omnem & ſolam naturalem ſeu elementarem aquam eſſe remotam & neceſſariam materiam baptiſmi.

I. Probatur ex Scripturis tum veteris, tum novi Teſtamenti; & quidem veteris, ubi continebatur Prophetia, ſeu promiſſio aquæ baptiſmalis. Exechiel. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris*; ad quæ verba reſpexit Apoſtolus ad Hebr. 10. *Aſperſi corde a conſcientia mala, & abluti aqua munda.* Et pariter novi Teſtamenti verbis, quibus Chriſtus præcepit Diſcipulis ſuis, ut baptizarent omnes gentes in aqua. Matth 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſe ipſum pro ea, mundans eam lavacro aquæ.* Inſuper exemplum Chriſti & Apoſtolorum oſtendit, quod nomine aquæ intelligenda ſit aqua vera, naturalis, & elementaris, ſenſu proprio & literali, non figurato & metaphorico. Et quidem Chriſtus poſtquam dixit Nicodemo: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* Joan. 3., ut ſignificaret, quam aquam intelligeret, verſu 22. ejuſdem capitis facto comprobans verba, dicitur: *poſt hæc venit Jeſus, & Diſcipuli ejus, in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon juxta ſalim, quia aquæ multæ erant illic.* Per quæ verba oſtenditur, & Chriſtum, & Baptiſtam, aquam veram & naturalem adhibuiſſe in ſuo reſpective baptiſmo. Et hinc fuit, quod Baptiſtæ Diſcipuli cum eodem querebantur, dicentes: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Immo Chriſtus ipſe in aqua vera & naturali baptizatus fuit a Joanne, ut legitur Matth. 3. *baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua.* Apoſtoli denique, & Diſcipuli Chriſti, in aqua vera & naturali baptizarunt; ut legitur Actorum 8. de Philippo, & de Eunucho Candacis Reginæ. *Dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari? ... & deſcenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus. & baptizavit eum.* Et Actor. 10. confirmant verba Petri. *Nunquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur iſti, qui ſpiritum acceperunt, ſicut & nos?*

II. Probatur ex traditione, per quam habemus perpetuum uſum univerſalis Eccleſiæ, in qua baptiſmus ſemper fuit in aqua vera, naturali, & elementari, miniſtratus; quod plane conſtat ex conſtanti omnium ſanctorum Patrum doctrina, communi calculo aſſerentium, aquam naturalem eſſe neceſſariam & legitimam baptiſmi materiam remotam. Legendi proinde ſunt Juſtinus in altera pro Chriſtianis Apologia, Iræneus lib. 3. cont. hæreſ. c. 19., Nazianzenus orat. 40., Cyprianus epiſt. 65., 76., Hieronymus epiſt. 83., quæ eſt ad Oceanum, Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 3. Sed præ omnibus audiendus eſt Tertullianus lib. de bapt. cap. 3. ubi hæc loquitur. *Habet homo in primis ætatem venerari aquarum, quod antiqua ſubſtantia, dehinc dignationem, quod divini ſpiritus ſedes, gratior ſcilicet cæteris tunc elementis. Nam & tenebræ adhuc totæ ſine cultu ſyderum informes, & triſtis abyſſus, & terra imparata, & cœlum rude, ſolus liquor, ſemper materia perfecta læta, ſimplex, de ſuo pura, dignum vectaculum Deo ſubjiciebat. Quod quod exinde diſpoſitio mundi, modulatricibus quodam-*

modo

modo aquis, Deo conſtit? Nam ut firmamentum cœleſte ſuſpenderet in medietate diſtinctis aquis fecit; & ut terram aridam ſuſpenderet, ſegregatis aquis expedit: ordinato dehinc per elementa mundo, cum incolæ darentur primis aquis, præceptum eſt animas proferre. Primus liquor, quod viveret edidit, nimirum ſit in baptiſmo, ſi aquæ animare noverunt, nam ipſis quoque hominis figurandi opus ſociantibus aquis abſolutum eſt de terra materia, non tamen habili, niſi humecta, & ſuccida, quam ſcilicet ante quartum diem ſegregatæ aquæ in ſtationem ſuam ſuperſtite humore limo temperarant. Et poſtmodum in cap 9 deſcribit Dei prodigia, quæ patrata ſunt in aquis, & tam in veteris, quam in novi teſtamenti paginis leguntur, per hæc verba. *Quos igitur patrocinia naturæ, quot privilegia gratiæ, quot ſolemnia diſciplinæ, figuræ, præſtructiones, precationes, religionem aquæ ordinaverunt? Primo quidem cum Populus Ægypto libere expeditus vim Regis Ægypti per aquam tranſgreſſus evadit, ipſum Regem cum totis copiis aqua extinxit. Quæ figura manifeſtior in Baptiſmi Sacramento? Liberantur de ſeculo nationes, per aquam ſcilicet, & diabolum dominatorem priſtinum, in aqua oppreſſum derelinquunt. Item aqua de amaritudinis vitio in ſuum commodum ſuavitatis Moſei ligno remediatur. Lignum illud erat Chriſtus venenatæ & amaræ retro naturæ venas in ſaluberrimas aquas, baptiſmi ſcilicet, ex ſeſe remedians. Hæc eſt aqua, quæ de comite petra populo diſſluebat. Si enim petra Chriſtus, ſine dubio aqua in Chriſto baptiſmum videmus benedici. Quanta aquæ gratia penes Deum, & Chriſtum ejus, eſt ad baptiſmi confirmationem? Nunquam ſine aqua Chriſtus; ſiquidem & ipſe aqua tingitur. Prima rudimenta poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias aqua auſpicatur. Cum ſermonem facit, ſitientes ad aquam ſuam invitat ſempiternam. Cum de Agape docet, aquæ calicem fratri oblatum inter opera dilectionis probat. Apud puteum vires reſumit; ſuper aquam incedit libenter, transfretat; aquam diſcentibus miniſtrat: perſeverat teſtimonium baptiſmi uſque ad Paſſionem: cum deditur in crucem, aqua intervenit; ſciunt Pilati manus: cum vulneratur, aqua de latere prorumpit; ſcit lancea militis*.

III. Probatur ex Romanis Pontificibus. Gregorius IX. apud Raynaldum ad annum 1241., n.42. interrogatus fuit, an valeret baptiſmus, qui datus fuerat in Cerviſia? & reſpondit; *Cum ſecundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua & Spiritu Sancto renaſci, non debent reputari rite baptizati, qui in cerviſia baptizantur*. Innocentius III. Serm.3. in Pentecoſtes feſto. *Invocatio Trinitatis ſanctificat aquam, ut tingens corpus purificet cor*. Inſuper cap. *ut non apponeres*, de bapt. & ejus effectu, interrogatus de baptiſmo adminiſtrato cum ſaliva, reſpondit: *quod cum in baptiſmo duo neceſſario requirantur, ſcilicet verbum, & elementum, dubitari non debet, illos verum non habere baptiſmum, in quibus non ſolum utrumque prædictorum, ſed eorum alterum, omiſſum eſt*.

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III., & refertur in cap. *firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide catholica. Concilium Florentiuum in Decreto Fidei &c. Concilium Tridentinum ſeſs. 7. can. 2. de Baptiſmo. *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem, non eſſe de neceſſitate baptiſmi; atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c., ad metaphoram aliquam detorſerit; anathema ſit*. Pariter colligitur ex Decreto Yvonis par.1. *de Bap.* c.54., quod Eccleſia improbaverit Baptiſmum in vino collatum. Denique ex Dionyſio Alexandrino apud Nicephorum lib.3. hiſt. cap.37. habetur, quod Eccleſia improbavit baptiſmum, qui collatus fuerat in arena cuidam Judæo: *Eccleſiam ea de re conſulit, cui viſum eſt, aqua inſuper, juxta Eccleſiæ traditionem, abluendum eſſe tale Judæum*.

V. Probatur ex Patribus Græcis. Juſtinus Apolog.2. jam citata: *deinde eo adducuntur a nobis, ubi aqua eſt..... Nam in nomine rerum cunctarum parentis, & Domini Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti, in aqua tum lavantur*. Baſilius in Pſal 28. *In univerſo orbe baptiſmatis adminiſtratur myſterium, divina invocatione aquarum ſanctificante naturam*. Gregorius Nyſſenus Orat. adverſ. eos, qui differunt baptiſma: *prudenter reputans, quod omnis locus communis eſt Damino, & omnis aqua apta eſt ad uſum baptiſmatis; ſi*

modo

Digitized by Google

modo invenerit fidem ejus, qui id acceperit, & benedictionem Sacerdotis ſanctificantis. Joannes Chryſoſtomus in Pſal. 22. *Aqua primatum tenet in elementis: ſed cum aqua elementum acceperit Spiritum Sanctum, fit Sacramentum; & jam non erit aqua potationis, ſed ſanctificationis: non erit aqua communis, ſed refectionis. Per iſtam aquam educit purgatos, facit perfectos, ratione charitatis & gratiæ, illuminans, & replens eos, ut ubi abundaverat peccatum, faceret divites in gratia*.

VI. Probatur ex Patribus Latinis. Cyprianus epiſt. 12. *Oportet ergo mundari, & ſanctificari aquam prius a Sacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere: quia per Ezechielem Prophetam Dominus dicit: & aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris. Quomodo autem mundare, & ſanctificare aquam poteſt, qui ipſe immundus eſt?* Ambroſius lib. 1. *de Sacram.* cap. 7. *Quare prior deſcendit Chriſtus, poſtea Spiritus, cum forma baptiſmatis, & uſus hoc habeat, ut ante fons conſecretur, & tunc deſcendit, qui baptizandus eſt? Nam ubi primum ingreditur Sacerdos, exorciſmum facit: ſecundo ſuper creaturam aquæ invocationem; poſtea & precem defert, ut ſanctificetur fons, & adſit præſentia Trinitatis æternæ. Chriſtus autem ante deſcendit, ſecutus eſt Spiritus. Qua ratione? ut non quaſi ipſe agere Dominus Jeſus ſanctificationis myſterio videretur, ſed ſanctificaret ipſe, ſanctificaret & ſpiritus*. Et lib. *de his, qui myſteriis initiantur* cap. 3. *Aqua ſine prædicatione dominicæ Crucis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt. Cum vero ſalutaris fuerit crucis myſterio conſecrata, tum ad uſum ſpiritualis lavacri, & ſalutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Marach Moyſes miſit lignum, hoc eſt Propheta, ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam*. Auguſtinus tract. 5. in Joan.: *tolle aquam, non eſt baptiſmus*. Præ omnibus autem adducendus eſt Tertullianus lib. de bapt. cap. 4., ut manifeſtetur, omnem & ſolam aquam naturalem, & elementarem, eſſe idoneam, & neceſſariam baptiſmi materiam: *ideo nulla diſtinctio eſt, mari quis, an ſtagno; fluminis, an fonte; lacu, an alveo, diluatur; nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tyberi, tinxit, niſi & ille Spado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus ſalutis, aut minus retulit. Igitur omnes aquæ de priſtina originis prærogativa Sacramentum ſanctificationis conſequuntur invocato Deo; ſupervenit enim ſtatim Spiritus de Cœlis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificatæ vim ſanctificationis combibunt*.

VII. Probatur Rationibus, ſeu congruentiis, quibus judicari poteſt, quare Deus voluerit, naturalem aquam pro baptiſmi remota & neceſſaria materia inſtituere. I. Baptiſmus erat Sacramentum omnibus & ſingulis hominibus neceſſitate medii neceſſarium: ergo pro eo miniſtrando materia illa præcipi debebat, quæ fuiſſet omnibus obvia, & præ manibus; ſed hæc erat aqua naturalis & communis: ergo &c. Et hæc eſt ratio Tertulliani lib. de bapt. cap. 2. II. Spiritus Sanctus præcipue confertur in Baptiſmo Chriſti; quia per eum homines baptizantur in Spiritu Sancto: ergo adminiſtrari debebat in aqua. Probatur conſequentia. In ea materia adminiſtrari debebat, in qua Spiritus Sanctus a mundi initio apparuit; ſed Spiritus Sanctus a mundi initio appauit ſuper aquas: ergo &c. Et hæc congruentia pariter eſt Tertulliani lib. de bapt. cap. 3. III. Chriſtus per baptiſmum voluit purgare hominem, eum decorare, ac fæcundare; ſed per aquas decorem mundo dedit, dedit & ordinem, atque fæcunditatem: ergo congruentiſſimum fuit, ut in aqua baptiſmum inſtitueret. Unde idem Tertullianus ſcribebat citato proxime loco. *Non mirum ſit, ſi in baptiſmo aquæ animare noverunt. Non igitur dubitandum, quia materia, quam in omnibus rebus, & operibus ſuis Deus diſpoſuit, etiam in Sacramentis parere fecit*. IV. Aqua corporis ſordes extergit: ergo & baptiſmus per aquam conveniebat, ut animæ ſordes lavaret. V. Aqua extinguit ardores corporis: ergo congruum quoque fuit, ut per aquam in baptiſmo ardorem concupiſcientiæ Deus mitigaret, vel temperaret. Unde dicitur in Comentario ad epiſt. ad Romanos cap. 6. quod tribuitur Ambroſio: *Sicut aqua refrigerat ardorem corporis, ita baptiſmus ardorem concupiſcentiæ*. Et S. Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum ſcribit:

Et

Et ſicut aqua extinguit ignem elementarem : & S. Anſelmus addit : *ita baptiſmus extinguit ignem gehennæ* .

Opponunt I. Joannes baptiſmum ſuum cum illo Chriſti comparans , in eo diſcrimen poſuit , quod ſuum dederit ipſe in aqua ; ſuum vero Chriſtus daturus erat in igne : ergo materia baptiſmi Chriſti non eſt aqua , ſed ignis . II. Stephanus Papa III. anno 764. baptiſmum in vino datum probavit ; quum enim in Galliis verſaretur , interrogatus a Monachis Brittaniaci Monaſterii de Presbytero,qui aqua deficiente infantem de vita periclitantem vino tinxerat , ſic reſpondit : *Si in vino quis , propterea quod aquam non inveniebat , omnino periclitantem infantem baptizavit , nulla exinde ei adſcribatur culpa . Infantes ſic permaneant in ipſo baptiſmo . Si aqua adſuit præſens ille Presbyter excommunicetur* . Sic refert Sirmundus tom 2.Conciliorum Galliæ ex M S. Codice S. Mariæ Lauduuenſis : ergo valet baptiſmus , etſi non in aqua detur , ſed in vino . III Joannes Moſcus , qui circa annum 603. floruit, narrat in ſuo Prato ſpirituali, Judæum quendam in Eremo ad extremas redactum anguſtias, arena, aquæ defectu, a ſuis ſociis baptizatum, mox convaluiſſe : ergo eo miraculo baptiſmi abſque aqua , ſaltem neceſſitate urgente , dati veritas probari videtur . IV. Si pura ſit aqua , ſeu ſi utentes non contaminet , cur peculiari benedictione conſecratur antequam Catechumeno applicetur ? Cur precibus ſanctificatur, niſi ut ea, quam traxit ex proprio malo immunditie liberetur ? Sic nonnulli Manichæorum diſcipuli ratiocinabantur . V. Aqua , quæ fluxit de latere Chriſti Domini fuit Symbolum aquæ ſacramentalis , ut Auguſtinus tract. 120. in Joannem ; Hieronymus epiſt. ad Oceanum ; ſed illa aqua non fuit pura & naturalis , ſed tantum humor quidem phlegmaticus , ut patet : ergo aqua baptiſmi non debet eſſe vera & naturalis . VI. Joannis 3. in textu græco , non legitur , *ex aqua , & Spiritu Sancto*,ſed *ex aqua & Spiritu*;quod idem eſt ac ex ſpiritu aqueo , quia ſcilicet Spiritus mundat, & lavat ad inſtar aquæ : ergo ex illo textu non colligitur, quod materia baptiſmi debeat eſſe aqua naturalis . VII. Ex citato loco Joannis non minus requiritur aqua , quam Spiritus ad Baptiſmi materiam ; ſed certum eſt, quod Spiritus non eſt materia Baptiſmi : ergo neque aqua . VIII. Ad Chriſti baptiſmum Matth. 3. requiritur Ignis , quemadmodum Joannis 3. requiritur aqua ; ſed nomine ignis non venit ignis naturalis & elementaris, ſed metaphoricus : ergo pariter nomine aquæ non venit aqua vera & naturalis, ſed metaphorica : IX. Chriſtus redarguit Nicodemum, quod neſciret, poſſe hominem renaſci ; ſed immerita fuiſſet redargutio , ſi loquutus fuiſſet de vera aqua in baptiſmo: ergo non fuit de vera aqua loquutus . Probatur minor . Poterat Nicodemus merito redargui, ſi Chriſtus loquebatur de aqua metaphorica , quia quum eſſet Magiſter in Iſrael debebat ſcire , quæ de hac aqua ſcripta fuerant apud Jeremiam , & apud Ezechielem;non vero ſcire poterat de aqua naturali, quæ ad renaſcendum nullam habebat activitatem . X. Ex Chriſoſtomo habetur hom.31. quod Spiritus Sanctus modo ſignificatur per ignem, modo per aquam ; & hæc ſunt ejus verba ; *Sancti Spiritus gratiam modo ignem,modo aquam appellavi* : ergo quemadmodum in Scriptura, quando dicitur ignis, intelligitur ignis metaphoricus ; ita pariter, quando dicitur aqua, intelligi debet aqua metaphorica . XI. Siricius, Pontifex Romanus , anno 385., ſic reſpondit : *Presbyter , qui in vino baptizat pro maxima neceſſitate, ut æger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa adſcribatur : infans vero ille , ſi in ſanctiſſima Trinitate baptizatus eſt , in eo baptiſmo permaneat* . XII. Aqua , quæ eſt materia baptiſmi, debet eſſe benedicta:ergo non eſt aqua naturalis quæcunque , ſed aqua tantum benedicta , materia remota baptiſmi .

Reſpondemus ad I., nomine ignis vel venire ignem quendam cœleſtem & divinum,& ideo conjungitur cum Spiritu Sancto, qui quidem ignis cœleſtis & divinus exercet operationem interiorem in baptiſmo, hoc eſt animæ ſanctificationem ; vel venire viſibilem ejuſdem Spiritus Sancti in Apoſtolos ſub ignis ſpecie delapſum, de quo ipſemet Chriſtus prædixerat , cum Apoſtolis loquens . *Joannes quidem baptizavit*

vit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies.

Ad II., dicitur, reſponſum illud, Stephani nomine allatum, omnino fictitium eſſe; ex tribus nanque manuſcriptis, quæ reſponſum ipſū referunt, duo tribuunt Stephano II., tertium Siricio Papæ, & alii Scriptores Stephano III. Nullum autem evidentius eſt ſuppoſitionis facti alicujus ſignum, quam ſcribentium diverſitas circa illud. Additur, quod qui poſt Stephanum ſcripſere, hujus dati ab eo reſponſi nunquam meminerunt; & recte quidem; quis enim credere unquam poterit, Romanum Pontificem latuiſſe, quod nec minores Clericos, immo nec Laicos fugit, baptiſmum nempe ſola aqua perfici? Ulterius, Natalis ab Alexandro veriſimile putat, ineptam conſtructionem ſic emendari debere: nulla ei adſcribitur culpa, ſi infantes ſic permaneant; unde ſequitur; nam ſi præſens adfuit aqua, ille Præsbyter excommunicetur & pœnitentiæ ſubmittatur; quia contra Canonum ſententiam agere præſumpſit. Non igitur baptiſmum talem ratum habuiſſe cenſendus eſt Stephanus II., (ſi genuinum ejus reſponſum eſt), quia non fuerat interrogatus de valore baptiſmi, quem nemo ſanæ mentis dubitare poterat plane irritum eſſe ac nullum, ſed de culpa, vel pœna baptizantis. Hunc porro nulla pœna plectendum eſſe reſpondet, quia quum aliud non poſſet in extremo periculo, id per ſimplicitatem fecit, quod poſtea potuit elapſo periculo emendari; nec in cauſa fuit, cur infantes poſtea baptizati non ſint aqua, quæ ſola baptiſmi materia eſt. Denique alii dicunt, quod Stephanus, de quo hic eſt ſermo, non fuit Romanus Pontifex, ſed Epiſcopus Tornacenſis. Et ratio ipſorum eſt, quia in fine Codicis S. Mariæ Laudunenſis leguntur hæc verba: *finis definitionum Stephani Papæ Tornacenſis*. Et Sirmondus, qui eum affert, ſic legit: *Expliciunt, quæ Dominus Papa Stephanus in Cariſiaco Villa, Brittaniaco Monaſterio ad interrogata dedit reſponſa.*

Ad III., ea narratio ſuſpecta eſt Baronio ad annum 181.; quia diverſimode a Scriptoribus refertur. Nicephorus enim lib. 3. c. 7. narrat, contigiſſe tempore Aurelii Imperatoris; Cedrenus vero in Compendio n. 97. tempore Antonini pii. Inſuper Dionyſius ipſe idem non eſt apud omnes Scriptores; alii enim dicunt, quod fuerit Epiſcopus Alexandrinus, ut Nicephorus; alii, quod fuerit Epiſcopus Corinthius, ut Baronius; alii, quod fuerit Aſcalonita, ut Joannes Moſcus. Denique nos dicimus, eo miraculo maximam Judæi fidem commendari, non autem aſſeri baptiſmi veritatem. Hinc eſt, quod quum ad Dionyſium Epiſcopum perductus eſſet, aqua baptizari juſſus fuit. Immo nec niſi aqua pura in baptiſmo adhiberi debet, ut inquit S. Carolus in Inſtructione baptiſmi par. 1.; aquam puram mundamque eſſe pro ſacramentali dignitate convenit; quamvis etiam aſſerat licere quidem, urgente neceſſitate, uti aqua lutulenta; ita tamen, ut ſemper aqua permaneat; ſi tamen lutum eſſet, jam idonea baptiſmi materia eſſe nequiret.

Ad IV. Reſponſio patebit in ſequenti Concluſione, in qua aſſeremus, quod quamvis aqua naturalis & elementaris ſit materia neceſſaria baptiſmi, & qui cum ea baptizat, valde baptizet; non eſt tamen materia licita; unde qui cum ea baptizat valide quidem, ſed non licite baptizat.

Ad V., negatur minor: contrarium enim aſſerte docet Innocentius III. epiſt. ad Epiſcopum Ferrarienſem, & habetur cap. *in quadam* extra *de celebrat. Miſſarum*, ubi loquitur ſic. *Ceterum ſicut fuit verus Spiritus, & verus ſanguis, ita procul dubio vera aqua, cum Chriſtus ſit veritas, & a veritate omnis fallacia ſit penitus aliena; nam ſi non fuiſſet aqua, ſed phlegma, quod de latere Salvatoris exivit, ille, qui vidit, & teſtimonium veritati perhibuit, profecto non aquam, ſed phlegma dixiſſet; nec in hoc verum regenerationis Sacramentum fuiſſet oſtenſum; cum per Sacramentum Baptiſmi non regeneremur in phlegma, ſed in aqua &c.*

Ad VI. Spiritus Sanctus & aqua intelligi debent in verbis Joannis cum diſtinctione inter illos, tum quia additur particula &, quæ importat conjunctionem, adeoque diſtinctionem, nemo enim conjungitur cum ſe ipſo; tum etiam, quia non eſt novum in Scripturis nomine Spiritus, etſi non addatur Sanctus, intelligi Spiritum Sanctum, quæ eſt tertia Trinitatis perſona; ut habetur Marci 1. *Cum baptizatus eſt Chriſtus*, (Joannes) *vidit Cœlos apertos,*

tes, & *Spiritum tanquam columbam deſcendentem*, & hunc Spiritum Mattheus cap. 3. vocat *Spiritum Sanctum*. Igitur etſi in textu græco Joannis 3. non legatur *Sanctus*, debet tamen illud ſuppleri per aliud, quod legitur Marci 1., in quo Joannes Baptiſta loquens de ſuo baptiſmo, & de illo Chriſti, dicit: *ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu Sancto*.

Ad VII. Nemo unquam deliravit adeo, ut diceret Spiritum Sanctum eſſe materiam baptiſmi; ſed tantum omnes dicunt, materiam eſſe aquam, & Spiritum Sanctum importare vel cauſſam efficientem primariam gratiæ, vel ipſam gratiam, quæ eſt effectus baptiſmi.

Ad VIII. Quanvis aliquando dicatur, baptiſmum Chriſti miniſtrandum eſſe in igne, nemo tamen inſulſe aſſeruit, ignem eſſe baptiſmi Chriſti materiam; ſicut Patres omnes aſſeruerunt, ejuſdem materiam eſſe aquam. Immo ipſamet Eccleſiæ traditio aquam uſurpavit, & non ignem, pro baptiſmi materia; quod quidem eſt ſufficiens ad intelligendam diverſitatem, quæ in baptiſmo Chriſti intercedit inter aquā, & ignem. Certum enim eſt, æque a primordiis Eccleſiæ Chriſti, & omnes baptizaſſe in aqua, & neminem baptizaſſe in igne. Denique ignis, qui legitur in Evangelio Matthei, non importat materiam, ſed Symbolice ſignificat baptiſmi effectum, quod appoſite explicat Eſtius in 4. diſt. 3. §. 7. *In priori enim ignis poſtponitur Spiritui Sancto, in poſteriori aqua præponitur. Ex quo datur intelligi, ibi quidem ignis vocabulum adjunctum, tanquam ejus quod antecedit determinationem, qua nimirum certa proprietas Spiritus Sancti deſignaretur: hic vero aquam priori loco nominatam, ne per eam proprietas aliqua Spiritui Sancto adjuncta intelligeretur, ſed in ſignificatione ſua propria acciperetur*.

Ad IX. Chriſtus nec arguit, nec exprobravit, ſed docuit tantum Nicodemum, quando ei dixit; *tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?*, ut ſcripſit Auguſtinus tract. 12. in Joannem; ſcilicet, *quod homini non inſultaret, ſed ejus ſuperbiam ſanando, ad humilitatem diſponeret*. Ulterius dici poteſt, quod poterat quoque Chriſtus Nicodemo exprobrare, quia neſciret, hominem denuo naſci poſſe, non corpore, ſed ſpiritu; debebat enim ſcire, ſpiritualiter intelligenda eſſe, quæ dicuntur apud Ezechielem cap. 36.: *effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris &c. & dabo vobis cor novum*: & pariter Pſal. 103. *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ*: quæ intelligenda ſunt de renovatione, & creatione interiori & ſpirituali per gratiam Animæ infundendam; & hæc Nicodemus non intelligebat, quia aſſuetus erat mundationibus materialibus Phariſæorum; & ideo merito fuit a Chriſto exprobratus.

Ad X. Chryſoſtomus ait, in ſacris Scripturis gratiam Spiritus Sancti modo deſignari per ignem, modo per aquam; nunquam tamen docuit, quod per aquam & per Spiritum Sanctum idem ſignificetur, ac importetur; & præcipue loquendo de baptiſmi materia.

Ad XI. Quæ ſuperius tribuebatur Stephano, in altero Codice tribuuntur Siricio; unde quæ dicta ſunt ad objectionem, quæ Stephani auctoritatem continebat, dicenda pariter modo occurrunt ad illam, quæ Siricii teſtimonium nobis opponit. Revera nemo ex Pontificibus, qui Siricio ſucceſſerunt, illius reſponſi mentionem facit; immo potius omnes unanimiter docuerunt, & præcipue Gregorius IX., & Innocentius III., quos ſupra laudavimus, baptiſmum invalidum omnino eſſe, ſi in alio liquore, quam in aqua naturali & elementari, conferatur.

Ad XII. Aqua naturalis poteſt etiam benedici, & non habet cum benedictione oppoſitionem; unde poteſt eſſe, immo debet eſſe, quod aqua ſit naturalis, & elementaris, & ſit etiam benedicta; ſed hoc ut clarius pateat.

Pro ultima Diſſertationis parte conveniunt omnes, quod quælibet aqua naturalis elementaris ſit materia neceſſaria baptiſmi, & ſufficiens ad ejus validitatem, ita ut baptiſmus cum ipſa miniſtratus validus ſit omnino dicendus; attamen dicunt quoque, quod non ſit licitus, quia ad hoc requiritur ut aqua ſit benedicta. Et hoc quidem extra neceſſitatis caſum, quia in caſu neceſſitatis quælibet aqua eſt materia apta baptiſmi. Benedicitur autem aqua, vel pridie Paſchatis, vel pridie Pentecoſtes, & benedicta ſeu conſe-

crata aſſervatur in Baptiſterio, adhoc ut in Baptiſmi collatione adhibeatur. Quod quidem conſtat & ex antiquis Patrum Statutis, & ex Conciliis omnibus provincialibus poſt Tridentinum, & ex omnibus peculiarium Diœceſum ordinationibus, quæ cautiones præſcribunt circa ſacrum fontem adhibendas, atque ſervandas. Attamen quia Hæretici quidam benedictiones haſce in aqua baptiſmatis exſecrabantur; ideo hic primitus illorum errores enumeramus, & poſtmodum quoque in ſubſequenti concluſione confutabimus.

Primo, *Waldenſes*, deridebant benedictiones omnes, quas faciebat Eccleſia ſuper panem, ſuper aquam, & ſuper oleum. Refert Rainerus in Fragmento, quod legitur apud Claudium Coiſordium contra Waldenſes; & refert pariter Æneas Silvius in hiſt. Bohem. cap. 35. His adhærebant *Flagellantes*, qui Bernardo Lutzenburgo teſte, dicebant, *aquam benedictam nihil habere efficaciæ*: adhærebat Lollardus, qui *conſecrationes, & benedictiones ſalis & aquæ nihil eſſe*, aſſerebat; ut narrat Trithemius in Chronico Hiſaurgienſi de anno 1315. Adhærebant denique *Wicleſitæ*, volentes, *benedictiones ſalis, aquæ, vini, & olei, nullam habere efficaciam*, quod Bernardus Lutzenburgus pariter teſtatur.

Secnndo, *Thaboritæ* volunt, *baptiſmum ſimplici unda miniſtrandum eſſe*; unde nullam benedicunt aquam, ex teſtimonio Æneæ Silvii epiſt. 130. *Pigardi* quoque ſimplici & nuda aqua baptizabant, nec ſalem, nec aquam benedicebant; ut narrat Joannes Schelechta in epiſt. ad Eraſmum.

Tertio, Lutherus in lib. *de Viſione Danielis*, contra Catharinum, damnavit *omnes creaturarum benedictiones*; & Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 10. §. 20. ſcripſit; *aquæ luſtralis inſtitutionem nullo modo a Spiritu Apoſtolico proficiſci potuiſſe, quando quidem, nihil aliud ſit, quam baptiſmi profanatio, & quaſi repetitio*. Et cap. 15. §. 19: *inventa eſt aquæ benedictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ conſecrationem pollueret*.

Quarto, *Magdeburgenſes* Centuria 2. c. 2. tribuunt aquæ conſecrationem Alexandro I. at poſtmodum ſubdunt: *verum hæc omnia Ethnico alicui Pontifici, qui tum Romæ adhuc ſua Collegia habebat, potius tribui poſſunt, quam Epiſcopo Eccleſiæ*.

Quinto, *Tilmannus Heſhuſius* inter ſexcentos Papiſtarum errores, loco 27. ponit *uſum aquæ luſtralis, quam vocat manifeſtam Magiam, præter Verbum Dei*.

Dicimus II., aquæ baptiſmalis benedictionem eſſe in ſe licitam, ad licitum baptiſmi ſolemnis uſum adeo neceſſariam, ut ſine illa baptiſmus ſit quidem validus, non autem ſit licitus.

I Probatur ex ritu benedictionum aquæ, qui adhuc ſervatur in Eccleſiis per totum Orbem diffuſis. Et primo quidem in Græcia hæc præſcribit Græcorum Euchologium fol. 112. *in ordine parvæ benedictionis*. „ Pro hujus aquæ ſan-
„ ctificatione, virtute, & operatione, &
„ Spiritus Sancti miſſione, Oremus: *Cho-*
„ *rus*: Kyrie eleiſon. Pro acceſſione in
„ hanc aquam purgativæ ſubſtantialis
„ Trinitatis operationis, Oremus: *Cho-*
„ *rus*: Kyrie eleiſon. Ut hæc aqua fiat
„ animarum & corporum medela, &
„ omnis imminentis exercitus averſio,
„ Oremus: *Chorus*: Kyrie eleiſon. Ut
„ demittas in ipſam gratiam redemptio-
„ nis, & benedictionem Jordanis, Ore-
„ mus: *Chorus*: Kyrie eleiſon. Ut Do-
„ minus Deus conſtituat filios, & hære-
„ des regni ipſius per hujus aquæ tran-
„ ſumptionem, & aſperſionem, Ore-
„ mus: *Chorus*: Kyrie eleiſon. Deinde
„ dicit hanc Orationem. *Domine Deus*
„ *noſter, qui magnus es conſilio, & operi-*
„ *bus admirabilis, qui ex luto viventes ocu-*
„ *los operatus es, & lavare juſſiſti, lumen*
„ *habitare præparaſti verbo, qui adverſan-*
„ *tium paſſionum turbines, turbas, & do-*
„ *lorem ferentes, voluptatum turbas recon-*
„ *dere facis; tu, humaniſſime Rex, qui de-*
„ *diſti nobis niveo fulgore lucentem ferre*
„ *ſtolam ex aqua. & ſpiritu, etiam per hu-*
„ *jus aquæ tranſumptionem, & aſperſionem*
„ *tuam, nobis dimitte benedictionem abſter-*
„ *gentem paſſionum ſordes &c. Inclina Do-*
„ *mine aurem tuam, & exaudi nos, qui in*
„ *Jordane baptizari paſſus es, & ſanctifi-*
„ *cans aquas benedic etiam nos per inclina-*
„ *tionem propriæ cervicis, ſignificantes ipſum*
„ *ſervitutis ſtatum, & fac nos dignos im-*
„ *pleri ſanctificatione tua, per hujus aquæ*
„ *tranſumptionem, ut ſit nobis Domine in*
„ *ſalutem animæ, & corporis*. Deinde ca-
„ piens pretioſam Crucem benedicit
„ aquas ter demittens & attollens illam
„ rectam. Mox poſt ſanctificationem
„ ſic aſpergit totum populum & manſio-
nem:

Digitized by Google

nem: populus autem canit præſentem verſiculum, *Pauperes ſancti fontem medicinæ poſſidentes, remedia præbete omnibus indigentibus, tanquam maximis muneribus digni effecti a perenni fonte Salvatore noſtro: dicit enim vobis Dominus tanquam imitatoribus Apoſtolorum: ecce dedi vobis poteſtatem contra Spiritus immundos, ut ipſos ejiciatis, & curetis omnem infirmitatem, & languorem.* ,,

II. Probatur de Eccleſia in Armenia. Et quidem Pontificale Armenorum in Canone benedictionis aquæ dicenda præſcribit. ,, Adjuro te creatura aquæ in nomine ✠ Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu ✠ Chriſti Filii ejus Domini noſtri, & in virtute Spiritus ✠ Sancti, ut fias aqua adjurata, & benedicta ad propulſandam & effugandam omnem poteſtatem inimici, & eundem met inimicum eradicare valeas, una cum Angelis ſuis apoſtatis per virtutem ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Adjuratio aquæ.* Adjuro te ſubſtantia aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Filii ejus Jeſu Chriſti, & in gloria Sancti Spiritus, ut fias efficax per adjurationem hominis, ad fugandam nequitiam Satanæ, & ipſum Satan valeas radicitus evellere cum omnibus Angelis ejus. *Oratio aquæ.* Domine Deus Salvator hominum, qui confirmaſti univerſa ſuper aquas, inclina ad preces noſtras, & hanc (*unam ex quatuor elementis*) aquam præparatam multiplici uſui benedic ✠ per infuſionem gratiæ tuæ, ad effugandos Demones, ad pellendos morbos, & ad omnia, quæ reſperſerit in domibus & locis Chriſtianorum, mundanda, & ad propulſandum malum, & etiam in quem locum pervenerit, recedat Spiritus nequam, & morbus, & immunditia, & aura corrumpens, & omnes inſidiæ Dæmonum, & tribuat ſanitatem, propter invocationem ſancti nominis tui, & potentiam Domini noſtri Jeſu Chriſti: *Et hic miſcetur ſale aqua & ſignatur ✠ Cruce cum gratiarum actione, ſervaturque in Eccleſiis. Benedictio aquæ.* Deus, qui ob ſalutem humani generis tribuiſti in manu præcipuorum Sacramentorum aquæ ſubſtantiam, intende nunc Domine voci precationum noſtrarum, & elementari aquæ huic, quæ eſt purgatrix corporalium ſordium, virtutem benedictionis tuæ infunde, ut creatura hæc tua, quæ inſervit venerabili tuo Sacramento, effectum nunc ſumens divinæ gratiæ, abjiciat Dœmones, morboſque pellat, utque domus, vel loca fidelium, in quibus hæc aſperſa fuerit, careant omni immunditia, liberentur ab omni novo flagello, neque in illis ultra reſideat ſpiritus peſtilens, nec aura corrumpens, & recedant omnes inſidiæ latentis inimici, etſi quid fuerit contrarium vel obnoxium incolumitati, etiam quieti habitantium in dictis locis, aſperſione hujus aquæ annihilatum effugiat, ut ſalus expetita per invocationem ſancti nominis tui defenſa ſit ab omnibus impugnationibus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Hic Sacerdos accipiat ſal, & in Crucis forma mittat in aquam, dicendo*: Commiſtio hæc ſalis & aquæ fiat in nomine ✠ Patris, & Filii ✠, & ✠ Spiritus Sancti. *Oremus.* Deus invictæ virtutis auctor & indeclinabilis imperii Rex, qui ſemper magnificus es, & potens triumphator, qui reprimis vires dominationis Adverſarii noſtri, qui ſatanicam virtutem, & iracundiam omnipotenti virtute tua expugnas, nunc cum timore, & tremore ſupplices deprecamur te, ut hanc creaturam ſalis & aquæ dignanter ſuſcipias, & gratia tua illuſtres, & tua ſolita pietate ſanctifices, ut ubicunque fuerit aſperſa hæc per invocationem nominis tui ſancti omnis impugnatio immundi Spiritus abjiciatur, terrificuſque conatus venenoſi inviſibilis Serpentis procul pellatur, & gratia ſpiritus tui ſancti ubique nobis expoſcentibus tribuatur. Amen. *Diebus Dominicis hora competenti ſecundum conſuetudinem Sacerdos genibus flexis coram ſancto Altari illud primum aqua benedicta aſpergit, tum populum, & interim canitur verſiculus*: aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor &c. ,,

III. Probatur de Eccleſia Syriaca, ſive Chaldea. *Ex libro Cæremoniali, ſeu de ritu conſecrationum Mar-Michaelis Chindeſi, filii Eliæ Patriarchæ Antiocheni, quem ſcripſit anno* 1167. ,, Ordo ſervandus circa orationes, & lectiones dicendas in aquæ benedictione hic eſt. Suſtollens Miniſter Diaconus vas hujus aquæ, quo ſcilicet utuntur paſſim ad eam aſpergendam, cum altero vaſe hoc majore ad modum pelvis, incedens, & cum eo totus Cleri ap-

„ paratus præcedens, dicunt ſuavi qua-
„ dam modulatioue ex Pſalmo : *Vox*
„ *Domini ſuper aquas multas* . Et illud .
„ *Viderunt te aquæ Deus* , *viderunt te* ,
„ *& timuerunt* . Cum vero miniſtiata
„ fuerint prædicta vaſa uſque ad locum,
„ ubi eſt aqua benedicenda , qui ſuſtulit
„ vas illud parvum aquæ , collocet illud
„ ſuper menſam , vel ſedem aliquam
„ ante presbyterium Capellæ præpa-
„ ratam , Crucem Cantores pariter ſu-
„ per dictam menſam ponentes , recte
„ collocent in ſuo ſtipite , & qui bene-
„ dicit aquam , incipiens ſic dicit : *Glo-*
„ *ria Patri* , *& Filio* , *& Spiritui San-*
„ *cto* ; *ſicut &c.* dicentes Chori hinc iu-
„ de diſpoſiti reſponſa alternatim Pſal-
„ mi *Miſerere mei Deus* . Deinde oratio-
„ nes chonune appellatæ in ſecundo to-
„ mo alternatim pariter canteutur cum
„ cantico : *Cantate Domino dulciter* ; &
„ deinde : *Magnificat anima mea Domi-*
„ *num &c.* Deinde orationes Sedro ;
„ deiude qoloququojo ſic appellatæ :
„ deinde Pſalmus : *quid eſt tibi mare quod*
„ *fugiſti* : eodem ordine alternativo ſer-
„ vato : deinde leguntur lectiones Moſi
„ ex Geneſi : *& ſervus Abrabæ decem ca-*
„ *melos* ; uſque : *nuntiavit fratri ſuo verba*
„ *hæc* . Deinde dicuntur litaniæ, po-
„ ſtea Sedro ; altera ſcilicet oratio præ-
„ nominata ; deinde : *Sapientia divina*
„ *animadvertit* . Demum Oratio , quæ
„ ſequitur in hunc modum . Mangnus es
„ nimis Domine , & mirabilia opera
„ tua , & non eſt ſermo ſufficiens , qui
„ laudem & gloriam admirandæ tuæ
„ majeſtatis intellectu perſonare queat
„ &c. Tu Domine , qui hominem dili-
„ gis, veni etiam nunc mediaute deſcen-
„ ſu Spiritus Sancti , & benedic aquas
„ iſtas: tribue illis gratiam Jordanis ✠ ,
„ fac eas benedictionis fontes , munera
„ ſauctitatis , relaxationem & expiatio-
„ nem peccatorum ✠ , ſanitatem infir-
„ morum ✠ , auxilium debilium ; qui-
„ bus appropinquare nequeunt adverſæ
„ virtutes , plenas Dei virtute , adeo
„ quod omnes , qui fuerint hac aqua
„ reſperſi . & qui ex his communicave-
„ rint ✠ in animarum medicinam , &
„ corporum ✠ , in expiationem ſive
„ mundationem , paſſionum vel concu-
„ piſcentiarum , in ſanctificationem
„ domorum ✠ , cuſtodiam adverſitatum
„ ac malorum omuium . Tu enim es,
„ qui per aquam & ſpiritum renovaſti
„ naturam noſtram , quæ ob peccatum
„ tabefacta fuerat . Tu es , qui tempore
„ Noe aquis peccatum demerſiſti . Tu
„ es,qui genus hebræorum per aquas ma-
„ ris a ſervitute Pharaonis liberaſti .
„ Tu per ignem & aquas per manus
„ Eliæ Prophetæ liberaſti Iſrael ab er-
„ rore Baal , & benedicens tu aquas iſtas
„ per gratiam tuam concede omnibus
„ illis, qui tetigerint eas , aut ejs com-
„ municaverint , aut quovis modo re-
„ cta fide utantur ✠ benedictiones ſan-
„ ctitatis ✠ mundam ſanitatem , mede-
„ cinale reſtauratorum refrigerium, au-
„ xilium , liberationem a paſſionibus
„ animæ , & corporis , ut per elemen-
„ ta , & homines , & Angelos , & per
„ viſibilia ſcilicet , & inviſibilia , laude-
„ tur nomen tuum per omuia honorabi-
„ le , & benedictum , Deus noſter cum
„ Patre , & Spiritu Sancto , ex nunc &
„ uſque in ſeculorum ſecula . *Clerus re-*
„ *ſpondet* . Amen .

IV Probatur de Eccleſia Æthiopum in India . Libro enim Sacerdotali, quem *Sincſar* appellant „ *Sacerdos aquam be-*
„ *nedicturus* , *ſignat ſe prius ſigno Crucis* ,
„ *præmiſſaque ex animo oratione domini-*
„ *ca* , *recitat reverenter Pſalmum* : Mi-
„ ſerere mei Dens : *ac deinde dicit oratio-*
„ *nem* , *quæ ſequitur* . Gratias agimus ,
„ ſive benedicimus ei , qui fecit bona ſu-
„ per nos , Deo videlicet miſericordiæ,
„ Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti .
„ Orate . Domiue Deus incipe omuia ,
„ Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti,gra-
„ tias agimus tibi propter omne opus ,
„ quatenus liberaſti nos , & auxilio fui-
„ ſti nobis , & cuſtodiſti nos , defenſor-
„ que factus es nobis , corroboraſti , ac
„ pervenire feciſti nos uſque ad hanc
„ horam , & propter hoc petimus ac
„ requirimus , ob adventum tuum amo-
„ re ipſius hominis mundo exhibitum .
„ *Hic dicit Diaconus* ; attendite , & expe-
„ tite . *Deinde dicit Sacerdos* . Da nobis
„ perficere hunc diem ſancte in omni-
„ bus temporibus vitæ noſtræ , in omni
„ pace cum timore tuo : ✠ omnem au-
„ tem ſervitutem , vel invidiam , ac
„ omne conſilium , & Satanæ omnia
„ opera , conſiliumque hominum ma-
„ lorum, & inimici ſecretum incurſum,
„ ſcilicet adverſus nos ac moleſtiam ✠
„ fac diſtare , & recedere a me pariter ,
„ & ab omni populo tuo , ac etiam ab
„ iſto loco ſancto tuo , omnia deinde
„ bona , quæ bonificant , & quæ etiam
„ vivificant , præcipe ut ea loquamur
„ &c.

„ &c. *Hic legitur Evangelium S. Joannis*
„ *&c. deinde Marci &c. Demum ſubmiſſa*
„ *voce claudit hanc benedictionem cum Cre-*
„ *do, & Ave Maria*. In Ordine Bapti-
„ ſmi Æthiopum : *poſtea dicit Sacerdos*
„ *ſequentem orationem ſuper fontem*. Deus
„ Prophetarum, Domine Apoſtolorum,
„ qui nuntiaſti adventum Chriſti tui per
„ os Prophetarum ſanctorum, ante-
„ quam mitteres Joannem Prophetam,
„ qui præcederet ante te : rogamus te,
„ & quæſumus o amator humani generis
„ pro famulis tuis, qui venerunt ad te,
„ & virtus tua adſit huic fonti &c. *Et*
„ *inſuflat in aquam in modum Crucis di-*
„ *cens* : Sanctifica hanc aquam, & hoc
„ oleum, & ſint in ablutionem rege-
„ nerationis, & in vitam æternam,
„ Amen. O Sancte tona ſuper hanc
„ aquam, & da ei gratiam, ſalutem,
„ & benedictionem Jordanis, ut ab ea
„ fugiant omnia, quæ malignantur ad-
„ verſus creaturas tuas. *Diaconus dicit*.
„ In Orientem aſpice Sacerdos, & diſ-
„ ſipentur coram ſigno Crucis omnes
„ vires eorum, qui ſunt in aqua, &
„ terra, qui non videntur, uec lateat
„ in hac aqua ſuperbia tenebroſa, nec
„ deſceudat cum iis, qui baptizantur,
„ malignus ſpiritus, qui obtenebret eo-
„ rum mentem, & perturbet cor. Ro-
„ gamus te omnes, Domine, ut facias
„ hanc aquam eſſe aquam quietis, Amen
„ &c. Aquam ſalutis, Amen. Ut ſit
„ in ablutionem turpitudinis animi, &
„ corporis, Amen. Aqua in abſolutio-
„ nem, & remiſſionem omnium pec-
„ catorum, Amen : lumen animi &
„ corporis, Amen : ablutio in regene-
„ rationem : Amen. Dominus Deus no-
„ ſter, qui ſedes ſuper Cherubim, in-
„ tende oculos, qui habitas in Cœlo ;
„ aſpice & viſita creaturam tuam : da
„ huic aquæ donum Jordanis magnum,
„ potens, & cœleſte, & deſcendat Spi-
„ ritus Sanctus ſuper eam ; Ameu. Do-
„ na ei benedictionem Jordanis, da ei
„ virtutem, ut ſit aqua vitæ, aqua ſan-
„ ctitatis, aqua mundationis peccato-
„ rum, Amen : aqua lotionis & rege-
„ nerationis, Amen. Dona ei, ut ſi
„ quis eſt latens extra eum ſpiritus ma-
„ lignus, non revertatur amplius ad
„ eos, qui baptizantur, Ameu : nec
„ ſpiritus diei, Amen : nec ſpiritus
„ noctis, Amen ; nec ſpiritus aeris,
„ Amen : nec ſpiritus ſuperbiæ, qui ſub
„ terra eſt, Amen : at arce omnes ma-
„ lignos ſpiritus, virtute & benignita-
„ te tua, & frangantur coram ſigno Cru-
„ cis Filii tui. *Amen. Amen*. Zaga Za-
„ bo Epiſcopus Æthiops in Confeſſione
„ fidei Æthiopicæ ait ; *& aqua, quo bapti-*
„ *zantur apud nos, exorciſmis conſecratur,*
„ *& benedicitur*. Franciſcus Alvareſius
„ lib. *de Regno Pretioſi Joannis* cap. 37.
„ *Monachi, & Sacerdotes ſemper habent*
„ *in promptu vas æneum aqua benedicta re-*
„ *fertum. Nam qui illis in plateis fiunt*
„ *obviam, hujuſmodi ab iis aquam cum be-*
„ *nedictione petunt, qua cibum, & potum*
„ *aſpergunt*. Hieronymus Oſorius lib. 3.
„ *de geſtis Emmanuelis, Regis Luſitaniæ*
„ fol. 119., ſcribit. *Chriſtiani in India*
„ *in ingreſſu templi, perinde atque nos fa-*
„ *cimus, luſtralibus aquis aſperguntur*.

V. Probatur de Eccleſia Muſcovitica. Alexander Gaguinus in deſcriptione Sarmatiæ Europæ. *Moſcovitæ aquam baptiſmatis pro ſingulis infantibus conſecrant. Quos etiam, qui gravius aliquid deliquerint, aqua ſacrata abluunt, quam in Epiphania Domini toto fluvio, vel ſtagno, ſecundum morem conſecrato, hauriunt, & pro abſtergendis noxialibus delictis, per integrum annum in templo reſervant*. Sigiſmundus Liber Baro &c. in Comment. rerum Moſcovitarum C. de Baptiſ. *Aqua baptiſmatis ſingulis infantibus conſecratur, & continuo poſt baptiſmum extra templi portam effunditur*. Antonius Poſſevinus Commentario primo de rebus Moſcoviticis. *Ægroti vix ullum remedium adhibent, quam vel cremati vini, vel aquæ, in quam Sanctorum Reliquias poſuerint, potum ; vel aquæ a Sacerdotibus orationibus ſanctificatæ aſperſionem : D. Nicolaum magno pere venerantur, quem non depictum tantum, ſed pene totum exſculptum vidimus non procul a Novogardia magna, cum Monachi nobis obviam veniſſent, in altera patina aquam benedictam, & Crucem, in altera vero panem & ſal, ut ſolent, offerentes*. Quæ quidem omnia monumenta, quæ tranſcripſimus a Coccio in theſauro tom. 2. lib. 5. de baptiſmo art. 8., ſatis probant univerſalitatem apud omnes Eccleſias traditionis circa benedictionem aquæ, quæ in baptiſmi Sacramento pro remota neceſſaria & licita materia adhibetur.

VI. Probatur ex Conciliis. Concilium Carthaginenſe, quod celebratum eſt circa medium tertii ſeculi cap. 18. *Se-*

datus

Digitized by Google

datus a Tuburbo dixit : In quantum aqua Sacerdotis prece in Eccleſia ſanctificata abluit delicta, in tantum baretico ſermone, velut cancer, inſecta cumulat peccata. Concilium Moguntinum, quod habitum eſt circa medium ſeculi XVI. c.39. *Veterem morem in Eccleſia ſequimur, dum ſalem, aquam, & cæteras quaſdam res in uſum fidelium per orationes in verbo Dei præparamus. Quem morem nemo reprehendat, qui ſecum reputaverit, Eccleſiam inter cætera ſalutis, & utilitatis ſuæ tum augendæ tum conſervandæ præſidia etiam exorcizandi poteſtatem contra inſidias Dæmonum, aliaſque noxias peſtes avertendas, accepiſſe*. Concilium Mediolanenſe, vel S. Carolus, Cardinalis & Mediolani Archiepiſcopus, qui refertur in actis Eccleſiæ Mediolanenſis part.4. de baptiſmi adminiſtrat. *Quod igitur ad hujus Sacramenti materiam pertinet, id animadvertet; ut aqua (quæ materia Sacramenti baptiſmi eſt) non ſolum vera naturaliſque ſit, ſed etiam eo ipſo anno (quemadmodum ſancte cautum eſt) benedicta in Sabbato Paſchæ Reſurrectionis Domini, aut Sabbato Pentecoſtes... Aquam baptiſmalem (quoniam puram illam quidem, mundam, nitidamque eſſe, ob tanti Sacramenti dignitatem, convenit) in ipſo fonte per totum annum, quoad ejus fieri poteſt, tum decore, tum pure conſervabit. Quam ob cauſam tum fontem pro Sacramenti majeſtate ex eo præſcripto decenter extructum ornatamque habebit, tum etiam totum ipſius fontis opus undique ita contectum tenebit, ut nec pulvis, nec ullæ aliæ ſordes intro penetrent, quibus aqua corrumpi, aut impura fieri poſſit*. Quibus additur Rituale Romanum tit. de Sacram. Bapt. §. de materia. *Aqua ſolemnis Baptiſmi ſit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paſchatis, vel Sabbato Pentecoſtes, quæ in fonte mundo nitida & pura diligenter obſervetur .... Si aqua benedicta tam imminuta ſit, ut minus ſufficere videatur, alia non benedicta admiſcere poteſt; in minori tamen quantitate. Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundum ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præſcribitur. Sed ſi conglaciata ſit, curetur, ut liqueſiat: ſin autem ex parte conglaciata ſit, aut nimium frigida, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiſcere aquæ baptiſmali in vaſculo ad id parato, & ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo*.

VII. Probatur ex Patribus Græcis. Baſilius Magnus in Pſal.28. *In univerſo orbe baptiſmatis adminiſtratur myſterium, divina invocatione aquarum ſanctificante naturam*. Et lib. de Spiritu Sancto cap.27. *Conſecramus aquam baptiſmatis, & oleum unctionis; præterea ipſum, qui baptiſmum accipit, ex quibus ſcriptis? Nonne a tacita ſecretaque traditione?* Cyrillus Hieroſolymitanus Catech.3. *nam & illa, quæ in aris offeruntur, cum natura ſint pura, invocatione Dæmonum impura efficiuntur: ſic contra aqua ſimplex per Sancti Spiritus, Chriſti, & Patris invocationem accepta virtute ſanctitatem conſequitur*. Thoephilus Alexandrinus lib.1. Paſchali. *Aqua in baptiſmate adventu Spiritus ſanctificatur*. Joannes Chryſoſtomus in Pſal.22. *Aqua primatum tenet in elementis, ſed cum aquæ elementum acceperit Spiritum Sanctum fit Sacramentum, & jam non erit aqua potationis, ſed ſanctificationis, non erit aqua communis, ſed refectionis. Per iſtam aquam educit purgatos, facit perfectos, ratione charitatis & gratiæ, illuminans & replens eos, ut ubi abundaverat peccatum, faceret divites in gratia*. Et ſermone in Pentecoſte de Spiritu Sancto. *Spiritu Sancto Sacerdotes ordinantur; Doctores declarantur, unguentum conſecratur, aqua purgantur, dæmones abiguntur*.

III. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus de Baptiſ. cap.4. *Omnes aquæ de priſtina originis prærogativa Sacramentum ſanctificationis conſequuntur, invocato Deo. Supervenit enim ſtatim Spiritus de cælis, & aquis ſupereſt ſanctificans de ſemetipſo, & etiam ſanctificatæ vim ſanctificandi combibunt*. Cyprianus epiſt.70. *Oportet ergo mundari, & ſanctificari aquam prius a Sacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere; quia per Ezechielem Prophetam Dominus dicit. Et aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris. Quomodo autem mundare, & ſanctificare aquam poteſt, qui ipſe immundus eſt?* Ambroſius lib.1. de Sacram. c.5. *Quare prior deſcendit Chriſtus, poſtea Spiritus, cum forma baptiſmatis, & uſus hoc habeat, ut ante fons conſecretur, & tunc deſcendat, qui baptizandus eſt? Nam*

ubi

ubi primum ingreditur Sacerdos exorciſmum facit; ſecundo ſuper creaturam aquæ invocationem, poſtea & precem defert, ut ſanctificetur fons, & adſit præſentia Trinitatis æternæ. Chriſtus autem ante deſcendit; ſecutus eſt Spiritus. Qua ratione? ut non quaſi ipſe agere Dominus Jeſus ſanctificationis myſterio videretur, ſed ſanctificaret ipſe, ſanctificaret & ſpiritus. Auguſtinus lib. 50. Hom. hom. 27. *Quia baptiſmus, ideſt, ſalutis aqua, non eſt ſalutis, niſi nomine Chriſti conſecrata, qui pro nobis ſanguinem fudit, cruce ipſius aqua ſignatur.* Et lib. de Bapt. cont. Donatiſtas lib. 6. c. 25. *Si non ſanctificatur aqua, cum aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, multi non ſolum mali, ſed etiam boni fratres, in ipſis Eccleſiis non ſanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie ſi a doctioribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra catholicam fidem. Numquid ſi manifeſtarentur aliqui baptizati, cum illæ preces ſuper aquam dictæ fuiſſent, juberentur denuo baptizari? Quid ita? Quia plerunque precis vitium ſuperat precantis affectus; & quia certa illa evangelica verba, ſine quibus non poteſt baptiſmus conſecrari, tantum valent, ut per illa ſic evacuentur, quæcunque in prece vitioſa contra regulam fidei dicuntur: quemadmodum Dæmonum Chriſti nomine excluditur &c. Si aliquis malus itaque perverſus precem integram dicat, & nulla ex parte fidei catholicæ adverſam, non ideo ipſe rectus eſt, quia illa recta eſt; & ſi in aliquibus perverſam afferat precem, Deus adeſt verbis evangelicis ſuis ſine quibus baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt, & ipſe ſanctificat Sacramentum ſuum.*

Opponunt I. Si pura ſit aqua, ſeu ſi utentes non contaminet, cur peculiari benedictione conſecratur, antequam Catechumeno applicetur?, cur precibus ſanctificatur, niſi ut ea, quam traxit ex principio malo, immunditie liberetur? Sic nonnulli Manichæorum Diſcipuli loquebantur, quod & in objectionibus in hac diſſertatione poſitis tetigimus. II. Omnis aqua ſufficit ad Baptiſmi valorem: ergo non requiritur ut ſit benedicta. III. Benedictio aquæ eſt ex inſtitutione Eccleſiæ: ergo prætermitti poteſt abſque culpa, & abſque invaliditatis baptiſmi defectu. IV. S. Thomas docet, quod aqua benedicta adhibenda tantum ſit, propter baptiſmi ſolemnitatem: ergo non pertinet ad baptiſmi ſubſtantiam, ſed tantum ad ritum. V. Si eſſet neceſſaria ad Baptiſmum aqua benedictione conſecrata, non eſſet adeo facilis, & pervius baptiſmi uſus, ut Chriſtus voluit, & declaravit, quia aqua benedicta non eſt omnibus obvia, ut eſt aqua naturalis & elementaris. VI. In Scripturis non legitur hujuſmodi benedictionis aquæ præceptum: ergo nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis fuit Eccleſiæ datum.

Reſpondemus ad I., quod illa aquæ ſanctificatio non ideo fit ab Eccleſia, ut immunditia, quam fingunt Manichæi, ab ea depellatur, ſed myſterii & doctrinæ cauſſa adhibetur. Per eam nanque conciliatur reverentia Sacramento, colitur contactus ille carnis, quo Chriſtus conſecravit Jordanis fluenta, quando a Joanne baptizatus eſt, & Catechumeni docentur mirabilem baptiſmi effectum; ut S. Thomas docet.

Ad II. Fatemur quidem, Chriſtum voluiſſe, ut baptiſmus conſtaret aqua, & aqua naturali: aqua quidem, quia ablutio aquæ maxime eſt apta ad ſignificandum baptiſmi effectum, hoc eſt animæ interiorem ablutionem; & aqua naturali quoque, ut baptiſmus facilior evaderet, quia aqua naturalis ubique fere invenitur, Alias congruentias adducunt Patres, & præcipue Tertullianus lib. de bapt., Cyprianus epiſt. 76., Ambroſius l. 4. in Lucam, Auguſtinus l. 12. cont. Fauſtũ, & S. Thomas 3. par. q. 66. art. 3. Aqua autem naturalis ea omnis eſt, non quæ opponitur benedictæ, quia etiam benedicta poteſt eſſe naturalis; ſed quæ opponitur artificiali. Hinc valet baptiſmus datus aqua maris, fluminis, pluviæ, reſoluta ex nive, glacie, grandine, pruina, transfuſa per cineres, per balnea ſulphurea, aut per alia loca mineralia, adhibita ad piſces, carnes, aliaque alimenta decoquenda; niſi tamen aqua iſta tantam ſpirituum copiam contraxerit, ut ſpeciem mutaverit. Aqua vero expreſſa ex roſis, floribus, herbis &c., item Cerviſia, Juſculum bene decoctum, ſudor, lac, urina, lacrymæ, ſaliva, phlegma, nec etiam ſunt aquæ naturales, adeoque invalidum baptiſmum faciunt. Si autem

liquor

liquor aliquis ſit dubius, & urgeat extrema neceſſitas, licet cum eo baptizare, ſed conditione appoſita: *ſi hæc materia idonea eſt ad baptizandum*; ita tamen, ut quando occurrit aqua certa; denuo baptizandus ſit, etiam cum conditione; *ſi non es baptizatus &c.*

Ad III. Concedimus totum, ſi de validitate baptiſmi ſit ſermo: at negamus de ejuſdem baptiſmi licita adminiſtratione; quia quum aquæ benedictio ſit ex inſtitutione Eccleſiæ, ut Adverſarius fatetur, non licet eam tranſgredi ſine neceſſitate, & per conſequens non eſt licitum illam omittere abſque culpa.

Ad IV. Hæc ſunt verba S. Thomæ 3. par. q.66. art,3. ad 5. *Dicendum, quod illa benedictio, quæ adbibetur aquæ, non eſt de neceſſitate baptiſmi, ſed pertinet ad quandam ſolemnitatem, per quam excitatur devotio fidelium, & impeditur aſtutia Dæmonis, ne impediat baptiſmi effectum.* Scripſit autem quoque idem S. Doctor in 4. diſt.5. q.2. art.1. quæſtiuncula 1. in corp. *Dicendum, quod non licet benedictionem prætermittere propter Eccleſiæ inſtitutionem.*

Ad V. Aqua benedicta exigitur in ſolemni baptiſmi adminiſtratione, quæ quidem non premitur temporis anguſtiis, ſicuti eſt in caſu neceſſitatis, in quo qualibet aqua naturalis ſufficit. Cæterum ſi difficultas aliqua exoriatur circa aquam benedictam, vel quia deficere poteſt in baptiſterio, vel alia quacunque ex cauſſa, S. Carolus citato loco hanc præcipit cautionem adhibendam, *Quod ſi intra annum præ temporis diuturnitate, aliave cauſa illam corrumpi contigerit, in ſacrarium prope fontem Parochus projiciet, ſtatimque, & fontem purgabit. Et vero ſi in urbe eſt, ad Metropolitanam; ſi in Diœceſi, ad Plebanam Eccleſiam veniet, unde proprio vaſculo nitido aquam baptiſmalem accipiat, in Parochialemque Eccleſiam ſecreto ferat: ubi quam primum in fontem effundet, baptiſmalique aquæ allatæ tantum etiam aquæ puræ nitidæ, & recentis addet, quantum ſatis erit. Hoc ipſum quoque præſtabit, ſi etiam aqua baptiſmalis per annum aliquo modo defecerit.*

Ad VI. Quamvis in Scripturis non legatur aquæ benedictio, legitur tamen in Patribus priorum ſeculorum, & præcipue in Auctore libri de Eccleſiaſtica hierarchia cap 2., qui tribuitur Dionyſio Areopagitæ, in Baſilio lib. de Spiritu Sancto, cap.27.; in Euchologio, quo a mille & amplius annis Græci utuntur. Immo apud Occidentales ab Eccleſiæ incunabulis ad hæc uſque tempora, mos ille, de quo agitur, invaluit. Et orationes, quibus ea benedictio perficitur, legere eſt apud S. Gregorium in Sacramentario, Alcuinum, & alios, qui de divinis officiis ſcripſere. Hoc tamen Græcos inter, & Latinos diſcrimen intercedit, quod Græci aquam baptizandis Catechumenis deſtinatam in aliam diem non ſervant, ſed toties conſacrant, quoties quis baptiſmo offertur. E contra Latini bis tantum in anno, Sabbatis nimirum Paſcham, & Pentecoſtem immediate præcedentibus eam ſanctificare ſoliti ſunt. Græci inſuper in aqua calida baptizant. Hujus autem binæ diverſitatis rationem deſumit Arcudius ex trina immerſione, qua utuntur Græci. *Cum enim Græci*, inquit, *ſoleant infantes totos in aquam mergere (quæ etiam cauſa potiſſima eſt, cur aquam calefaciant) non videtur honeſtum moraliter loquendo, ut eadem aqua, quippe quodamodo polluta, diu ſervetur, ut aliis baptizandis inſerviat.*

DISSERTATIO CCCXXXX.

De Materia proxima baptiſmi. Quinam fuerint errores, & opiniones circa eandem? An immerſio, & eadem trina, fuerit in baptiſmo antiqua & neceſſaria? An modo ad baptiſmi ſubſtantiam pertineat, ita ut baptiſmus aſperſione, vel infuſione, & ſine trina merſione, datus, non valeat? Et quinam fuerint ritus in trina merſione adhibiti?

MAteria remota baptiſmi, quod ſit aqua naturalis & elementaris, in præterita diſſertatione vidimus; quod debeat eſſe benedicta, ſi non ad validam, ad licitam tamen baptiſmi adminiſtrationem, pariter ſtatuimus. Remanet modo agendum de ejuſdem Baptiſmi materia proxima, quam omnes conveniunt eſſe ablutionem. Cujus rei ratio eſt, quia per ablutionem applicatur aqua, quæ eſt materia remota, per verba ab abluente Miniſtro prolata. Ipſa etiam ablutio baptizantis actionem, & baptizati paſſionem, ſignificat; adeoque illa opportunior nequit alia aſſignari ad Sacramentum baptiſmi, quod non in aliquo permanente, ſed in uſu, & in actione ſucceſſiva & fluente conſiſtit. Et hinc eſt quod ad eam requiratur motus aliquis ſucceſſivus, ratione cujus corpus vere ablui dicatur; unde per unam, aut alteram, aquæ guttulam baptiſmus minime perficeretur; nec etiam perficeretur nive, aut glacie, vel grandine, quia licet hæc ab aqua eſſentialiter non differant, quia tamen non fluunt, non ſunt ad abluendum idonea, donec liquefiant. Nec etiam perficeretur, ſi aqua, non carnem, ſed crines, aut veſtes tantum Catechumeni, attingeret. Quinimmo alii etiam dubitant, an perficiatur, ubi tantum pes, aut manus, perfunditur, quia in his caſibus dici nequit, quod homo ſit ſimpliciter, & abſolute ablutus. Ablutio autem hæc tribus perficitur modis, immerſione nimirum, aſperſione, & infuſione. Modo immerſione utuntur Græci, & olim etiam Latini utebantur, qui ad præſens infuſionem ut plurimum adhibent. Procedimus nunc ad errores, & opiniones, circa materiam proximam baptiſmi recenſendos, & quidem

Primo, Magnus, qui tertio ſeculo erat in Africa Epiſcopus, dubitavit, an valeret baptiſmus datus, vel per aſperſionem, vel per infuſionem. Conſuluit Cyprianum, qui tunc temporis inter vivos erat; & Cyprianus hæc ei reſpondit; quæ referuntur in lib. 4. epiſt. ejus 7. *Quæſiviſti etiam, frater chariſſime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate, & languore, gratiam Dei conſequuntur, an habendi ſint legitimi chriſtiani, eo quod aqua ſalutari non loti ſint, ſed perfuſi.*

Secundo, dicitur, quod dubitaverit etiam Cornelius Papa, eo quod ſcripſerit ad Fabium Antiochenum de Novatiano, qui fuerat in lectulo mortis per infuſionem baptizatus, ſi tamen talem baptiſmum percepiſſe dicendum eſt. At quum ejus verba obſcura ſint, non videtur ſufficiens fundamentum, cui bene innitantur illi, qui hoc dubium Cornelio Papæ adſcribunt. Revera tamen Cornelius Papa loquutus eſt de baptiſmo ſecundum effectum ſumpto, non autem ſecundum ſubſtantiam. Dubitavit enim,

ut ait Jueninus in Comment Diſſert.2. de bapt. cap.2. art.1. §.2., an Nova-
„ tianus in cubili tinctus baptiſmatis
„ gratiam conſecutus fuiſſet; nec hu-
„ juſmodi dubium illi peculiare fuit:
„ omnes enim antiquos Patres tenuit;
„ judicarunt nempe, baptiſma, quod in
„ ultima vitæ periodo recipitur, non
„ ſponte, ſeu ex Dei amore, ſed ex ſo-
„ lo gehennæ metu excepti, proindeque
„ gratiam non conferre: ea de cauſa
„ in periculo baptizatos, a ſacris Ordi-
„ nibus arcebant.

Tertio, Marcus, Archiepiſcopus Epheſinus, in epiſt. encyclica poſt Concilium Florentinum ſcripta ad omnes Epiſcopos, non dubitavit, ſed negavit, eſſe validum baptiſmum, qui per immerſionem non ſit datus. Subdit enim, quod ſi hic eſſet validus, duo darentur in Eccleſia baptiſmi, unus per immerſionem, & alter per infuſionem collatus. Et hæc ſunt ejus verba: *bina baptiſmata peraguntur, alterum, quod trina immerſione perficit baptizatum; alterum, quod aquæ infuſione a ſummo vertice confertur*.

Quarto, Hieremias, Conſtantinopolitanus pſeudo-patriarcha, baptiſmum per infuſionem datum cenſura quidem notavit, ſed irritum dicere non eſt auſus. Ait enim in 2. reſponſo Cenſuræ a ſe ipſo latæ adverſus Lutheranos: *baptizabant veteres non manibus ſuis aquam baptizandis aſpergentes, ſed trina immerſione evangelica dicta ſequentes*.

Quinto, Lutherus, & Calvinus, eorunque Diſcipuli, videntur quidem probare baptiſmum per infuſionem datum; at quia illum in Scriptura non inveniunt, & juxta ipſorum hypotheſim, nihil eſt admittendum, quod in Scriptura non legatur, ſequitur potius, ab ipſis hunc baptiſmum rejici, quam admitti. Et quanvis afferant factum Petri, qui una die quinque millia hominum, baptizavit, tamen ex hoc, non neceſſario, ſed probabiliter, dicūt, infertur, quod baptiſmus a Petro collatus fuerit per infuſionem, & non per immerſionem datus, ut ex Boſſueto, Epiſcopo Meldenſi, obſervat Jueninus citato loco: „ quanvis enim
„ probabiliter inferatur ex facto Petri,
„ qui una die quinque hominum millia
„ baptiſmate donavit, non elicitur ta-
„ men neceſſario: & ſane (ut in ſuo de
„ Communione ſub utraque ſpecie O-
„ puſculo advertit illuſtriſſimus, totoque
„ orbe chriſtiano præclaris ſuis in hæ-
„ reticos operibus celeberrimus, Beni-
„ gnus Boſſuetius, Epiſcopus Meldenſis)
„ abſolute loquendo, fieri potuit, ut Pe-
„ trus una eademque die tantum homi-
„ num numerum immerſerit, in urnas
„ nimirum, ſeu hydrias ubique fere ſe-
„ cundum Judæorum purificationem
„ poſitas.

Dicimus I., immerſionem, eamque trinam, fuiſſe antiquam in Eccleſia tum latina, tum græca, & uſque ad XIII. Eccleſiæ ſeculum perduraſſe in latina Eccleſia; in græca autem etiamnum perdurare.

I. Probatur Concluſio ex Scripturis. Joannis 3. legitur, quod Joannes Baptiſta baptizabat per immerſionem; legitur enim ibi: *in Ænnon juxta Salim; quia aquæ multæ illic erant*: ſi igitur multæ erant aquæ, neceſſe eſt, ut baptiſmus per immerſionem adminiſtraretur; quia, ut miniſtretur per infuſionem, ſeu aſperſionem, non multæ requiruntur aquæ, ſed paucæ ſufficiunt. Item Chriſtus ipſe per immerſionem baptizatus fuit a Joanne, ut legitur Math.3. *baptizatus autem Jeſus, confeſtim aſcendit de aqua*. Si igitur aſcendit de aqua: ergo prius immerſus fuit in aqua.

II. Probatur ex Conciliis. Synodus Celychitenſis in Anglia anno 8. ſec. 16. celebrata cap. 11. *Sciant Preſbyteri, quando ſacrum baptiſmum miniſtrant, ut non effundant aquam ſuper capita Infantium, ſed ſemper mergantur in lavacro; ſicut exemplum præbuit per ſemetipſum Dei filius omni credenti, quando eſſet ter merſus in undis Jordanis. Ita neceſſe eſt ſecundum ordinem ſervari, & haberi.* Adduntur Euchologia Græcorum, quibus plus quam a mille annis uſi ſunt Græci, ubi de Miniſtro baptiſmatis, qui formam profert ſupra Cathecumenum, & dicitur de illo: *deducens eum, & educens*; quæ quidem verba immerſionem ſignificant. Item Conciliū Conſtantinopolitanum I. Can.7., & Quiniſextum, Can.95., tribuunt Eunomio quod unam tantum immerſionem uſurparet; unde volunt, quod prodierit Can.50. inter illos, qui Apoſtolorum dicuntur; ubi dicitur; *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, non trinam immerſionem unius myſterii celebret*,

ſed

ſed ſemel merget in baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte; deponatur. Pariter de Ritualibus Græcorum loquitur Arcudius lib. 10. *de Sacram.* cap.7. *Quum Græci ſoleant infantes totos in aquam mergere; cauſſa potiſſima eſt, cur aquam calefaciant*; & Goarius in Euchologio Græcorum idem confirmat. Denique Ordo Romanus cap. *de Sabbato Sancto* hæc præcipit. *Acceptis infantibus a Parentibus, vel a Patrinis eorum, baptizant eos ſub trina merſione, tantum ſanctam Trinitatem ſemel invocantes ita dicendo: ego te baptizo in nomine Patris, & mergit ſemel; & filii, & mergit iterum; & Spiritus Sancti, & mergit tertio.*

II. Probatur ex Patribus Græcis. Juſtinus Martyr loquens de illis, qui ad baptiſmum diſponebantur, & informabantur, in Apologia 2. habet: *deinde eo adducuntur a nobis ubi aqua eſt ... nam in nomine rerum cunctarum parentis Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti, in aqua tum lavantur.* Cyrillus Hieroſolymitanus Cath.2. ait, baptizandos toto corpore enudari, & oleo ungi a ſummis capillis uſque ad plantam pedum, & deinde ad ſacrum lavacrum duci, & ter mergi in aqua: Baſilius lib. *de Spiritu Sancto* cap.27 *Jam ter immergi hominem; unde ex Scriptura hauſtum? Reliqua item, quæ fiunt in baptiſmo, veluti renuntiare Satanæ, & Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex minime publicata & arcana hac traditione?* Chryſoſtomus hom.6. in epiſt. ad Coloſſenſ. loquitur pariter de nuditate baptizandorum. *Hic nuditas, & illic nuditas. Sed illic quidem cum peccaſſet nudatus fuit, quoniam peccavit; hic autem nudatur, ut liberetur.*

IV. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. adverſ. Praxeam cap.26. ait. *Noviſſime mandans*, (Chriſtus) *ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; non in unum; nam nec ſemel, ſed ter, ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimus.* Et lib. *de corona militis* cap.3. *Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit.* Cyprianus epiſt.76. reſpondit Magno, qui ab ipſo quæſierat, an valeret baptiſmus datus per aſperſionem, aut infuſionem, & dixit, in neceſſitatis caſu valere: ergo mos erat, baptiſmum dari per immerſionem; aliter nec Magnus quæſitum illud feciſſet, nec Cyprianus reſponſionem illam dediſſet. Ambroſius lib.2. *de Sacram.* cap. 6. ait: *inventum eſſe quomodo homo vivus moreretur, & vivus reſurgeret. Quid eſt vivus? Hoc eſt vita corporis vivens cum veniret ad fontem, & mergeretur in fontem.* Et cap.7. *Interrogatus es: credis in Deum Patrem omnipotentem?, dixiſti: credo, & merſiſti, hoc eſt, ſepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in crucem ejus?, dixiſti: credo, & merſiſti. Tertio interrogatus es: Credis in Spiritum Sanctum: dixiſti: credo: tertio merſiſti.* Hieronymus Dial. adverſ. Luciferianos: *multa, quæ per traditionem in Eccleſia obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare*: Gregorius Magnus in Regiſtro l.1. epiſt.43. alias 41. *In una fide, non officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa: nos autem quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, reſurrectio tridnani temporis exprimatur.*

V. Probatur ex antiquis Scriptoribus, qui apud Latinos de divinis officiis ſcripſerunt. Et quidem Alcuinus, Amalarius, Fortunatus, Walafridus, Strabo, qui omnes poſterioribus ſeculis vivebant, adeo trinæ immerſionis tenaces fuerunt, ut oppoſitum Hiſpanorum morem, quem non improbaverat Gregorius Magnus, & Toletana Synodus IV., tanquam errorem damnarint: ut legitur apud Alcuinum epiſt. 81. ad Paulinum, & 69. ad Fratres Lugdunenſes. His pariter adduntur, qui baptiſmi per immerſionem dati meminerunt, Auxilius, in præfat. lib. 2. *de validitate Ordinum* a Formoſo Papa collatorum; Fulbertus Carnotenſis ſeculo XI. epiſt. 1. ad Adeodatum; Petrus Damianus lib.6.epiſt.35., Bernardus ſerm. de Cœna Domini. Hugo Victorinus dixit pariter, homines nudos baptizari; Magiſter Sententiarum Seculo XII. non loquitur de aſperſione, nec de infuſione, ſed tantum de immerſione; Angelicus Doctor S. Thomas Seculo XIII., in 3.p. q.66. art.7., docet: *tutius eſſe baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet uſus communior*: & art.8. in corp. Miniſtrum graviter peccare, qui aliter, quam immer-

gendo, baptizat, quia ritum Eccleſiæ non obſervat. Ex quibus conſtat, ritum baptizandi per immerſionem perduraſſe in Eccleſia latina uſque ad Seculum XIII.: unde ſolemniter mentiebatur Michael Cærularius, homo græcus, qui Sæculo XI. calumniabatur Latinos, quod per trinam immerſionem non baptizarent.

Dicimus II. Ad Baptiſmi valorem perinde eſſe, an ablutio fiat immerſione, vel infuſione, vel aſperſione

I. Probatur ab Angelico *Aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad uſum ablutionis corporalis, per quam ſignificatur interior ablutio peccatorum: ablutio autem fieri poteſt per aquam, non ſolum per modum immerſionis, ſed etiam per modum aſperſionis, vel infuſionis; & ideo, quanvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet communior uſus, poteſt tamen fieri baptiſmus per modum aſperſionis, vel etiam per modum infuſionis, ſecundum illud Ezech.: effundam ſuper vos aquam mundam*. Quod & confirmat, *quia quæ ſunt per accidens, non variant ſubſtantiam rei; per ſe autem requiritur ad baptiſmum corporalis ablutio per aquam; unde & baptiſmus lavacrum nominatur ſecundum illud ad Ephes. 5.: mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ſed quod fiat hoc, vel illo modo ablutio, accidit baptiſmo, & ideo talis diverſitas non tollit unitatem baptiſmi*.

II. Probatur. Nullum ex illis abluendi modis Chriſtus in ſpecie determinavit; immo Apoſtolos, & immerſione, & infuſione, baptizaſſe comperimus. Per immerſionem Philippus Diaconus Eunuchum baptizavit: ut Actor. 8.: *deſcenderunt uſque in aquam Philippus, & Eunuchus &c.* Petrus vel effuſione, vel aſperſione, baptizavit, quia una die tria millium, aut quinque millium hominum tinxit; talem enim numerum per immerſionem non poterat unica die baptizare.

III. Probatur. Baptiſmus Clinicis collatus conſtanti Eccleſiæ traditione ſemper fuit habitus ratus, & validus; nunquam enim iteratum legimus; Clinicorum autem baptiſma, non immerſione, ſed mera perfuſione perficiebatur, & aliquando etiam aſperſione, ut colligitur ex 3. Catech. S. Cyrilli Hieroſolymitani, ubi ait: *lætentur Cæli, & exultent, propter eos, qui aſpergendi ſunt hyſſopo, & mundandi hyſſopo ſpirituali*: Alludit S. Cyrillus ad illa verba Davidis; *aſperges me Domine hyſſopo*.

IV. Probatur ex Cypriano, qui in epiſt. ad Magnum ſupra dictum hæc pro reſponſione dedit: *nos, quantum concipit mediocritas noſtra, æſtimamus in nullo mutilari, & debilitari poſſe beneficia divina; nec quemque movere debet, quod aſpergi, vel perfundi videntur ægri, cum gratiam dominicam conſequuntur; quando Scriptura ſancta per Ezechielem Prophetam loquatur, & dicat: & aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris .... Item in Numeris: ſi non fuerit purificatus die tertio, & ſeptimo, non erit mundus, & exterminabitur anima illa de Iſrael, quoniam aqua aſperſionis non eſt ſuper eum ſparſa. Unde apparet aſperſionem quoque aquæ inſtar ſalutaris lavacri obtinere*.

V. Probatur ex reſponſo Stephani Papæ II., qui interrogatus, an liceret cum manibus infanti in infirmitate poſito aquam ſuper caput infundere, & ſic baptizare?, reſpondit: *hoc baptiſma, ſi in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis peractum fuerit, firmiter permanebit, præſertim cum & neceſſitas expoſcit, ut & ille, qui ægritudine detentus eſt, hoc modo renatus particeps Regni Dei efficiatur*.

Dicimus III., trinam merſionem fuiſſe aliquando neceſſariam, non quidem neceſſitate medii, ſed neceſſitate præcepti, & obtinuiſſe uſum in Eccleſia, non ex Scriptura, ſed ex Traditione.

Prima pars Concluſionis probatur I. ex Can. L., inter Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, & quem retulimus ſupra, qui de trina merſione expreſſe loquitur. II. Author libri *de Eccleſiaſt. hierarch.* cap. 4., meminit hujus trinæ merſionis. III. In Euchologiis Græcorum pariter continetur. IV. Etiam nunc apud Græcos trina merſio viget, ut teſtatur Jeremias, Pſeudo-patriarca Conſtantinopolitanus, & qui floruit ſeculo XVI. dicens: *nos quidem ſub trina merſione baptizamus*. V. Tertullianus lib. *de corona militis* cap. 3.: *Dehinc ter mergitamur*. Ambroſius, vel quiſquis ſit Auctor librorum de Sacramentis, qui Ambroſii nomen præſeferunt, lib. 2. cap. 7., cujus verba nuper recitavimus. Et poſt hos omnes S. Thomas 3. par. q. 66. art. 8. *Communiter obſervatur in baptiſmo trina immerſio, & ideo graviter peccaret aliter baptizans; quia ritum Eccleſiæ non obſervat*.

Secun-

Digitized by Google

Secunda Concluſionis pars I. probatur ex Tertulliano citato loco *de corona militis* cap. 3. *Ergo quæromas, an & traditio non ſcripta non debeat recipi? plane negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum, quas ſine allius Scripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicabimus. Denique ut a baptiſmate ingrediar, aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu, conteſtamur, nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur; .... harum & aliarum hujuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* II. Hieronymus adverſus Luciferianos ait: *multa alia, quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, authoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt; veluti in lavacro ter caput mergitare.* III. Baſilius lib. *de Spiritu Sancto*, ad Amphilochium cap. 27.: *ter mergi hominem, unde eſt traditum?*

Tertia Concluſionis pars, quod ſcilicet trina merſio nunquam fuerit neceſſaria neceſſitate medii, probatur I. Si trina merſio fuiſſet neceſſaria neceſſitate medii, non præcepiſſet Gregorius Magnus eam omitti, & adhiberi unicam, ut Arianorum errori opponeretur; atqui hoc præſtitit Gregorius Magnus: ergo vere trina merſio non eſt neceſſaria neceſſitate medii. Major eſt manifeſta, quod enim eſt neceſſarium neceſſitate medii, nunquam omitti, nec diſpenſari poteſt. Minor patet ex lib. 1. Regiſtri Gregorii Magni epiſt. 41. ubi ſcribit ad Leandrum, Epiſcopum Hiſpalenſem, & probat praxim illorum, qui per unicam merſionem baptizabant, ne viderentur adhærere Arianis, qui per triplicem merſionem triplicem ſubſtatiam in Trinitate fatebantur. Et hæc ſunt ſua verba. *Si nunc uſque ab Hæreticis infans in baptiſmate tertio mergebatur, faciendum apud vos eſſe non cenſeo, ne dum merſiones numerant, Divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, morem veſtram ſe viciſſe gloriantur.*

II. Probatur. Concilium Toletanum IV. habitum anno 633. cap. 6. recipit præfatum Gregorii Magni decretum, & illud præcipit debitæ executioni mandari per omnes Hiſpaniarum Eccleſias, verbis hiſce. *De Baptiſmi Sacramento, propter quod in Hiſpaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam ſimplam merſionem faciunt, a nonnullis ſchiſma eſſe conſpicitur, & unitas fidei ſcindi videtur: nam dum partes diverſæ in baptizando quaſi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos eſſe contendunt. Proinde quid a Nobis in Sacramenti diverſitate faciendum ſit, Apoſtolicæ Sedis informemur præceptis, non noſtram, ſed paternam inſtructionem ſequentes. Beatæ ergo memoriæ Gregorius, Romanæ Eccleſiæ Pontifex .... de hac Hiſpaniæ diverſitate ... ſic ait. De trina vero merſione baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quam quod ipſi ſenſiſtis, quia in una fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa ... Reprehenſibile nullatenus eſſe poteſt, infantem in baptiſmate in aquam, vel ter, vel ſemel mergere. Qua propter* (ſubdunt Toletani Patres,) *quia de utroque Sacramento, quod fit in ſancto baptiſmo, a tanto viro reddita eſt ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehenſibile in ſancta Dei Eccleſia habeatur; propter vitandum autem ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamur baptiſmi merſionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, hæreticorum approbare aſſertionem, dum ſequuntur & morem.*

III. Probatur ex Auguſtino, qui tract. 80. in Joan. circa finem, loquens de baptiſmo, tantum aſſerere videtur, *tantillum tingere* eſſe de eſſentia Sacramenti hujus, adeoque de neceſſitate medii ad valorem ipſius: & hæc ſunt ſua verba. *Hoc verbum fidei* (ſcilicet invocatio trium Perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis) *tantum valet in Eccleſia Dei, ut per ipſum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem.*

Arguunt I. Chriſtus a Joanne per immerſionem baptizatus eſt; ait enim Scriptura: *quod Chriſtus ex aqua aſcendit*: antea ergo deſcenderat. Ecce autem immerſio, & non aſperſio; atqui is ritus in baptiſmo adhiberi debet, quo Chriſtus eſt uſus: ergo immerſio adhiberi debet, non aſperſio, nec infuſio. II. Cyprianus reſpondens Magno dubitanti, an valeret baptiſma perfuſione datum; ait: ratum quidem illud eſſe, non tamen certo, ſed tantum probabiliter; unde cuilibet indulget, ut quod voluerit ſentiat. Et hæc

ſunt

ſunt ejus verba : *qua in re nemini verecundia, & modeſtia noſtra prejudicet, quo minus unuſquiſque quod voluerit ſentiat, & quod ſenſerit faciat* . Immo iis, qui de baptiſmo, de quo eſt queſtio, dubitant, author eſt, ut illum poſtea per immerſionem iterent; per hæc verba; *aut ſi aliquis exiſtimat, eos nihil conſequutos, eo quod non aqua ſalutari perfuſi ſint, ſi inanes, & vacui ſunt, non decipiantur, ut ſi incommodum languoris evaſerint, & convaluerint baptizentur* : ergo &c. III. Cornelius Papa in epiſt. ad Fabianum Antiochenum, loquens de Novatiano in lectulo mortis per perfuſionē tincto, ait: *ſi tamen talem baptiſmum percepiſſe dicendum ſit* . Et hæc quidem clauſula ſatis oſtendit, Pontificem cenſuiſſe nullum eſſe baptiſmū per infuſionem datum. IV. Per XII. & amplius ſecula conſtat, Eccleſiam latinam baptizaſſe per immerſionem; quomodo ergo potuit adeo conſtans uſus, tot ſeculorum traditione firmatus, deinceps abrogari? V. Baptizare proprie & in vocis rigore ſignificat immergere, ſeu abluere per immerſionem; ſed Chriſti præceptum fuit, ut Cathecumenus baptizetur: ergo fuit ut immergatur: ergo qui alio modo quam per immerſionem baptizat, Chriſti præcepto contrarium facit. VI. In baptiſmo dato per aſperſionem, evenit aliquando, ut una aut altera aquæ gutta duntaxat ſupra Catechumenum cadat; ſed per unam aut alteram ſolam aquæ guttam baptiſmus valide non confertur: ergo qui per aſperſionem baptizat valide non baptizat. VII. Alcuinus in ſua epiſt. ad Clerum Lugdunenſem teſtatur, epiſtolam Gregorii Magni ad Leandrum eſſe fictitiam, dicens; *quia eam in epiſtolari ſuo libro, qui de Roma nobis allatus eſt, non invenimus* . VIII. Canon 50. ex iis, qui dicuntur *Apoſtolici*, non ſolam immerſionem præcipit, ſed etiam trinam præſcribit: quod pariter facit Concilium Conſtantinopolitanum I. can. 7.; & Pelagius II. in ſuo Reſcripto ad Gaudentium, in quo damnat Bonoſiacos, quia per unam immerſionem baptizati fuerant; & ſubdit: *contra evangelicum præceptum* . IX. In baptiſmo materia proxima debet eſſe conformis formæ; ſed forma continet expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem: ergo, ut huic conformetur materia proxima, debet eſſe trina, & non una. X. Tertullianus, Hieronymus, Baſilius, Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique Patres docuerunt, trinam immerſionem in baptiſmo originem ducere ab apoſtolica traditione: ergo non poterat ab Eccleſia immutari in unam.

Reſpondemus ad I., ex allatis verbis colligi quidem, etſi non certo, ſed probabiliter, Chriſtum baptizatum fuiſſe per immerſionem; & ſi fiat hoc modo baptiſmum, eum valere quis negat?; non tamen exemplum Chriſti ſemper Eccleſia in omnibus eodem modo imitata eſt; alioquin doceat nos Hieremias, & probet, qua ratione Apoſtoli per immerſionem, & trinam immerſionem, uno die ter mille, & altero quinque mille hominum, potuerint baptizare? Miramur tamen cur Hieremias non etiam flumen requirat, quando quidem omnia exigit fieri ad normam Chriſti. Ulterius, baptiſmus, quo baptizatus eſt Chriſtus, fuit baptiſmus Joannis, non Chriſti. Tandem, probabilius ducimus, Chriſtum baptizatum fuiſſe per infuſionem, quanvis etiam ſecundum majorem partem corporis Chriſtus ſe in flumen immerſerit, ſecundum quod dicitur, aſcendiſſe de aqua; nam Joannes ſuper caput Chriſti ſupereminens aquæ, aquam effudit, & eum baptizavit; quæ eſt opinio communis, picturis quoque expreſſa & confirmata.

Ad II. De mente Cypriani jam ſatis conſtare debet ex ejus verbis ſupra relatis. Quod autem cuique indulgeat, ut quod voluerit in hac re ſentiat, nec Preſules damnet, qui perfuſione tinctos, deinceps poſtquam convaluerant, immergebant, ſuæ modeſtiæ, ſuæ que humilitatis, non autem ſuæ ſententiæ, ſuæ que auctoritatis, eſt argumentum.

Ad III. Cornelius Papa loquitur de baptiſmo ſecundum effectum, non vero ſecundum ſubſtantiam; hoc eſt dubitavit, an Novatianus, in lectulo baptizatus, baptiſmi gratiam fuerit conſequutus. Omnes enim antiqui Patres judicarunt, baptiſmum in ultimo vitæ periculo receptum, non ſponte, ſeu ex Dei amore, ſed ex ſolo gehennæ metu expeti, perindeque gratiam non conferre; & ob hoc etiam a ſacris Ordinibus tali pacto baptizatos arcebant.

Ad IV., dicitur, quod licet traditiones divinæ, ab Apoſtolis tanquam Chriſti mini-

miniſtris traditæ, nulla poſſint auctoritate mutari; ea tamen, quæ Apoſtoli tanquam Paſtores & Præfecti Eccleſiarum conſtituerunt, Eccleſia, ſi juſta cauſſa interceſſerit, mitigare,& mutare, conceſſa ſibi divinitus poteſtate, poteſt. Id autem propter multiplices cauſſas factum fuiſſe putamus; ſcilicet, vel propter paucitatem aquæ,quæ non ubique eſt in tanta copia,prout ad immerſionem requiritur; vel propter debilitatem Miniſtrorum, qui deſiciente in Eccleſia Diaconorum copia, Adultos præſertim, immergere vix poterant; vel propter teneritudinem infantulorum, quorum valetudini timebant ne ex immerſione labes aliqua inferretur; quæ eſt etiam ratio cogens Græcos, ut non totaliter pueros in aquam mergant, ut ait Gregorius Protoſyncellus in reſponſo ad Marcum Epheſium tom 3. Conc. pag. 88.; vel tandem propter Miniſtrorum,& Suſcipientium pudorem,quum modo præſertim Diaconiſſæ non ſint in uſu, quibus id muneris incumbebat, ut fœminas per immerſionem baptizandas exſpoliarent, iiſdemque in baptiſmo aſſiſterent; ut conſtat ex Concilio IV. Carthaginenſi can. 12., cui S. Auguſtinus interfuit.

Ad V. dicitur, quod licet baptizare in ſe ſumptum immerſionem tantum ſignificet, ſumptum, tamen in ſenſu Chriſti,ſignificat etiam alios abluendi modos; quia Chriſtus illum abluendi modum per immerſionem taliter præſcripſit, ut alios non excluſerit, quemadmodum ex unanimi Patrum traditione, & conſtanti Eccleſiæ praxi, docemur.

Ad VI. Fatetur ultro Du-Hamel, non adeo certam rem eſſe, an aſperſio fuerit aliquando in Eccleſia uſitata, quum a viris in Eccleſiæ antiquitate verſatis in dubium revocetur. Et ratio eſt, quæ in objectione affertur, pro ipſa etiam Sotum adducens, & negans etiam, in Actis Apoſtolorum cap.3. & 4. aſperſionem fuiſſe adhibitam. Sanctum Franciſcum Xaverium, qui, prout legitur,aſperſione uſus fuit, quorundam Doctorum opinionem ſatis quidem probabilem ſequutum fuiſſe, ait, tametſi forte talis opinio, non tam Eccleſiæ traditione, quam rationibus ſubnixa videatur; unde concludit, hujus generis exemplum admiratione potius, quam imitatione proſequendum. Verum credimus nos potius, non ſic turmatim, & in magna multitudine, fuiſſe gentes aliquando, vel ab Apoſtolis, vel ab aliis, vel a S. Franciſco Xaverio baptizatas, ita ut una, aut altera, & aliquando etiam nulla aquæ gutta ſupra aliquem ex baptizatis caderet; ſed in aliquo parvo numero, octo ſcilicet, aut decem; qui quidem per trinam aſperſionem, quam credere eſt adhibuiſſe miniſtros, omnes & ſinguli potuerunt eſſe ſufficienter abluti, adeoque etiam valide baptizati.

Ad VII. Pro genuinitate Reſcripti Gregorii Magni facit Concilium Wormaſienſe nono ſeculo habitum, quod Can.5. ad literam transcribit Gregorii decretum, & ſuum facit. Laudat illud quoque Synodus Toletana IV., S. Iſidorus in Catalogo virorum illuſtrium, S. Ildephonſus, Archiepiſcopus Toletanus, in ſuo pariter Catalogo, Lucinianus, Epiſcopus Carthaginenſis, in epiſt. ad ipſummet Gregorium quam evulgavit Lucas Dacherinus, & in ea legitur: *ſcripſiſti Leandro Epiſcopo de trina tinctione*; & Joannes Diaconus in ejuſdem S. Gregorii vita.

Ad VIII. Quicquid ſit de hoc canone, quod dictum eſt ſupra dicitur inſuper, quod per ipſū puniendus eſt Miniſter, quia contra Eccleſiæ præceptum ex deliberata intentione trinam merſionem omittit; unde ex hoc non ſequitur, quod trina merſio ſit de eſſentia baptiſmi. Subditur, quod canon ſupponit, quod miniſter, qui unicam adhibet merſionem,erret etiam in forma baptiſmi; unde propter formæ variationem, quæ eſt in baptiſmo eſſentialis, puniendus denunciatur. Et hoc oſtendunt verba,quæ in canone leguntur: *Non enim dixit Dominus, in morte mea baptizate; ſed euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Concilium Conſtantinopolitanum Primum non loquitur de Arianis, qui formam baptiſmi variarunt nunquam, ſed de Eunomianis, qui non adhibebant formam a Chriſto præſcriptam. Quod habetur ex Theodoreto lib. hæret.fab. c.3. de Eunomio loquente, & ſcribente: *Idem etiam ſancti baptiſmatis legem, olim a Domino, & ab Apoſtolis traditam,*

ever-

Digitized by Google

evertit, & contrariam ſanxit; non oportere, dicens, ter illum mergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem.

Ad IX. reſpondet S. Thomas 3. p. q. 66. ar. cit. ad primum, dicens: *Cum enim Trinitas ſit agens principale in baptiſmo, ſimilitudo autem agentis perveniat ad effectum ſecundum formam, & non ſecundum materiam; ideo ſignificatio Trinitatis in baptiſmo fit per verba formæ: nec eſt de neceſſitate, ut ſignificetur Trinitas per uſum materiæ; ſed hoc fit tantum ad majorem expreſſionem.* Expreſſio autem ſive major, ſive minor, nihil facit ad baptiſmi validitatem, quia ſufficit, ad hoc ut ipſe ſit validus, ut miniſtretur materia, & forma, a Chriſto Domino inſtitutis.

Ad X. Veteres Patres voluerunt quidem trinam merſionem deſcēdere ab apoſtolica traditione; ſed non per hoc docuerunt, ita eam eſſe neceſſariam, ut ſine ipſa baptiſmus ſit invalidus. Et revera de hac trina immerſione nullum laudarunt Chriſti præceptum, nec docuerunt, quod apoſtolica traditio faciat aliquid eſſe juris divini, ac proinde immutabile.

Denique ut extremæ Diſſertationis parti ſatisfaciamus, circa ritus ſcilicet, qui in trina merſione adhibebantur, dicimus, quod primo loco baptizandi ducebantur in illum Eccleſiæ locum, in quo erant baptiſteria, quæ tunc temporis dicebantur etiam Concha, Fons, Balneum, Piſcina, & conſtituta erant, vel intra Baſilicam, vel ad fores ipſius. Secundo, antequam mergerentur, ſe volvebant verſus occidentem, & manu protenſa renuntiabant Satanæ, & depoſitis omnibus veſtibus nudabantur toto corpore; ſicque perfecte nudi, apud Græcos toto corpore etiam ſancto oleo inungebantur; apud latinos vero in vertice tantū. Tertio, ſic inuncti ter aquis immergebantur, & quidem toti; at hic ritus pro Infantibus fuit deinde mutatus. Quarto, non dicebatur integra Baptiſmi forma ad unamquanque immerſionem, ſed unius tantum Perſonæ in unaquaque merſione nomen invocabatur. Quinto, baptizandi ſtabant erecti in fonte. Et ſexto demum expleta trina immerſione ac ſanctiſſimæ Trinitatis invocatione, baptizati exibant e ſacro fonte; & ſi erant mulieres, ſuſcipiebantur a Diaconiſſis; ſi vero viri a viris, qui erant aliquando Suſceptores & Patrini. De his agit Cyrillus in Catecheſibus, Ambroſius in lib. de initiandis, aliique Patres.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCXLI.

De Materia proxima Baptiſmi. An ablutio occiſiva, ſeu ex qua ſequitur mors baptizati, ſit ſufficiens & valida ad Baptiſmi Sacramentum? An ad ipſius valorem requiratur, ut ablutio fiat in determinata corporis parte? An ablutio in batiſmo debeat eſſe una, vel gemina, vel trina?

SEnſus primi quæſiti eſt; projicitur quis vel in flumen, vel in puteum, vel etiam in mare; & dum aquis mergitur, a projiciente baptiſmi forma profertur, cum intentione eum baptizandi; quæritur, an hujuſmodi baptiſmus ſit validus? Negat Scotus, qui in 4. diſt. 4. q. 3. n. 3. hæc ſcribit. *Projectus de ponte non baptizatur, quia hoc non eſt ad vitam ordinatum, vel lotionem, ſed ad mortem*. Et diſt. 5. q. 3. n. 1. referens ſententiam Richardi aſſerentis, puerum ſic projectum non eſſe baptizatum, ait. *Dicitur etiam, quod talis ſic projectus non eſſet baptizatus, quia baptiſmus eſt ablutio ordinata ad vitam abluti; non ſic ordinatur illa immerſio:* Et eadem habet in cit. quæſt. n. 2. *Sed ſi adultus projiciatur in flumen dicendo, baptizo te &c. Credo, quod non baptizatur; quia projicians non habet intentionem Eccleſiæ, quia intentio Eccleſiæ eſt ſic madefacere eum, quod ipſo vivente poſſet iterum diſſiccari: vel eſto, quod baptizetur, non dubito quin projiciens peccet mortaliter.* Scotum ſequitur Fraſſen, qui tamen aſſerit, poſſe contrariũ probabiliter ſuſtineri. Hennus vero, ipſe pariter Scotiſta, primo dicit, non eſſe licitam ablutionem hanc occiſivam, quia eſt intrinſece mala, & per conſequens nunquam poteſt evadere bona; etiam ſub prætextu ſalutis proximi, alias in æternum perituri; deinde diſtinguit duplicem ablutionem occiſivam, una eſt, quæ quanvis ablutum occidat, reputatur tamen moraliter ablutio; ut quando quis abluit puerum cum aqua ferventi, vel venenata, ex qua ſequitur mors ejuſdem; alteram vero dicit ratione circumſtantiarum deficere moraliter a ratione veræ ablutionis, ut in caſu a nobis propoſito, quando ſcilicet quis projicit puerum in fluvium, ex quo non poteſt emergi. Poſt quæ concludit, quod ablutio primo modo ſumpta eſt ſufficiens ad baptiſmi valorem, non autem ſecundo modo conſiderata; & hanc opinionem dicit eſſe Scoti, omniumque veterum Scotiſtarum; immo pariter Sancti Antonini, Sylveſtri, & aliorum innumerorum, ut ait.

Dicimus I., ablutionem occiſivam, ſeu ex qua ſequitur mors baptizati, eſſe ſufficientem, & validam ad baptiſmi Sacramentum.

I. Probatur. In baptiſmo, de quo loquimur, eſt forma, eſt materia, eſt intentio Miniſtri, quam ſemper ſupponimus: ergo eſt verus baptiſmus. Quod ſit forma, negari nequit; quod ſit materia remota, etiam eſt certum: ſolum ergo de materia proxima poteſt eſſe difficultas, quam & eſſe quoque, prout ad baptiſmi validitatem requiritur, probatur ſic. Si non eſſet materia proxima modo debito ad valorem baptiſmi, ideo eſſet, quia ablutio illa ordinaretur ad necem baptizati; ſed hoc non officit veritati materiæ proximæ baptiſmi: ergo in baptiſmo, de quo loquimur, eſt pariter materia proxima baptiſmi. Probatur minor. Quanvis ablutio illa ordinetur ad necem corporis, ordinatur tamen ad vitam animæ baptizati; ſed in Sa-

Digitized by Google

eramentis prævalere debet ſecunda, & non prima: ergo &c. Probatur minor; quia ſecunda eſt intenta a Miniſtro, prout Chriſti miniſter eſt; prima autem de materiali ſe habet.

II. Probatur. Si quis hoſtiam ita veneno infectam, ut eſſe panis non perderet, prout ad Sacramentum Euchariſtiæ requiritur, conſecraret, fieret Euchariſtia; vel ſaltem, ſi quis hoſtiam conſecraret cum animo eam deinde veneno inficiendi, & ſic veneno infectam alicui, ad mortem illius procurandam, tradendi, Euchariſtiæ Sacramentum abſque dubio conficeret: ergo pariter ſi quis animo occidendi aliquem baptizaret, fieret quoque baptiſmus. Paritas ſequitur; quemadmodum enim baptiſmus, ita & Euchariſtia ordinatur ad vitam ſpiritualem animæ: ergo ſi illius veritati non officit ordinatio ad necem corporis, ita nec obſtabit validitati hujus.

III. Probatur. Malitia, quæ eſt in homine baptizante, & occidente baptizatum, non eſt malitia hominis, ut miniſter eſt; intentio autem faciendi Sacramentum eſt intentio hominis, ut miniſter Chriſti eſt; ſed hæc de formali in Sacramento ſe habet, illa autem eſt de materiali: ergo &c. Et quamvis vitietur finis baptizantis, non tamen variatur intentio, quæ ſola ad validitatem Sacramenti (loquendo de actibus internis adminiſtrantis) requiritur. Non negamus tamen, quod ſi miniſter abſque neceſſitate hoc faciat, & ex prava hominem occidendi voluntate, graviter peccet. Poteſt nihilominus dari caſus, quo neceſſitate urgente id fiat; ut ſi quis infantem habeat morientem, & ſit prope puteum, & non habeat vas, quo aquam extrahat, nec aliunde poſſit illam habere, & in tali caſu infantem in puteum projiciat, & ſic eum baptizet; in tali hypotheſi dicunt, quod Miniſter peccet; & ratio Scoti eſt, quia quilibet tenetur magis vitare peccatum mortale in ſe ipſo, quam ſalutem proximi quærere, ordinata enim charitas prius eſt ad ſe ipſum, quam ad alios. Conveniunt tamen omnes, quod baptiſmus ſit validus, & hoc nobis ſufficit.

Opponunt I. Deus non inſtituit pro materia alicujus Sacramenti aliquid, quod vergat in præjudicium & detrimentum naturæ humanæ, nec voluit vitam ſpiritualem comparari cum diſpendio vitæ propriæ; ſed poſita noſtra ſententia ſequeretur hoc: ergo &c. II. In tali caſu non eſſet abluere, ſed potius ſuffocare; atqui materia proxima Sacramenti baptiſmi eſt ablutio, non ſuffocatio: ergo non haberetur materia proxima, prout ad baptiſmi validitatem requiritur. III. Non eſt probabile, Deum voluiſſe illam ablutionem eſſe materiam baptiſmi, cui neceſſario & per ſe eſt annexum homicidium, & peccatum mortale ex natura ipſius actionis Miniſtri. IV. Ablutio, quæ eſt materia Sacramenti, debet conſiſtere in actione Miniſtri, & ab eo procedere; talis autem merſio & projectio non procederet proxime a Miniſtro, neque eſſet ejus actio prout recipitur in paſſo: ergo non eſſet ablutio baptiſmalis. Minor conſtat; quia requiritur, ut Miniſter applicet per ſe, aut per inſtrumentum conjunctum, vel baptizatum aquæ, vel aquam baptizato; ſed hoc non eveniret in caſu propoſito: ergo &c. V. Actio ſacramentalis debet eſſe talis, ut per ipſam moveatur Chriſtus ad gratiam conferendam; ſed non poteſt Chriſtus moveri ad gratiam conferendam per actionem illicitam: ergo ſi actio illa eſt illicita, nequit eſſe actio ſacramentalis. VI. Ablutio baptiſmalis fuit a Deo ordinata ad vitam; ſed illa, de qua loquimur, ordinatur ad mortem: ergo ablutio illa de qua loquimur, nequit eſſe ablutio baptiſmalis.

Reſpondemus ad I., concedendo, quod Deus per ſe ſic non inſtituerit; ſed negando, quod ita non potuerit eſſe per accidens, quod alias abſque reſpectu ad hunc peculiarem caſum inſtituit. Aliud enim eſt, Deum inſtituiſſe, ut pro baptiſmo conferendo conferatur mors corpori baptizandi; aliud eſt, quod aliquando ex materia, vel ex ignorantia Miniſtri, cum baptiſmo poſſit conjungi mors baptizati: Primum negatur; ſecundum autem eſt, quod affirmamus.

Ad II., dicitur, quod ſuffocatio includit ablutionẽ, unde non tollitur ablutio. Si autem argumentum hoc valeret, valeret etiam ad probandum, quod non eſſet baptizatus puer, qui ſince-

ſincera Intentione fonti baptiſmali a Sacerdote mergeretur, & qui deinde a Sacerdote, viribus ſubita infirmitate deſtituto, non poſſet educi; unde contingeret eum ſuffocari; atqui in hoc caſu certum eſt, quod infans vere cenſeretur baptizatus; & tamen poſſet dici, quod non fuiſſet in eo ablutio, ſed ſuffocatio.

Ad III., concedimus, Deum non voluiſſe ſic inſtituere materiam, ſed permittere, ut aliquando materia ab ipſo inſtituta a Miniſtro, ob propriam malitiam, cum homicidio conjungatur. Non enim eſſet omni materiei baptiſmi annexum peccatum mortale; quod foret, ſi ſic Deus inſtituiſſet; ſed eſt tantum huic numero materiei, non qua inſtitutæ a Deo, ſed qua a miniſtro applicatæ.

Ad IV., dicitur, quod in tali caſu baptizandus applicaretur aquæ; & quanvis non ita proxime applicaretur, quid per hoc? Adhuc ſi per feneſtram quis aquam infunderet ſupra caput baptizandi, qui eſſet in via, ipſum baptizaret, quanvis non proxime ipſi aquam applicaret. Quod ſi infans, antequam ab aqua tangeretur, obiret, extra caſum eſſemus; ſupponimus enim vivum mergi, ut poſſit forma cum materia conjungi, & utraque ſubjecto idoneo aptari. Videatur Suarez, qui contrariam opinionem dicit etiam eſſe Richardi, ſed alia via a Scoto procedentis, quatenus ſcilicet ideo improbat talem baptiſmum, quia in ipſo non habetur emerſio, per quam ſignificatur Reſurrectio Chriſti; ſed emerſio de integrali eſt, non de eſſentiali ad baptiſmum. Videatur Eſparza, Martinonus, Durandus &c.

Ad V., diſtinguitur minor, & actio illa eſt actio miniſtri peccantis ex ſua propria malitia, & nomine ſuo privato & proprio, conceditur: eſt actio miniſtri agentis vice, & nomine Chriſti, negatur. Chriſtus movetur ad gratiam conferendam ab actione ſacramentali, quatenus hæc eſt actio Miniſtri agentis eo modo, quo Chriſtus præcepit, ut ageret, ſcilicet nomine, & vice ipſius; in hoc autem nullum includitur peccatum.

Ad VI. Utique ablutio baptiſmalis ordinatur ad vitam, ſed ad vitam animæ, non autem ad vitam corporis; & quanvis corporis aliquando inducat occiſionem, & mortem; non hanc tamen ex ſe ipſa intendit, ſed per accidens, ut dictum eſt.

Secunda Diſſertationis pars, intelligi poteſt vel urgente neceſſitate, vel extra neceſſitatis caſum. Inſuper poteſt habere locum, vel quando puer totus non exivit e matris utero, vel quando eſt extra illum. Denique poteſt habere ſenſum, vel de valida, ſed illicita, baptiſmi adminiſtratione, vel de valida, & licita. Proinde

Dicimus II., extra neceſſitatem faciendam eſſe ablutionem baptiſmalem in capite baptizandi, & quando totus ex matris utero egreſſus eſt; in caſu vero neceſſitatis fieri poſſe in manu, in pede, digito &c., non autem in veſtibus.

Prima Concluſionis pars probatur I. Per baptiſmum homo renaſcitur; ſed quandiu eſt in matris utero, non poteſt dici, quod renaſcatur: ergo quandiu eſt in Matris utero, non poteſt baptizari. Major habetur Joannis 3. *niſi quis renatus fuerit &c.* Minor eſt Auguſtini in epiſt. 57. ad Dardanum poſt medium. *Si homo regenerari per gratiam Spiritus Sancti in utero poteſt, quoniam reſtat illi adhuc naſci; renaſcitur ergo antequam naſcatur; quod fieri nullo modo poteſt.*

II. Probatur. Nemo mori poteſt, niſi prius vixerit; pariter nemo reſurgere poteſt, niſi prius mortuus fuerit: ergo quoque nemo poteſt renaſci, niſi prius fuerit natus: atqui per baptiſmum renaſcimur: ergo neceſſe eſt, ut antecedenter per naturam naſcamur; ſed qui eſt adhuc in utero matris, non eſt natus: ergo qui eſt adhuc in utero matris, non eſt capax baptiſmi, ſecluſa neceſſitate.

III. Probatur, quod fieri debeat ablutio in capite; & ex Auguſtino, hom. 3. ſcribente: *capita noſtra in fonte demerſimus*; & ex antiquis & recentibus Euchologiis, in quibus omnibus baptiſmalis ablutio in capite facienda præſcribitur; & ex Eccleſiarum omnium conſenſu, quæ ritum hujuſmodi obſervant.

IV. Probatur in caſu neceſſitatis; quia tunc quælibet pars corporis ſi abluatur, dicitur homo ablutus, cum pars illa ſit hujus hominis, & non alterius pars; & quidem eſt pars juncta phiſice homini,

mini, quia eſt pars hominis vivi. Quod tamen dici non poteſt de veſtibus, quæ non ſunt partes hominis, ſed ornamenta; nec dici poteſt de capillis, nec de unguibus, quæ ſunt potius hominis eſcrementa. Cæterum ſi baptiſmus miniſtretur in pede, qui ſit extra uterum Matris, neceſſitate urgente, quando poſtea totus eſt egreſſus, debet iterum ſub conditione baptizari, non vero quando extra uterum eſt caput, & in capite baptizatur; quanvis ſint quoque qui dicant, tutius eſſe ſi baptizetur iterum ſub conditione.

Obſtant I. Homo poteſt dici natus in utero matris, & per conceptionem, & per fætus animationem: ergo eſt capax, ut per baptiſmum renaſcatur. II. Dum eſt in utero matris poteſt infans eſſe martyr per mortem: ergo poteſt eſſe etiam Chriſtianus per baptiſmum. III. Exiſtens in utero Matris poteſt puer damnari: ergo poterit etiam per baptiſmum ſalvari. IV. Si Baptiſmus detur in ſecundinis, in aliquorum ſententia eſt ſufficiens ad ſalutem: ergo multo magis, ſi detur in capillis, & in unguibus, quæ ſunt in homine, quum ſecundinæ ſint extra hominem.

Reſpondemus ad I., quod non poteſt dici nativitas conceptio hominis, nec pariter fætus animatio, niſi valde improprie; Chriſtus autem de vera & propria nativitate intelligendus eſt; quod & docet Auguſtinus ſupra citatus per hæc verba; *illa nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut poſſit renaſci ex aqua & Spiritu*.

Ad II., negatur paritas; & ratio diſparitatis eſt; quia martyrium non importat renaſcentiam, quam importat baptiſmus ex dicto Chriſti. Non enim martyres, qui moriuntur pro Chriſto, ex vi martyrii renaſcuntur; Illi vero, qui baptizantur, per baptiſmum renaſcuntur; & diſcrimen omnino eſt, quia ſic Chriſtus inſtituit.

Ad III.; dicitur, quod ideo homo exiſtens in utero matris eſt capax damnationis, quia damnatio incurritur per conceptionem: & ideo non eſt capax ſalvationis, quia ſalvatio haberi nequit, niſi ſuppoſita nativitate; ſi tamen martyrii caſus excipiatur. Igitur, ut homo damnetur, ſufficit conceptio; quia per conceptionem contrahit originale peccatum, quod ipſi affert damnationem; ut autem ſalvetur, requiritur ut renaſcatur; & quia nemo poteſt renaſci, niſi antecedenter fuerit natus: ergo pariter requiritur, ut antecedēter ſit natus, ut baptizetur.

Ad IV., negatur quod aſſeritur de Secundinis, quia nemo dicere poteſt, quod Secundinæ ſiut partes corporis, ſed potius ſunt involucrum, & cooperimentum; quemadmodum hominis nati ſunt veſtes, quæ tegunt, & cooperiunt illum: Et ſicut ablutio veſtium non conſtituit hominem baptizatum; ita nec eum pariter faciet baptizatum ablutio Secundinarum.

Pro tertia Diſſertationis parte, recolenda ſunt, quæ in præterita Diſſertatione diximus de unica, vel trina immerſione in baptiſmo, indifferentem ſcilicet eſſe utranque ad baptiſmi valorem. Quod & pariter ex Gregorii Magni ſententia in lib. 1. Regiſtri epiſt. 41. ad Leandrum, Epiſcopum Hiſpalenſem, declaravit verbis hiſce Concilium Toletanum IV. *De Baptiſmi autem Sacramento, propter quod in Hiſpaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam ſimplam merſionem faciunt, a nonnullis ſchiſma eſſe conſpicitur, & unitas fidei ſcindi videtur.... Beatæ ergo memoriæ Gregorius, Romanæ Eccleſiæ Pontifex, qui non ſolum partes Italiæ illuſtravit, ſed & longe exiſtentes Eccleſias ſua doctrina perdocuit, efflagitante ſanctiſſima Leandro Epiſcopo de hac Hiſpaniæ diverſitate, quid potius eſſet ſequendum, inter cætera reſcribens ei, ſic ait: de trina vero merſione baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quam ipſi ſenſiſtis; quia in una fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa: nos autem quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, Reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod ſi quis forte etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizandum ſemel in aquas mergere, qui dum in tribus ſubſiſtentiis una ſubſtantia eſt; reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate in aquam vel ter, vel ſemel mergere, quando & in tribus merſionibus Perſonarum Trinitas, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari. Sed ſi nunc uſque ab hæreticis infans in baptiſmate tertia mergebatur,*

batur,

batur, faciendam apud vos eſſe non cenſeo; ne dum merſiones numerant, Divinitatem dividant; dumque quod factis faciebant, morem veſtrum ſe viciſſe glorientur.... Quapropter, quia de utroque Sacramento, quod fit in ſacro Baptiſmo, a tanto viro reddita eſt ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehenſibile in ſancta Dei Eccleſia habeatur; propter vitandum autem ſchiſmatis ſcandalum, vel haretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus baptiſmi merſionem, ne videantur apud vos, qui tertium mergunt, hæreticorum approbare aſſertionem, dum ſequuntur & morem. Hæc eadem, quæ de trina vel unica merſione in baptiſmo in præcitato Concilio dicta ſunt, poſſunt pariter ex eodem de una, aut gemina, aut trina ablutione dici. Unde,

Dicimus III. Perinde eſſe ad baptiſmi valorem, ſive in unica, ſive in gemina, ſive in trina ablutione fiat.

I. Probatur. Ad Baptiſmum per ſe neceſſaria eſt ablutio, modus autem ablutionis accidentarius eſt: ergo legitimus eſt, vel unius, vel geminæ, vel trinæ ablutionis modus, vel uſus. Antecedens negari non poteſt, quia ſola ablutio per ſe eſt de eſſentia baptiſmi, & quatenus ſola ablutio per baptiſmi vocem importatur, & quatenus ſola ablutio in Chriſti inſtitutione exprimitur. Conſequentia autem ſequitur; quia ſi ſemel ſalvatur ſubſtantia rei, quodcunque præter ſubſtantiam, quod accidentarium eſt, quomodocunque fiat, rei ſubſtantiam non irritat, nec deſtruit.

II. Probatur. Quemadmodum myſticæ ſignificationes ſunt in pluribus ablutionibus, ita etiam ſunt in una: ergo quemadmodum propter myſticas illas ſignificationes valet baptiſmus per plures ablutiones datus, ita quoque per eaſdem valet datus per unicam. Probatur antecedens. Unica ablutione ſignificatur unitas mortis Chriſti, & unitas divinitatis, trina autem ſignificatur triduum ſepolturæ Chriſti, & Trinitas Perſonarum: ergo myſticæ ſignificationes tam ſunt in pluribus ablutionibus, quam in una.

III. Probatur. Eccleſia approbavit uſum æque unius ac trinæ ablutionis, & aliquando improbavit illas, non propter illas, ſed propter abuſum, quem earundem Hæretici faciebant: ergo ex mente Eccleſiæ perinde eſt in baptiſmo, & ad ejus valorem, aut unam, aut duas, aut tres ablutiones adhibere. Probatur antecedens. Propter illorum Hæreticorum errorem, qui non baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſed in commemorationem mortis Chriſti, & una quidem immerſione, unius immerſionis ritus improbatus eſt, non quidem in ſe, ſed ratione abuſus, & hæreſeos, cui patrocinabatur, & cujus ſolemnis veluti profeſſio cenſeri poterat; ut conſtat ex Can. 50. ex iis, qui *Apoſtolici* nuncupantur: *ſi quis Presbyter, aut Epiſcopus, non trinam immerſionem unius myſterii celebret, ſed mergat in baptiſmate ſemel, quod dari videtur in Domini morte, deponatur*. In execrationem vero erroris Schiſmaticorum, vel Hæreticorum, homines rebaptizantium, vel Deitatem in tribus Perſonis dividentium, in Concilio Toletano IV. can. 6. anno 633. celebrato ſtatutum eſt, ut unica immerſio in baptiſmo uſurparetur; *propter vitandum, inquit, ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus baptiſmatis merſionem; ne videatur apud vos, qui tertio mergunt, Hæreticorum probare aſſertionem, dum ſequuntur & morem*.

Arguunt I. Pari paſſu ambulant in valida Baptiſmi adminiſtratione immerſio, & effuſio; ſed pro immerſione trina ſtat præceptum apoſtolicum, & Apoſtolorum traditio: ergo pariter ſtare debet pro trina effuſione. II. Ideo trinæ merſionis prohibitus fuit uſus, quia Hæretici illa abutebantur; ſed modo non ſunt Hæretici, qui illa abutantur: ergo nihil prohibet ad præſens, quin trinam effuſionem adhibeamus, quæ trinæ immerſionis loco ſucceſſit. III. Trina effuſio magis correſpondet formæ baptiſmi, quam unica, vel gemina: ergo trina effuſione in baptiſmo adminiſtrando uti debemus, cum excluſione unius, vel geminæ. IV. Uſus multarum Eccleſiarum obtinuit, ut baptiſmus per tres effuſiones miniſtraretur: ergo ſervandus eſt ubique hic uſus; tum quia conformior eſt antiquitati; tum etiam quia nunquam ab Eccleſia univerſali improbatus legitur.

Reſpondemus ad I. eodem modo, quo reſpon-

reſponſū dedimus eidem argumento, quando afferebatur in trinæ merſionis ſavorem; quod ſcilicet traditio quidem fuit, & præceptum quoque importavit, ſed non divinum, ſicut nec divina traditio fuit; adeoque utrumque potuit ab Eccleſia rationabili ex cauſſa mutari, ſicuti deſacto Romanus Pontiſex, Gregorius Magnus, & Concilium Toletanum, mutaverunt.

Ad II., negatur minor; ſunt enim etiam ad præſens Hæretici Ariani, præcipue in Tranſilvania, vel in aliis finitimis Regionibus, qui peſtiferum Arii errorem amplectuntur, atque tuentur. Attamen non eſt neceſſarium, ut quod ſtatuit Eccleſia alicujus erroris vitandi cauſſa aboleri poſtmodum debeat, quando error ille extinctus eſt. Cavet nanque præcipue Eccleſia, ne extinctus error renaſcatur; ac proinde occaſionem omnem removere curat, ne iterum reſurgat.

Ad III., data eſt pariter reſponſio objectioni ſimili, quæ pro trina immerſione faciebat. Verum in baptiſmi forma æque exprimitur unitas Divinitatis, ac Trinitas Perſonarum. Dum enim dicitur *in nomine*, & non *in nominibus*, unitas naturæ divinæ intelligitur, & ſignificatur: dum vero dicitur, *Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, intelligitur & ſignificatur Trinitas Perſonarum. Unde formæ baptiſmi æque reſpondet, & unica, & trina aquæ effuſio, per quam ipſe baptiſmus adminiſtratur.

Ad IV., dicitur, quod etiam Græculi moderni ne dum immerſione conferendum eſſe baptiſma pertinaciter contendunt, ſed & eam trinam adhibendam eſſe tam abſolute neceſſarium cenſent, ut non ſolum Latinis inſultent, quod immerſione non baptizent, ſed etiam quod trinam immerſionem non adhibeant. Fatemur quidem, traditioni & antiquis Eccleſiæ moribus magis trinam immerſionem, vel effuſionem, convenire, ut conſtat ex Authore lib. *de Eccleſiaſt. Hierar.* c.2, ex Tertulliano lib. adverſus Praxeam c.26., & lib. *de Corona militis* cap.3., ex Baſilio lib. *de Spiritu Sancto* cap.27., ex Chryſoſtomo hom. de fide, ex Hieronymo adverſ. Luciferianos, ex Ambroſio lib.2. *de Sacram.* cap.7., ſi Ambroſius ipſe operis hujuſce genuinus eſt Auctor; ex Auguſtino Hom.2. ad Neophitos; attamen quod ea ſit, aut quod fuerit unquam, de baptiſmi eſſentia, hoc eſt, quod conſtanter negamus.

DISSERTATIO CCCXLII.

De Baptiſmi forma. Quinam fuerint Hæreticorum errores contra eandem? An Chriſtus determinatam & certam verborum formam pro baptiſmi validitate præſcripſerit? Quænam ſit Græcorum in baptizando forma? An fuerit antiqua?, & an Baptiſmus per eam collatus habendus ſit validus.

FOrma Baptiſmi apud Latinos hæc eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen*. Apud Græcos hæc fuit, & pariter modo eſt: *baptizatur Servus, vel Serva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen.* Formam, ſeu verba, in baptiſmo eſſentialem eſſe, in præcedentibus ſatis diximus atque probavimus; proinde errores circa eandem ſedulo ſunt obſervandi; ut baptiſmi valorē omni ex parte in tuto ponamus. Ut igitur primæ Diſſertationis hujuſce parti reſpondeamus, Hæreticorum errores contra Baptiſmi formam ſic incipimus enumerare.

Primo, Errarunt Hæretici quidam in eccleſiaſticis monumentis innominati, ſed quorum praxis duntaxat in 49. can. ex iis, qui Apoſtolici dicuntur, damnata eſt; qui quidem Hæretici talem in baptiſmo conferendo formam proferebant, ut non baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſed in una Perſona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus Patribus, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paraclitis; quemadmodū verba præfati Canonis oſtendunt. Contra hos eoſdem hæreticos, ſive alios, qui ipſorum errorem excitarunt, Vigilius, Romanus Pontifex, in epiſt. 2. cap 6. hanc intulit damnationem: *ſi quis Epiſcopus, aut Presbyter, juxta præceptum Domini, non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſed in una perſona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus Patribus, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis, proiciatur de Eccleſia Dei.*

Secundo, errarunt *Marcitæ*, a Marco, Valentini Diſcipulo, ſic dicti, quique ſecundum Iræneum lib. 1. adverſ. Hær. cap. 19. hoc pacto baptizabant: in nomine ignoti Patris omnium, in veritate Matris omnium, & in nomine deſcendentis Jeſu ad unctionem, & redemptionem, & communitatem virtutum. Epiphanius hæreſi 37. his verbis refert baptizandi formam, quam hæretici hujuſmodi uſurpabant: baptizantes ita dicunt: *in nomime ignoti Patris univerſorum, in veritate matre omnium, in eo, qui in Jeſum deſcendit, in unione, & redemptione, & communione virtutum* Paulo aliter refert Theodoretus lib. 1. hæreticar. fabular. cap. 9. Hic Marcus, a quo dicti ſunt hæretici hujuſmodi, ab aliis dicitur Præſtigiator, & quod e ſecta Gnoſticorum prodierit.

Tertio, alii referuntur hæretici apud Euſebiū lib. 7. Hiſt. c. 9. ex S. Dionyſio Alexandrino in ſua epiſt. ad Sixtū, Romanū Pontificem, qui miniſtrabant baptiſmum *plenum blaſphemiæ, & impietatis ſceleſtis verbis, ac cæremoniis*. Horum Hæreticorum nomen Dionyſius non exprimit, at narrat ſolummodo, eos fuiſſe detectos a Sene quodam, qui quom videret ritum baptizandi, quem Catholici uſurpabant, flevit amariſſime, & faſſus eſt, ſe fuiſſe diverſo modo ab Hæreticis ſuis baptizatum,

Quarto, errarunt *Paulianiſtæ*, a Paulo Samoſateno appellati; iſti quidem, quia

quia Perſonas in ſanctiſſima Trinitate non diſtinguebant, irrita quadam & vana in baptizando forma utebantur, & ob inde can. 19. ab ipſis baptizatos, Concilium Nicænum primum iterum baptizari juſſit, verbis hiſce: *de Paulianiſtis ad Eccleſiam Catholicam confugientibus definitio prolata eſt, ut iterum baptizentur omnimode*. Hoc ipſum ſtatutum legitur in Concilio Arelatenſe II. anno 452. can. 16. & 17., & Hieronymus in Dial. cont. Luciferianos habet: *Synodum Nicænam omnes Hæreticos ſuſcepiſſe, exceptis Pauli Samoſateni Diſcipulis*. Denique teſtantur Auguſtinus lib. de Hæreſib Hæreſi 44. & Innocentius I. epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ cap 5., hoc ideo eveniſſe, quia præfati Hæretici in baptiſmatis forma errabant.

Quinto, *Montaniſtæ*, ſeu *Cataphrigæ*, dicti a Montano, & a Phrygia, ubi præcipue verſabantur, qui credentes Montanum eſſe Spiritum Sanctum, forſan, ut conjicit S. Gregorius Magnus lib 9. Regiſt. epiſt. 61., in nomine Patris, & Filii, & Montani baptizabant; unde eorum baptiſma iterandum præceperunt Concilum Laodicenum c. 8., & Conſtantinopolitanum I. can. 7. S. Baſilius in epiſt. 1. ad Amphilochium, de Montaniſtis hæc ſcribit. *Quomodo ergo habet rationem verum eorum baptiſmo judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priſcillamque, baptizant?* Et Gregorius Magnus lib. 11. epiſt. 67. ad Quiricum, vel Quirinum, & alios in Hiberia Epiſcopos. *Hi Hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, ſicut ſunt Bonoſiaci, & Cataphrygæ, quia & illi Chriſtum Dominum non credunt, & iſti Spiritum Sanctum perverſo ſenſu eſſe pravum quemdam hominem Montanum credunt .... cum ad ſanctam Eccleſiam veniunt, baptizantur*.

Sexto, *Photiniani*, a Photino nuncupati, Baptiſmi formam etiam corrumpebant, & ab ipſis baptizatos proinde iterum tingi mandavit Concilium Arelatenſe II. Can. 16. ubi legitur; *Photinianos, ſive Paulianiſtas, ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportet*. Photiniani eumdem cum Sabellio ſequebantur errorem, & ideo baptiſmi formam corrumpebant; & quanvis in Concilio Laodiceno anno 364. can. 7. legatur, quod Photiniani non rebaptizentur, aſſerunt tamen unanimiter Scriptores, quod particula illa *non* Librariorum obſcitantia in Canonem irrepſerit; & rationem adducunt, quia Canon Nicænus juſſit rebaptizari Paulianiſtas, qui eodem errore cum Photinianis detinebantur.

Septimo, Afri nonnulli, initio IV. Seculi, forma a Chriſto præſcripta in baptiſmi adminiſtratione non utebantur, ut conſtat ex can. 8. Concilii I. Arelatenſis. Hos Afros Arianos fuiſſe aliqui cenſent, & inter ipſos Binius pro *Afris* legit *Arianis*. Sed hoc non ſubſiſtere primo poteſt, quia eo tempore, quo habitum eſt primum Arelatenſe Concilium, hoc eſt anno 314., nondum Ariana hæreſis orta erat, quæ ortum ſuum habuit paulo ante Nicænum primum, quod habitum eſt anno 325. Secundo, Innocentius Papa I. epiſt. 15. teſtatur, Arianos baptiſmatis formam non corrupiſſe. Tertio, Concilium Arelatenſe II. can. 17. Bonoſiacos, & Arianos, recta forma in baptizando uſos eſſe teſtatur, & quanvis de Bonoſiacis Gregorius Magnus lib. ſupra citato aliter loquatur, eos cum Montaniſtis comparans, tempore tamen Gregorii Bonoſiaci baptiſmi formam corruperant, quam prius, tempore ſcilicet Concilii II. Arelatenſis, incorruptam ſervabant. Quarto ex eodem Gregorio Magno lib. 9. Regiſt. epiſt. 61 ad Quirinum, & cæteros Catholicos Hiberiæ Epiſcopos, Ariani in baptiſmi forma non errabant. Quinto, ex Can. 9. Concilii I. Conſtantinopolitani hoc ipſum evincitur, quum ibi Ariani Montaniſtis, & Sabellianis opponantur, & primos dicatur baptizari iterum oportere, quum ad Eccleſiam revertuntur. Et quanvis Athanaſius orat. 3. cont. Arianos dicat, ipſos ſuo tempore in nomine Creatoris, & Creaturæ, Catechumenos baptizaſſe, hoc nihilominus intelligitur de eo, quod intrinſecus intelligebant Ariani, non vero de illo, quod extrinſecus in forma applicanda proferebant; baptizabant ſcilicet in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti; ſed per iſta nomine Creatorem, & Creaturas intelligebant, quanvis id in formæ prolatione non exprimerent. Afri ergo illi ſunt potius Sabelliani, Novatiani, Donatiſtæ, aliæque hujus generis peſtes, in Africa præſertim graſſantes, & ab his vult Concilium Arelatenſe I. can. 8.

ut

ut Symbolum interrogetur, *& ſi pervi-derint* (ſunt verba Canonis) *in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eum eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum*: unde videtur Concilium dubium fuiſſe de iſtis, an debita forma baptiſmi uterentur.

Octavo, errarunt *Eunomiani*, qui, juxta Theodoretum lib.4. Hæreticar. fabul. cap.3. non invocabant Trinitatem, nec ter immergebant, ſed ſemel tantum in Chriſti morte. Secundum vero Epiphanium hæreſi 76. baptizabant in nomine Dei Increati, & Spiritus Sancti ſanctificantis, & a procreato Filio procreati. Hoc idem dicit Epiphanius de *Ætianis*. Iſti autem Eunomiani, & Ætiani, ex Arianis procedebant: Unde aliquos ex Arianis formam baptiſmi corrupiſſe, etſi non omnes, certum videtur: at non ideo corrumpebant, quia Ariani eſſent, ſed quia erant Eunomiani, qui baptizabant in Chriſti morte; & ad hoc Ariana hæreſis nihil influebat. Pariter alii dicunt de quibuſdam quoque Arianis, qui baptizabant in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto, quaſi eſſent aliqui gradus in Trinitate: nolebant autem in nomine filii baptizare, ut ſic eum fateri Deum non cogerentur, ſed baptizabant per filium, quaſi per inſtrumentum. Ita aſſerit Fraſſen: at revera fuit quidam particularis Epiſcopus Arianus, nomine Deuterius, qui Conſtantinopoli quemdam nomine Barbam ſub his verbis baptizavit: *baptizatur Barba in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto*, ut refert Theodorus Lector lib.2. Hiſt. Eccleſiaſt. apud Natalem Alexandrum in Theolog. Dogmat. morali cap.1. de Bapt. ar.3. propoſ. unica, Regula 14.

Nono, *Elceſæi*, ſic dicti ab Elceſai, qui fuit ipſorum hæreſis author, utebantur baptiſmatibus in Elementorum Confeſſione; ut ſcribit Theodoretus lib.2. hæreticar. fabular. cap.7. dicens: *eos aſos fuiſſe baptiſmatibus in Elementorum Confeſſione*.

Decimo, *Menander* aſſerebat, baptizatos in ſuo nomine tantum eſſe ſalvos. Teſtatur pariter Theodoretus lib. 1. hæreticar. fabular. cap. 2.

Undecimo, *Bonoſiaci* non omnes, idem de baptiſmi forma ſentiebant; nam aliqui, de quibus loquitur Gregorius Magnus, ut diximus nuper, & Pelagius II. ad Gaudentium Epiſcopum, baptizabant in mortem Chriſti: alii vero non; ſed conſueta forma utebantur. Et inde fuit, quod in Concilio Arelatenſi II. Can.17. anno 452. celebrato legitur. *Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut & Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, ſi interrogati &c.*

Duodecimo, Noſtrorum temporum Hæretici debita forma in baptizando utuntur utique, ſed ſi quæ Lutherus, & Zuinglius, ſcripſerunt in praxim reducerent, baptiſmi formam abſque dubio corrumperent. Lutherus lib: *de capt. Babylon.* cap. *de baptiſmo*, voluit, *valere baptiſma, quibuſcunque verbis conferatur, dummodo non in nomine hominis detur, ſed in nomine Dei; quinimmo etiam ſi in nomine Domini non detur, ſatis tamen eſſe, ſi a baptizato in nomine Dei recipiatur*. Zuinglius lib. *de vera, & falſa Religione* aſſeruit, *certam verborum prolationem, ut Sacramentum valeat, non requiri*. Brentius etiam in ſuo Catech. cap. *de baptiſmo* alia verba adhibet in baptizando, quibus docet legitimum eſſe baptiſmum, ſed admonet tamen, Eccleſiæ formam eſſe ſervandam. His nihilominus non obſtantibus, evangelicis verbis apud ſequaces ipſorum baptiſmus confertur, adeoque ad Catholicam Eccleſiam venientes nunquam eos in uſu fuit iterum baptizare, ſed ipſorum baptiſmum ipſamet Catholica Eccleſia ſemper probavit.

Dicimus I., Chriſtum determinatam & certam verborum formam pro baptiſmi validitate præſcripſiſſe.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Actorum 19. Paulus Apoſtolus audiens a diſcipulis: *neque ſi Spiritus Sanctus eſt audivimus*; dixit ad illos: *in quo ergo baptizati eſtis?* Ex quibus verbis fit notum, ſenſum Pauli fuiſſe, in baptiſmi adminiſtratione eſſentialem eſſe Spiritus Sancti invocationem, adeoque pariter aliarum duarum perſonarum, aliter interrogationem illam non adhibuiſſet. Inſuper idem Apoſtolus I. ad Corinth. 1. ſcribebat: *numquid ergo in nomine Pauli baptizati eſtis?* Ex quibus fit palam, quod in nomine alicuius baptiſma conferebatur,

hoc eſt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Arelatenſe I., quod habitum fuit circa annum 314.can.8. præcipit:*de Afris, quod propria ſua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hac hæreſi venerit, interrogent eum Symbolum; & ſi perviderint in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, eum eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Allud Concilium Arelatenſe Can.17.*Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, cum chriſmate in Eccleſia recipi ſufficit.*

III. Probatur ex Patribus. Juſtinus in Apolog. 2. *In nomine rerum cunctarum parentis, Domini Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti, in aqua tum lavantur .... ſuper eo,qui renaſcendum ſibi eſſe ſtatuerit, ... parentis rerum omnium, & Domini Dei nomen nominatur .... In nomine autem etiam Jeſu Chriſti Crucifixi ſub Pontio Pilato, atque in nomine Spiritus Sancti,abluitur is, qui illuminatur.* Tertullianus lib. de Bapt.cap.13. *Lex tingendi impoſita eſt,& forma præſcripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et lib. adverſ. Praxeam c.26. *Noviſſime mandavit, ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: non in unum, nam nec ſemel, ſed ter ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimur.*Cyprianus epiſ.73. ad Jubajanum. *Poſt Reſurrectionem a Domino Apoſtoli ad Gentes mittuntur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizare Gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt, foris extra Eccleſiam, imo & contra Eccleſiam, modo in nomine Jeſu Chriſti, ubicumque, & quomodocumque Gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, quando ipſe Chriſtus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 12. *Oportet inviolabilem manere traditionem, quæ in vivifica gratia data eſt .... Fides perficitur per baptiſmum, baptiſmus vero fundamento fidei nititur, & utraque res per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ſic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ambroſius lib. de Myſteriis cap. 4. *Credit Catechumenus in Crucem Domini Jeſu, qua & ipſe ſignatur; ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire ...., Tu autem baptizatus es in nomine Trinitatis, confeſſus es Patrem; recordare quid feceris; confeſſus es Filium, confeſſus es Spiritum Sanctum.* Hieronymus lib.4.Commentarior. in Matth. *Baptizantur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ut quorum una eſt divinitas, una ſit largitio, nomenque Trinitatis unus Deus eſt.* Auguſtinus lib. de bapt. cap. 25. *Certa ſunt Evangelica verba, ſine quibus non poteſt conſecrari baptiſmus.* Et quæ ſint iſta verba declarat lib. 3. cap. 15. *Si evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum.*

IV. Probatur Rationibus I. Forma baptiſmi pertinet ad eſſentiam Sacramenti: ergo debet eſſe determinata. Antecedens eſt certum, quia eſſentia Sacramenti conſiſtit in materia & forma, & intentione Miniſtri. Conſequentia probatur, quia facillime ſubeſſet periculo nullitatis Sacramentum,ſi forma, quæ eſt ejus pars eſſentialis, adhibita per verba indeterminata, modo uno, modo altero modo,a Miniſtris proferretur, & modo per alia, vel alia verba, exprimeretur; hoc autem eſſet periculo nullitatis baptiſmum ipſum exponere: ergo &c. II. Formam baptiſmi inſtituit Chriſtus: ergo determinate inſtituit. Antecedens eſt certum ex iis, quæ diximus de forma Sacramentorum in genere. Conſequentia ſequitur; quia aliter Chriſtus reliquiſſet formam determinandam ab Eccleſia, ſi ipſe eam determinate non inſtituiſſet: ergo ſi inſtituit, etiam determinavit: ergo ſi inſtituit, derminatam inſtituit. III. Praxis omnium Eccleſiarum docet, formam Sacramenti in eſſentialibus eſſe eandem; ſed hoc non ex alio provenire poteſt, quam quia ſemper fuit determinata, & a Chriſto inſtituta, & ab Eccleſia adhibita: ergo &c. IV. Eccleſia damnavit illos omnes, qui mutationem in baptiſmi formam induxerunt, & baptiſmum ab illis ſub tali forma adhibitum nullum declaravit, & iterandum eſſe voluit:

ergo Eccleſiæ mens ſemper fuit, baptiſmi formam determinate fuiſſe a Chriſto inſtitutam; determinate ab Apoſtolis, & a ſubſequentibus Eccleſiarum Paſtoribus in baptiſmi adminiſtratione prolatam.

Objiciunt I. Verba illa Matth.28.: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: pertinent ad doctrinam, non ad baptiſmi formam: ergo non ſunt verba a Chriſto determinata pro forma Sacramenti baptiſmi. Probatur antecedens: quia antecedenter ad illa verba legitur, *docete*, & quanvis legatur etiam *baptizantes*, hoc tamen verbum continetur intra parentheſim. II. Si eſſent eſſentialia verba illa, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, eſſent etiam eſſentialia hæc alia: *ego vos doceo; dæmonia ejicio; languores ſano*, quæ dicuntur in eodem Evangelii loco; ſed hoc eſt falſum: ergo & illud. III Verbum illud *in nomine* non ſignificat expreſſionem, ſed potius virtutem P tris, & Filii, & Spiritus Sancti; in qua quidem virtute baptiſmus adminiſtratur, atque confertur; ſed non eſt eſſentialis expreſſio virtutis Dei in adminiſtratione Sacramenti, quando expreſſio non eſt invocatio: ergo &c. IV. Quemadmodũ dicitur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti collatus baptiſmus; ita etiam dicebatur collatus in nomine Chriſti: ſed per hoc non importabatur, quod baptiſmi forma eſſet invocatio nominis Chriſti: ergo nec pariter importatur, quod eſſentialis ſit invocatio totius Trinitatis; adeoque quod hujuſmodi invocatio determinate pertineat ad eſſentialem baptiſmi formam.

Reſpondemus ad I., quod eſt figmentum Epiſcopii; verba Evangelii adeo eſſe clara in loco illo, ut nullo modo poſſint Nebulonis illius obſcuritate confundi; & parentheſim illam, quam ipſe fingit adeo gratis, commentum fuiſſe, ut ſi ſemel hoc admittatur in Scripturis explicandis, Scripturæ omnes ambagibus, confuſionibus, atque erroribus quoque, & contradictione, facili negotio exponerentur; quod proinde nullo modo eſt admittendum; & hoc vel eo magis, quod in Sacramentorum adminiſtratione non eſt neceſſaria doctrina, quam Novatores Hæretici induxerunt, ut ſuo loco probatũ eſt.

Ad II. Differentia inter actionem baptizandi, & alias actiones, hæc eſt, quia baptizatio eſt actio indifferens, adeoque per verba determinatur, & proinde verba determinata ſunt neceſſaria ad actionem illam indifferentem determinandam: non ſic autem actio ejiciendi dœmonia, & aliæ ſimiles actiones, quæ per ſe ipſas exprimuntur ſimul & determinantur, abſque eo quod neceſſaria ſint verba, quæ eas determinent. Verum, quum hæc omnia a Chriſti voluntate provenerint, ſufficiens eſt reſponſio ad diſcrimen inter actiones illas afferendum; quia Chriſtus pro una actione inſtituit verba, ſcilicet pro actione baptizandi, & pro aliis actionibus non inſtituit.

Ad III. dicitur, quod verbum illud *in nomine*, ſi per Adverſarios importat virtutem, hoc ipſo importat etiam invocationem, quia virtus illa non inaniter nominatur, ſed efficaciter invocatur, ad producendum baptiſmi effectum, ſicut Chriſtus ipſe promiſit, quando Sacramentum illud inſtituit, & a nobis miniſtrandum præcepit; aliter enim virtus illa inanis eſſet, ſi a nobis non invocaretur, vel eo magis, quia ut invocanda expreſſa fuit a Chriſto.

Ad IV. Baptiſmus, qui dicebatur collatus in nomine Chriſti, nullam oſtendebat Chriſti ordinationem, ut ſub hoc ſuo nomine conferreretur; adeoque verba illa tantum explicantur per auctoritatem, inſtitutionem, manifeſtationem Chriſti; non ſic vero in baptiſmo, qui confertur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quorum expreſſionem verborum in Evangelio habemus. Unde ſuit comparatio inter utrunque baptiſmum ab Adverſariis excogitata, quod & clarius patebit, quando de baptiſmo collato in nomine Chriſti erit ſermo.

Pro altera Diſſertationis parte, quæ reſpicit Græcorũ baptiſmũ; ſcire oportet quod aliter & aliter baptiſmi formam a Græcis adhibitam Scriptores exponunt; aliqui enim explicant ſenſu indicativo, nimirum: *baptizatur Servus, vel Serva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: aliqui vero exponunt per ſenſum, vel optativum, ſeu deprecatorium, vel imperativum, videlicet: *baptizetur*, non autem *baptizatur*. Textus græci lectio in Euchologio importat ſenſum indicativum, ut videre eſt apud Goarium

pag. 355., & 356., & apud Arcudium lib. 1. de bapt. cap. 8. Attamen Eugenius IV. in decreto Unionis in Concilio Florentino utrunque modum retulit, & approbavit.

Scire pariter oportet, Græcos aliquando rebaptizaſſe illos, qui fuerant a Latinis baptizati per formam, qua Latini utuntur; quod colligitur ex Concilio Lateranenſi IV., celebrato anno 1215. ſub Innocentio III. Dubium tamen eſt, an hoc fecerint Græci, quia putabant, Latinorum formam legitimam non eſſe, ut conjicit Bellarminus, & ſuſpicatur etiam Arcudius; an potius, quia falſo credebant a Latinis trinam merſionem omitti; an denique ob antiquum & interminabile odium, quo in latinam Eccleſiam aguntur. Denique Innocentius IV. cap. 1. *de bapt. & ejus effectibus* voluit, non eſſe legitimum baptiſmum, quem Græcus confert in Eccleſia occidentali forma apud Græcos uſitata. At Scriptores noſtri dicunt, hæc ſcripſiſſe Innocentium, ut privatum Doctorem, non ut Eccleſiæ Magiſtrum, quemadmodum plura etiam alia ſcripto mandavit. Immo S. Thomas refert in 4. diſt. 3. q. 2. art. 2. in reſponſione ad primum, fuiſſe quoſdam ſuo tempore, qui Græcorum formam invalidam eſſe aſſerebant.

Dicimus II. Baptiſmi formam a Græcis adhibitam in ſenſu indicativo a Græcis uſurpari; eſſe autem perantiquam in Eccleſia, & eſſe pariter validam. Tres habet partes Concluſio.

Prima Concluſionis pars probatur I. Joannes Moſchus, qui florebat ſeculo ſeptimo ineunte, in ſuo Prato ſpirituali cap. 186. refert Baptiſmi formam, quam Græci ſuo tempore adhibebant, & quam pariter iidem antiquiores adhibuerant, & in illa recenſenda ponit verbum *baptizatur*, quod eſt indicativum, non vero *baptizetur*, quod vel eſt deprecativum ſecundum Scotum, vel eſt imperativum ſecundum S. Thomam. II. Arcudius teſtatur, in græcis Euchologiis legi βαπτίζεται, enunciative, ſcilicet baptizatur a me, vel per me, inquit idem Arcudius, quod quanvis hoc deſit, facile tamen & neceſſario intelligitur; non autem legitur βαπτίζηται, quod eſſet baptizetur.
„ Si quis vero (ſubdit idem Arcudius)
„ hiſce noſtris dictis de hac forma mi-
„ nus fidem habeat, interroget vel in-
„ doctum quenvis & imperitum ex
„ Græcis Presbyterum, imo & laicos
„ homines, a quibus rem ita ſe habere
„ certo ſciet.„ III. Ita legitur pariter in Euchologiis Græcorum, quæ eruditis obſervationibus Goarius ex Ordine Prædicatorum nuper illuſtravit. IV. Rutheni, qui Græcorum ſacras cœremonias obſervant in Sclavonum, ſeu Illiryca, lingua, non aliter enunciant. V. Græci in adminiſtratione aliorum Sacramentorum eundem quoque loquendi modum adhibent, ſcilicet enunciative, vel indicative loquuntur, non vero imperative, aut deprecative; dicunt enim in oleo Catechumenorum; *ungitur ſervus Dei*; dum veſtes induunt albas; *induitur ſervus Dei*; in Tonſura; *tondetur ſervus Dei*. Ex quibus omnibus patet, Græcorum formam in baptiſmo adminiſtrando continere verbum indicativum *baptizatur*, non vero verbum deprecativum, vel imperativum, *baptizetur*. VI. Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum refert, quod quidam nomine Barbas fuit Conſtantinopoli baptizatus a Deuterio Ariano per hæc verba: *baptizatur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto*. Vitioſa quidem eſt forma, propter errorem Arianorum, quem includit, ſed ex ea liquet antiquitas verbi indicativi, quum factum contigerit circa annum 500.

Secunda Concluſionis pars, quod ſcilicet hæc Græcorum forma ſit perantiqua I probatur ex Euchologiis, quibus a mille & amplius annis Græci utuntur, & ubi eorum forma expreſſis verbis legitur. II. Eruitur ex Chryſoſtomo hom. 1. in Acta Apoſtolor., qui exponens verba illa Chriſti ad Apoſtolos: *baptizabimini Spiritu Sancto*: hæc ſcribit: *non dixit Chriſtus: vos vero ego baptizo in Spiritu Sancto, ſed baptizabimini, nos docens, ut modeſte de nobis ſentiamus*. III. Scotus hujus Græcorum formæ uſum ad Apoſtolorum tempora deducit, quando ſcilicet Corinthii de miniſtris baptizantibus gloriabantur, quaſi eis baptiſmus adſcriberetur; unde ſchiſma ortum eſt inter eos, ad quod tollendum ordinatum eſt, ne miniſter in propria perſona nominaretur, nec actus in indicativo modo, ſed optativo, quia tunc miniſter

ſter non ſignificatur eſſe Auctor baptiſmi, ſed tantum miniſter deſiderans & optans effectum baptiſmi a Deo conferendum. Sed hæc videtur mera ſpeculatio Scoti, ad ſuadendum ſenſum, quem voluit deprecativum in forma Græcorum, quam etiam ipſe legit per *baptizetur*, & non *baptizatur*. Conſtat ſane per SS. Patres, immo per Apoſtolum I. ad Corinth. 1., fuiſſe hoc diſſidium inter Corinthios, ſed a quibuſdam fuiſſe hoc remedium ad ipſum tollendum in baptiſmatis forma adhibitum, quum apud omnes SS. Patres altum ſilentium inveniatur, ſoli Scoto aſſerenti, & aſſertionem ſuam non probanti, non credimus.

Tertia Concluſionis pars, quod ſcilicet forma baptiſmi, quam Græci uſurpant, ſit bona & valida I. probatur, quia talis forma exprimit actionem externam, quam Miniſter operatur, ablutionem nempe; exprimit etiam cauſſam præcipuam, quæ interius baptizat, ſcilicet Trinitatem: ergo eſt valida. II. Eugenius Papa IV. in decreto unionis eam approbavit. III Catholicæ Eccleſiæ uſus eſt, ut Græcos non rebaptizet. IV. Ut arguit Gabriel Philadelphiæ Antiſtes in libello *de Sacram.* Scriptura de baptiſmi adminiſtratione loquens, nedum loquitur active, dicens *baptizantes*, ſed etiam paſſive; dum ait Joannes ad Chriſtum: *debeo a te baptizari*: & Chriſtus Apoſtolis: *vos autem baptizabimini*: ergo ex Scriptura & forma activo, & forma paſſivo modo prolata habetur. V. tandem ex eodem Antiſtite; quia fuit juſta cauſſa Græcis reticendi baptizantis nomen, ut errorem Novatianorum repellerent, qui miniſtri fidem & ſanctitatem in baptiſmo requirebant. Sed hæc ratio conjecturæ Scoti accedere videtur; quanvis ly *baptizatur* nec excludat, nec includat, nec manifeſtet, nec neget, Miniſtri nomen: *baptizetur* vero expreſſe negat; ſive enim imperative, ſive deprecative intelligatur, nemo nec imperat ſe ipſum, nec a ſe ipſo aliquid deprecatur; unde quoad hoc quam maxime diſtat a congruentia Scoti hæc ratio Gabrielis: diſtat etiam in Chronologia, quum Scotus referat ad Apoſtolorum, hic vero ad Novatiani tempora; qui ſane diſcurrendi modus congruentior nobis videtur.

Opponunt I. Eugenius IV. in decreto unionis, pro forma baptizandi Græcorum, non poſuit illam in indicativo *baptizatur*; ſed vel in imperativo, vel in deprecativo, *baptizetur*: ergo falſa eſt prima noſtræ Concluſionis aſſertio. II. Celebriores Scholaſtici, uti S. Thomas, & Scotus, eam pariter explicarunt per imperativum, vel deprecativum: ergo ex mente ipſorum non debet per enunciativum, & indicativum explicari. III. Neceſſe eſt, ut in actione ſacramentali miniſtri perſona exprimatur: ſed hoc non evenit in forma baptiſmi, quam Græci uſurpant: ergo nequit ipſa eſſe antiqua, & bona. IV. Non conveniunt Scriptores in aſſignanda origine formæ baptiſmi a Græcis uſurpatæ: ergo ſignum eſt, quod illa fuit perperam, & abſque fundamento in uſu poſita. V. Alexander III. in decreto *ſi quis puer* præcipit, ut exprimatur actus miniſtri baptizantis; ſed in forma, quam adhibent Græci, non exprimitur: ergo non eſt valida. VI. Albertus Magnus in 4. diſt. 3. q. 2. ad 8. narrat, quod Romanus Pontifex voluit, rebaptizari debere aliquos, qui in Dalmatia baptizati fuerant ſub hac Græcorum forma: *baptizatur ſervus Chriſti*: ergo judicavit, Græcorum formam non eſſe validam.

Reſpondemus ad I. non cum Juenino dicente, quod Eugenius in re facti deceptus fuit, ſed potius, quod vel forſan irrepſit error in ſcribendo, qui facilis quidem eſſe potuit, ob unius tantum literæ variationem, vel quod poſt ſolutum Concilium, & Græcorum diſceſſum, decretum illud fuit editum, & decreti Formatores verbum *baptizetur* a Latinis Scholaſticis exſcripſerunt. Verum in decreto Eugenii non expreſſum fuiſſe tantum verbum *baptizetur*, ſed etiam verbum *baptizatur*, liquet ex ejuſdem verbis decreti, quæ referuntur ex Tomo 13. Concilior. pag. 535. a Tournely: *ego te baptizo &c. Non tamen negamus, quin & per illa verba, baptizetur, vel baptizatur manibus meis talis ſervus, vel ſerva Dei in nomine &c., verum perficiatur baptiſma.*

Ad II. dicitur, quod multos latinos Scriptores, ante etiam tempora S. Thomæ, & Scoti, latuit Græcorum in baptizando forma; unde non mirum ſi etiam ipſum S. Thomam, & ipſum Scotum, qui latinos Scriptores legebant, latuiſſe

tuiſſe poſſimus nos non immerito conjicere.

Ad III. Negatur major; non enim hæc neceſſitas, vel in Scripturis legitur, vel apud Patres invenitur; & quanvis latina Eccleſia nomen Miniſtri in baptizando exprimat, hoc tamen non adeo neceſſarium eſſe docet, ut ſine ipſa expreſſione baptiſmus irritetur; at potius utranque formam tam a Latinis, quam a Græcis, adhibitam approbat, & ratam habet.

Ad IV. Omiſſo antecedente, negatur conſequentia; ſat enim eſt, ut Scriptores conveniant de facti ſubſtantia, quanvis non conveniant de tempore, & de ratione ejuſdem. Cæterum adhoc ipſum argumentum hanc reſponſionem adhibet Jueninus in Commentario Diſſert. 2. de bapt. q. 4. cap. 2. art. 2. „ Apud Græcos multiplici de
„ cauſa illum morem invaluiſſe: I. uſur-
„ patus fuit, ne Novatiani, quorum
„ hæreſis plures pervaſerat Orientis re-
„ giones, ex miniſtri in formæ baptiſma-
„ tis expreſſione impium, quod profi-
„ tebantur, dogma concluderent, mi-
„ niſtri ſcilicet fidem requiri, ut Sacra-
„ mentum ab eo collatum valeat. Nec
„ cuiquam mirum videri debet, quod
„ Patres Græci illud periculum timue-
„ rint, cum ritus, vel ſanctiſſimos, in ſui
„ erroris patrocinium hæretici detor-
„ quere conarentur, ut patet in Arianis,
„ qui in Hiſpania tempore Gregorii Ma-
„ gni triplici immerſione abutebantur,
„ ut triplicem in Divinis ſubſtantiam ad-
„ ſtruerent. II. Praxim, de qua agitur,
„ amplexi ſunt Græci, quod eam pro-
„ pius accedere judicaverint ad exem-
„ plum Apoſtolorum, & ipſius etiam
„ Chriſti, quem ſic baptizaſſe pu-
„ tarunt.

Ad V. dicitur, quod Romanus Pontifex præcepit fieri explicitam mentionem actionis externæ in baptiſmi adminiſtratione: an autem hoc fieri debeat active, vel paſſive, nullo modo definivit; & hoc vel eo magis, quia quando miniſter græcus in baptizando dicit, *baptizatur*, ſubintelligitur *a me baptizatur*.

Ad VI. Sunt, qui dicunt, Pontificem ita quidem primo reſpondiſſe; at deinde re maturius conſiderata negaſſe, illos rebaptizandos eſſe; & hoc pacto reſpondet Tournely. At potius dicendum eſt, quod quum eſſet Dalmatia intra latinæ Eccleſiæ fines, non erat licitum, illic Græcorum formam adhiberi in baptiſmi adminiſtratione; ſed potius adhibendam fuiſſe illam Latinorum; unde non erat quæſtio de valida, vel invalida, ſed potius de licita, vel illicita baptiſmi adminiſtratione.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCXLIII.

De baptiſmi forma apud Latinos. An ſit antiqua, & valida? An ſufficiat in ea ſola Trinitatis invocatio, vel potius neceſſaria ſit actus baptizantis expreſſio, ut Sacramentum ſit validum? Et an ſit validus baptiſmus collatus ſine expreſſa & diſtincta trium Perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis invocatione?

Dicimus I. Baptiſmi formam apud Latinos, quæ eſt: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, eſſe perantiquam, & Græcorum altera antiquiorem.

I. Probatur Concluſio, quia ſi forma Græcorum introducta eſt propter Schiſma Corinthiorum, ut vult Scotus, vel propter hæreſimNovatianorũ, ut rectius alii: ergo ante talem introductionem in uſu erat forma Latinorum, a qua forſan, quia in nomine proprii Miniſtri conferebatur, occaſionem ſumpſere & Schiſma Corinthiorum, & Novatianorum Hæreſis.

II. Probatur: quia quemadmodum ad Evangelii originem ducit ſuam formam Gabriel, Philadelphiæ Epiſcopus, quia paſſivo modo in Evangelo dicitur *baptizobìmini &c*:ita etiam deduci poteſt forma Latinorum; quia ibidem activo modo dicitur, *baptizontes*. Hinc non bene cum quibuſdam loquitur Jueninus in Commentario, aſſerens, quod ante ſeculum quintum Latinorum forma non fuerit in nſu, ſed tantum ante ſeculum ſeptimum; utique fuit in uſu ante ſeculum ſeptimum, quia reperitur in Sacramentario Gregorii Magni, a quo ut antiqua refertur; reperitur in Ordine Romano, qni paulo poſt Gregorium iǹ lucem venit. Sed fuit & ante ſeculnm quintnm.

III. Probatur. Baptiſmus, datus ſeculo tertio a Stephano Papa Nemeſio, & Lucillæ, fuit per hæc verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizo te*: quod refert Metaphraſtes a Lippomano latine redditus; & quanvis, ut Bellarminns ait de Scriptorib. Eccleſiaſt. in dicto Metaphraſte, quod is multa de ſuo ingenio poſuerit in vitis, quas ſcripſit, præſertim dialogos, conciones, aliaſque alioquutionesMartyrum, aliorumque; in forma baptiſmatis nihilominus recenſenda, quæ res eſſentialis baptiſmo erat, non eſt credibile, quod de ſua mente poſuerit, ſed exſcripſerit potius, quæ apud antiquiora monumenta ad verbum ſcripta invenerat.

Arguunt I. Ante ſextum ſeculum nullus invenitur Scriptor, qui hujus formæ Latinorum in baptizando meminerit: ergo per illa tempora fuit incognita Eccleſiæ: ergo non eſt antiqua. II. Auguſtinus ſerm.99. de verbis S. Lucæ damnat in Hæreticis hanc formam abſolutam adminiſtrandi Sacramenta: *ego peccata dimitto: ego ſanctifico: ego ſano quemcunque baptizo*: ergo Auguſtini tempore non erat in uſu. III. Hujus formæ meminerunt Gregorius Magnus in Sacramentario, Auctor Ordinis Romani, Venerabilis Beda lib: *variarum Quæſtionum* quæſt. 14.: ergo ante hos Scriptores nullus eam commemoravit: ergo neqnit dici, quod ſit antiqna. IV. De forma Græcorum apud antiquos Scriptores multa inveniuntur teſtimonia, quæ non inveniuntur de forma Latinorum: ergo

for-

forma Latinorum non eſt antiquior illa Græcorum.

Reſpondemus ad I., quod, quum primis Eccleſiæ ſeculis multi fuerint Hæretici, qui in baptiſmi adminiſtratione ſanctiſſimæ Trinitatis invocationem corrumperent, & adulterarent, ex hoc evenit, quod Scriptores noſtri magis ſolliciti fuerunt, ut neceſſitatem hujuſmodi invocationis exprimerent, atque firmarent, quam ut verba ipſa ejuſdem exponerent, atque narrarent. At non per hoc quid contrarium hujuſcemodi formæ, & aſſertioni noſtræ ſcripſerunt.

Ad II. Auguſtinus in locis illis totus eſt, ut Donatiſtarum errori ſe opponat, qui quidem miniſtrorum virtuti Sacramentorum efficaciam tribuebant; at non per hoc unquam aſſerere intendit, quod non fuiſſet in Eccleſia uſitata forma illa baptizandi, qua Latini priſcis illis temporibus utebantur, & modo utuntur.

Ad III. Non eſt legitima illatio, quod ex eo quod aliquis referat aliquid, dicere: ergo exteri anteriores non retulerunt. Videndum quippe eſt, an anteriores contrarium retulerint, an occaſionem referendi illud habuerint, an de illo tractaverint, & ſilentio obtegerint, & alia hujuſmodi, quæ, quum non verificentur in caſu, nequeunt nobis ſubminiſtrare fundamentum, ut inferamus ex eo, quod præfati Scriptores Latinorum formam baptizandi retulerint, illos, qui eos præceſſerunt, non agnoviſſe, vel neſciviſſe.

Ad IV. In probationibus a nobis allatis vidimus occaſionem, propter quam Græcorum forma in baptizando fuerit introducta, & diximus ex variis Scriptoribus introductam fuiſſe, vel propter Schiſma Corinthiorum, vel propter Schiſma Novatiani. Ex hoc autem optime deduci poteſt, non fuiſſe antiquiorem formam baptizandi Græcorum, ſed potius formam baptizandi Latinorum: ex forma enim Latinorum erroris ſui occaſionem deſumebant, quanvis perperam & immerito, ſive Corinthii illi, ſive Novatiani; & ut evitarent illud in conveniens, cæperunt Græci formam ſuam adhibere: ergo ſemper ſtat, quod forma Latinorum Græcorum formam in baptizando antecedebat: ergo pariter Latinorum forma in baptizando antiquior fuit Græcorum forma.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, an ſcilicet Baptiſmi forma, quam adhibent Latini, ſit valida? ſi Græci excipiantur, qui nimium formæ, quam ipſi adhibent, indulgentes, Latinorum formam rejiciunt; omnes tamen conveniunt, etiam ex Græcis ipſis, qui æquiori judicio pollent, eſſe validam. Unde

Dicimus II., formam baptiſmi a Latinis adhibitam eſſe validam.

I. Probatur. Illa forma baptiſmi eſt valida, per quam exprimitur baptiſmi cauſſa, ſive principalis, ſive inſtrumentalis, vel miniſterialis, & exprimitur pariter baptizati perſona; ſed per formam, quam adhibent Latini, hæc omnia exprimuntur: ergo eſt valida. Probatur minor. Exprimitur cauſſa principalis per verba illa, *in nomine Patris, & Filii, Spiritus Sancti*; pariter cauſſa inſtrumentalis, vel miniſterialis per verba: *ego baptizo*: exprimitur denique baptizati perſona per verbum *te*: ergo per formam baptiſmi, quam adhibent Latini, illa omnia exprimuntur.

II. Probatur, tum ex Scripturis Matth. ult., ubi præcipitur adhibendum verbum activum, quod adhibent Latini, non verbum paſſivum, quod adhibent Græci: dicitur enim: *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: tum ex pluribus Patribus, qui hanc formam Latinorum referunt, & approbant; tum denique ex continua Eccleſiæ praxi ab initio chriſtianæ Religionis, ut probatum eſt, uſque ad noſtra tempora.

III. Probatur ex Conciliis Lateranenſi, & refertur cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & Fide Catholica; Florentino in decreto unionis; & Tridentino ſeſſ.7.can.4. *de baptiſmo* ubi habetur: *ſi quis dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſma; anathema ſit*.

Objiciunt I. Chriſtus non præcepit Apoſtolis, ut dicerent: *ego te baptizo*, ſed tantum, *ut baptizarent in nomine Patris &c.*: ergo &c. Probatur antecedens. Chriſtus æque dixit Apoſtolis, ut docerent, & ut baptizarent; ſed per hoc quod dixit *docete*, non importatur, ut mandaverit eis, ut dicerent *ego*

ego te doceo : ergo neque per hoc, quod dixit, *baptizantes*, importatur, ut mandaverit eis, ut dicerent, *ego te baptizo*. II. Auguſtinus lib.50. homiliar. ſerm.23. obſervavit, Chriſtum dixiſſe mulieri peccatrici; *dimittuntur tibi peccata tua*, non autem *dimitto tibi peccata tua*; & hoc, ait, Chriſtum feciſſe, ut ea loquendi ratione futuris Sacramentorum miniſtris præberet exemplum modeſtiæ, in eo poſitæ, quod nec actionem ſuam, nec ſe ipſos in Sacramentorum confectione, aut diſpenſatione, nominarent. *Medicus bonus*, ait, *ægros non ſolum præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat. Futuri enim erant homines, qui dicerent: ego peccata dimitto: ego juſtifico: ego ſanctifico: ego ſano quemcumque baptizo &c.* III. Marci ult. Chriſtus Dominus contulit Apoſtolis virtutem ejiciendi dæmonia per hæc verba: *in nomine meo dæmonia ejicient*; atqui non per hoc debent dicere Miniſtri: Dæmon ego te ejicio in nomine Chriſti: ergo neque Miniſtri, quando baptizant, debent dicere: ego te baptizo in nomine &c. IV. Lucæ 4. quando Chriſtus conſecravit Apoſtolos Sacerdotes, non præcepit illis, ut in actu conſecrationis dicerent: hoc facio in Chriſti commemorationem; quanvis Chriſtus dixerit eis: *hoc facite in meam commemorationem*: ergo pariter, quando Chriſtus dixit *baptizantes eos &c.*, non præcepit eis, ut dicerent: ego te baptizo, ſed tantum ut baptizarent.

Reſpondemus ad I., diſparem eſſe rationem inter *docete*, & *baptizantes*; per *docete* enim non conficitur Sacramentum, ſed præſuponitur ad Sacramentum, ut Chriſtus præcepit: *docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Per *baptizantes* autem conficitur Sacramentum; unde per hoc verbum Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut perſonam miniſtri exprimerēt, quod per verbum *docete* non fuit factum; quia non debebant perſonam Doctoris exprimere, ſed tantum aliquando adimplere.

Ad II. Auguſtinus loquitur de principalibus agentibus, cujuſmodi eſt tantum Deus, non vero de inſtrumentalibus, cujuſmodi ſunt Miniſtri. Et hoc Auguſtinus dicebat contra Hæreticos illos, qui ſe ipſos per ſuperbiam nimiam primarios baptiſmi, & Sacramentorum authores conſtituebant. Miniſter autem, quanvis dicat: *ego te baptizo*, non per hoc tamen demonſtratur, eſſe cauſſam principalem; quum immediate ſubjungat *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: per quæ verba indicatur cauſſa principalis, & oſtenditur, miniſtrum eſſe tantum cauſſam miniſterialem.

Ad III. Diſparitas eſt, quia Eccleſia, ad quam ſpectat Chriſti verba interpretari, ita in baptizando verba Chriſti interpretata eſt, ut judicaverit, pronuncianda eſſe a Miniſtro baptizante verba hæc: *ego te baptizo*: non vero hæc alia: *ego dæmonia ejicio*; ac proinde hæc alia non proferuntur.

Ad IV. Eadem eſt reſponſio; expreſſa enim ſunt verba, quæ Chriſtus proferenda præcepit a Sacerdotibus conſecrantibus ſuum corpus, & ſanguinem, ac proinde nemini licet ea vel omittere, vel immutare, vel ipſis alia ſubrogare.

Pro tertia Diſſertationis parte, in qua quæritur, an ſufficiat in ea ſola Trinitatis invocatio, vel potius neceſſaria ſit actus baptizantis expreſſio, ut Sacramentum ſit validum? Quæſtionem hanc ita intelligunt Theologi, ut non importet, an ſit neceſſarium exprimere in collatione baptiſmi perſonam Miniſtri baptizantis; quia omnes conveniunt, hoc non eſſe neceſſarium, ut docet S. Thomas in 4. diſt.3: art.2. ad primum, verbis hiſce: *utrum expreſſio perſonæ Miniſtri, quæ fit ſecundum nos. ſit de neceſſitate baptiſmi; apud quoſdam dubiū eſt: probabilius tamen dici poteſt, quod non ſit, ne cogamur, totam Græcorū Eccleſiā abſque baptiſmo ponere, qui perſonam non exprimunt baptizantis: quod dicitur conſilio Sanctorum Patrum factum, contra errorem eorum, qui in baptizantis perſona ſpem ponebant, de quo* 1. *Cor.*1. Senſus igitur quæſtionis eſt, an olim fuerit validus, aut etiam modo valeat baptiſmus, qui datur a Miniſtro, & in abluendo profert hæc ſola verba: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & non addit alia, vel *ego te baptizo*, vel *baptizatur talis*, aut aliqua etiam æquivalentia, per quæ exprimatur actio baptizantis? Quæſtio hæc primum excitari cæpit duodecimo ſeculo Eccleſiæ, & pro ea fuerunt, qui affirmabant, & qui negabant.

Primo igitur, Petrus Cantor in ſumma *de Sacram.*, *& animæ conſiliis*, quæ manuſcripta aſſervatur in Bibliotheca S. Victoris par. 2. fol. 156., putavit, validum & ratum eſſe baptiſmum, cum ſola expreſſione, ſeu invocatione datum, *Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, abſque aliis, vel ſimilibus verbis: *ego te baptizo*: *vel baptizatur talis*. Hanc eandem opinionem deinde ſequutus eſt Præpoſitivus in 4. par. ſummæ theologicæ, & poſt ipſum acceſſerunt quoque Hugo a S. Victore lib. 2. par. 6. cap. 13. *de Sacram.*, Petrus Lombardus, Magiſter Sententiarum, in 4. diſt. 3., Stephanus, Tornacenſis Epiſcopus, epiſt. 5. ad Pontium, Epiſcopum Claramontanum, qui eum hac de re interrogaverat.

Secundo, negarunt, valere baptiſmum prærecenſito modo datum, antiqui etiam Theologi, inter quos fuit Mauritius, Epiſcopus Pariſienſis, interogatus pariter hac de eadem re a Pontio, Epiſcopo Claramontano; & legitur Mauritii reſponſum inter epiſtolas Stephani Tornacenſis n. 4.; ſed ſupra omnes eam docuit Alexander III., Romanus Pontifex, qui de ea edidit Conſtitutionem, quæ refertur in cap. *ſi quis*, *de Bapt. & ejus effectu*.

Tertio, Morinus lib. 8. *de pœnitentia* cap. 16. n. 21. mediam iniit viam inter oppoſitas ſententias, quas retulimus, ejuſque ſententiam verbis hiſce exponit modernus Tournely *de Sacram. baptiſmi* art. 5. q. 1., " nempe Stephani, & aliorum Scholaſticorum rationes probabiles judicat, adeoque ante receptam Alexandri III. Conſtitutionem ratum & validum fuiſſe baptiſmum, cum his ſolis verbis collatum, *in nomine Patris, & Filii*, *& Spiritus Sancti*: ſed poſt receptam S. Pontificis definitionem, nullum amplius eſſe, niſi exprimatur actio baptizantis per iſta, aut æquivalentia verba: *ego te baptizo*; *baptizatur talis &c.* Scilicet idem putat judicandum de baptiſmo, ac de matrimonio: v. g. quod ante Decretum Tridentinum valuit clam contractum ſine teſtibus, & Parochi præſentia; ſed poſt decretum illud nullum eſt: poteſt quippe Eccleſia in adminiſtratione Sacramentorum certas præſcribere leges, & conditiones, quibus non obſervatis nullum ſit, & declaretur Sacramentum. Quum igitur definierit Alexander III., nullum eſſe baptiſmum ſine iſtis, aut ſimilibus verbis, *ego te baptizo &c.*; concludendum eſt, poſt talem definitionem verba ejuſmodi abſolute neceſſaria eſſe, ut ratum ſit & validum Sacramentum Baptiſmi.

Dicimus III., Baptiſmum datum ſolummodo cum invocatione Trinitatis; ſcilicet *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, abſque expreſſione ablutionis, vel per verba Latinorum: *ego te baptizo*, vel per alia Græcorum: *baptizatur ſervus Dei*, vel per alia æquivalentia, nullum eſſe & irritum.

I. Probatur Concluſio. Eccleſia Catholica per illa verba, *baptizantes eos in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, intellexit in baptiſmi Sacramenti forma exprimendam eſſe Miniſtri actionem per verba: ergo verba illa, per quæ actio miniſtri exprimitur, neceſſaria ſunt ad baptiſmi valorem. Probatur antecedens. Ab utio hominis fieri poteſt ob varios fines: ergo neceſſe eſt, ut exprimatur in baptiſmi forma, ad hoc ut indicetur in baptiſmo, ad quid fiat.

II. Probatur. Apoſtolus ad Coloſſenſes 13. præcipit, ut omnia noſtra in nomine Dei fiant: ergo non ſufficit ad Baptiſmi valorem ſola invocatio expreſſa Trinitatis; ſed requiruntur etiam verba, per quæ actio miniſtri baptizantis exprimatur. Et quidem per ſolam Trinitatis invocationem fiunt aliæ actiones in Eccleſia, nimirum benedictiones, deprecationes &c.: ergo ut per eadem exprimatur actio baptiſmalis, adjungi debent alia verba, quæ illam indicent, & quæ benedictionibus, & deprecationibus applicari non poſſint. Hanc rationem S. Thomas illuſtrat 3. par. q. 66. art. 5. ad ſecundum: *cum ablutio hominis in aqua propter multa fieri poſſit*, *oportet*, *quod determinetur in verbis formæ ad quid fiat*, *quod quidem non fit per hoc*, *quod dicitur*: *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, *quia omnia in tali nomine facere debemus*, *ut habetur Coloſ. 3. Unde ſi non exprimatur actus baptiſmi*, *vel per modum noſtrum*, *vel per modum Græcorum*, *non perficitur Sacramentum*.

III. Probatur ex Romanis Pontificibus. Ita declaravit Paulus V. in Rituali

Roma-

Romano; ita expreſſit Eugenius IV. in decreto pro Armenis, & ante hos omnes Alexander III. in citato capite *ſi quis* extra *de baptiſmo & ejus effectu*: ubi hæc leguntur verba. *Si quis puerum ter in aqua merſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & non dixerit: ego te baptizo, puer non eſt baptizatus*. Denique Alexander VIII. die decima Decembris anno 1690. hanc propoſitionem proſcripſit: *valuit aliquando baptiſmus ſub hac forma collatus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, prætermiſſis illis: ego te baptizo*.

Obſtant I. Antiqui Patres, agentes de baptiſmi validitate, totam ipſorum curam poſuerunt, ut non omitterentur verba illa: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & parum aut nihil curarunt de aliis verbis: *ego te baptizo*: ergo ſignum eſt, quod illa tantum ſunt neceſſaria ad Sacramenti baptiſmi valorem. II. Mulieres imperitæ, & ruſtici homines, qui aliquando in neceſſitate baptiſmum conferunt, ut plurimum dicunt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & verba alia omittunt; ſed ſi eſſet vera concluſio noſtra, omnes ab his baptizati invalide baptizati eſſent, quod non eſt dicendum: ergo &c. III. Stephanus Tornacenſis praxim Eccleſiæ ſuæ conformare ſtuduit ſuæ propriæ opinioni: ergo omnes tunc temporis in ſua Diœceſi baptizati, invalide fuiſſent baptizati; quod nec etiam eſt aſſerendum. IV. Matrimonium ante Tridentinum validum erat, etſi fuiſſet clam contractum ſine Parochi præſentia, & ſine teſtibus: at modo poſt Tridentinum eſt nullum, quia Eccleſia poteſtatem habet præſcribendi conditiones, & leges in Sacramentorum adminiſtratione, quæ ſi non obſerventur, Sacramenta ipſa ſunt nulla: ergo pariter dicendum eſt de baptiſmo; quod ſcilicet ante Conſtitutionem Alexandri III. fuerit validus, modo autem ſit nullus, ſi adminiſtretur ſine baptiſmalis actionis expreſſione.

Reſpondemus ad I., Patres illos ſollicitos fuiſſe, ut exprimerentur in baptiſmo verba illa, quæ Hæretici ſuorum temporum vel adulterabant, vel falſificabant, vel negabant. Quæſtio autem, de qua loquimur, temporibus illis non erat exorta, quum ſeculo XII. nata fuerit, ut dictum eſt: unde non poterant de ipſa mentionem facere.

Ad II. Solliciti ſunt Paſtores Eccleſiarum, ut hanc ignorantiam ab indoctis hominibus, & a mulieribus imperitis expellant, ſi aliquando eam in iiſdem invenerint; ac proinde obſtetrices de baptiſmi forma quotannis in ſacris Viſitationibus examinantur, ut cuilibet curam animarum gerenti notum eſt. Unde nequit habere locum periculum, quod nobis objectio minitatur.

Ad III. Dicitur, quod Stephano Tornacenſi Epiſcopo non fuit nota Alexandri III. Conſtitutio, quæ non fuit publici juris facta, antequam eam S. Raimundus de Pegnafort in Decretalibus retulerit; & Raimundi compilatio auctoritatem in judiciis obtinuerit a Gregorio IX., Romano Pontifice.

Ad IV. Diſcrimen eſt, quod Eccleſia non habet auctoritatem immutandi partes eſſentiales Sacramentorum, quas Chriſtus inſtituit; bene tamen habet præſcribendi leges, & conditiones ſervandas in Sacramentis ipſis adminiſtrandis: hoc ſecundum verificatur in matrimonio, primum autem non verificatur in baptiſmo: & hæc ratio diſparitatis eſt.

Colligi poſſunt ex dictis, quod ſi omittatur pronomen *ego*, baptiſmus eſt validus, ſed illicitus, ſicut etiam ſi omittatur dictio *amen*. Si autem omittatur pronomen *te*, baptiſmus eſt nullus; quia per ipſum determinatur ablutio. Si vero dicatur in plurali *nos baptizamus vos*, loco *ego*, & *te*, vel ſi verbum activum in paſſivum mutetur, dicendo, *baptizaris* a me, vel ſi loco *baptizo* dicatur *abluo*, *lavo*, *immergo*, *aqua tingo*, modo ſacramentalem ablutionem intendat, quam Chriſtus inſtituit, ſemper erit validus baptiſmus, ſed illicitus; quia mutarentur verba; eſto ſenſus integer perſeveret. Si quis diceret, *ego te baptizo*, & alius ablueret, baptiſmus eſt nullus, quia ut verificetur forma, debet ab eo proferri, qui abluit.

Tertia tandem Diſſertationis pars, in qua quæritur, an ſit validus baptiſmus collatus ſine expreſſa, & diſtincta trium Perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis invocatione? magnam habet connexionem cum altera, quæ ſub

Digitized by Google

his vocibus proponitur; an aliquando valuerit, & modo valeat baptiſmus collatus in nomine Chriſti?; immo utranque unam & eandem quæſtionem eſſe, ſunt etiam qui aperte aſſerunt; unde pro ipſis ſubſequentem Diſſertationem inſtituimus.

DISSERTATIO CCCXLIV.

De baptiſmi forma apud Latinos. An in ea abſolute ſit neceſſaria diſtincta & expreſſa Patris, Filii, & Spiritus Sancti invocatio? An aliquando valuerit, aut modo valere poſſit, baptiſmus collatus in ſolo nomine Chriſti?

HÆreticos baptiſmi formæ a Chriſto inſtitutæ corruptores enumeravimus ſupra, eoſque in peculiari Diſſertatione confutavimus. In hac modo Diſſertatione tractandum ſupereſt de Scholaſticis quibuſdam, qui circa eandem formam varie ſenſerunt, & contra communem Patrum, & Theologorum, loquendi modum ſcripſerunt.

Primo, antiqui aliqui Scholaſtici, inter quos adnumeratur Magiſter ſententiarum, putarunt, valere baptiſmum datum in nomine unius perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti; & hæc ſunt ejus verba lib.4. ſentent. diſt.3. lit. E. *Nihilominus inſinuari videtur, verum baptiſma dari poſſe, in nomine Patris tantum, vel Spiritus Sancti tantum, ſi tamen ille, qui baptizat, fidem Trinitatis teneat..... Tutius eſt tamen tres perſonas ibi nominare, ut dicatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Secundo, S. Thomas docuit, Apoſtolos baptizaſſe ſub ſolo nomine Chriſti, & non ſub nomine totius Trinitatis, & baptiſmum ab eiſdem collatum fuiſſe validum; ex ea ſcilicet ratione, quia fuerat cum ipſis diſpenſatum, ad hoc ut Chriſti nomen magis promulgaretur, & commendaretur tum apud eos, qui Chriſti Religionem ſuſceperant, tum apud illos, qui eandem erant ſuſcepturi. Et hæc ſunt ſua verba 2. par. q.66. art.2. *Ad primum ergo dicendum, quod ex ſpeciali Chriſti revelatione Apoſtoli in primitiva Eccleſia in nomine Chriſti baptizabant.* Ejuſdem fuerunt ſententiæ S. Bonaventura, Alexander de Ales, Scotus apud Hennum &c.

Tertio, Cardinalis Cajetanus voluit, etiam ad præſens valere baptiſmum, qui datur in nomine Chriſti, & abſque verbis aliis, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & in hoc ab Angelico Doctore differt, qui docuit, validum fuiſſe tantum illum, quem præfato modo conferebant Apoſtoli propter allatam rationem, non vero valere modo, & ad preſens, quo præfata ratio non habet locum.

Dicimus I., nec modo valere, nec aliquando valuiſſe, baptiſmum, ſine expreſſa ac diſtincta trium Perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis invocatione collatum.

I. Probatur Concluſio ex Scripturis. Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* His verbis Chriſtus Dominus apertiſſime præcepit, in baptiſmo adminiſtrando adhibendam eſſe non unius tantum, ſed trium ſanctiſſimæ Trinitatis perſonarum invocationem.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius I. in epiſt. ad Epiſcopos Macedoniæ cap.5. docuit, ideo Concilium

cilium Nicænum præcepiſſe, ut iteraretur baptiſmus, quem conferebant Paulianiſtæ, non autem, quem adminiſtrabant Novatiani; quia primi non baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſecundi vero ſic. Pelagius, Romanus Pontifex, idem docuit in reſcripto ad Gaudentium, & refertur in cap. *ſi Revera* diſt. 4. *de Conſecrat.* Zacharias in cujuſdam Synodi Anglicanæ confirmationis decreto, hoc docuit pariter, & legitur in cap. *in Synodo*, eadem diſt. Et præ his omnibus Gregorius Magnus in ſuo Sacramentario deſcribens baptizandi ritum, refert invocationem trium ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonarum. Et lib. 9. Regiſtri epiſt. 61. ad Quirinum præcipit, ut Hæretici, qui in Trinitatis nomine non baptizantur, quando ad Eccleſiam Catholicam veniunt, iterum baptizentur.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Arelatenſe I. habitum circa annũ 314. Can. 8.: *ſi perviderint in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eſſe baptizatum, manus ei tantum imponantur, ut accipiat Spiritum Sanctum; quod ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur*. Concilium Nicænum I., ut dictum eſt, juſſit rebaptizari Paulianiſtas, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati non erant; ſic pariter Laodicenum Montaniſtas, Arelatenſe II. Can. 16., & 17 Photinianos: Conſtantinopolitanum I., hoc eſt Generale II., Eunomianos, Montaniſtas, Sabellianos, quia hi in nomine totius Trinitatis non baptizabant. Concilium Florentinum in decreto Unionis Armenorum, docet, baptiſmi formam conſtare his verbis præ aliis: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. *de bapt.* can. 4. definit, validum eſſe baptiſmum, quem conferunt Hæretici, dummodo illum conferant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Si quis dixerit baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti .... non eſſe verum baptiſma: anathema ſit*.

IV. Probatur ex Patribus. Cyprianus in epiſt. ad Jubajanum. *Denique ubi poſt Reſurrectionem Domini Apoſtoli ad Gentes mittuntur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizari Gentiles jubentur*. Et ante ipſum Tertullianus lib. de bapt. cap. 6. *Angelus baptiſmi arbiter ſuperventuro Spiritui Sancto vias dirigit, ablutione delictorum, quam fides impetrat, obſignata in Patre, & Filio & Spiritu Sancto. Nam ſi in tribus Teſtibus ſtabit omne verbum, quanto magis dum habemus per benedictionem eoſdem arbitros fidei, quos & ſponſores ſalutis, ſufficit ad fiduciam ſpei noſtræ etiam numerus nominum divinorum? Cum autem ſub tribus & teſtatio fidei, & ſponſio ſalutis pignorentur, neceſſario adjicitur Eccleſiæ mentio, quoniam ubi tres, ideſt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ibi Eccleſia, quæ trium corpus eſt*. Auguſtinus lib. 3. cont. Maximinum, Epiſcopum Arianum cap. 17. refert argumentum ejuſdem Maximini, his verbis conceptum. *Dicis & in perſona Spiritus Sancti non poſſe ſuſcipi quod de Filio dictum eſt: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil; & hoc ideo dicis, ut quibus potueris perſuadeas .... Spiritum Sanctum non eſſe Creatorem*; & ad ipſum reſpondens dicit, quod ſi argumentum valeret, ſequeretur, quod nec Petrus baptizaſſet in nomine Patris, & Spiritus Sancti, quia Scriptura dicit, tantum baptizaſſe in nomine Filii, & Patris, & Spiritus Sancti nomen reticuiſſe: *Si autem, quia non eſt nominatus, Spiritus Sanctus, quod etiam per illum facta ſit creatura; quando de Filio dictum eſt, omnia per ipſum facta ſunt. ideo putes Dei Spiritum non eſſe Creatorem, procul dubio nec in ejus nomine poteris dicere baptizatos, quibus ait Petrus: agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. quia non ait & Spiritus Sancti, nec in Patris nomine, quia nec ipſe ibi eſt nominatus: ſi autem etiam non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in nomine Jeſu Chriſti juſſi ſunt baptizari, & tamen non intelliguntur baptizari, niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; cur non ſic audis de Filio Dei? omnia per ipſum facta ſunt, ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum*. His adjunguntur pariter Juſtinus in Apologia 2. pro Chriſtianis, Tertullianus adverſus Praxeam cap. 26., & 27., Auguſtinus lib. 3. cont. Donatiſtas cap. 15., aliique.

IV. Probatur Rationibus I. Baptiſmus ex Patribus, & ex univerſali Eccleſiæ doctri-

doctrina eſt Sacramentum fidei: ergo continere debet totum id, quod fides noſtra expreſſe profitetur, & continet; ſed fides noſtra expreſſe confitetur & continet trium perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis confeſſionem, & invocationem: ergo hoc pariter debet continere, & manifeſtare baptiſmus. II. Nemini licet mutare illa, quæ Chriſtus Dominus inſtituit circa Sacramentorum adminiſtrationem; ſed Chriſtus Dominus inſtituit, ut baptiſmus conferretur, & adminiſtraretur ſub expreſſa, & explicita trium perſonarum invocatione: ergo hoc pariter, & non alio modo adminiſtrandus eſt baptiſmus, ut valide adminiſtretur. III Eccleſiæ conſuetudo fuit ſemper, ut ratum haberet baptiſmum adminiſtratum ſub explicita invocatione trium divinarum perſonarum, & ſub hac non collatum ut irritum rejiceret; ſed quod Eccleſia conſuevit obſervare, ex conſtanti & vetuſta traditione haberi debet: ergo pro explicita invocatione trium divinarum perſonarum in baptiſmi adminiſtratione ſtat conſtans & perpetua Eccleſiæ traditio. IV. Baptiſmi inſtitutio originem ducit a voluntate Chriſti Domini: ergo pariter ritus adminiſtrandi illum non alius eſſe debet, quam quem Chriſtus Dominus inſtituit: atqui Chriſtus Dominus inſtituit, ut ipſe conferretur ſub expreſſa, & explicita invocatione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ergo ita pariter conferri debet, ut ſine illa invalidus ac nullus reputetur.

Dicimus II., Baptiſmum collatum in ſolius Chriſti nomine nec unquam valuiſſe, nec modo valere.

I. Probatur. Actorum 19. Paulus interrogavit quoſdam, an Spiritum Sanctum accepiſſent; & quum illi reſpondiſſent, ſe neque audiviſſe ſi Spiritus Sanctus eſt, ſubintulit Apoſtolus: *in quo ergo baptizati eſtis?* Atqui vana fuiſſet hæc Apoſtoli ſubillatio, ſi expreſſam invocationem Spiritus Sancti, aliarumque Perſonarum in baptiſmi forma Apoſtoli non adhibuiſſent: ergo nunquam Apoſtoli baptizarunt ſine expreſſa invocatione Patris, & Filii, Spiritus Sancti: ergo nunquam baptizarunt in ſolius Chriſti nomine:

II. Probatur. Clarum eſt in Scripturis, Chriſtum præcepiſſe Apoſtolis, ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; nullibi autem in iiſdem Scripturis legitur, quod Chriſtus eoſdem diſpenſaverit, ut baptizarent in ſolius ipſiuſmet Chriſti nomine, adeoque ab obſervantia prioris præcepti illos eximeret: dicendum eſt ergo Apoſtolos ſemper, & ubique priori præcepto paruiſſe, & expreſſe ſanctiſſimam Trinitatem in baptiſmo invocaſſe. Hoc fundamento nixus S. Cyprianus contrariam opinionem rejecit, *quum ipſe Chriſtus*, inquiens, *Apoſtolos gentes baptizare jubeat in plena & adunata Trinitate.*

III. Probatur. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 12., cui titulus præfigitur: *adverſus eos, qui dicunt, ſufficere baptiſma tantum in nomine Domini*; hæc ſcribit. *Neminem in fraudem inducat illud Apoſtoli, quod nomen Patris, & Spiritus Sancti mentionem in baptiſmatis commemoratione frequenter omittit; neque ideo putet uſum harum vocum eſſe indifferentem .... Si quidem Chriſti appellatio totius Deitatis eſt profeſſio; quippe quæ ſimul declarat, & Deum qui unxit, & Filium, qui unctus eſt, & Spiritum Sanctum, qui eſt unctio ...: Videtur interdum & ſpiritus tantum in baptiſmate feciſſe mentionem Apoſtolus: omnes enim, inquit I. Cor. 12., in uno corpore, & in uno ſpiritu baptizati ſumus &c. At non ideo quis dixerit perfectum eſſe baptiſma, in quo ſolum ſpiritus nomen invocatum eſt. Oportet enim inviolabilem manere traditionem &c.* Origenes in cap. 2. epiſt. ad Rom. *Cur hic Apoſtolus Chriſti nomen aſſumpſit, dicens: quicunque in Chriſto baptizati ſumus; cum utique non habeatur legitimum baptiſma, niſi ſub nomine Trinitatis? ... Quoniam hoc loco non tam baptiſmatis rationem, quam mortis Chriſti diſcutere cupiebat.* Didymus Alexandrinus lib. 2. *de Spiritu Sancto* circa initium. *Non arbitror quemquam tam vecordem atque inſanum futurum, ut perfectum baptiſma putet, quod datur in nomine Patris, & Filii, ſine aſſumptione Spiritus Sancti; aut rurſus in nomine Patris, & Spiritus Sancti, Filii vocabulo prætermiſſo; aut certe in nomine Filii, & Spiritus Sancti, non præpoſito vocabulo Patris. Licet enim quis poſſet exiſtere ſaxei, (ut ita dicam) cordis, & penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus prætermittat, videlicet*

licet contrarius Legislator Chriſti, tamen ſine perfectione baptizabit; immo peritus a peccatis liberare non poterit quos a ſe baptizatos exiſtimaverit. Theophilactus in caput ultimum Lucæ. *Quomodo baptiſma in nomine ſolius Chriſti fieri intelligemus, preſertim cum alias doceamur, baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti? Primum dicimus, quod quando dicimus Baptiſma fieri in nomine Chriſti, non dicimus, quod oporteat in ſolius Chriſti nomine fieri.* Beda lib. variarum quæſtiounm, q. 14. *Si quis baptizans dicat: baptizo te in Chriſto Jeſu, & non dicat, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſicut Dominus inſtituit, non eſt verus baptiſmus, & ideo videndum eſt, ne quis erret in verbis Apoſtoli, quibus dicit; nunc baptizo in Chriſto Jeſu, aliter intelligens quam dictum ſit.* Damaſcenus lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 10. *In Chriſtum baptizatum eſſe, nihil aliud indicat, quam in illum credendo ſalutifera aqua tingi, fieri autem non poteſt, ut in Chriſtum credamus, niſi Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confeſſioni imbuti ſimus .... Enim vero quænam verborum forma adhibenda eſſet, Dominus Diſcipulis ſuis expoſuit, baptizantes eos, inquiens, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

IV. Probatur ex præfatorum Pontificum Romanorum reſponſionibus. Pelagius in epiſt. ad Gaudentium Epiſcopum, ut legitur cap 81. diſt. 4. de Conſecrat. *Multi ſunt, qui in nomine ſolummodo Chriſti, una etiam merſione, ſe aſſerunt baptizare. Evangelicum vero præceptum ipſo Deo, & Domino Salvatore noſtro Jeſu tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam merſione, ſanctum baptiſmà unicuique tribuere, dicente Domino Diſcipulis ſuis; ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Zacharias in epiſt. ad Bonifacium Epiſcopum, cujus initium eſt: *ſacris liminibus*: ita ſcribit. *In Synodo Anglorum decretum, & judicium firmiſſime præceptum, & diligenter demonſtratum eſſe dignoſcitur, ut quicunque ſine invocatione Trinitatis merſus fuiſſet, Sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum eſt, quia ſi lotus in fonte baptiſmatis quis fuerit ſine invocatione Trinitatis, perfectus Chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fuerit baptizatus. Hæc quoque obſervari in prædicta Synodo Sacerdotes voluerunt, ut qui vel unam de Trinitate perſonam in baptiſmo non nominaret, illud baptiſma eſſe verum non poſſet. Quod pro certo verum eſt, quia qui unam ex ſancta Trinitate perſonam confeſſus non fuerit, Chriſtianus perfectus eſſe non poteſt. Qui enim confitetur Patrem, & Filium, ſi confeſſus non fuerit & Spiritum Sanctum, neque Patrem habet, neque Filium; & qui confeſſus fuerit Patrem, & Spiritum Sanctum, & Filium non fuerit confeſſus, neque Patrem habet, neque Spiritum Sanctum, ſed vacuus eſt a divina gratia.*

V. Probatur ex Canonibus, qui dicuntur Apoſtolorum, & qui, quanvis ab eruditis Criticis non agnoſcantur ut legitimi Apoſtolorum fœtus, omnes tamen conveniunt, ut eos excerptos dicant, vel ex antiquorum Patrum Scriptis, vel ex antiquorum Conciliorum decretis, præcipue quinquaginta primi, quorum doctrinam catholicam eſſe, fatentur omnes. Igitur Can. 49. hæc leguntur: *Si quis Presbyter, aut Epiſcopus, non trinam merſionem unius myſterii celebret, ſed ſemel mergat in baptiſmate, (quod dari a quibuſdam jubetur in morte Domini,) deponatur: non enim dixit nobis Dominus: in morte mea baptizate; ſed, euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et quauvis reſpondeat Fraſſen, quod Canone hoc damnentur tantum Hæretici illi, Bonoſiani ſcilicet, & Cataphryges, qui unicam tantum merſionem in baptiſmo adhibebant, & trinam reſpuebant; nos tamen reſpondemus, quod vere per citatum Canonem damnantur Hæretici prædicti, ſed non tantum; quia Canon ipſe ultra horum Hæreticorum damnationem continet quoque expreſſam atque diſtinctam trium divinarum Perſonarum in baptiſmi adminiſtratione invocationem; ut cuilibet habenti oculos, & Canonem legenti facili negotio innoteſcit.

Arguunt I. Ambroſius lib. *de Spiritu Sancto* cap. 3. docet, Eunuchum Reginæ Candacis Chriſti nomine baptizatum fuiſſe: immo ſubdit, quod quemadmodum integer eſt baptiſmus uno Chriſti nomine appellato; ita etiam eſt validus invocato ſolo nomine Spiritus Sancti: *rationem ſequamur*, ait ipſe, *quia, qui unum dixerit, Trinitatem ſignificavit; ſi Chriſtum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus eſt filius, & ipſum,*

qui

Digitized by Google

qui unctus eſt, Filium, & Spiritum Sanctum, quo unctus eſt, deſignari: ergo per Ambroſium baptiſmus, quo una Trinitatis perſona nominatur, validus eſt. II. Sancto Bernardo validus fuit baptiſmus hac verborum forma collatus: *baptizo te in nomine Dei, & ſanctæ, & veræ Crucis*: ergo ex Bernardo non eſt neceſſaria ad baptiſmi validitatem expreſſa & diſtincta Trinitatis invocatio. Antecedens conſtat ex epiſt. 340. Bernardi ad Henricum Archidiaconum, ubi hæc leguntur. *Raptum ex utero puerum ob periculum mortis laicus quidam baptizavit, communem verborum formam non tenens, ſed dicens, baptizo te in nomine Dei, & ſanctæ & veræ Crucis: quæritis utrumnam baptizatus ſit puer, an magis, ſi vivit, baptizandus. Ego vero hunc baptizatum puto .... Nec ſonum vocis veritati fidei, & pietati intentionis, præjudicare potuiſſe. Ut enim taceam, quod in nomine Dei unam expreſſit ſubſtantiam Trinitatis, in eo ipſo, quod addidit, ſanctæ & veræ Crucis, manifeſte commendavit dominicam paſſionem.* III Nicolaus I., Romanus Pontifex, reſpondens ad conſulta Bulgarorum poſtulantium, quid eſſet agendum de illis, qui a quodam Judæo baptizati fuerant, dixit: *hi profecto, ſi in nomine Trinitatis, vel in nomine Chriſti, ſicut in Actis Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt, unum quippe idemque ſunt, ut exponit Ambroſius, conſtat eos non eſſe denuo baptizandos*. Et refertur in cap. *a quodam Judæo* diſt. 4. *de Conſecrat.* IV. Actor. 2. legitur, S. Petrum dixiſſe: *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*. Et cap. 8 *Cum vero credidiſſent Philippo evangelizanti de Regno Dei, in nomine Jeſu Chriſti baptizabantur viri, & mulieres*. Et cap. 10. *Juſſit eos* (idem S. Petrus) *baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti*. V. Stephanus, Romanus Pontifex, voluit, baptizatos a Marcione non iterum baptizandos eſſe, quia in nomine Chriſti baptizati fuerant; quod refert Cyprianus epiſt. 73. ad Jubajanum per hæc verba. *Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Eccleſiam, immo & contra Eccleſiam, modo in nomine Jeſu Chriſti, ubicunque, & quomodocunque Gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, quando ipſe Chriſtus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Quibus quidem verbis Cyprianus opponit Stephano, quod ratum habuerit baptiſmum collatum in nomine Chriſti, contra Chriſti verba præcipientis, baptiſmum conferri debere in invocatione expreſſa & diſtincta trium divinarum Perſonarum. VI. Idem Stephanus, Romanus Pontifex, in Crypta Nepotiana baptizavit centum & octo tam viros, quam mulieres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, eoſque ſigno ſacri Myſterii conſecravit. Et hoc refertur in Actis Paſſionis ejuſdem S. Pontificis, & Martyris, quæ accurata eſſe, & fide digniſſima, teſtatur Baronius ad annum 259. n. 20. VII. S. Cyprianus epiſt. 73. ad Jubajanum ſcribit: Apoſtolos baptizaſſe Judæos in nomine Jeſu, Gentiles autem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ergo ex Cypriano validus fuit baptiſmus collatus ab Apoſtolis in ſolo nomine Jeſu Chriſti. VIII. S. Hilarius lib. *de Synodis* cont. Arianos idem docuit de Apoſtolis baptizantibus in ſolo nomine Jeſu, per hæc verba. *Ne poſtremo Apoſtoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti juſſi, tantum in nomine Jeſu baptizarunt*. IX. S. Baſilius lib. 5. adverſ. Eunomianum cap. 3. *Gentes, quæ crediderint, ac edoctæ fuerint, jubet baptizari in Trinitatis nomine. Petrus vero ad Judæos, qui de Chriſto occidendo conjuraverant, ac pœnitentia ducebantur, pœniteat, inquit unumquenque veſtrum fratres veſtræ malitiæ, ac viæ pravæ; atque baptizetur in nomine Domini Jeſu, & ſalvabitur, tanquam poſſit efficere eadem Filius in lavacri regeneratione, quæ Pater, & Spiritus Sanctus efficiunt .... Proinde ſi Spiritus Sanctus in Apoſtolis eadem operari poteſt, quæ Patris, ac Filii nomen in iis, quæ ex Gentilibus crediderant, & Domini Jeſu nomen in iis, quos pœnituerat, Judæis; nemo enim dixerit, Apoſtolos minus accepiſſe gratiæ per lavacrum, quam qui erant ex Gentibus, propterea, quod ipſi in Spiritu Sancto gratiam habuerunt) quomodo non eſt ejuſdem cum Patre, & Filio, ſubſtantiæ Spiritus, qui eſt quoque ejuſdem operationis?* X. Neceſſe erat in Eccleſiæ incunabulis, ut magis magiſque Chriſti nomen inter novos fideles

com-

commendaretur, & manifeſtaretur; ſed ad hoc opportunum erat medium Jeſu Chriſti nomen in baptiſmi adminiſtratione invocare: ergo propter hanc rationem validus fuit Eccleſiæ initiis baptiſmus ſolius Chriſti nomine collatus. XI. Chriſti nomen continet etiam nomen Patris, & Spiritus Sancti: ergo baptiſmus collatus in ſolo nomine Chriſti totam continet Trinitatem: ergo validus eſt. Antecedens eſt Theophilacti doctrina ad caput ultimum Lucæ, qui quærens, *quomodo baptiſma in nomine ſolius Chriſti fieri intelligamus, præſertim cum alias doceamur baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; reſpondet: *Chriſti nomen in ſe continet, & Patrem inungentem, & unctionem Spiritum, & unctum Filium*. XII. Infirmant probationem noſtram petitam ex Actor. 19., ubi dicitur, quod baptizati neſciebant, an eſſet Spiritus Sanctus, & ex hoc deduximus, quod non erant baptizati in nomine Spiritus Sancti, infirmant quidem „ Quia, ut dicit Fraſ„ ſen, cum eſſent Adulti, prius bapti„ zari non poterant, quin inſtructi fuiſ„ ſent de præcipuis fidei myſteriis, ac „ proinde noviſſent tres in Deo perſo„ nas: quippe divinæ Trinitatis myſte„ rium primum eſt, ac caput omnium „ fidei Myſteriorum: quod idem eſt ac dicere, illos non aſſequutos fuiſſe expreſſam & explicitam Trinitatis notitiam per doctrinam baptizantium; & de hoc mirabatur Apoſtolus.

Reſpondemus ad I., Ambroſium non loqui de forma baptiſmi, ſed de effectu illius, quem vult ſingulis ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonis attributum intelligi; eſto Scriptura uni tantum Perſonæ applicet, non nominando alias. Ex eo autem ſolutio patet, quia Ambroſius in laudato loco probare intendit, operationes, quas Scholaſtici dicunt *ad extra*, quando tribuuntur in Scripturis uni perſonæ, aliæ non excludantur perſonæ, ſed ſubintelligi debeant; *Ubi*, ait ipſe, *operatio aliqua divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti, deſignatur, non ſolum ad Spiritum Sanctum, ſed etiam ad Patrem, ſed etiam ad Filium refertur, & Spiritum Sanctum*. S. Thomas reſpondet, Ambroſium debere intelligi, non de ſeculis, quæ Apoſtolorum tempora ſubſequuta ſunt, ſed tantum de primitiva Eccleſia, cui Chriſtus per diſpenſationem conceſſerat, ut ejus ſolo nomine appellato ratum eſſet baptiſma. At nos reſponſionem hanc non amplectimur, quia pro nullo tempore admittimus validum fuiſſe baptiſmum in ſolo Chriſti nomine miniſtratum.

Ad II. Eſtius dicit in 4. diſt. 3. §. 5. prolatam epiſtolam ad Henricum Archidiaconum non eſſe legitimum Bernardi fœtum, ſed adulterinum. At alii volunt, inter quos ſunt Hortius, & Mabillonius, fuiſſe veram Bernardi epiſtolam, ac improbant ſententiam illius, ut Scripturæ, & traditioni contrariam. Alii vero dicunt & quidem rectius, ob debitum obſequium, quod mellifluo Doctori exhibendum eſt, Bernardum illud non certo aſſeruiſſe, ſed tantum probabiliter; ait enim; *breviter vobis de propoſita quæſtione reſpondemus, ſine præjudicio tamen ſanius ſapientis*. Ad quæ ſubdit Jueninus in Commentario Diſſert. 2. de Bapt. q 4. art. 3. „ Sed quod „ probabile duodecimo ſeculo Bernar„ dus judicavit, hodie non recipitur a „ Theologis, qui ad apoſtolicam tra„ ditionem, ac antiquorum Patrum, „ ipſiuſque S. Auguſtini authoritatem „ attendunt.

Ad III. Plures dantur a Theologis ad Nicolai decretum reſponſiones; quarum prima eſt, Nicolaum loqui ex parte ſubjecti, a quo exigebatur fides in Chriſtum, non vero ex parte Miniſtri; quaſi ipſius mens fuerit, ſufficere tantum verba illa pro forma baptiſmi, quæ a Miniſtro proferebatur. Alia reſponſio eſt, quod etſi Nicolaus intellexiſſet verba ſua de Miniſtro, non per hoc tamen definiviſſe, fuiſſe validum baptiſmum collatum in nomine Chriſti; ſed tantum docuiſſe id, quod docuerat Ambroſius: unde eo modo, quo explicatur Ambroſius, ipſe pariter explicandus erit. Tertia reſponſio eſt, quod Nicolaus illud intellexerit, ut privata perſona, non vero ut publicus Eccleſiæ Doctor; & hoc probare intendunt, quia illud ipſum differere non erat pertinens ad interrogationem, quam ipſi fecerant Bulgari, qui ſolum de baptiſmi Miniſtro interrogaverant, non vero de forma. Igitur, quod Nicolaus de forma ſuperaddit, ſuperfluum omnino

erat, & proinde ex privata & propria ipſius doctrina protulit, non vero ex Eccleſiæ definitione. Eligant Legentes reſponſionem ex his tribus, quæ ipſis magis placuerit.

Ad IV. Pariter triplex eſt reſponſio, quarum prima eſt, quod per nomen Chriſti non intelligantur prætermiſſa nomina aliarum duarum divinarum Perſonarum; ſed potius intelligantur incluſa, ita ut ſenſus ſit, Apoſtolos baptizaſſe in nomine Patris, Filii Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti. Et ita volunt prælaudata Scripturarum verba exponi a Cypriano, Baſilio, Anguſtino, & Beda. Quod pariter innuit Eulogius apud Photium in Bibliotheca Cod.280. *Quod dictum eſt in Actis de iis, qui baptiſmum Joannis accepiſſent; his auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu: hoc eſt, qui baptizati ſunt juxta traditionem, doctrinamque Domini Jeſu. Quare & alibi cum dicit; In Chriſto, vel in morte Chriſti baptizati ſunt, eumdem ſenſum debemus intelligere ſignificari; hoc eſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, baptizati ſunt. Sic enim docuit, & tradidit Jeſus Chriſtus Dominus noſter, ut baptiſma fieret.* Altera reſponſio eſt, quod baptizari in nomine Chriſti idem ſit ac baptizari in fide Chriſti, ſeu poſt publicam profeſſionem fidei in Chriſtum emiſſam. Et hæc eſt reſponſio Damaſceni loco nuper citato. Tertia reſponſio eſt, quod baptizari in nomine Chriſti, idem ſit ac baptizari baptiſmo Chriſti; baptiſmo ſcilicet a Chriſto inſtituto, non vero Joannis, inſtituto videlicet a Joanne.

Ad V. Duplicem quoque exhibent reſponſionem; quarum prima eſt, non liquere, an Cyprianus de Stephano loquatur. Scribit enim Cyprianus: *quidam dicunt*: ſed non dicit: *Stephanus dicit*: Et hoc vel ex eo magis, quia non erat hæc quæſtio, quæ inter Stephanum, & Cyprianum agitabatur, ſed altera plane ab hac diverſa; an ſcilicet valeret baptiſmus ab Hæreticis collatus? ut dictum eſt ſuo loco. Altera reſponſio eſt, quod quanvis Cyprianus loquatur de Stephano, non aſſequutus tamen fuit Stephani mentem; quia Stephanus per baptiſmum in nomine Chriſti collatum intelligebat baptiſmum virtute, & auctoritate Chriſti inſtitutum, non vero in ſolo nomine Chriſti miniſtratum, quod Cyprianus intellexit. Tandem mens Stephani elicitur, quod ipſemet apud Baronium ad annum Chriſti 259. n.23. baptizaverit Nemeſium, qui erat militum Tribunus, ſub hac forma: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, baptiza te.* Et hæc eſt reſponſio ad alterum quod ex Stephano opponebatur.

Ad VI. Reſponſio patet ex dictis in Reſponſione ad quintum argumentum.

Ad VII., dicitur, quod Cyprianus non loquitur de forma baptiſmi, ſed de publica profeſſione fidei illius, qui baptizandus erat: unde docet, quod ſi baptizandi erant Judæi, quærebatur ab eis Fides in Chriſtum; ſi vero erant Gentiles, quærebatur Fides in Trinitatem. Judæi enim dicebant, ſe habere Patrem, unde ab eis exigebatur fides publica in Chriſtum; Gentiles vero, quia Trinitatem in uno Deo non agnoſcebant, ideo tres perſonas in una natura divina profiteri debebant. Hæc autem non erat diverſa fides in utriſque, ſed eadem fides, at varie explicata; uno quidem modo explicite in Judæis, altero vero modo explicite in Gentilibus.

Ad VIII. S. Hilarius per baptiſmum in nomine Chriſti intellexit baptiſmum in virtute ac auctoritate Chriſti inſtitutum atque collatum.

Ad IX. Baſilius eodem modo intelligendus eſt, quo intelligendum diximus Hilarium, & hoc maxime patet ex verbis ipſiuſmet Baſilii, quæ in probationibus adduximus.

Ad X. Poterat quidem ſufficienter Chriſti nomen manifeſtari, & commendari, in baptiſmi adminiſtratione tam apud Gentes, quam apud Judæos, ſi dixiſſent Apoſtoli: *baptiza te in nomine Patris, & Filii Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti*, quemadmodum plures Patres, & Scriptores dicunt, Apoſtolos, quos tingebant, ſub his verbis baptizaſſe; ut non ſemel hic dictum eſt.

Ad XI. Verum eſt, quod in Filii nomine continetur Pater, & Spiritus Sanctus, at implicite tantum, non vero explicite; ad Sacramenti baptiſmi tamen valorem requiritur explicita trium divinarum Perſonarum expreſſio, ſcilicet: *in nomine Patris, & Filii,*

lii, & Spiritus Sancti. Mens Theophilacti habetur expreſſiſſime ex ipſiuſmet verbis in caput 24. Lucæ. *Quando dicimus Baptiſma fieri in nomine Chriſti, non dicimus, quod oporteat in ſolius Chriſti nomine fieri, ſed quod Chriſti baptiſma ...... ſpirituale ſit, non Judaicum, neque quale Joannis in pœnitentiam ſolum, ſed & communionem Spiritus Sancti, & remiſſionem peccatorum conferat*.

Ad XII. Acta quidem fuiſſet a Fraſſen ſolutio, ſi dixiſſet, quod baptizati neſciebant, quid eſſet Spiritus Sanctus, non vero an eſſet. Neſcire enim an eſſet, indicat, quod illum neque audiverant nominare; neſcire vero quid eſſet, oſtendit, quod illum non intellexerant explicare. Et quia adulti erant illi, de quibus in Actibus Apoſtolorum citato loco fit ſermo, inde eſt, quod quando baptizati fuerant, poterant & debebant audire in baptiſmi forma Spiritus Sancti vocem, adeoque ſcire, an Spiritus Sanctus eſſet; & quum eſſent Adulti, præter an eſſet, debebant etiam ſcire quid eſſet, propter explicationem, quam ipſemet Fraſſen ſupponit.

DISSERTATIO CCCXLV.

De Baptiſmi Miniſtro. Quinam ſit miniſter Baptiſmi ordinarius, & ex officio? Quinam extraordinarius, & ex delegatione? Quinam ex neceſſitate? An idem ſit miniſter in baptiſmi adminiſtratione privata, ac in publica, & ſolemni? & an eodem modo ſit dicendum de licita, ac de valida baptiſmi adminiſtratione?

Baptiſmi miniſter ordinarius & ex officio poteſtatem habet baptizandi ex jure ſuæ ordinationis, & ex auctoritate, quam in eadem a Chriſto accepit; & hic eſt tantum Epiſcopus, qui poteſtatem hanc exercet ſine ulla ab aliquo Superiore dependentia. Simplices autem Sacerdotes, qui idem munus exercent cum dependentia, & ſubordinatione ad Superiorem, vocantur quoque miniſtri ordinarii & ex officio, quanvis iiſdem licitum non fuiſſet olim baptiſmum miniſtrare ſine Epiſcoporum licentia, & hoc non propter defectum auctoritatis, ſed ad majorem Epiſcopatus honorem, ut Scriptores communiter aſſerunt. Miniſter autem extraordinarius, ſeu ex delegatione, ille dicitur, cui Epiſcopus concedit jus baptizandi, quod in Ordinatione ſua non acceperat, niſi confuſe & ſine aſſignatione perſonarũ, ſuper quas auctoritatem illam exerceret. Et hujuſmodi dicuntur eſſe Diaconi. Miniſter tandem ex neceſſitate eſt, qui neceſſitate urgente, hoc eſt mortis periculo, & deficientibus aliis Miniſtris idoneis, & ordinariis, baptiſmi Sacramentum aliquando adminiſtrat. Baptiſmi etiam adminiſtratio duplex eſſe ſolet; privata, quæ quovis tempore fit, & publica atque ſolemnis, quæ ſolemnioribus feſtis fiebat, Paſchatis ſcilicet, & Pentecoſtes. Denique Baptiſmi adminiſtratio poteſt eſſe licita & valida, & poteſt eſſe valida, ſed non licita; prima eſt, quando miniſter baptizando non peccat, & baptiſmus eſt validus: ſecunda eſt, quan

quando baptiſmus eſt validus, & nihilominus miniſter baptizando peccat.

Antequam ad Concluſiones accedamus, juxta noſtram methodum congruum ducimus Hæreticorum errores circa baptiſmi Miniſtrum referre, & Theologorum quoque opiniones exponere; ut dicendorum exactior notitia deinde habeatur, & catholica veritas in Concluſionibus noſtris omni ex parte triumphet.

Primo, aliquot antiqui Hæretici errarunt circa Baptiſmi Miniſtrum, dicentes, mulieres poſſe baptiſmum ſolemniter adminiſtrare, etiam extra neceſſitatis c ſum. Hi recenſentur Marcio, de quo aſſerit Epiphanius Hæreſi 42. n. 4. *mulierculis baptizandi poteſtatem facit*. Inſuper Pepuziani, de quibus idem Epiphanius loquitur Hæreſi 49., & Auguſtinus lib. *de Hæreſib.* cap. 27. ſcribit: *ejuſmodi Hæreticos tantum dare mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur*. Pariter Collyridiani, de quibus idem S. Epiphanius hæreſi 79. n. 1. aſſerit, apud eos mulieres quaſdam ſolemni tempore *per aliquot dies panem proponere, & in Mariæ nomen offerre*: ex quibus verbis Scriptores colligunt, mulieres haſce ſacerdotalia miniſteria ſibi arrogaſſe.

Secundo, Calvinus lib. 4. Inſtitut. c. 15. § 20., quanvis fateatur, *multis quidem ab hinc ſeculis, adeoque ab ipſo fere Eccleſiæ exordio, uſu receptum, ut in periculo mortis laici baptizent*, negat tamen id poſſe ratione fieri. Attamen Calvinus ipſe non ſe ſatis de hoc declaravit, an nimirum baptiſmus a laico collatus ſit tantum illicitus, an vero etiam invalidus? unde ſectatores ipſius aliqui ſcripſerunt eſſe tantum illicitum, ſed validum: alii autem voluerunt eſſe etiam invalidum. Prioris erroris defenſores fuerunt Wittacherus in Controverſia de baptiſmo q. 3. cap. 1. Item Eccleſia Anglicana, prout teſtatur Iſaac Caſaubonus in reſponſione ad epiſtolam Cardinalis Peronii: & Georgius, Abbas Anglus, in prælectione de Circumciſione apud Voſſium ejuſdem eſt erroris: Voſſius vero in Diſputat. 10. de Bapt. Theſi 12., nullum judicavit Baptiſmum, quem Gentilis confert; quod & pariter affirmavit Chamierius Tom. 4. Panſtratiæ lib. 5. cap. 14.

Tertio, Græci recentiores pariter negant eſſe validum baptiſmum, quem Laici conferunt; unde Arcudius l. 1. de bapt. cap. 11. teſtatur, multos ipſorum ex imperitia maxima in eo eſſe errore, ut ſi nullus adſit Presbyter, malint Infantes ſuos ſine baptiſmo decedere, quam a Laicis baptizari.

Quarto, antiqui illi Scriptores, qui nullum putabant baptiſmum ab Hæreticis collatum, & contra quos egimus in ſuperioribus Diſſertationibus in hac eadam parte, quia hoc ducebantur principio, non poſſe hæreticum dare, quod non habet, inde multi inferunt, eos pariter voluiſſe, nullum eſſe baptiſmum, quem Laici non baptizati conferunt, quia de his æque ac de Hæreticis eorum principium verificatur; quod & advertit Petavius in Animadverſionibus ad expoſitionem Fidei S. Epiphanii.

Quinto, veteres pariter Scriptores quidam, qui ratum habuerunt Hæreticorum baptiſma, dubitarunt tamen, an valeret baptiſmus datus ab Infideli non baptizato, & inter hos adnumerantur Tertullianus lib. de Bapt. c. 17., & Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos. Attamen alii dicunt, quod in dictorum Auctorum verbis dubium neque continetur expreſſe, neque ſolvitur; ſolus enim Auguſtinus expreſſis verbis dubium propoſuit l. 2. cont. epiſt. Parmeniani cap. 13., & lib. 7. de Bapt. cap. 53., & ante Auguſtinum quod quæſtio de baptiſmo collato a non Baptizato clare & expreſſe agitata non legitur: unde nono ſeculo fuit de ea conſultus a Bulgaris Nicolaus I. Romanus Pontifex.

Sexto, fuit etiam aliquando dubitatum, an eſſet & validus baptiſmus, quem contulerat mulier energumena; quod patet ex epiſtola Firmiliani ad S. Cyprianum.

Antequam quoque ad Concluſiones deveniamus, æquum pariter ducimus exſcribere, atque referre ſex Pronunciata, quæ adhanc Controverſiam præmittit Cardinalis Bellarminus Tom. 3. Controverſiar. de Sacram. bapt. l. 1. c. 7., & quæ dicit communi conſenſu omnium Catholicorum Doctorum admitti, & admittenda eſſe. Hæc ſunt ejus verba loco citato.

„ Pri-

,, Primo jus baptizandi ex officio ordi-
,, nario convenire ſolis Sacerdotibus,
,, ideſt, Epiſcopis, & Presbyteris; ſic
,, tamen, ut Presbyteris conveniat cum
,, ſubordinatione, & dependentia ab
,, Epiſcopis Quemadmodum enim po-
,, teſtas abſolvendi a peccatis datur
,, Presbyteris in ſua ordinatione, & ta-
,, men, quia abſolvere a peccatis eſt
,, actus juriſdictionis, quæ eſt Epiſcopo-
,, rum propria, ideo Presbyteri non
,, poſſunt uti ea poteſtate, niſi quan-
,, tum eis Epiſcopi concedunt; ita quo-
,, que de poteſtate baptizandi ſentien-
,, dum eſt. Hinc conciliari poſſunt te-
,, ſtimonia quædam Auctorum, quæ
,, alioqui contraria videri poſſunt.
,, Quidam enim ſimpliciter affirmant,
,, officium baptizandi ad Presbyteros
,, pertinere, ut Iſidorus lib. 2. *de offic.*
,, *divin.* cap. 24. Alii dicunt, Presbyteros
,, baptizare non poſſe ſine Epiſcopi fa-
,, cultate, ut Tertullianus lib. *de Bapt.*
,, & Hieronymus in Dialogo contra
,, Luciferianos. Secundo docent, Dia-
,, conis quoque ex officio convenire ba-
,, ptizare, ſed in abſentia Sacerdotum,
,, aut eorum juſſu. Ita docent iidem
,, Auctores, Tertullianus, & Hierony-
,, mus. Neque his repugnant, Ignatius
,, in epiſt. ad Heronem, & Epiphanius
,, hæreſi 79., qui negant, Diaconis con-
,, venire munus baptizandi, & proprium
,, id eſſe dicunt Sacerdotum. Nam lo-
,, quuntur Epiphanius, & Ignatius de
,, ordinario officio, Tertullianus, &
,, Hieronymus de extraordinario, &
,, utrique recte dicunt: ordinarie ſiqui-
,, dem ad ſolos Sacerdotes pertinet ba-
,, ptizare, extraordinarie etiam ad Dia-
,, conos. Quod etiam habet Gelaſius in
,, epiſt. 1. c 9., & exprimitur in ipſa or-
,, dinatione Diaconorum. Tertio, Ca-
,, tholici docent, nunquam licere Laicis
,, ſolemniter baptizare, neque etiam
,, privatim, præſente Sacerdote, aut Dia-
,, cono, aut iis etiam abſentibus extra
,, caſum neceſſitatis. Docet hoc Au-
,, guſtinus lib. 2. cont. epiſt. Parmeniani
,, cap. 13., & rationem reddit, quia ne-
,, mini licet uſurpare alterius officium.
,, Quarto docent, Laicis baptizatis li-
,, cere in caſu neceſſitatis baptizare;
,, de hoc enim nunquam in Eccleſia du-
,, bitatum invenio: unde nova eſt &
,, inaudita Calvini Hæreſis. Quinto
,, docent etiam, non baptizatis in caſu
,, neceſſitatis licere baptiſmum dare, ſi
,, faciant ritum. De hoc tamen Veteres
,, dubii fuiſſe videntur: nam Tertullia-
,, nus in lib. de Bapt. reddit cauſam,
,, cur liceat Laicis baptizare. *Quia*, in-
,, quit, *quod ex æquo ab omnibus accipi-*
,, *tur, ex æquo ab omnibus dari poteſt*. Et
,, Hieronymus in Dialogo contra Luci-
,, ferianos Tertullianum imitatus in-
,, quit: *ſcimus etiam licere Laicis; ut enim*
,, *accipit quis, ita & dare poteſt*. Et Con-
,, cilium Elibertinum can. 38. dicit,
,, Laicos poſſe baptizare, modo ſint ipſi
,, baptizati, & non bigami. Auguſtinus
,, ſimiliter dubius fuit. Nam lib. 2. cont.
,, epiſt. Parmeniani cap. 13. proponit
,, quæſtionem, an non baptizatus poſſit
,, baptizare, & dicit, ſe non audere rem
,, determinare, quum in nullo generali
,, Concilio res definita ſit. Idem habet
,, etiam lib. 7. de bapt. cap. 53. Denique
,, Gregorius II. in epiſt. ad Bonifacium,
,, & habetur etiam apud Gratianū Can.
,, *quos a Paganis*, de Conſecrat. diſt. 4. ju-
,, bet, rebaptizari a Paganis baptizatos.
,, Cæterum res jam definita eſt in Con-
,, cilio generali, ut Auguſtinus cupie-
,, bat. Nam in Florentino Concilio ha-
,, betur, in caſu neceſſitatis licere Lai-
,, co, ſeu viro, ſeu fœminæ, ſeu Chri-
,, ſtiano, ſeu Pagano, baptizare, modo
,, adſint materia, forma, & intentio
,, debita. Quod idem multo antea ſta-
,, tuerat Nicolaus Papa, ut habetur can.
,, *A quodam Judæo*, de Conſecrat. diſt. 4.
,, & idem habetur ibidem Can. *Romanus*.
,, Et ratio idem ſuadet: nam quum non
,, requiritur in miniſtro baptiſmi fides,
,, aut ordinatio, ut notum eſt, nulla eſt
,, ratio, cur non ſit verum Baptiſma,
,, quod a Pagano, aut Judæo confertur,
,, ſi adſint ea, quæ neceſſaria ſunt ad ba-
,, ptiſmi eſſentiam. Adde, quod nullum
,, teſtimoniorum contra prolatorum
,, convincit, non licere baptiſmum a
,, non baptizato accipere. Nam Gre-
,, gorius II. non tam creditur, juſſiſſe
,, rebaptizari a Pagano baptizatos, pro-
,, pter vitium miniſtri, quam propter
,, vitium formæ ſacramentalis, quam
,, illi Pagani, & imperiti, forte non te-
,, nebant. Auguſtinus autem etſi dubius
,, fuit, tamen paratus erat generali
,, Concilio acquieſcere. Et præterea
,, lib. 7. de bapt. cap. 53. aperte dicit, ſi
,, ſententia ipſius quæratur, ſe reſpon-
,, ſurum, baptiſmum eſſe ratum a quo-
,, cunque, & ubicunque traditum, mo-
,, do verbis evangelicis conſecratum.

,, Eli-

„ Elibertinum Concilium aſſeruit, quod
„ erat certum, Laicum baptizatum li-
„ cite baptizare; non autem negavit
„ expreſſe contrarium, ſed reliquit ſub
„ dubio. Denique Tertullianus, &
„ Hieronymus id ſolum forte dicere
„ voluerunt, baptiſma ab omnibus poſ-
„ ſe dari, ut ab omnibus accipitur, ideſt,
„ quia eſt Sacramentum omnibus neceſ-
„ ſarium, ideo ab omnibus poſſe accipi,
„ & ſimiliter ab omnibus poſſe dari,
„ non quod oporteat eum, qui dat, prius
„ accepiſſe. Id mihi perſuadeo, tum
„ quia verba hunc ſenſum ferre poſſunt,
„ tum quia ſi alium ſenſum faciant, ab-
„ ſurdam rationem continent. Non
„ enim eſt bonum argumentum: hic
„ habet baptiſmum: ergo poteſt dare;
„ alioqui poſſet etiam Presbyter ordi-
„ nare Presbyteros, & Diaconus Dia-
„ conos, quia habet ille Presbyterium,
„ & hic Diaconatum. Neque eſt bonum
„ argumentum, ſi negative ratiocine-
„ mur: non habet iſte baptiſmum: ergo
„ non poteſt dare: alioqui non poſſet
„ miniſter impius per verba & Sacra-
„ menta alios juſtificare, quia nimirum
„ caret ipſe juſtitia, & pietate. Non
„ igitur requiritur, ut habeat in ſe ba-
„ ptiſmum formaliter, qui eſt futurus
„ miniſter, ſed ſatis eſt, ſi habeat
„ virtualiter, & miniſterialiter, quo-
„ modo omnes habent, qui habent uſum
„ rationis, linguæ, & manuum, ut poſ-
„ ſint ex intentione verba proferre, &
„ aquam aſpergere. Sexto docent, non
„ modo viros, ſed etiam fœminas in
„ extrema neceſſitate poſſe baptizare.
„ Id habet expreſſe Concilium Florenti-
„ num: item Concilium Carthaginen-
„ ſe IV. can. 100., ut infra citabimus,
„ & Urbanus II. in epiſt. ad Vitalem.
„ & habetur 30. q. 3. Can. *ſuper his*, &
„ denique idem habet conſuetudo Ec-
„ cleſiæ, & ratio maniſeſta, quæ ſupra
„ facta eſt pro non baptizatis. „

Dicimus I., Miniſtrum baptiſmi ordinarium & ex officio eſſe Epiſcopum, & Presbyterum; Epiſcopum quidem primario, Presbyterum vero ſecundario, & ex licentia Epiſcopi.

Prima Concluſionis pars probatur I. Epiſcopus, & Presbyter, ſingulariter deputantur ab Eccleſia ad Baptiſmi adminiſtrationem: ergo Epiſcopus, & Presbyter, eſt ordinarius, & ex officio, baptiſmi Miniſter. Probatur antecedens I. ex Can. 50. ex iis, qui dicuntur Apoſtolorum, & quos unanimiter Eruditi dicunt ex veteribus Conciliis fuiſſe deſumptos, in quo legitur: *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, non trinam merſionem hujus myſterii celebret ..... deponatur*: En quomodo ſolus Epiſcopus, & ſolus Presbyter, dicuntur ordinarius, & ex officio, baptiſmi miniſter. II Ex auctore lib. 3. Conſtitut. Apoſtolicar. cap 11., in quo hæc habentur: *neque reliquis Clericis poteſtatem baptizandi facimus, ut Lectoribus, Cantoribus, Janitoribus, aut Miniſtris, niſi tantum Epiſcopis, & Presbyteris, miniſtrantibus Diaconis*. III. Ex Auguſtino lib. 3. de baptiſmo cap. 18.: *non niſi in Eccleſia Præpoſitis, & in evangelica lege, aut dominica oratione fundatis, licet baptizare*: Epiſcopis autem ſolis, & Presbyteris, ſicut convenit animarum cura, ita pariter convenit Sacramentorum diſpenſatio.

II. Probatur. Epiſcopus, & Presbyter, ſunt Apoſtolorum, & Diſcipulorum Succeſſores; ſed ſolis Apoſtolis, & Diſcipulis, dictum fuit a Chriſto: *ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ergo ſolus Epiſcopus, & Presbyter, eſt ordinarius & ex officio baptiſmi miniſter. Major eſt certa, adeoque a nemine negari poteſt. Minor etiam in Scripturis, & apud Patres patet apertiſſime, & apud omnes Scriptores noſtros eſt maniſeſta.

Secunda Concluſionis pars, quod ſcilicet Epiſcopus ſit ordinarius, & primarius baptiſmi miniſter, I. probatur ex Patribus. Ignatius Martyr in epiſt. ad Smyrnæos ait, *non eſſe licitum ſine Epiſcopo, nec baptizare, nec agapen celebrare*. Tertullianus lib. de Bapt. cap. 17. *dandi* (baptiſmi ſcilicet) *jus habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt*. Ibidem baptizandi munus appellat *dicatum Epiſcopis officium Epiſcopatus*. Ambroſius lib. 3. *de Sacram.* cap. 1. *Audiſtis lectionem. Succinctus eſt Sacerdos; licet enim Presbyteri fecerint, tamen exordium miniſterii a ſummo eſt Sacerdote*. S. Hieronymus Dial. adverſus Luciferianos. *Inde venit, ut ſine Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus, jus habeat baptizandi*.

II. Probatur. Epiſcopi ſoli primis Eccleſiæ

cleſiæ ſeculis baptiſmum adminiſtrabant certis ſolemnioribus diebus, quibus baptiſmi adminiſtratio addicta erat: ergo Epiſcopi erant primarii & ordinarii baptiſmi miniſtri. Antecedens probatur I. ex Theodoreto lib.2. hiſtor. Eccleſiaſt. cap.27., qui meminit ſtolæ aureis filis contextæ, quam *Conſtantinus Imperator ad Eccleſiam Hieroſolymitanam cohoneſtandam Macario, illius urbis Epiſcopo, donaverat, ut ea indutus baptiſmum ſolemniter adminiſtraret*. II. Ex Paulino in Vita S. Ambroſii, ubi ſcribit; quod quinque Epiſcopi, poſt Ambroſii mortem, vix adimplere poterant, quod ipſe ſolus circa baptizandos implebat. III. Ex epiſtola Cleri Edeſſeni ad Epiſcopos Photium, & Euſtatium, in qua legitur: *rogamus autem, & deprecamur veſtram ſapientiam, ut eidem glorioſiſſimo Epiſcopo ſuadeatis, quatenus velociter ad ſuum gregem redire feſtinet, qui periclitatur ab omnibus lacerari, cum nullus ſit, qui ei adeſſe prævaleat, & maxime feſtivitate ſalutifera ſancti diei Paſchalis imminente, in qua & propter Catechiſmos, & propter eos, qui digni ſunt ſancto baptiſmate, opus eſt ejus præſentia*. IV. Ex Sancto Hilario in Pſalm.67., ubi ſupponere videtur, primis Eccleſiæ ſeculis ſolos Epiſcopos baptizaſſe; vocat enim ipſum baptiſmum, *miniſterium Apoſtolici officii*. V. Ex S. Gregorio Magno, qui epiſt. 32. ſcribebat ad Romanum, Italiæ Eſarchum, & eum rogabat, ut ad ſuam Eccleſiam mitteret Blandum, Epiſcopum Hortenſem, qui ab eo Ravennæ detinebatur, & rationem hanc ſubdit, *Eccleſia ſine Rectore, & populus quaſi ſine paſtore grex deperit.... Infantes ſine baptiſmate moriuntur*.

Tertia Concluſionis pars, quod ſcilicet Presbyteri ſint ordinarii, & ex officio baptiſmi miniſtri, probatur I. ex Palladio in Vita S. Joannis Chryſoſtomi, in qua hæc leguntur. *Joannis Presbyteri, quibus Dei aderat timor, in publico lavacro, quod Conſtantinianum appellatur, coactis populis, vigilias inchoarunt, partim divina eloquia legentes, partim eos, qui inſtructi erant in fide, baptizantes, ut moris eſt, in Paſcha*.

II. Probatur Ex Hieronymo in Dialogo adverſus Luciferianos, ubi ait: *non quidem abnuo hanc eſſe eccleſiaſticam conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & per Diaconos baptizati ſunt*. Diaconos autem dicit, ſubintelligendo per delegationem, ut in ſubſequenti concluſione probabitur.

Opponunt I. Plurimi Sancti Patres, & Romani Pontifices, affirmant, officium baptizandi ad Presbyteros pertinere, ut Iſidorus lib.2. de offic. cap.24. *Conſtat, Baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tradendum*, Et Eugenius IV. in decreto: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*: & cap. *conſtat* diſt.4. *de Conſecrat.* idem habetur: non eſt ergo Presbyterorum poteſtas limitanda, nec deſideranda eſt Epiſcopi facultas. II. Per baptiſmum homo fit particeps unitatis Eccleſiæ, & jus accipit ad menſam Domini accedendi: ergo ſicut ad Sacerdotem pertinet ſimpliciter, & abſolute Euchariſtiæ conſecratio, ita & ſolemnis baptiſmi adminiſtratio. III. Parochi, ſeu Presbyteri, quorum nomine hic Parochi intelliguntur, per quinque priora ſecula baptiſmum non conferebant, niſi ex ſpeciali Epiſcopi mandato; unde Tertullianus lib. de bapt. cap.17. *Dandi quidem habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate*: ergo ſignum eſt, quod Presbyteri id faciebant ex Epiſcopi delegatione: ergo non erant ordinarii *Ba*ptiſmi miniſtri, ſed extraordinarii, & delegati. IV. Nequit Eccleſia determinare baptiſmi, miniſtros: ergo non poſſunt eſſe alii miniſtri, quam Epiſcopi, qui a Chriſto ſunt inſtituti. Probatur antecedens. Inſtituere miniſtros baptiſmi eſt exercere auctoritatem ſupra baptizandos: ſed ſupra baptizandos nullam poteſt Eccleſia exercere auctoritatem: ergo non poteſt Eccleſia inſtituere miniſtros baptizandi. Probatur minor. *Bapti*zandi ſubduntur Eccleſiæ, poſt quam ſunt baptizati, quia ſubduntur ratione baptiſmi: ergo antequam baptizentur, non ſubduntur Eccleſiæ: ergo Eccleſia non poteſt ſupra illos exercere auctoritatem.

Reſpondemus ad I., etiam Scripturam ſimpliciter tribuere Presbyteris poteſtatem a peccatis abſolvendi, & tamen quia abſolvere eſt actus Juriſdictionis, quæ eſt Epiſcoporum propria, ideo nequeunt Presbyteri ea poteſtate uti,

uti, niſi quantum Epiſcopi concedunt; ſic etiam de poteſtate baptizandi dicendum eſt. Cæterum, dum in allatis locis dicitur, baptiſma ſolis Sacerdotibus tractandum, intelliguntur primi & ſecundi Ordinis Sacerdotes, Epiſcopi nimirum ſimul, & Presbyteri, Populi chriſtiani regimini, & Eccleſiarum Parochialium adminiſtrationi præfecti, quos S. Thomas minores Eccleſiæ Principes vocat, & ſeptuaginta duorum Diſcipulorum Chriſti Succeſſores.

Ad II., dicitur, Euchariſtiæ conſecrationem non eſſe actum juriſdictionis; ſolemnis autem baptiſmi adminiſtratio non minus eſt actus juriſdictionis, quam abſolvere a peccatis, ut dictum eſt. Unde etſi currat illatio a miniſtro pœnitentiæ ad miniſtrum baptiſmi, non currit tamen a miniſtro Euchariſtiæ ad eundem baptiſmi miniſtrum.

Ad III., dicitur, quod illud mandatum non requirebatur ex jure divino, ſed ex jure eccleſiaſtico, & Eccleſia uſum illum præſcripſerat in Epiſcopatus honorem, ut cognoſcerent fideles, Epiſcopos eſſe in ſua Diœceſi ſupremos Paſtores illorum reſpectu, qui ipſis Epiſcopis in adminiſtratione ſubjiciebantur.

Ad IV., primo dicitur, quod Chriſtus deputavit Presbyteros, ut Diſcipulorum ſucceſſores, ut baptiſmum miniſtrarent; non autem Eccleſia, quæ potius Chriſti Domini diſpoſitionē eſequutioni demādavit. Secundo ſubditur, quod quamvis Eccleſia non habeat juriſdictionem in baptizandos abſolute, quatenus ſcilicet non ſunt baptizati, habet tamen conditionate, ſi nimirum baptizentur. Hæc autem auctoritas id importat, ut baptizandi, ſi baptizari velint, non ab alio baptizari poſſint, quam ab eo, quem Chriſtus inſtituit, & quem Eccleſia deſignat, vel ratione loci, vel ratione familiæ &c.

Dicimus II., Diaconos eſſe miniſtros baptiſmi extraordinarios, ex delegatione ſcilicet tantum; non vero ex officio.

I. Probatur ex Scripturis. Actorum 8. Philippus baptizavit Simonem magum, & cap. v. 38. idem Philippus baptizavit Eunuchum Reginæ Candacis; ſed Philippus erat Diaconus, & id fecit, quia ab Apoſtolis miſſus fuerat: ergo ex delegatione baptizavit, & non ex officio: ergo extraordinarius fuit baptiſmi miniſter.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Gelaſius in ſua epiſt.9, quæ eſt ad Epiſcopos Lucaniæ, & refertur in cap. *Diaconos* diſt 93. hæc habet: *Diaconis propriam conſtituimus ſervare menſuram, nec ultra tenorem o poternis Canonibus deputatum, quidpiam tentare permittimus .... abſque Epiſcopo, vel Presbytero, baptizare non audeant, niſi prædictis Ordinibus fortaſſe longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat.*

III Probatur ex Patribus. Tertullianus lib: de bapt. cap.17. cujus verba etiam retulimus ſupra; *dandi quidem baptiſmum habet vim ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem.* Hieronymus, & cujus verba nuper recitavimus, Dialogo adverſ. Luciferianos: *inde venit, ut ſine Epiſcopi juſſione neque Presbyter, neque Diaconus jus habeat baptizandi.* Epiphanius hæreſi 79. n.4. *Neque Diaconis ullum in Eccleſiaſtico ordine Sacramentum perficere conceditur.* Quæ verba intelligenda ſunt de poteſtate ordinaria, & ex vi ordinationis ſuæ; non autem de poteſtate extraordinaria, & ex delegatione. Iſidorus lib.2. de offic. cap.24., & refertur cap. *conſtat* diſt.4. de Confirmatione. *Conſtat baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum, ejuſque miniſterium nec ipſis Diaconis, explere eſt licitum, abſque Epiſcopo vel Presbytero; niſi his procul abſentibus, ultima languoris neceſſitas cogat.*

IV. Probatur ex Catechiſmo Romano par 2. §.22., in quo legitur: *ſecundum miniſtrorum locum obtinent Diaconi, quibus ſine Epiſcopi, aut Sacerdotis conceſſione non licere hoc Sacramentū adminiſtrare, plurima Sanctorum Patrum decreta teſtantur.* Et concordat S. Thomas 3. par. q 67. art.1. *Ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter, & quaſi ex proprio officio præbere, ſed adhibere miniſterium aliis majoribus in Sacramentorum exhibitione.*

Obſtant I. Pontificale Romanum exhibet Epiſcopum in Diaconi ordinatione illi proferentem hæc verba: *cogitate magnopere ad quantum gradum Eccle-*

eleſiæ aſcenditis ; Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare , baptizare , & prædicare : ergo ad Diaconum ex vi ordinationis ſuæ pertinet baptizare : ergo eſt ordinarius, non extraordinarius, baptiſmi miniſter . II. Ignatius epiſt. ad Heronem , (ſi ipſius genuinus eſt fætus .) & S. Epiphanius hæreſi 79. abſolute negant , convenire Diaconis baptizandi poteſtatem . III. Ex Concilio Illiberitano Can. 77. *Si quis Diaconus regens Plebem , ſine Epiſcopo , vel Presbytero, aliquos baptizaverit , Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit:* ergo ultra Diaconum erat Presbyter , hoc eſt Curatus, ad quem baptizare ſpectabat, eratque ſolus ordinarius baptiſmi Miniſter. IV. Diaconis non competit , Fideles in chriſtianam Rempublicam admittere: ergo illis non competit baptizare . Probatur antecedens . Diaconi nullam habent juridicam poteſtatem in Rempublicam chriſtianam , quia poteſtas in corpus Chriſti myſticum dimanat ex poteſtate in corpus Chriſti verum , quam ſoli Sacerdotes habent : ergo nullam poteſtatem habent admittere &c.

Reſpondemus ad I., verba Pontificalis Romani intelligenda eſſe cum clauſula , ſi ſcilicet eis provincia baptizandi ſolemniter ab Epiſcopo , vel a Parocho, demandetur; & hoc pacto eum explicant Theologi . Immo ex altero officio , quod ipſis in eadem ordinatione demandatur, fit manifeſtius; ſicut enim injungitur baptizare , ita etiam prædicare : ergo quemadmodum Diaconus prædicare non poteſt ſine Epiſcopi commiſſione , vel delegatione ; ita nec pariter poteſt baptizare : ergo quemadmodum ex vi ordinationis ſuę non eſt ordinarius prędicationis miniſter , ita nec ex vi ejuſdem eſt ordinarius miniſter baptiſmi .

Ad II. Ignatius , & Epiphanius , vel loquuntur de ſolemniori baptiſmo, qui in pervigilio Paſchatis , & Pentecoſtes adminiſtrari ſolebat ; vel de primario baptiſmi miniſtro , qui independenter a quocunque alio poteſt Sacramentum baptiſmi adminiſtrare . Hic autem ſolus eſt Epiſcopus .

Ad III. Evidens eſt , quod in allato loco loquatur Concilium de ſolemni baptiſmi adminiſtratione .

Ad IV., dicitur, quod licet Diaconis nulla competat juridica poteſtas in corpus myſticum Chriſti , quod eſt Eccleſia , vi propriæ ordinationis , quæ primaria ſit, immediata , & independens ; eis tamen competit talis poteſtas ex delegatione ſeu commiſſione Epiſcopi ; ita ut quando adeſt neceſſitas , non poſſit Epiſcopus poteſtatem ſolemniter baptizandi committere niſi Presbyteris , & Diaconis . Et ſane Diaconis conceſſam fuiſſe olim hujuſmodi poteſtatem , præter relata , fidem faciunt Acta Apoſtolorum : ad quid enim Apoſtoli ſeptem Diaconos elegerunt , niſi ut miniſtrarent menſis , & baptizarent , ut ipſi orationi , & miniſterio verbi inſtantes eſſent ? Cæterum quia modo adeſt ſufficiens copia Sacerdotum , nec ſolent, nec debent Epiſcopi Diaconis hujuſmodi facultatem concedere .

Dicimus III., Laicos poſſe eſſe miniſtros Sacramẽnti baptiſmi in caſu extremæ neceſſitatis , ſive viros , ſive mulieres , qui quidem licite , & valide baptizarent . Eſt contra Calvinum .

I. Probatur ex Scripturis , & quidem exemplo Sephoræ , uxoris Moyſis , quæ Exodi 4. filium ſuum circumcidit : atqui Circumciſio figura erat Baptiſmi : ergo &c. Calvinus invehitur in Sephoram , eam temerariam , & ſtultam appellans ; ſed nullibi in Scripturis reperitur , quod propter hoc Sephora reprehenſibilis dicatur . Quod fuerit Moyſes præſens, non officit ; quia erat infirmus , & viribus pene deſtitutus . Ulterius Actor 19. Ananias Paulum baptizavit , qui neque Apoſtolus , neque Diaconus erat , ſed Laicus . Nec per hoc dicatur , Laicos jure divino fuiſſe ordinarios Miniſtros baptiſmi ; quia tunc fuit Ananiæ demandatum illud propter neceſſitatem , qua Paulus laborare videbatur . Probationes haſce e Scripturis petitas Tournely infirmare conatur ; ſed rationes , quas affert, jam hic a nobis impugnatæ ſunt .

II. Probatur ex Romanis Pontificibus . Gelaſius in epiſt. ad univerſos Epiſcopos cap. 9. ubi de Baptiſmo in caſu neceſſitatis dato, hæc habet : *quod & Laicis fidelibus plerumque permittitur , ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſeculo evocetur* . Idem habet in epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ , & refertur cap. *Diaconus* diſt. 93. Urbanus II. in epiſt. ad

Vitalem, & refertur cap. *ſuper quibus*. 30. q. 4. *Super quibus conſuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex ſententia reſpondendum, ut & baptiſmus ſit, ſi inſtante neceſſitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit*. Joannes VIII., & refertur cap. *ad limina* 3. q. 2., ubi loquens de Stephano quodam, qui cogente neceſſitate Filium ſuum baptizaverat, & propterea Lemovicenſis Epiſcopi ſententia ſeparatus ab uxore fuerat, ſic reſpondet: *inculpabile judicandum dicimus, quod neceſſitas intulit. Nam hoc baptizandi opus Fidelibus, juxta canonicam auctoritatem, ſi neceſſitas fuerit, facere libere conceditur*.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Generale Lateranenſe IV. ſub Innocentio III., & refertur in cap. *firmiter*, ubi hæc leguntur: *Sacramentum baptiſmi a quocunque rite collatum proficere ad ſalutem*. Concilium Carthaginenſe IV., cui S. Auguſtinus interfuit, Can. 100. & refertur in Can. *Mulier*, de Conſecrat. diſt. 4. *Mulier baptizare non præſumat, niſi neceſſitate cogente*. Concilium Illiberitanum Can. 38. *Peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem baptizare in neceſſitate*. Concilium Florentinum in decreto unionis ſub Eugenio. *In cauſa neceſſitatis non ſolum Sacerdos, & Diaconus, ſed etiam Laicus, vel mulier, imme etiam Paganus, & Hæreticus, baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia*.

IV. Probatur ex Patribus. Tertullianus lib. de bapt. cap. 17. *Alioquin etiam Laicis jus eſt: quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt .... Proinde & baptiſmus æque Dei cenſus, ab omnibus exerceri poteſt: ſed quanto magis Laicis diſciplina verecundiæ, & modeſtiæ incumbit? cum ea majoribus competat, nec ſibi adſumant dicatum Epiſcopis officium Epiſcopatus ..... ſufficiat ſcilicet in neceſſitatibus utaris, ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cum viget circumſtantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod libere potuit*. Hieronymus Dial: adverſ. Luciferianos: *ſi neceſſitas cogit, ſcimus etiam licere Laicis baptizare: ut enim accipit quis, & dare poteſt*. Auguſtinus lib. 2. cont. epiſt. Parmeniani cap. 13. *Etſi Laicus baptiſmum pereunti dederit neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, quomodo dandum eſſet addidicit, neſcio an pie quiſquam dixerit repetendum eſſe. Nulla etenim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt. Sed etſi nulla neceſſitate uſurpetur, & a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non poteſt dici non datum, quamvis recte dici poſſit illicite datum*. Et lib. 7. de Bapt. cap 53. *Non dubitarem habere eos baptiſmum, qui ubicunque, & a quibuſcunque illum verbis evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide ſuſcepiſſent*. Iſidorus lib. 2. de offic. cap. 24. *quod & Laicis chriſtianis facere plerumque conceditur, ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſeculo evocetur*.

V. Probatur Rationibus I., & ſunt verba S. Thomæ 3. par. q. 67. art. 3. *quia ad miſericordiam ejus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, pertinet, ut in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, homo de facili remedium inveniat: Inter omnia autem alia Sacramenta maximæ neceſſitatis eſt baptiſmus, qui eſt regeneratio hominis in vitam ſpiritualem, quia pueris aliter ſubvenire non poſſit, & adulti non poſſint aliter, quam per baptiſmum plenam remiſſionem conſequi, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam*. II Sunt etiam verba S. Thomæ. *Ut homo circa remedium tam neceſſarium defectum pati non poſſit, inſtitutum eſt, ut & materia baptiſmi ſit communis in aqua, quæ a quolibet de facili haberi poteſt, & miniſter baptiſmi ſit quicunque non ordinatus, ne propter defectum baptiſmi homo ſalutis ſuæ diſpendium patiatur*.

Objiciunt I. Soli Apoſtoli acceperunt a Chriſto poteſtatem baptizandi; non enim inquit mulieribus, neque Laicis, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* II. Ex Auguſtino lib. 7 epiſt. contr. Parmenianum c. 13. dicente: & ſi Laicus neceſſitate compulſus baptiſmum dederit, neſcio an pie quiſquam dixerit, baptiſmum eſſe repetendum: nulla enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni eſt muneris uſurpatio, ſi autem neceſſitas urget, aut nullum, aut veniale delictum eſt: ergo ex Auguſtino non eſt omnino certum, quod liceat Laicis baptizare neceſſitate urgente, quum ſaltem ve-

nia-

niale delictum in eo agnoſcat. III. Concilium Carthaginenſe IV. can. 99. & 100., mulieres docendi, & baptizandi miniſterio excludit: excludit etiam Tertullianus lib. *de Virginibus velandis*; & Epiphanius hæreſi 42., quæ eſt Marcionis: *permittit*, inquit, *etiam mulieribus, ut dent baptiſmata*. IV. Non minoris neceſſitatis eſt Sacramentum baptiſmi, quam pœnitentiæ, poſt lapſum in peccatum actuale; ſed nemo Laicus, etiam cogente neceſſitate, poteſt abſolvere a peccatis: ergo nemo Laicus poterit baptizare. V. Si Laici poſſunt baptizare valide & licite privatim, poſſunt etiam hoc idem facere ſolemniter; ſed ſolemniter facere non poſſunt: ergo neque privatim. Major eſt certa, quia ſolemnitas eſt quid extrinſecum ad Sacramenti baptiſmi valorem. VI. Si Laicus baptizans valide baptizaret, non eſſent rebaptizandi ab eo baptizati; ſed Cyprianus, aliique cum ipſo, dicebant, rebaptizandos eſſe illos, quos Laici baptizabant: ergo &c.

Reſpondemus ad I., quod argumentum propoſitum nimis probat, adeoque nihil probat. Si enim, ut argumentum ſupponit, verba illa fuerunt dicta ſolis Apoſtolis, & non aliis, ſequeretur, quod ſoli Epiſcopi, qui ſunt Apoſtolorum Succeſſores, poſſent valide baptizare, & non alii; quod falſum eſt. Fuerunt ergo dicta verba illa & Apoſtolis, & Diſcipulis, & aliis etiam, quia fuerunt dicta in die Aſcenſionis, quando cum Apoſtolis aderant quingenti Fratres, ut Apoſtolus teſtatur I. ad Corinth. 5. Denique Apoſtolorum facta aliter verba illa intellexerunt, quando ad baptizandi munus aſſumpſerunt quoque alios, qui ipſorum Succeſſores non erant, ut nuper eſt dictum.

Ad II., dicitur, quod priora verba Auguſtini continent quandam oratoriam phraſim; idem enim eſt dicere: *neſcio an aliquis pie hoc dixerit*, ac dicere, *non niſi impie hoc effari poteſt*; poſteriora autem verba innuunt, peccatum eſſe veniale, quando Laici non adhibent omnem diligentiam, ut Sacerdotem ad baptizandum inveniant. Aliter reſpondit Fraſſen ad hanc Auguſtini auctoritatem, & ſunt ejus verba. „ Ad
„ S. Auguſtinum dico, eum non revo-
„ care in dubium, quin baptiſmus a Lai-
„ cis collatus in neceſſitate ſit validus;
„ quanquam enim non audeat aperte
„ affirmare, validum eſſe, ſi conferatur
„ a non baptizato, tamen id abſolute
„ non negat, immo diſerte aſſereret, ſi
„ nunc viveret; ait enim, hoc non eſſe
„ conſtanter aſſerendum ſine authori-
„ te Concilii: habemus autem authori-
„ tatem apertam Concilii Florentini id
„ affirmantis, ac ſubinde eam veritatem
„ nobiſcum jam propugnaret S. Au-
„ guſtinus. „

Ad III. Illa omnia intelligi debent de publica & ſolemni baptiſmi adminiſtratione, non de privata in neceſſitatis caſu; nam eadem ratione excluditur mulier a munere baptizandi, ac excluditur a munere docendi; munus autem docendi eſt publicum.

Ad IV. Magna eſt diſparitas inter Sacramentum baptiſmi, & pœnitentiæ; in primis, lapſo in actuale peccatum, urgente neceſſitate, ſupplet actus contritionis; pueris autem aliud, præter baptiſmum, remedium non eſt, ut ab originali ſolvantur. Secundo, verba illa Chriſti Domini, *quorum remiſeritis peccata &c.*, ſolis Sacerdotibus in perſona Apoſtolorum dicta ſunt; illa vero *euntes &c.* non ſolis Apoſtolis, ſed multis aliis, qui erant fere quingentum, viris dicta pariter ſunt. Tertio, ſacramentalis abſolutio eſt actus judicialis; ideoque ad ſolos ſpectat Sacerdotes; non ſic autem baptiſmi adminiſtratio. Quarto, urgente neceſſitate, proviſum eſt etiam pro lapſis in actuale peccatum, quia quilibet Sacerdos poteſt abſolvere.

Ad V., negatur ſequela, & dicitur, quod ex illo ſequeretur, Laicum publice & ſolemniter baptizantem valide quidem baptizare, at non licite, quia contra Eccleſiæ ordinationem ageret, quæ pro ſolemni baptiſmo, qui extra caſum neceſſitatis adminiſtratur, ſpeciales miniſtros deputavit; & hoc pariter dicimus nos, abſque eo quod contra noſtrā Concluſionem aliquid poſſit legitime opponi.

Ad VI., non negamus, quod Cyprianus, Firmilianus, aliique, rejecerint baptiſmum Laicorum; quemadmodum baptiſmum Hæreticorum reſpuebant; at Eccleſia aliter judicavit, & in Conciliis congregata utrunque baptiſmum probavit, tum illum ſcilicet, quem Laici, tum illum, quem Hæretici conferebant.

Dicimus IV., homines non baptizatos, ſive

ſive Paganos, ſive Judæos, neceſſitate urgente, valide baptizare poſſe.

I. Probatur ex Romanis Pontificibus. Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 104. ſic reſpondit. *A quodam Judæo, neſcitis utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in veſtra Provincia baptizatos aſſeritis, & quid de his ſit agendum conſulitis. Hi profecto ſi in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis baptizati ſunt, conſtat, eos non eſſe denuo baptizandos.* Inſuper de quocunque Romano Pontifice hoc ipſum teſtatur S. Iſidorus, & refertur in cap. *Romanus* diſt. 4. *de Conſecrat.*, ubi hæc leguntur: *Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam baptiſmi, licet Paganus ſit, qui baptizat.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Florentinum in decreto Armenorum hæc habet, quæ verba pariter retulimus nuper. *In cauſa neceſſitatis non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam, Laicus, & Mulier, immo Paganus etiam & Hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia.* Concilium Compendieoſe anno 757. habitum Can. 9. *Si quis baptizatus eſt a Presbytero non baptizato, & ſancta Trinitas in ipſo baptiſmo invocata fuerit, baptizatus eſt.*

III. Probatur ex Patribus. Auguſtinus quæſtionem hanc ſuo tempore indeciſam in Concilio definiri optavit, & interim ſententiæ noſtræ profeſſus eſt ſubſcribere. Hoc expreſſit lib. 2. cont. epiſt. Parmeniani cap. 12., & lib. 7. de Bapt. cont. Donatiſtas cap. 53., ubi concludens ait: *nequaquam dubitarem habere eos baptiſma, qui ubicunque, & a quibuſcunque illum verbis evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide, accepiſſent.*

Arguunt I. Sacri Canones baptiſmum a Paganis collatum rejiciunt; nam in cap. *quos a Paganis* diſt. 4. *de Conſecrat.* Gregorius III. ad Bonifacium Epiſcopum ſcribens ait. *Quos a Paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ut denuo baptizentur in nomine Trinitatis mandamus.* II. In lib. 7. Capitularium c. 401. præcipitur, *ut qui a Paganis baptizati ſunt, denuo a Chriſti Sacerdotibus in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis baptizentur &c.* Idem habetur lib. 5. earundem Capitularium c. 94. III. Auguſtinus lib. 2. cont. epiſt. Parmeniani cap. 13. exoptavit Concilium generale, ut hæc quæſtio terminaretur; atqui hoc Concilium nondum eſt habitum; quod enim dixit Nicolaus I., & Eugenius IV. in decreto non ſunt plenarii Concilii definitiones: ergo &c. IV. Concilium Illiberitanum can. 38. permittit ſolum baptizatos, dumodo non ſint bigami, baptizare, ait enim intra Parentheſim: *qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus.* V. Patres contra Cyprianum, & Donatiſtas, alioſque, ab Hæreticis tinctos iterum tingentes, eo uſi ſunt principio, quod datum a non baptizatis baptiſma nullum eſſet; contendebant enim, ideo Hæreticorum auctores baptizare poſſe, quos decipiunt quod ab Eccleſia recedentes receptam in illius ſinu ordinationem, qua fit poteſtas baptizandi, non amiſerint: Auguſtinus enim ſic ait lib. 1. *de bapt.* c. 1. *Baptizatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum dandi baptiſmi non amittit; ſic etiam ordinatus, ſi ab unitate receſſerit Sacramentum dandi baptiſmi non amittit*: ergo ſecundum Auguſtinum ideo valet ab Hæreticis datum baptiſma, quia ipſi ab Eccleſia recedentes receptam ordinationem non amittunt, qua fit baptizandi poteſtas: ergo ſine tali ordinatione baptizare nemo poteſt. VI. Hieronymus adverſ. Luciferianos ait. *Scimus etiam Laicis licere baptizare; ut enim accipit quis, ita & dare poteſt*: ergo ideo per Hieronymum poſſunt Laici valide & licite baptizare, quum neceſſitas urget, quia & ipſi baptiſmate initiati ſunt.

Reſpondemus ad I., allatos Canones de iis Paganis intelligi, qui non ſervata forma Eccleſiæ baptizabant. Declarat hoc caput ſextum libri 5. Capitularium, ubi legitur. *Si quis baptizatus a Presbytero non baptizato, & ſancta Trinitas in ipſo baptiſmo invocata fuit, baptizatus eſt, ſicut Sergius Papa dixit; impoſitione vero manus indiget.* Gregorius Epiſcopus Romanus, & Joannes Sacellarius ſic ſenſerunt.

Ad II. In capite 94. lib. 5. Capitularium ſic legitur. *Si Presbyter ordinatus deprehenderit, ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum; & omnes quos prius baptizavit.* Attamen ſic legitur a Burchardo lib. 4. cap. 12., & ab Ivone par. 1. cap. 268. Alii autem veroſimilius cenſent, clauſulam illam: *& omnes, quos prius baptizavit*: irreptitiam

eſſe

eſſe, quia non legitur in Concilio apud Compendium, unde expungendam judicarunt, Gratianus cap. 60. *Si Presbyter* cauſa. 1. q. 1., ut de facto expunxit, expunxerunt etiam alii Decretalium Collectores, qui eam non habent cap. *ſi quis Presbyter*, de Presbytero non baptizato. Innocentius III. cap. *venient* ibidem laudat caput *ſi quis Presbyter*, & deſcribit, ſed abſque illa clauſula; & Antonius Auguſtinus in notis ad primam Decretalium collectionem ait, *recte fuiſſe omiſſam a Bernardo Papienſi, & a S. Raymundo*.

Ad III., dicitur, omnes ubique Eccleſias Nicolai capiti *a quodam Judæo* ſubſcripſiſſe; unde eadem, qua plenarium Concilium, auctoritate commendatur. Eodem argumento utebatur Auguſtinus contra Pelagianos, qui ab Innocentio I. damnati Concilium generale expectabant: Auguſtinus autem lib. 1. cont. Julianum cap. 4. contendit, Concilium minime eſſe neceſſarium, eo quod omnium Gentium Epiſcopi idem cum Innocentio ſentirent, ac proinde cum ſuo capite unum, non loci quidem, ſed ſpiritus unitate, Concilium conſtituerent.

Ad IV. Concilium Illiberitanum intendit, quod in præſentia baptizati, & non bigami, non debet baptizare non baptizatus, & bigamus; alioquin baptiſmus foret illicitus, ſed non invalidus.

Ad V. Auguſtinus loquebatur de baptiſmo ſolemni & ordinario, quem vi propriæ ordinationis ſolus Epiſcopus, aut Sacerdos, aut etiam Diaconus, adminiſtrare poteſt. Secundo, loquebatur *ad hominem*; ſupponebant enim cum Adverſariis hoc principium; *quilibet dare poteſt id, quod integrum habet*; & poſtea ſic arguebant; ſed qui ſe præſciderunt ab Eccleſia integrum habent baptiſma, quod in Eccleſia receperunt: ergo integrum ac verum Sacramentum conferre poſſunt. Ex hoc autem inferri non poteſt hæc altera Concluſio: ergo qui non habent integrum baptiſma, non poſſunt baptizare; ut patet.

Ad VI., dicitur, quod non per hoc, quod Hieronymus Laicos includit, infideles excludat, quanvis Laicus baptiſmum ſupponatur ſuſcepiſſe, non vero Infidelis; & ſicut reſpondetur ad verba illa Tertulliani: *quod ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt*; ita etiam ad hæc Hieronymi verba reſpondendum eſt; ſcilicet verborũ illorum non eſſe ſenſum, quod baptiſmus dari tantum poſſit ab eo, qui illum accepit; ſed potius, quod baptiſmus ex æquo, ideſt indiſcriminatim, ab omnibus accipitur, & ita etiam ab omnibus in neceſſitatis periculo indiſcriminatim dari poteſt. Unde idem Tertullianus dicebat; *baptiſmus æque Dei cenſus ab omnibus exerceri*.

Colligimus ex his I., quod ſi filius de vita periclitetur, nec ſit alius, qui baptizandi ritum ſciat, non ſolum valide, ſed etiam licite, poteſt Pater, aut Mater, filium ſuum baptizare, nec cognatio ſpiritualis contrahitur, unde & poteſt peti, & debet reddi debitum conjugale alteri conjugi petenti. Si vero hoc faciat Pater, aut Mater, abſque neceſſitate, valide quidem facit, ſed non licite, adeoque tenetur reddere, ſed nequit petere. Si autem filius ſit Concubinæ, etiam ſi Pater eum in caſu neceſſitatis baptizaverit, contrahitur cognatio ſpiritualis, adeoque nequit Pater, poſt mortem legitimæ uxoris, Concubinam ducere in uxorem. Diſparitas eſt, quia cum uxore jam contracta eſt unio, *& quos Deus conjunxit, homo ſeparare nequit*, non ſic autem cum Concubina. Statuitur in Can. *ad limina* 30. q. 1., ubi dicitur, *filium ejuſdem ſuæ Conjugis*; & Joannes VIII. Epiſcopo Lemovicenſi reſpondens idem ſtatuit, & refertur in Can. *dicimus*, & S. Carolus de Miniſtro baptiſmi præcepit.

Colligimus II., non poſſe plures miniſtros eundem partialiter baptizare, ſive dividatur materia a forma, ita ut unus abluat, & alter verba proferat, ut ſupra dictum eſt, ſive dividatur intentio, ratione cujus quiſque partialiter duntaxat concurrere intendat, ſicut duo trahentes navim, eam partialiter movent. Eſt contra Cajetanum; & probatur, quia licet poſſint abſolute plures eundem baptizare, aquam applicando, & formam pronunciando, modo quiſque non intendat effectum Sacramenti dividere; ſicut plures Sacerdotes poſſunt ſimul celebrare, & de facto eandem hoſtiam in die Ordinationis ſimul conſecrant; attamen non poſſe plures modo dicto partialiter baptizare ex ipſa forma

bapti-

baptiſmi colligitur, ad cujus veritatem requiritur, ut qui eam profert, revera baptizet, & abluat, totumque baptiſmi effectum conferat, quum verba efficiant quod ſignificant; atqui ſi baptiſmus partialiter aliquo ex iſtis dictis modis conferatur, in veritate non poteſt dicere *ego te baptizo*, qui non abluit, nec totum baptiſmi effectum confert, qui ſic pariter baptizare intendit: ergo hujuſmodi baptiſma irritum foret ac nullum. Unde ait S. Thomas hic art. 5. *Si convenirent duo, quorum unus eſſet mutus, qui non poſſet proferre verba, & alius carens manibus, qui non poſſet exercere actum; non poſſent ambo ſimul baptizare, uno dicendo verba, & alio exercente actum. Et conſiderandum eſt*, ait S. Thomas, *quod ex tali forma; te baptizamus: exprimitar talis intentio, quod plures conveniant ad unum baptizandum; qaod quidem videtur eſſe contra rationem Miniſterii: homo non baptizat, niſi ut miniſter Chriſti, & ejus viceſgerens; unde ſicut unus eſt Chriſtus, ita oportet unum eſſe miniſtrum, qui Chriſtum repræſentat; propter quod Apoſtolus ſignanter dixit: unus Deus: una fides: unum baptiſma: ſi vero diceret uterque: ego te baptizo in nomine Patris &c., utrunque exprimeret ſuam intentionem, quaſi ipſe ſingulariter baptiſmum conferret, quod poſſet contingere in eo caſu, in quo contentioſe uterque aliquem baptizore conaretur: & tunc manifeſtum eſt, quod ille, qui prius verba proferret, daret baptiſmi Sacramentum, alius vero quantumcunque baptizandi jus haberet, nihil faceret; & ſi verba pronunciare præſumeret, eſſet puniendus tanquam rebaptizator. Si autem omnino ſimul verba proferrent, & hominem immergerent, aut aſpergerent, puniendi eſſent de inordinato modo baptizandi, non de iteratione baptiſmi, quia uterque intenderet non baptizatum baptizare, & uterque, quantum eſt in ſe, baptizaret, nec traderet aliud, & aliud Sacramentum, ſed Chriſtus, qui eſt unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrunque conferret.* Idem confirmat in reſponſione ad tertium.

Colligimus III., non poſſe aliquem ſe ipſum baptizare; & ratio primo eſt, quia baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio; diſtinctio autem eſſe debet inter perſonam generantem, & genitam. Secundo, quia mutaretur ſubſtantia formæ, dicendo: *ego me baptizo*; unde Innocentius III. Epiſcopo Metenſi reſpondens, ait: *ſane intimaſti, quod quidam Judæus in mortis articulo conſtitutus, cum inter Judæos tantum eſſet, in aquam ſe ipſum immerſit dicendo: ego me baptizo in nomine Patris &c..... reſpondemus, quod cum inter baptizandum debeat eſſe diſcretio, ſicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apoſtolis: ite baptizate omnes gentes in nomine Patris &c..... memoratus Judæus eſt denuo ab alio baptizandus, ut oſtendatur, quod alius eſt, qui baptizatur, & alius, qui baptizat. Ad quod etiam deſignandum ipſe Chriſtus non a ſe ipſo, ſed a Joanne voluit baptizari: quanvis ſi talis continuo deceſſiſſet, ad cæleſtem patriam protinus evolaſſet propter Sacramenti fidem, etſi non propter fidei Sacramentum.* Refertur cap. *debitum* extra *de baptiſmo & ejus effectu*.

Colligimus IV., poſſe in caſu neceſſitatis unum miniſtrum plures ſimul baptizare. Ratio eſt, quia hujuſcemodi baptiſmo ſic collato nec repugnat inſtitutio Chriſti, nec forma conſueta baptiſmi; quia, ut ait S. Thomas 3. par. q. 67. art. 6., *Chriſtus qui principaliter baptizat eſt unus; ſed multi per baptiſmum efficiuntur unum in Chriſto .... neque per hoc diverſificaretur forma Eccleſiæ, quia plurale non eſt, niſi ſingulare geminatum, præſertim cum pluraliter dicatur Matth. ult. baptizantes eos &c.*

DIS-

DISSERTATIO CCCXLVI.

De Subjecto Baptiſmi. An valeat baptiſmus Infantibus collatus? An expediat illos baptizare? Utrum in utero Matris baptizari poſſint?

NOmine Subjecti Baptiſmi veniunt omnes homines, qui ſunt baptiſmi capaces. Et quia omnes homines, vel Infantes eſſe poſſunt, vel Adulti, hac in præſenti Diſſertatione de Infantibus agimus; & tria de ipſis quærimus; quorum primum eſt: an ſit validus ipſis collatus baptiſmus? ſecundo an expediat ipſos baptizare? tertium an antequam e matris ſuæ utero exeant, baptizari poſſint? Antequam autem ad Concluſiones deveniamus, errores pro prima Diſſertationis parte referimus.

Primo, *Pelagiani*, quia parvulis non baptizatis vitam æternam promittebant, ſed extra Regnum Dei, viſi ſunt voluiſſe, *non eſſe iiſdem neceſſarium baptiſmum*; attamen ipſi revera dicebant, ,, parvulos baptizandos eſſe, non in ori- ,, ginalis peccati, ſed in propriorum ,, peccatorum remiſſionem; vel ut e- ,, tiam Regnum Dei acquirerent; non ,, autem vitam æternam, quam ſine baptiſmo credebant aliquando habituros. Teſtatur Auguſtinus hæreſi 88.: inſuper & lib. 1. *de peccator. merit. & remiſſ.* cap. 20., ulterius cont. duas epiſt. Pelagianorum lib. 4. cap. 22.

Secundo, *Vincentius Victor* docuit pariter, Infantes antequam baptizentur, ſi morte præventi fuerint, pervenire poſſe ad originalem indulgentiam peccatorum. Unde aſſerebat ,, quod ,, de Infantibus, qui priuſquam rena- ,, ſcantur in Chriſto, præveniuntur ,, occiduo, ſcriptum fuerat ſapientiæ 4. ,, *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ipſius*. teſtatur Auguſtinus, lib. 3. *de anima, & ejus origine* cap 14.

Tertio, *Armeni* circa finem ſeculi VI. dixerunt ,, parvulos, qui ſine bapti- ,, ſmo decedunt, non quidem habere ,, vitam æternam, ſed ire in Paradiſum ,, terreſtrem; ſi tamen Filii ſint Fide- ,, lium. Refert Guido de Armenis apud Coccium Tom. 2. Theſauri Catholici, lib. 5. art. 6.

Quarto, Hincmarus Laudunenſis voluit, *Infantes non eſſe baptizandos*. Legitur apud Hincmarum Rhemenſem epiſt ad eum ſcripta, quod pariter præfatus Coccius citato loco teſtatur.

Quinto, circa medium ſeculi XI. *Berengarius*, parvulorum baptiſma evertit; quod narrat Guitmundus Averſanus *de Eucharistia* lib. 1. apud eundem Coccium. Berengario adhæſerunt *Waldenſes*, qui ſeculo XII. eundem errorem amplexi ſunt, ut refert Ermengardus in opuſculo cont. Waldenſes cap. 12. his verbis: *dicunt etiam Hæretici, quod nulli, niſi proprio ore, & corde hoc Sacramentum petat, poteſt prodeſſe. Inde adducentes hunc errorem, quod parvulis baptiſmus aquæ nihil proſit.* Adhæſerunt pariter *Petrobruſiani, Henriciani, & Pſeudo-Apoſtolici*, qui dicebant, *non eſſe conferendum baptiſma parvulis rationis carentibus, ac quod fidem non haberent*. Petrobruſiani dicti ſunt a Petro de Bruis hæretico, & Henriciani ab Henrico, qui fuit Petri de Bruis Succeſſor. De his ſcripſit Bernardus epiſt. 240., in qua de illo hæretico tractat: *parvulis Chriſtianorum, Chriſti intercluditur vita, dum baptiſmi negatur gratia. Quid quæſo? Quid invidit parvulis Salvatorem parvulum, qui natus eſt eis? Invidia hæc diabolica eſt: invidia hac mors intravit in orbem terrarum.* Quod pariter dixit in hom. 66. ſuper Cantica, & confirmavit Petrus Cluniacenſis in argumento epiſt. 1. Eodem ſeculo adhæſerunt Berengario *Cathari*, qui dicebant ,, baptiſmum ,, nihil prodeſſe parvulis, qui baptizan-

,, tur,

„ tur, quia per ſe ipſos baptiſmum pe-
„ tere non poſſunt,& quia nullam fidem
„ poſſunt profiteri; ut legitur apud Eckebertum ſerm.1. *de Catharis*. Adhæſerunt denique eodem ſeculo *Albigenſes*, qui in parvulis nullum baptiſmum admittebant, ut narrat Petrus Bleſenſis ſerm. *de Synodo*. Adhæſit tandem Petrus Joannis, qui ſeculo XIII. effutiit, *parvulis in baptiſmo gratiam*, & *virtutes*, *non conferri*; ut teſtis eſt Guido de illius hæreſibus.

Sexto, *Lollardi* voluerunt, ut narrat Thomas WaldenſisTom.2.tit.5.c.153. apud eundem Coccium, *quod fœtus a Fidelibus propagatus*, *non ſit ſacramentaliter baptizandus*: *immo parvulis dixerunt inutiliter baptiſma conferri*, *ſecundum ritum*, *quem ſervat Eccleſia*, *pro eo quod quam cito anima eſt corpori unita*, *infunditur gratia Spiritus Sancti*, *ex quo conficiunt*, *filios fidelium mundos ſanctoſque prodire ex utero*.

Septimo, Joannes Wiclefus lib.4. Trialogi cap.2., ait: *definientes parvulos ſine ſacramentali baptiſmo decedentes non fore ſalvandos*, *ſtolidos* & *præſumtuoſos eſſe*.

Octavo, altero elapſo ſeculo anno 1524. *Anabaptiſtæ* errorem hunc pene ſepultum e tenebris ſuſcitarunt, adultos omnes, nulla habita ratione recepti in Infantia baptiſmi, iterato Sacramento,baptizantes.In Germania Anabaptiſtarum hæreſis orta eſt, & ipſius Princeps dicitur fuiſſe Balthaſar Baſſimontanus, qui demum Viennæ crematus eſt. Scribit Cochlæus in Actis Lutheri, Lutherum ipſum contra Baſſimontanum ſcripſiſſe, attamen Baſſimontanus errorem ſuum ex Lutheri Scriptis ſe ſuſcepiſſe fatebatur. Dicti ſunt autem *Anabaptiſtæ*, quia initio ſectæ denuo baptizabant illos, qui non erant anno 30. baptizati; quod poſtmodum non fecerunt, quia docebant anno 30. baptiſmum ſuſcipi debere, qua ætate Chriſtus baptizatus eſt; ſervatum eis eſt nihilominus Anabaptiſtarum nomen, quod a principio initum fuerat. Anabaptiſtis ſubſcripſerunt Thomas Monetarius, qui aſſerebat apud Bulligerium adverſ. Anabaptiſtas lib.1., cap.1., baptiſmum Infantium non eſſe ex Deo, adeoque eos ſpirituali, ac meliori baptiſmo rebaptizari debere: Sebaſtianus Francus in epiſt. *de abrogandis Cæremoniis*, in qua ſcripſit „ quidquid de baptiſmo
„ puerorum a Papiſtis didicimus, de-
„ diſcendum eſt.

Nono, Martinus Lutherus lib. adverſ. Cochlæum per hæc verba inſaniebat.
„ Dicimus ad baptiſmum Infantes cre-
„ dere per vim verbi, quo exorcizan-
„ tur, & per fidem Eccleſiæ eos offe-
„ rentis, & eis fidem orationibus ſuſ-
„ impetrantis. Alioquin mera & into-
„ lerabilia eſſe mendacia, quando ba-
„ ptizans a parvulo quærit, an credat,
„ non baptizaturus, niſi vice ejus re-
„ ſpondeatur: Credo; Ut quid inter-
„ rogat, an credat, ſi certum eſt eos
„ non credere, ut Cochlæus conten-
„ dit? Aſſerimus parvulos non eſſe ba-
„ ptizandos, ſi verum eſt, eos in ba-
„ ptiſmo non credere,ne illudatur divi-
„ næ majeſtatis Sacramentum.Debemus
„ autem & hunc negatæ fidei errorem
„ Sophiſtis.„ Et lib. *de adoratione Sacramenti* ad Waldenſes: „ diſplicet in
„ vobis, quod parvulos in futuram fi-
„ dem baptizatis, quam diſcere debent,
„ cum adoleverint. Hic dixi præſtare,
„ non baptizare parvulum, quam Sa-
„ cramentum, & nomen Dei vanum
„ aſſumere.

Decimo, Joannes Calvinus lib.1. Inſtitut. cap.16.„ Explodendum eſt eorum
„ commentum, qui omnes non bapti-
„ zatos æternæ morti adjudicant. Si
„ Adultis adminiſtrari baptiſmum ex
„ eorum poſtulato fingamus, quid pue-
„ ro fieri dicent, qui pietatis rudimen-
„ tis rite probeque imbuitur, dum tin-
„ ctionis dies appetit, ſi ſubita morte
„ præter omnium ſpem mori contingat?
„ Nondum baptizatum Dominus nul-
„ lum damnaſſe comperitur. Defenſione 2. cont. Weſtphalum contendit „ Infantes ex fidelibus Parentibus
„ genitos ſanctos eſſe, & Eccleſiæ mem-
„ bra cenſeri debere, etiam antequam
„ baptizentur.... Per verbum patefa-
„ ctum adoptionem Infantes nondum
„ natos ſanctificare. Igitur baptiſmum
„ eſſe tantum obſignationem promiſſio-
„ nis, & pignus ſacræ Communionis
„ cum Chriſto.

Undecimo, *Michael Servetus* in fine libri *de regeneratione* ſcribit: „ puero-
„ rum baptiſma eſſe horrendam abomi-
„ nationem, Spiritus Sancti extinctio-
„ nem, regni Chriſti conculcationem,
„ Chriſti abnegationem; quod verum
„ baptiſma nec poſſit, nec debeat ſuſci-
pi.

Digitized by Google

pi. Confeſſio Mansfeldenſis, Calvinus lib.4. Inſtitut. cap.16. §.29., Bullingerus cont. Anabaptiſtas l.2. c.12. teſtantur. *Majoriſtæ* aſſerunt „ Infan-
„ tes non ſalvari ſolo baptiſmate, ſed
„ opera etiam requiri. Staphilus in Genealogia Lutheri. *Petrus Martyr* in Geneſim pag.269. ait: „ Infantes ex
„ fidelibus Parentibus natos, ante ba-
„ ptiſmum ad Deum pertinere, et ſi non
„ patrem, aut matrem Deo conjun-
„ ctos habuerint, forte habuiſſe aliquos
„ ex ſuis majoribus, vel eos eſſe mem-
„ bra Eccleſiæ, proptereaque ſanctos
„ eſſe ex mera Dei miſericordia, licet
„ fidem veram in Chriſto non habeant:
Beza de Cœna Domini cont. Weſtphalum cap.36. ſcribit: „ Si cujus pro-
„ lem contigerit ante mori, quam of-
„ ferri baptiſmo potuerit, minime ta-
„ men dubitamus de ejus ſalute. Quo-
„ niam putamus baptiſmi contemptum,
„ non autem privationem eſſe exitia-
„ lem. Ubi autem non dedit Dominus,
„ ut Ordine Eccleſiæ conſueto infans
„ baptizaretur, contemptus nullus eſſe
„ poteſt. In confeſſione aſſerit: „ In-
„ fantes natos ex fidelibus parentibus,
„ vel ex altero duntaxat fideli parente,
„ eſſe ſanctificatos etiam ante uſum ba-
„ ptiſmi. Et lib.2. Quæſt. fol.65. ait,
„ Infantes Fidelium, & ſanctorum Pa-
„ rentum Deo gratos, & acceptos eſſe
„ etiamſi non baptizentur.

Duodecimo, *Sociniani* eidem errori adhæſere apud Tranſilvanos anno 1567., qui, teſte Bellarmino, duos libros ediderunt contra Trinitatem & Domini Incarnationem, & ad ipſorum calcem 39. argumenta contra Parvulorum Baptiſma ſubjunxerunt. *In quo apparet maxima Satanæ rabies*, inquit Bellarminus, *contra genus humanum, qui non contentus per Lutheranos, & Sacramentarios, perdidiſſe innumerabiles animas hominum adultorum, voluit etiam per Anabaptiſtas animas perdere parvulorum*.

Dicimus I. Dogma fidei eſſe, quod valeat baptiſmus parvulis datus.

I. Probatur ex Scripturis. Circumciſio dabatur Infantibus octavo die poſt ipſorum nativitatem: ergo a fortiori dari debet baptiſmus Infantibus, cujus ritus facilior, & tolerabilior eſt pueris, quam virtus Circumciſionis fuerit. Argumentum ſuam vim habet, quia Circumciſio baptiſmi figura erat, ut ſuo loco probatum eſt. Matth.18. *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis*. Et 19. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim Regnum Cælorum. Et cum impoſuiſſet eis manus, abiit inde*. Et Lucæ 18. *Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos; talium eſt enim Regnum Dei*: ergo Infantes Regno cœleſti percipiendo idonei ſunt; ſed ſine baptiſmo nemo idoneus eſt intrare in Regnum Cœlorum; ergo ſi Infantes idonei ſunt hujuſmodi introitui, idonei etiam ſunt baptiſmo, per quem hujuſmodi introitus habetur. Joannis 3. *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*: Parvuli autem capaces ſunt ut renaſcantur: ergo etiam capaces ſunt ut baptizentur. Actor.16. n.15. dicitur, Lydia baptizata, & domus ejus. Et eodem capite n.33. dicitur *baptizatus Cuſtos Carceris, & omnis domus ejus continuo*. Et I. ad Corinth. cap.1. n.16. dicit Apoſtolus: *baptizavi autem & Stephanæ domum*. Sed intra tot domos incredibile ſane videtur, nullum fuiſſe Infantem; ergo jam Apoſtolorum tempore Infantes ab ipſiſmet Apoſtolis baptizabantur.

II. Probatur ex Traditione. Dicit enim Auguſtinus lib.10. de Geneſi ad literam cap.23. *Conſuetudo Matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, nec ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio*: habet enim & illa parva ætas magnum teſtimonii pondus, quæ primo pro Chriſto meruit ſanguinem fundere. Apoſtolicam autem eſſe traditionē aperte affirmavit Auguſtinus l.4.c.24.& l.1. de bapt. *de peccator. meritis, & remiſſ.* c.26. Talis autem conſuetudo quinto ſeculo ita firmiter apud Chriſtianos tenebatur, ut Pelagiani, quamvis peccatum originale negarent, parvulos tamen ſemper baptizaverint. Ulterius tempore S.Cypriani In uſu erat in Eccleſiis baptiſmus parvulorum, & quidem non ut res nova, ſed multum antiqua ab ipſo Cypriano in epiſt. ad Fidum probatur. Et lib.4. cont. Donatiſtas cap. 23. *Quod traditum tenet*

univerſitas Eccleſiæ, cum parvuli Infantes baptizantur, qui certe nondum poſſunt corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem, quod latro potuit: quin etiam flendo, & vagiendo, cum in eis myſterium celebratur, ipſis myſticis vocibus obſtrepunt, & tamen nullus Chriſtianorum dixerit, eos inaniter baptizari. Et cap. 24. *Et ſi quiſquam in hac re auctoritatem divinam quærat, quanquam quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur; tamen veraciter conjicere poſſumus, quid valeat in parvulis baptiſmi Sacramentum ex circumciſione carnis, quam prior populus accepit, qua prius quam acciperet, juſtificatus eſt Abraham. Sicut Cornelius etiam dono Spiritus Sancti, priuſquam baptizaretur, ditatus eſt. Dicit tamen Apoſtolus de ipſo Abraham: ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, qui jam corde crediderat, & deputatum illi erat ad juſtitiam. Cur ergo ei præceptum eſt, ut omnem deinceps infantem maſculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad juſtitiam, niſi quia & ipſum per ſe ipſum Sacramentum multum valebat? Quod in filio Moyſi per Angelum manifeſtatum eſt, qui cum adhuc incircumciſus a matre ferretur, præſenti, & evidenti periculo, ut circumcideretur, exactum eſt, & cum factum eſſet, depulſa eſt pernicies. Sicut ergo in Abraham præceſſit fidei juſtitia, & acceſſit circumciſio, ſignaculum juſtitiæ fidei, ita in Cornelio præceſſit ſanctificatio ſpiritalis in dono Spiritus Sancti, & acceſſit Sacramentum regenerationis in lavacro baptiſmi; & ſicut in Iſaac, qui octavo ſuæ nativitatis die circumciſus eſt, præceſſit ſignaculum juſtitiæ fidei, & quoniam patris fidem imitatus eſt, ſecuta eſt in creſcente ipſa juſtitia, cujus ſignaculum in infante præceſſerat: ita & in baptizatis Infantibus præcedit regenerationis Sacramentum, et ſi chriſtianam tenuerint pietatem, ſequitur etiam in corde converſio, cujus myſterium præceſſit in corpore.*

III. Probatur ex Romanis Pontificibus. Damaſus epiſt. 4. *Chorepiſcopo non licet præſente Epiſcopo Infantem tingere, aut ſignare.* Siricius epiſt. 1. ad Himerium cap. 2. *Sicut ſacram ergo paſchalem reverentiam in nullo dicimus eſſe minuendam; ita Infantibus, qui necdum loqui poterunt per ætatem, vel his, quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri unda Baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri, ne ad noſtram perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari, exiens unuſquiſque de ſeculo, & regnum perdat, & vitam.* Innocentius I. epiſt. 32. ad Concilium Milevitanum, *Illud vero, quod veſtra fraternitas eos aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis abſque baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt: niſi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc iis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſma velle caſſare, cum prædicant, hos habere, quod in eos creditur nonniſi baptiſmate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renaſci, fateantur neceſſe eſt, nec regenerationis ſacra fluenta prodeſſe. Verum ut ſuperfluorum hominum prava doctrina celeri poſſit veritatis ratione diſcindi, proclamat Dominus in Evangelio dicens: ſinite infantes, & nolite eos prohibere venire ad me: talium eſt enim regnum cælorum.* Cœleſtinus Papa epiſt. ad Galliarum Epiſcopos cap. 12. *Illud, quod circa baptizandos in univerſo mundo ſancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu; cum ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorciſmis & exufflationibus Clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur.* Leo I. epiſt. 39. ad Leonem, Ravennatenſem Epiſcopum, cap. 1. de parvulis, qui in captivitate devenerunt, & baptiſmum non reminiſcuntur ſe conſecutos: *quorundam fratrum ſugeſtione comperimus, aliquos Captivorum ad ſedes ſuas, libertatemque redeuntes, qui ſcilicet in captivitatem illa ætate pervenerint, quæ nullius rei firmam poterat habere notitiam, remedium quidem implorare baptiſmatis: ſed utrum ejuſdem myſterii ante Sacramenta perceperint, infantiæ inſcientia non poſſe ſe reminiſci, & ideo ſub hoc latentis recordationis incerto animas ſuas in diſcrimine adduci, dum ſub ſpecie cautionis negatur his gratia, quæ ideo non impenditur, quia putatur impenſa. Cum itaque tribuere talibus dominici ſacramenta Myſterii non immerito quorundam fratrum formido dubitaret, in ſynodali cœtu ſor-*

mam

mam hujuſcemodi conſultationis accepimus, quam diligentius diſcuti, & pro uniuſcujuſque ſenſu ſollicita volumus ratione tractari, quo ad veritatem, adhibita cognitione multorum, certius pervenire poſſemus &c. Cum itaque baptizatum ſe nec ille recordetur, qui regenerationis eſt cupidus, nec alter atteſtari de eo poſſit, quod neſciat conſeceratum, nihil eſt, in quo peccatum poſſit obrepere, cum in hac parte conſcientiæ ſuæ, nec ille reus ſit, qui conſecratur, nec ille, qui conſecrat. Et epiſt. 86. ad Nicætam. *A parvulo recens nato uſque ad decrepitum ſenem, quamlibet corporis ætatem gerant, ſicut nullus prohibendus eſt a baptiſmo, ita nullus eſt, qui non peccator moriatur in baptiſmo. Sed parvuli originali, majores autem in his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque male vivendo addidere ad illud, quod naſcendo traxere.* Gelaſius epiſt. 5. *De Parvulis autem, quod aſſerit Pelagius, ſine ſacro baptiſmate pro ſolo originali peccato non poſſe damnari, ſatis impia, ſatis profana propoſitio eſt. Quanvis enim recentes ab utero matrum in remiſſionem peccatorum baptizari nullus Chriſtianus ignorat, quod utique non fallaciter, ſed veraciter catholica celebrat Eccleſia, ne in Sacramentis cæleſtibus (quod abſit) mentita videatur, proinde, quia propria non habeant ulla peccata, conſtat eis ſola prorſus originalia relaxari; itaque omnibus etiam ſolis remiſſis, vitam per baptiſmum conſequuntur æternam; conſequens eſt, ut ſolis etiam non remiſſis, ad æternam vitam pervenire non poſſint.* Gregorius Magnus l. 1. epiſt. 41. *Nos quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignamus; ut dum tertia infans ab aquis educitur, reſurrectio tridui temporis exprimatur.* Et lib. 3. epiſt. 9. *Presbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus Chriſmate non præſumant.* Gregorius III. epiſt. ad Bonifacium: *pro parvulis vero, qui a parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati ſunt, an non, ignorant, hos ut baptizare debeas ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit, qui teſtificetur, ratio poſcit.* Zacharias Papa epiſt. ad Bonifacium: *de baptizatis ab illo falſo Epiſcopo, ſeu Eccleſiis conſecratis requirit tua fraternitas: ſi aut Eccleſias in nomine Trinitatis conſecravit, aut parvulos ſimiliter baptizavit, dum Sacerdotio fungebatur, & ſic & conſecratio Eccleſiarum, & parvulorum baptiſma ſit confirmatum.* Innocentius III. ad Pſalm. 4. Pœnitential. *Ab hac fœditate, vel immunditia purgatur anima parvuli ex aqua & Spiritu per baptiſmum.* Decretalium Conſtitutionum lib. 3. tit. 42. *Aſſerunt quidam, parvulis inutiliter baptiſma conferri: quod nituntur probare, illud primo & præcipue inducentes, quod cum ſecundum verbum Jacobi Apoſtoli dicentis in epiſtola ſua: charitas operit multitudo peccatorum: & juxta illud teſtimonium veritatis in Evangelio: dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam multum dilexit: non niſi per charitatem, & in charitate, crimina dimittantur parvulis, qui nec ſentiunt, nec conſentiunt, & charitatem non habent, quæ ſentientibus, & conſentientibus tantum infunditur, peccatum non dimittitur in baptiſmo. Ad id taliter reſpondemus, quod baptiſma ſucceſſerit Circumciſioni, & Circumciſio tam Adultis, quam parvulis ex præcepto Domini conferretur, ne baptiſmus, qui ſuccedit loco illius, & generalior tamen exiſtit, cum tam viri, quam fœminæ, baptizentur, minoris videatur effectus; tam Adultis, quam parvulis eſt conferendus. Sicut enim ſine diſtinctione qualibet Moſeyca lex clamabat: Anima, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, peribit de populo ſuo; ita nunc indiſtincte intonat vox Evangelica; niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei, ab hac generalitate nec ſexum, nec ætatem excludens.*

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium generale Quiniſextum, ſeu Trullanum Can 53. *Quoniam ſpiritalis neceſſitudo, ſeu affinitas, corporum conjunctione major eſt, in nonnullis autem locis cognovimus, quoſdam, qui ex ſancto & ſalutari baptiſmate Infantes ſuſcipiunt, poſtea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere, ſtatuimus, ut inpoſterum nihil fiat ejuſmodi.* Et Can. 85. *Canonicos Patrum ritus ſequentes, de Infantibus quoque decernimus, quoties non inveniuntur firmi teſtes, qui eos abſque ulla ratione baptizatos eſſe dicant, nec ipſi propter ætatem de ſibi tradito myſteria apte reſpondere poſſint, debere abſque ulla offenſione baptizari, ne forte hujuſmodi dubitatio eos ejuſmodi purificationis ſanctificatione privet.* Concilium Carthaginenſe V. cap. 6. *Placuit de Infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimè teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine ulla dubi-*

dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupolo eos boptizandos, ne iſta trepidotio eos ſaciat Sacramentorum purgatione privori. Concilium Milevitanum cap.2. *Item placuit, ut quicunque porvulos recentes ab uteris matrum baptizondos negat, aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nibil ex Adom trabere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde ſit conſequens, ut in eis ſorma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum non vere, ſed falſo intelligatur: anatbema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus: per unum bominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes bomines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt; niſi quemadmodum Eccleſia Catbolica, ubique diffuſa, ſemper intellexit. Propter banc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nibil peccatorum in ſemetipſis odbuc committere potaerunt, ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Et epiſt. ad Innocentium, quæ, legitur inter illas Auguſtini, & eſt 92. *Pueroe quoque parvulos, ſi nullis innoventur Chriſtianæ gratiæ Socromentis, babituros vitam æternam nequam præſumptione contendunt, evacuantes, quod dicit Apoſtolus: per unum bominem peccatum introvit in mundum.* Concilium Africanum cap.77. eadem habet ac Milevitanum cap.2. ſupra relata. Concilium Gerudenſe cap.5. *De parvulis, qui nuper de materno utero editi ſunt, placuit conſtitui, ut ſi infirmi (ut oſsolet) fuerint, & lac maternum non appetunt, etiom eadem die, qua nati ſunt, ſi oblati fuerint, baptizentur.* Concilium Bracarenſe II. cap.7. *Placuit, ut unuſquiſque Epiſcopus per Eccleſias ſuas boc præcipiat, ut bi, qui Infantes ſuos ad boptiſmum offerunt, ſi quid voluntarie pro ſuo offerunt voto, ſuſcipiatur ab iis: ſi vero per neceſſitatem paupertatis non babent aliquid, quod offerant, nullum ibi pignus violenter tollatur a Clericis. Nam multi pauperes boc timentes, filios a baptiſmo retrabunt; qui ſi forte, dum differuntur, ſine gratia baptiſmi de bac vita receſſerint, neceſſe eſt, ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum ſpolia pertimeſcentes, a baptiſmi gratia retraxerunt.* Concilium Matiſconenſe II. cap.3. *Ideoque præſentibus admonitionibus a ſuis erroribus, vel ignorantia revocati, omnes omnino a die quadrageſima cum Infantibus ſuis ad Eccleſiam obſervare præcipimus, ut impoſitionem manus certis diebus adepti, & ſacri olei liquore peruncti, legitimi diei feſtivitote fruantur, & ſacro baptiſmate regenerentur.* Concilium Toletanum XII. cap.2. *Etenim parvulorum Infantiam vita originali peccato obnoxia, quæ nulli propter ætatem diſcernendi, vel expetendi ſenſui aptior judicetur, niſi ex ſponſione fidelium baptiſmi accipiont Sacramentum, nullo ſenſu, nulla etiam diſcretionis induſtria id appetere poſſunt. Unde ſicut baptiſma, quod neſcientibus parvulis ſine ulla contentione in fide tantum proximorum accipitur, ita pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque impugnantia violationis, bi, qui illud acceperint, obſervobunt.* Concilium Wormatienſe cap.70. *Placuit de Infontibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur &c.* Similia habet ac Carthaginenſe V. ſupra relatum. Concilium Metenſe cap.3. *Nullus alteri ſuſcipiat a fonte infantem, niſi, qui profeſſionem Catbolicæ fidei tenuerit. Et Infantem nequaquam duo, vel plures, ſed unus, e fonte baptiſmotis ſuſcipiat.* Concilium Lateranenſe cap.1. *Sacramentum baptiſmi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis conſecrotur in oqua, tam porvulis, quam Adultis, in forma Eccleſiæ a quocunque rite collatum proficit ad ſalutem.* Concilium Viennenſe in Clementinis, tit. de ſumma Trinitate, & fide Catholica. *Baptiſmum, celebratum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, credimus eſſe tom adultis, quam parvulis perfectum remedium ad ſalutem.* Demum Concilium Tridentinũ ſeſs.7. *de bapt.* Can.13. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non bobent, ſuſcepto boptiſmo inter Infideles computandos non eſſe, ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ: anatbema ſit.*

V. Probatur ex Patribus Græcis. Irenæus lib.2. c.39. *Omnes venit Chriſtus per ſemetipſum ſalvare: omnes, inquam, qui per eum renoſcuntur in Deum; infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes,*

Digitized by Google

venes, & ſeniores. Origenes hom.8. in Leviticum: *Addi his etiam illud poteſt, ut requiratur, quid cauſæ ſit, cum baptiſma Eccleſiæ in remiſſionem peccatorum detur, ſecundum Eccleſiæ obſervantiam, etiam parvulis baptiſmum dari: cum utique, ſi nihil eſſet in parvulis, quod ad remiſſionem debet, & ad indulgentiam pertinere, gratia baptiſmi ſuperflua videretur*. Et homil.14. in Lucam: *Parvuli baptizantur in remiſſionem peccatorum. Quorum peccatorum? Vel quo tempore peccaverunt? Aut quomodo poteſt ulla lavacri in parvulis ratio ſubſiſtere, niſi juxta illum ſenſum, de quo paulo ante diximus: nullus mundus a ſorde, nec ſi unius diei quidem fuerit vita ejus ſuper terram? Et quia per Baptiſmi Sacramentum nativitatis ſordes deponuntur propterea baptizantur & parvuli. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit intrare in Regnum Cælorum*. Et lib.5. in caput 6. ad Romanos. *Pro quo peccato offertur hic pullus unus? Nunquid nuper editus parvulus peccare potuit?; & tunc habet peccatum, pro quo hoſtia jubetur offerri, a quo mundus negatur quis eſſe, etſi unius diei fuerit vita ejus. De hoc etiam ergo David dixiſſe credendus eſt; quia in peccato concepit me mater mea: ſecundum hiſtoriam enim nullum matris ejus declaratur peccatum. Pro hoc & Eccleſia ab Apoſtolis traditionem ſuſcepit, etiam parvulis baptiſmum dare. Sciebant enim illi, quibus myſteriorum ſecreta commiſſa ſunt divinorum, quia eſſent in omnibus genuinæ ſordes peccati, quæ per aquam. & Spiritum, ablui deberent, propter quas etiam corpus ipſum corpus peccati nominatur*. Gregorius Nazianzenus Orat.40., quæ eſt in Sanctum baptiſma. *Sint ſane hæc, dixerit aliquis, quantum ad eos attinet, qui baptiſma requirunt. Quid autem de iis, dices, qui adhuc tenera ætate ſunt, nec aut damnum, aut gratiam ſentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorſus, ſi quod periculum urgeat. Præſtat enim abſque ſenſu ſanctificari, quam ſine ſigillo, & obſignatione, abſcedere. Atque hujus rei nobis ratio eſt circumciſio, die octavo peragi ſolita, quæ baptiſmi figuram quodammodo gerebat, atque iis, qui rationis adhuc expers erant, offerebatur*. Joannes Chryſoſtomus Homil.40. in Geneſin. *Noſtra Circumciſio, vel baptiſmatis gratia, medicinam habet citra dolorem, & innumera nobis bona adfert, & Spiritus Sancti gratia nos implet, & nullum definitum tempus habet ſicut illic: ſed licet in prima, & media, & ultima ætate, hanc non manufactam circumciſionem recipere, in qua non ſuſtinetur labor, ſed peccatorum deponuntur onera, & remiſſio invenitur omnium peccatorum, quæ per totam vitam geſta ſunt*. Et in Pſalm.14. *Qui docet de juſtitia, & cæteris virtutibus, non debet in finem vitæ ſuæ ſuadere hæc acquirere, ſed ab ipſis incunabulis, & a teneris unguiculis cum iis verſari &c. Adducit quiſpiam Infantem, adhuc ubera ſugentem, ut baptizetur, & ſtatim Sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conventa, & aſſenſiones, & minoris ætate fidei juſſorem accipit ſuſceptorem, & interrogat: Renuntias Satanæ &c.?* Theodoretus in Epitome divinorum decretorum de baptiſmate. *Si enim hic ſolus eſſet baptiſmatis effectus, cur pueros baptizamus, qui peccatum nondum guſtarunt?*

VI. Probatur ex Patribus Latinis. Cyprianus epiſt.59. *Quantum vero ad cauſam Infantium pertinet, quos dixiſti intra ſecundum, vel tertium diem, quo nati ſint, conſtitutos baptizari non oportere, & conſiderandam eſſe legem Circumciſionis antiquæ, ut intra octavum diem eum, qui natus eſt, baptizandum & ſanctificandum non putares: longe aliud in Concilio noſtro omnibus viſum eſt. In hoc enim, quod tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit, ſed univerſi potius judicavimus, nulli hominum nato miſericordiam Dei, & gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio ſuo dicat: filius hominis non venit animas hominum perdere, ſed ſalvare; quantum in nobis eſt, ſi fieri poteſt, nulla anima perdenda eſt. Quid enim ei deeſt, qui ſemel in utero Dei manibus formatus eſt &c. Eſſe denique apud omnes, ſive Infantes, ſive majores natu, unam divini muneris æqualitatem declarat nobis divinæ Scripturæ fides, cum Heliſæus ſuper infantem Sunamitis viduæ filium, qui mortuus jacebat, ita ſe Deum deprecans ſuperſtravit, ut capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfuſi Hæliſei membra ſingulis parvuli membris, & pedes pedibus jungerentur. Quæ res ſi ſecundum nativitatis noſtræ, & corporis qualitatem, cogitetur, adulto, & provecto, infans non poſſet æquari, nec cohærere, & ſufficere poſſent parva membra majoribus.*

bus. Sed illìc æqualitas divina, & ſpiritalis exprimitur, quod pares, atque æquales ſint omnes homines, quando a Deo ſemel facti ſunt; & poſſis ætas noſtra in incremen tis corporum, ſecundum ſeculum, non ſecundum Deum habere diſcrimen; niſi ſi & gratia ipſa, quæ bapsizatis datur, pro ætate accipientium vel minor, vel major tribuitur; cum Spiritus Sanctus non de menſura, ſed de pietate, atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur. Nam Deus ut perſonam non accipit, ſic nec ætatem, cum ſe omnibus ad cœleſtis gratiæ conſecutionem æqualitate librata præbeat parem &c. Sic etiam graviſſimis delictoribus, & in Deum multo ante peccantibus, cum poſtea crediderint remiſſa peccatorum datur, & a baptiſmo, atque a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit?; qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata. Et idcirco, Frater cariſſime, hæc fuit in Concilio noſtra ſententia, a baptiſmo, atque a gratia Dei, qui omnibus miſericors, & benignus, & pius eſt, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa univerſos obſervandum ſit, atque retinendum, tum magis circa infantes ipſos, & recens natos obſervandum putamus &c. Ambroſius lib. 10. epiſt. 84. *Hinc erat illa humanæ naturæ fraudulenta laudatio, & illeſæ per omnes homines originalis defenſio dignitatis. Hinc Adæ peccatum exemplo poſteris aſſerebatur nocuiſſe, non tranſitu: & quam illi poſſibile fuerat non violare mandatum, tam liberum eſſe unicuique declinare delictum. Hinc evacuatio baptiſmatis parvulorum, qui ſola adoptione donari, nullo autem reatum dicerentur abſolvi.* Et de Myſterio Paſchæ cap. 5. *Hinc vitalis lavacri ſacræ Eccleſiæ editi puerperio infantes, parvulorum ſimplicitate renati, baratra innocentis perſtrepunt conſcientiæ. Hinc caſti patres, pudicæ etiam Matres, novellam per fidem ſtirpem proſequuntur innumeram. Hinc ſub fidei arbore ab utera fontis innocui cereorum ſplendet ornatus.* Hieronymus epiſt. 7. ad Lætam cap. 4. *Et quomodo inquies peccata Patrum filiis non redduntur, nec filiorum parentibus, ſed anima, quæ peccaverit, ipſa morietur? Hoc de his dicitur, qui poſſunt ſapere, de quibus in Evangelio ſcriptum eſt: ætatem habet, loquatur pro ſe: qui autem parvulus eſt, & ſapit ut parvulus; donec ad annos ſapientiæ veniat, ut Pythagoræ litera Y. eum perducat ad bivium: tam bona ejus, quam mala Parentibus imputantur. Niſi forte exiſtimas Chriſtianorum filios, ſi baptiſma non receperint, ipſos tantum reos eſſe peccati, & non etiam ſcelus referri ad eos, qui dare noluerint, maxime eo tempore, quo contradicere non poterant, qui accepturi erant: ſicut e regione ſalus infantium majorum lucrum eſt.* Auguſtinus epiſt. 28. ad Hieronymum. *Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens novum, ſed Eccleſiæ fidem firmiſſimam ſervans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis, non eſſe parvulum baptizandum: non carnem, ſed animam dixit perdendam eſſe, & mox natum rite baptizari poſſe cum ſuis quibuſdam Coepiſcopis cenſuit.* Et epiſt. 59. *Quod dicunt Infantem, morte præventum, non baptizatum, perire non poſſe, quoniam ſine peccata naſcitur; non hoc dicit Apoſtolus, & arbitror eſſe melius, ut Apoſtolo potius, quam iſtis credamus. Dicit enim ille Doctor gentium, in quo Chriſtus loquebatur: per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt &c. Nam judicium quidem ex uno delicto in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. Proinde iſti, quem forte inveneriut Infantem, non ex illius unius hominis concupiſcentia procreatum, ipſum dicant illi damnationi non eſſe obnoxium; nec per Chriſti gratiam ab illa damnatione eſſe liberandum.* In Enchiridio ad Laurentium cap. 43. *A parvulo recens nato uſque ad decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibendus eſt a Baptiſmo, ita nullus eſt, qui non peccato moriatur in baptiſmo: ſed parvuli tantum originali, majores autem iis omnibus moriuntur peccatis, quæcunque male vivendo addiderunt ad illud, quod naſcendo traxerunt.* Et lib. 3. *de anima & ejus origine* cap. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur, morte præventos, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.*

VII. Probatur. Ex legibus Imperialibus. Juſtinianus Imperator §. *Perpulchrum* Authentic. de Samaritanis. *Pue-*

Digitized by Google

Pueros, qui per ætatem doctrinas intelligere nequeunt, etiam abſque hac obſervatione ſacro dignari baptiſmate admittimus. Et apud Photium in Nomocanone tit.4.cap.4., & tit.12.cap.19. *Græci, ſeu Pegani, qui parvuli, & pueriles ætatis ſunt, citra dilationem baptizentur: qui vero adoleverint, non ante baptizentur, quam Scripturas, & ſacroſanctos Canones edocti fuerint*. Leo Imperator Philoſophus Conſtitut. 17. *Et ſane de Infantibus eundem ad modum conſtituimus, ut ſi non inquietentur, inimicoſque naturæ caſus ſuperent, antequam gratiæ ſplendore illuſtrentur, quadrageſimus dies expectetur. Si tamen & octavo a partu die aliquis baptizari volet, neque id abſurdum fuerit; verum hæc non obtineant, ſi nulla neceſſitas, quæ mortem minetur, exiſtat. At ſi periculum aliquod emergat, intra octavum diem ſacram lotionem peragi oportebit, ne non illuminatus, neque ſacri lavacri, atque adeo ſummi boni expers, decedat*. Carolus Magnus lib. 6. cap.181. *De quibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, an non, omnimodis abſque ullo ſcrupulo baptizentur, his autem verbis præmiſſis: non te rebaptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et cap. 185. *Placuit, ut populus ad baptiſmū Infantes non afferat, niſi duobus temporibus; ſi infirmitas non occupaverit*.

VIII. Probatur Rationibus, quæ leguntur apud Modernos Scriptores. Et prima eſt Hincmari Rhemenſis Epiſcopi ad Hincmarum Laudunenſem. „ Tu
„ prohibes Eccleſiæ ab immaculato di-
„ vini fontis utero Domino filios gene-
„ rare, qui venit animas non perdere,
„ ſed ſalvare? Quomodo te preteriit,
„ quod in Evangelio legis: *offerebant*,
„ *inquit, illi parvulos, ut tangeret illos*.
„ *Diſcipuli autem criminabantur illos offer-*
„ *re; quod cum videret Jeſus, indigne tu-*
„ *lit; & ait illis, ſinite parvulos venire ad*
„ *me, & ne prohibueritis eos*. Et tu prohi-
„ bes offerri Domino parvulos? Si tre-
„ mendum Dei judicium te non terruit,
„ timere debueras, ne tu ſolus hoc age-
„ res, quod nullus Chriſtianorum un-
„ quam facere auſus fuit. Nam de In-
„ fantibus baptizandis, qui necdum ba-
„ ptizati noſcuntur, quoties neceſſitas
„ exegerit, per beatum Syricium re-
„ gula Eccleſiaſtica prolata demon-
„ ſtrat, dicens in Infantibus, qui non-
„ dum &c. „ Secunda eſt S. Bernardi
in epiſt. 77. „ Infantes, quando bapti-
„ zantur, non omnino fide carent, ſine
„ qua impoſſibile eſt placere Deo: ſed
„ ſalvantur & ipſi per fidem non tamen
„ ſuam, ſed alienam, qui ſine ſorde non
„ naſcuntur aliena.„ Et epiſt.240.„ Par-
„ vulis Chriſtianorum Chriſti interclu-
„ ditur vita, dum baptiſmi negatur
„ gratia; nec ſaluti propinquare ſinun-
„ tur, Salvatore licet pie clamante pro
„ iis: *ſinite parvulos venire ad me*. Ergo
„ ne, qui homines, & jumenta ſalvavit,
„ quemadmodum multiplicavit miſeri-
„ cordiam ſuam Deus, ad ſolos tamen
„ innocentes non patitur eandem tam
„ multam miſericordiam ſuam perve-
„ nire?; quid quæſo, quid invidet par-
„ vulis Salvatorem parvulum, qui natus
„ eſt iis &c.„ Tertia eſt Hugonis Victo-
rini lib. 2. *de Anima* cap.28. „ Si ali-
„ qui ſub peccato geniti obeunt parvuli
„ abſque remedio ſalutari, pertimeſce
„ juſtitiam Dei, qui nihil debet alicui,
„ ſed damnat in ſingulis malum, quod
„ non fecit in iis. Si autem parvulos re-
„ novat Sacramentis, admirare miſeri-
„ cordiam Dei; qui ſicut neſciunt cul-
„ pam, cum qua ex carne naſcuntur,
„ ſic neſciunt gratiam, qua per Chri-
„ ſtum renovantur. Non excuſat par-
„ vulos a culpa, quia eam non noruut;
„ nec excludit gratiam ab iis, quia eam
„ neſciunt. „ Quarte eſt Petri Lom-
bardi lib.4 diſt.4. „ Parvulis non ſuf-
„ ficit fides Eccleſiæ ſine Sacramento;
„ quia ſi abſque baptiſmo fuerint defun-
„ cti, etiam cum deferuntur ad baptiſ-
„ mum, damnabuntur; ſicut multis
„ Sanctorum auctoritatibus comproba-
„ tur &c. Sicut parvuli; qui ſine bapti-
„ ſmo moriuntur, Infidelium adſcri-
„ buntur numero; ita qui baptizantur,
„ fideles dicuntur, qui a Fidelium con-
„ ſortio non ſeparantur, cum orat Ec-
„ cleſia pro fidelibus defunctis. Fideles
„ ergo ſunt, non propter virtutem;
„ ſed propter fidei Sacramentum. „

Objiciunt I. Jure divino debet baptiſmo præſupponi doctrina, juxta illud Matth. 28.: *docete omnes gentes baptizantes eos &c.*; atqui parvuli incapaces ſunt doctrinæ: ergo & baptiſmi. II. Sine fide baptiſmus conferri non debet, quia ſine illa nihil prodeſt; juxta illud Marci ultimo: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*; atqui parvuli non ſunt capaces fidei:

ergo

ergo nec baptiſmi. III. Omne Sacramentum, ut cum fructu ſuſcipiatur, exigit in ſuſcipiente debitas præparationes; at nulla eſſe poteſt in parvulis: ergo omnis Sacramenti, adeoque & baptiſmi, ſuſcipiendi prorſus ſunt incapaces. IV. Sicut dictum eſt a Chriſto; *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ita dictum etiam fuit; *niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.*; ſed non per hoc parvuli ſunt communicandi: ergo nec baptizandi. V. Verba illa: *ſinite parvulos venire ad me*; nihil probant; etenim vox illa *parvulos* accipitur myſtice, & ſignificat parvulos innocentia, & humilitate, non ætate; non enim Chriſtus dixit: *horum eſt Regnum Cælorum*, ſed *talium*; hoc eſt illis innocentia; & humilitate ſimilium; unde etiam Auguſtinus lib. 1. Confeſ. cap. 9 ait: *humilitatis ſignum in ſtatura pueri commendaſti Rex noſter, cum aiſti; talium eſt enim Regnum Cælorum*. Ulterius Evangeliſta non loquitur de Infantibus, ſed de pueris, qui jam rationis uſu utuntur, ut notat Tertullianus lib. de bapt. prope finem: *& ideo Dominus ait; ſinite parvulos venire ad me; non enim veniunt, niſi grandiores; Infantes nanque portari poſſunt, venire non poſſunt.*

Reſpondemus ad I., illa Chriſti verba de ſolis Adultis eſſe intelligenda; ad eos enim ab infidelitate revocandos ad Fidem Chriſti mittebat Apoſtolos. Cæterum verbis illis utique præcipitur, ut nedum baptizentur, ſed etiam doceantur omnes gentes. Verum non ſic præcipiuntur hæc duo, ut unum omittatur, cum aliud fieri non poſſit; ſi quis enim in deſerto eſſet cum homine gentili jam moriente, nec inveniretur aqua; poſſet ſane, immo deberet, illum docere, & inſtruere, ut crederet; nec peccaret contra præceptum illud Domini: *baptizantes eos &c.*, quia id intelligitur, quum fieri poteſt. Quia igitur Infantes non ſunt capaces doctrinæ, & capaces ſunt baptiſmi, mutatur ordo in eis, ut prius baptizentur, ne forte pereant, ac deinde, quum adoleverint, doceantur, ut bene vivant.

Ad II., dicitur, ſuo modo Infantes credere, per Eccleſiam ſcilicet, & per ſuos Suſceptores. Non requiritur autem in eis fides actualis, & converſio in Deum, ut in Adultis, quia ipſi nec habent peccata actualia, quæ habent ut plurimum Adulti, qui baptizantur, nec habent uſum liberi arbitrii, quem Adulti etiam habent. Cæterum quia Infantes peccaverunt voluntate aliena, æquum eſt, ut eis etiam proſit aliena voluntas. Ut enim ait S. Auguſtinus Serm. 14 *de verbis Apoſtol i* cap. 7.: *decet, ut ad aliena verba ſanentur, qui ad factum alienum vulnerantur*.

Ad III., dicitur, præparationem requiri in Adultis; in parvulis vero ſufficere, ut non reperiatur obex contrariæ voluntatis, qua gratiæ per Sacramentum oblatæ reſiſtat; ut docet Auguſtinus epiſt. ad Bonifacium.

Ad IV. Non eſt par ratio Communionis, & baptiſmi; nam baptiſmus parvulis neceſſarius eſt neceſſitate medii, ita ut in æternum pereant, ſi abſque baptiſmo decedant; Communio vero, ut etiam Sacramenta alia, non ſunt neceſſaria, niſi Adultis poſt baptiſmum. Quare ipſe Dominus, ut indicaret, Euchariſtiam non eſſe pro Infantibus inſtitutam, eam in pane, & vino, quæ ad parvulos proprie non pertinent, inſtituit: Porro Veteres aliqui certis de cauſſis in Infantium ora infundebant eo modo, quo poterant, Euchariſtam, ſed eæ cauſſæ modo locum non habent, & aliis de cauſſis magis urgentibus id fieri prohibuit Eccleſia.

Ad V., dicitur, quod etſi Dominus in ſtatura puerorum commendare voluerit humilitatem, & innocentiam, ut docet Auguſtinus, tamen ſimul etiam indicavit infantilem ætatem omnino eſſe alienam a Regno, & ſalute, per baptiſmum conſequenda. Nam quum Chriſtus ait: *ſinite parvulos venire ad me*, ad literam & hiſtorice loquitur de veris parvulis, quos, ut tres Evangeliſtæ teſtantur, multi afferebant, ut Dominus eis benediceret, & Apoſtoli prohibere conabantur, ne illi accederent. Quare etiam illa ratio: *talium eſt enim Regnum Cælorum*: debet veris parvulis convenire; ſicut autem Iſaac, & Iſmael, ſunt allegorice duo teſtamenta apud Paulum ad Galat. 4., & tamen hiſtorice duo veri homines fuerunt; ita etiam infantilis ætas typus eſt humilitatis, & innocentiæ, & tamen re ipſa etiam idonea eſt ad Regnum Cœlorum per baptiſmum obtinendum. Tandem Evange-

liſtæ

liſtæ *parvulos* habent, & *Infantes*: Matthæus, & Marcus παιδία, ideſt *parvulos*: Lucas habet βρέφη ----; ideſt *Infantes*; & ibidem Lucas ait, eos portatos fuiſſe, non ſuis pedibus veniſſe; προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη ---- ideſt, afferebant autem ad ipſum & Infantes. Igitur vox illa *venire*, lato modo ſumitur; in quantum ſcilicet eſt, *accedere*, *appropinquare &c.*

Pro ſecunda Diſſertationis parte, primo dubitavit Fidus, africanus Epiſcopus, num licitum foret, baptizare Infantes ante octavum diem, dubiumque ſuum propoſuit Patribus, qui anno 257. Concilium Carthagine celebrabant; ut Cyprianus in epiſtola ad eundem Fidum ſcribit.

Secundo, Tertullianus tertio ineunte ſeculo, putavit, Baptiſma differendum parvulis donec ad rationis uſum pervenirent. Liber, quem ipſe de baptiſmo ſcripſit, multis in locis hoc perhibet.

Tertio, Gregorius Nazianzenus IV. Seculo labente deſiderabat ante triennium paſſim parvulos baptizari non debere, niſi periculum mortis immineret.

Quarto, Eraſmus Rothoredamus XVI. Seculo volebat, ut baptizati in Infantia ad Chriſtianæ Religionis perfectionem non adigerentur, niſi dum ad rationis uſum perveniſſent,& promiſſionem ipſorum nomine a Suſceptoribus factam ratam habuiſſent; & ſi hanc confirmare dubitarent, proprio ipſorum arbitrio reliquendos eſſe. In eadem opinione fuit Ludovicus Vives in primum librum Auguſtini *de Civitate Dei* cap.27.

Dicimus II., melius eſſe baptizare parvulos in Infantia, quam expectare tempus ad ipſos baptizandum in provectiori ætate.

I. Probatur Concluſio, quia ſic melius evadunt pericula damnationis æternæ, quibus, propter inopinatos & quotidianos mortis caſus, continuo parvuli ſunt expoſiti.

II. Probatur, quia hæc dilatio baptiſmi nunquam fuit ab Eccleſia probata; unde antiquitus Clinici, qui in lectulo mortis baptizabantur, fuerunt irregularitate mulctati.

III. Probatur. A Seculo V. pauciſſimi Adulti, ſaltem illi, qui ex fidelibus Parentibus naſcebantur, baptizati fuerunt; unde Sacramentaria, Ritualia, & Cœremoniales, de Baptiſmi ritibus tractantes, parvulorum paſſim meminere,quum de filiis Fidelium baptizandis ageretur, ut apud Gregorium Magnum videre eſt.

IV. Probatur; quia ſi ætas adulta ad ſuſcipiendum baptiſma expectanda foret, pauciſſimi baptizarentur, quia multi male educati, voluptatibus ſeculi dediti, aut omnino baptizari recuſarent, aut ad mortem uſque baptiſmum differrent, ne cito vale dicere carni, ejuſque deliciis, cogerentur. Satius eſt ergo uniuſcujuſque voluntati liberum non relinquere, quod eſt ad ſalutem neceſſarium, & fælici quadam neceſſitate cogere, qui fuerunt in Infantia baptizati,ad exequendum, quod pro eis Suſceptores promiſerunt, quam illos tot damnationis periculis, tot peccatorum illecebris, exponere.

V. Probatur. Expedit etiam ut mos baptizandi Infantes in Eccleſia retineatur, & conſervetur, ut per hoc Eccleſia fidem ſuam proteſtetur, quæ credit parvulos, etſi propria fide deſtitutos, aliena tamen per baptiſmum ſalvari, & ne cedere Anabaptiſtis videatur, qui pedo-baptiſmum, tanquam inutilem, inefficacem, & ſupervacaneum, penitus ſublatum volunt.

Arguunt I. Noſtra Concluſio eſt contraria tot antiquorum Patrum opinioni, quorum auctoritas nullatenus ſpernenda eſt. II. Chriſtus non Infans, ſed vir perfectus, fuit a Joanne baptizatus, nec Apoſtolos, ſtatim quod illos in Apoſtolatum admiſit, baptizavit. III. Iniquum videtur inſciis parvulis, & ratione deſtitutis, jugum Chriſtianitatis per baptiſmum imponere. IV. Plures viri pii adulta ætate baptizari voluerunt, ut Conſtantinus Magnus paulo ante mortem Nicomediæ ab Euſebio Nicomedienſi baptizatus fuit; Valentinianus junior Catechumenus morte inopinata e vivis exceſſit,ut ait Ambroſius in ſua funebri oratione; Ambroſius ipſe paulo ante ordinationem ſuam baptizatus fuit, ut Paulinus refert in ejus vita.

Reſpondemus ad I., Eccleſiæ uſum illorum Doctorum auctoritati prævalere. Inprimis Fidi ſententiam Cyprianus. & ſuo, & Concilii Carthaginenſis nomi-

nomine proſcripſit; Tertulliani, & Nazianzeni conſilium Eccleſia non admiſit, quia non tanti eſſe cognovit fructus, quos iſti Patres ex dilatione baptiſmi in parvulis ſperabant, ut præponderarent periculo æternæ mortis, cui ſine baptiſmo parvuli exponebantur. Quoad Eraſmum, doctrina ejus a Tridentino ſeſſ.7. can.14. *de baptiſmo* hoc anathemate percuſſa eſt: *Si quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt, & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Eucbariſtiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, anathema ſit.*

Ad II., dicitur cum Gregorio Nazianzeno Orat. in ſacrum lavacrum, non omnia, quæ Chriſtus præſtitit, a nobis eodem modo ad praxim reducenda eſſe; alioquin poſſemus nos etiam, immo deberemus, Euchariſtiam poſt cœnam ſumere, quia Chriſtus eam Apoſtolis cœnatis diſtribuit. Ulterius Apoſtoli jam per Circumciſionem ab originali liberati erant, adeoque non ſubjacebant periculo damnationis, cui Infantes ſine baptiſmo viventes, poſt Evangelium promulgatum, expoſiti ſunt.

Ad III. Qualis iniquitas fingitur, quum parvuli, ſtatim quod Adulti ſint, & Evangelium audierint, teneantur ſub æternæ damnationis pœna baptiſmum recipere, & Chriſtianitatis jugo jure divino ſe ſubjicere?

Ad IV., dicitur, quod mos differendi baptiſmum apud duplicis generis homines antiquitus invaluit; apud pios nimirum, & apud impios; hoc tamen diſcrimine, quod iſti baptiſmum differebant, ut liberius libidini vacarent, & non ſubjacerent atrociſſimis pœnis ab Eccleſia ſtatutis contra peccantes poſt baptiſmum ſuſceptum, unde in mortis lectulo baptizabantur: illi vero procraſtinabant baptiſmum, ut ipſum majori reverentia reciperent, & uberiori charitate; ut etiam ne polluerent aliquo crimine recepti Sacramenti ſanctitatem; ut tandem abſque mora Cœlum poſt mortem aſcenderent, quia cum baptiſmali innocentia decedebant. Cæterum Parentes Chriſtiani, qui filiorum ſuorum in Infantia ſaluti non conſuelbant, non omnes prorſus vacarunt culpa; filii autem fuerunt laude digni, qui ubi adoleverint, ad aliquod tempus baptiſmum ſuum prorogarent, ut ad ipſum majori diſpoſitione præpararentur; non enim ipſis imminebat idem periculum, quod parvulis ex baptiſmi dilatione; quia ſi ipſi mortui fuiſſent ante baptiſmum, per charitatem, qua ardebant, cum Sacramenti voto conjuncta, remiſſionem peccatorum conſequebantur: ut in Valentiniano Ambroſius credidit, quod tamen in parvulis evenire nullatenus poteſt.

Pro tertia Diſſertationis parte præmittimus, quod Infantes vel ita ſunt membranis involuti, & in utero matris incluſi, ut nullatenus videri poſſint, ac per conſequens nullo modo poſſint aqua lavari; & in hoc caſu certum eſt, illos baptizari non poſſe. Si autem ita ſint in utero incluſi, ut poſſit ad eos vel in totum, vel in partem, aqua deferri, ſunt qui volunt, quod urgente mortis periculo baptizari poſſint, ita quidem, ut ſi poſtmodum naſcantur, iterum ſub conditione baptizentur. Alii autem hoc penitus negant, ea ratione ducti, quia de illis non verificatur, quod naſcantur; unde non poſſunt poſtmodum per baptiſmum renaſci. Pro hac ultima opinione afferunt S. Auguſtinum ſtetiſſe, ac ſcripſiſſe.

Dicimus III., Infantes in utero Matrum baptizari non poſſe.

I. Probatur Concluſio. Regenerari & renaſci nullus poteſt, niſi prius naſcatur; baptiſmus autem eſt ſpiritualis regeneratio: ergo nemo priuſquam naſcatur, baptizari poteſt. Principium hoc eſt Auguſtini epiſt.188., alias 57. ad Dardanum, cujus hæc verba ſunt. *Nemo naſcitur, niſi operante concupiſcentia carnali, quæ tracta eſt ex primo homine, qui eſt Adam; & nemo renaſcitur, niſi operante gratia ſpirituali, quæ data eſt per ſecundum hominem, qui eſt Chriſtus. Quapropter ſi ad illum naſcendo pertinemus, ad hunc renaſcenda; nec renaſci quiſpiam poteſt, antequam natus ſit. Profecto ille ſingulariter natus eſt, cui renaſci opus non fuit, quia non ex peccato, in quo nunquam*

fuit

fuit, tranſitum fecit .... Hoc igitur excepto, non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in ſe inhabitantem Deum, niſi eum fuerint renati, quod non poſſunt eſſe antequam nati. Et lib.2. *de Peccator. merit. & remiſ.* cap.27. *Sacramentum Baptiſmi*, inquit, *profecto Sacramentum regenerationis eſt, quo circa, ſicut homo, qui non vixerit, mori non poteſt, & qui mortuus non fuerit, reſurgere non poteſt, ita qui natus non fuerit, renaſci non poteſt; ex quo conficitur, neminem in ſuo parente renaſci poſſe non natum.* Eadem ratione poſt Auguſtiuum utitur S. Iſidorus lib. 1. *de ſummo bono* cap.24., Magiſter Sententiar., & S. Thomas; ſed & aliam etiam addunt rationem, ſcilicet, quia corpus baptizandi aqua perfundi neceſſe eſt, quum baptiſmus ſit ablutio quædam corporalis, corpus autem Infantis, antequam naſcatur ex utero, aqua perfundi non poteſt.

Opponunt I. Puer in utero Matris exiſtens eſt aliquid Matris: ergo ablutio, qua Mater baptizaretur, ad filium quoque in utero ejus exiſtentem extenderetur. II. Plurimi ſunt Sancti, qui in uteris Matrum ſanctificati, & renati creduntur; ut Beata Virgo; Joannes Baptiſta, & Hieremias: nihil ergo vetat, Infantes in utero renaſci & baptizari, etſi nondum nati. III. Duplex etiam ſecundum carnem diſtingui poteſt hominis Nativitas; altera in utero, altera ex utero; prior, qua animatur; poſterior, qua in lucem editur. De priore dicitur Matth.I. *quod enim in eo natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*: de poſteriore vero Lucæ 2.: *natus eſt vobis hodie Salvator*: ſat ergo eſt, ut ſit priori modo ſecundum carnem homo natus, priuſquam renaſcatur.

Reſpondemus ad I., negando totum; & ratio eſt, quia anima pueri, ad cujus ſanctificationem baptiſmus ordinatur, diſtincta eſt ab anima Matris; & etiam quia corpus pueri animati jam eſt formatum, adeoque a corpore Matris etiam diſtinctum; unde dici non poteſt, quod baptiſmo, quo baptizatur Mater, baptizetur etiam puer in utero ejus exiſtens. Si vero fætus formatus non ſit, ſeu non ſit animatus, incapax eſt, ut baptizetur, quia non eſt homo. Unde Auguſtinus lib.6. cont. Julianum c.5. *Si ad Matris corpus id, quod in ea concipitur, pertineret, itaut ejus pars deputaretur, non baptizaretur Infans, cujus Mater baptizata eſt aliquo mortis urgente periculo, cum eum geſtaret in utero: nunc vero cum ipſe etiam baptizetur, non utique ad maternum corpus, cum eſſet in utero, pertinebat.*

Ad II. Primo, de Beata Virgine, quum de peccatis agitur, nullus habendus eſt ſermo: ipſa enim nedum in utero materno fuit ſanctificata, ſed etiam in conceptione immaculata, & ab originali peccato præſervata: unde ipſi aliquo modo aptari poſſunt, quæ ſanctiſſimo ejus filio protulit Auguſtinus: *profecto illa ſingulariter nata eſt, cui renaſci opus non fuit, quia non ex peccato, in quo nunquam fuit, tranſitum fecit.* Secundo, de Hjeremia non omnino eſt certum, eum fuiſſe in utero ſanctificatum, quum Scriptura, quæ id probare videtur Hierem.1., rectius de ſanctificatione ſecundum Prædeſtinationem accipienda videatur, ut de facto Auguſtinus accepit: quod enim præcedit: *priuſquam te formarem in utero novi te*: & quod ſequitur: *& Prophetam in Gentibus dedi te*: ſimilem ſenſum poſtulare videtur. Tertio, nec Joannis, nec Hieremiæ exemplum officit; ſi enim ſunt renati, antequam nati, id non ex ordinaria, & communi lege, de qua loquimur, evenit, ſed ex ſpeciali Dei diſpenſatione.

Ad III., dicitur cum Auguſtino in laudata epiſt. ad Dardanum, quod *ſi quis dicat*, inquit, *jam natum eſſe hominem, etiam cum adhuc eſt in utero materno, quia dictum eſt de prægnante Virgine Dei Matre, quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt; nunquid huic nativitati accedit ſecunda nativitas?; alioquin non erit jam ſecunda, ſed tertia; Dominus autem cum hic loqueretur, niſi quis renatus, inquit &c. eam ſcilicet computans primam nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente, neque prægnante; quæ fit ex ea, non quæ in ea: neque enim renatum dicimus, quem mater peperit, tanquam iterum natus ſit, qui jam ſemel natus fuerat in utero; ſed illa nativitate non computata, quæ gravida facit, natus eſt homo partu, ut poſſit renaſci ex aqua, & Spiritu. Si ergo homo regenerari per gratiam Spiritus in utero poteſt, quoniam reſtat illi adhuc naſci;*

renaſcitur ergo, antequam naſcitur; quod fieri nullo modo poteſt.

Ex his colligimus I., expectandam eſſe totalem pueri egreſſionem ex utero, ut baptizetur, niſi mors immineat. Imminente vero periculo, ſi egrediatur primo caput, baptizetur in capite, & baptiſmus deinde non reiteratur, quum contigerit totalis egreſſio; ſi egrediatur altera pars, puta pes, vel manus, talis pars abluatur: & ſi vixerit puer poſt egreſſionem, eſt baptizandus iterum ſub conditione. Sic S. Carolus *in Inſtructionibus* tit. *de iis, quæ Parochus curet cum timetur de partu*; ita etiam Synodus Lingionenſ. anno 1404., & Senonenſ. 1524. Si vero mulier objerit in partu, uterus aperiendus eſt, & ſi vivit fœtus eductus, quam primum eſt baptizandus. Non debet tamen pro ſalute filii mater occidi, nec morte matris mori filius; ūde debet ſerio videri, num Mater vere ſit mortua, & caute procedi, ut filius vivus extrahatur. Sic S. Thomas 3. par. q 968. art. 9. ad 3. ubi ait: *quod non ſunt facienda mala, ut veniant bona, & ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizaret Infantem*. Si tamen Mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut Puer baptizetur. Sic etiam S. Carolus *in Inſtructionib. Bapt.*, Odo, Pariſienſis Epiſcopus, *in ſtatutis Synodalib.*; Synodus Pariſienſis anno 1557., & aliæ laudatæ Lingionenſis, & Senonenſis.

Colligimus II., graviter peccare parentes multo tempore differentes baptiſma puerorum ſuorum, quia in re magni momenti violant Eccleſiæ præceptum, & periculo damnationis æternæ pueros ſuos exponunt. Unde Concilium Rhotomagenſe anno 1582. habuit: *Et antiquorum Chriſtianorum more, & traditione præcipimus, quam primum commode fieri poterit, natos pueros ad Baptiſmum deferri propter neceſſitatem. Aliter ſine juſta cauſa agentes, cum Curatis ſeu Vicariis id fieri non improbantibus, excommunicatione, & ſuſpenſione dignos judicamus*. Eadem habet Concilium Rhemenſe tit. *de Bapt.* Nec excuſantur, quod baptiſmus differatur, ut Patrini expectentur; nam & hoc non obſtante, ultra unum aut alterum diem baptiſmus differri non debet. Et ſi puer domi privatim baptizetur, & poſtea in templo defertur, ut ibi baptiſmi cœremoniæ adhibeantur, non ſine peccato fit, & quidem gravi, tum propter Canones, qui baptiſmum domi non permittunt adminiſtrari, niſi mortis periculo imminente, tum propter alios, qui extra neceſſitatem baptiſmi adminiſtrationem a ſolemnibus cœremoniis ſejungi prohibent.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCXLVII.

De Subjecto Baptiſmi. De Miniſtrando baptiſmo Monſtris, & Abortis. De baptiſmo Puerorum infidelium parentibus invitis. De baptiſmo Clinicorum, ſeu illorum, qui in lectulo mortis baptizabantur. Et de baptiſmo miniſtrando Amentibus, Furioſis, atque Energumenis.

DE Monſtris, quæ contigit aliquando in lucem emitti, & baptiſmo offerri, hæc obſervanda præcipiuntur. Primo, videndum eſt, antequam baptiſmus conferatur, an uua, an duplex perſona ſit, an maſculus, an fœmina. Secundo, ſi dubium eſt, unam eſſe, vel duplicem, quia ſcilicet duo capita non habet, nec pectora bene diſtincta; in hoc caſu, uous certa intentioue, oeque vaga, ſimpliciter baptizetur; alter vero, ſeu alii, ſub conditione; *ſi non es baptizatus &c.* Tertio, ſi vero duo capita, duo pectora, aut etiam duo corpora diſtincta in monſtro apparent, clarum tunc eſt, eſſe duos homines, adeoque ſinguli ſimpliciter baptizandi ſunt. Quarto, ſi periculum mortis erit in mora, baptizentur in plurali numero, *ego vos baptizo &c.* Quinto, ſi unum tantum caput habebit, etſi habeat alia membra geminata, tanquam unus baptizetur. Sexto tandem, ſi Monſtrum hominis ſpeciem non præſefert, niſi prius Epiſcopus conſulatur, baptizandus non eſt; & ſi tempus erit, etiam ejus conſilium requirendum eſt, quum quod ſupra de Monſtro humano dictum eſt, eveniet. Si autem eſt dubium, quod Monſtrum ſit homo, & tempus oon ſuppetat Epiſcopum conſulendi, ſub hac conditione baptizetur; *Si tu es homo, ego te baptizo.* Hæc omnia præſcribit S. Carolus ſub titulo, *quæ Parochus in baptiſmi adminiſtratione animadvertat.* Item Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum, & Canoniſtæ paſſim, ut Laymanus, Bonacina, Ginettus &c.

Pro autem Abortis, communis fere Parochorum, & Obſtreticum praxis eſt, ut poſt trigeſimum quintum diem humanis fætibus abortis baptiſmum conferant, quia ab eo tempore judicatur eos animatos eſſe. Attamen Hieronymus Florentinius, Congregationis Matris Dei Clericus Regularis, opuſculum edidit anno 1658. ſub hoc titulo *De miniſtrando baptiſmo humanis fætibus Abortivorum*, in quo ex propoſito probare contendit, incertum eſſe tempus, quo fætus humanus anima rationali vivere incipiat, & propter hanc incertitudiuem, quovis tempore aut die Abortum naſcatur, eidem putat baptiſmum ſub conditione dari poſſe. Hanc Florentinii opinionem celeberrimus Çaramuel data ad ipſum epiſtola ſummopere commendavit, quam epiſtolam etiam opellæ ſuæ Florentinius præfixit.

Ut autem certa ab incertis ſeparentur; certum eſt primo, Doctores omnes convenire, fætum in utero Matris anima rationali informari, ſtatim ac formatus & organizatus eſt; quanvis in aſſignando puncto temporis non conveniant. Contrariam opinionem Innocentius XI. ſub die 2. Martii anni 1679. proſcripſit; illa antem, quæ numero eſt trigeſima quinta his, verbis concipitur. *Videtur probabile, omnem fætum, quandiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac conſequenter dicendum erit, in nullo Abortu homi-*

homicidium committi. Ex hac autem propoſitione ſequeretur, in nullo caſu Abortum eſſe baptizandum; quod eſt falſiſſimum; niſi diceretur, in partu etiam Abortum animam rationalem habiturum. Sed quod etiam habeat in ventre animam rationalem, teſtimonium de Joanne Baptiſta Luc. 1. evidenter oſtendit: Joannes enim Baptiſta in utero exiſtens exultavit in utero ſtatim ac Eliſabeth Mater ejus Mariæ ſalutationem audivit: & Spiritu Sancto repletus eſt adhuc ex utero Matris ſuæ; quæ quidem ad animam ſenſitivam applicari non poſſunt, ut proſcriptæ opinionis defenſores prætendebant; quia nequit anima ſenſitiva Spiritu Sancto repleri; nec ad miraculum confugere poſſunt, quod ſpecialiter in Joanne fuerit factum: quid enim opus hæc miracula ſine neceſſitate fingere?

An autem ſemper anima rationalis in fœtu ſit, dum intra uterum manet, an aliquo poſt ejus conceptionem tempore adveniat, dubium videtur; ſed dubium revera non eſt. Semper non eſſe, eſt certum, & aliquando advenire: ſed quando adveniat, hoc dubium eſt. Primum faciunt certum Conſtitutiones Sixti V., & Gregorii XIV. Etenim Sixtus excommunicationem ipſo facto incurrendam decrevit, & Sedi Apoſtolicæ reſervatam, contra Abortum procurantes, ſive Abortus animatus fuerit, ſive fuerit inanimatus: Gregorius vero revocavit Conſtitutionem Sixti quantum ad pœnas latas in procurantes Abortum fœtus non animati; quantum vero ad pœnas iiſdem impoſitas poſt animatum fœtum, Conſtitutionem Sixti confirmavit, & ſolum moderatus eſt, quantum ad abſolutionem ab excommunicatione & peccato, quam Ordinariis locorum reſervavit. Igitur ex his Conſtitutionibus Sixti, & Gregorii, certa eſt diſtinctio fœtus animati, & inanimati, in utero exiſtentis, adeoque certum eſt etiam, fœtum non ſemper in utero eſſe anima rationali præditum, ſed aliquando poſt ejus conceptionem animam rationalem ipſi advenire.

Quando autem adveniat, hoc incertiſſimum eſt. Alii pro maſculis aſſignant trigeſimum diem, alii trigeſimum ſecundum, alii quadrageſimum, alii quadrageſimum ſecundum. Pro fœminis vero, quidam quadrageſimum, alii ſeptuageſimum, alii octogeſimum. Hæc ex Canoniſtis. Ex Medicis autem Florentinius quoſdam adducit, putantes tertio die, alios ſecundo, alios primo, alios ſeptimo, fœtus animari; unde ex hac incertitudine concludit, quovis tempore Abortus oriatur, ſemper eſſe baptiſmate ſub conditione tingendum. Rejicit autem Florentinius opiniones illorum, qui in fœtu primo ponunt animam vegetativam, ſecundo ſenſitivam, tertio rationalem, ſive iſtæ cum rationali remaneant, ſive recedant; unde videtur ſentire, quod rationalis anima primo quidem tempore adveniat, quamvis ipſe incertum hoc eſſe ex Scripturis, ex Patribus, & ex rationibus, probet. Opinionem ſuam maxima pietate honeſtat; dicit enim: „ de „ baptiſmate quippe fœtibus Abortivorum five miniſtrando ſive ſubtrahendo agitur; hoc eſt de plurimarum animarum ſalute, vel æterna damnatione.

Ipſius ſane Zelus erga animas illas, ſi quæ ſunt in Embrionibus illis, nobis non diſpliceret, & libenter ipſius opinioni aſſentiremur, ſi aliquid ab Eccleſia, quoad hoc ſtatutum, inveniſſemus. Sed quum nihil Eccleſia definiverit, & praxis ſit tantum, ut baptizentur Abortivorum fœtus poſt aliquot dies conceptionis, & antea non baptizentur; quam quidem praxim ſuo ſilentio Eccleſia approbat; quinimmo apud omnes Canoniſtas, apud omnes Theologos, apud omnes Synodos, altum ſilentium quoad hoc inveniatur, nos non audemus aliquid circa hoc ipſum aſſerere, ipſa Eccleſia inconſulta. Ex natura rei nullum quidem inconveniens videmus, ut Abortis illis, quovis tempore edantur, baptiſmus ſub conditione quidem conferatur ſed quum res ſit de Sacramentis, Eccleſiæ judicium primitus deſiderandum eſſe, & expectandum, exiſtimamus. Nullum quidem inconveniens eſt ex natura rei, quia, quum baptiſmus ſub conditione confertur, quemadmodum confertur monſtris, ut ſupra dictum eſt, non exponitur periculo nullitatis Sacramentum, ſicut in monſtris, nec etiam exponi quis merito aſſerit. Quia autem de illo

illo Monſtris adminiſtrando Ritualia loquuntur, loquuntur Theologi, loquuntur Synodi; de hoc vero Abortis conferendo ſilent; ideo non poſſumus de hoc ſic aſſeveranter loqui, quemadmodum de illo loquuti fuimus. Cæterum ipſemet Florentinius praxim, quam ipſe ſuadit, ſecuriorem eſſe, ſed & novam fatetur, & a nemine adhuc, quem ipſe viderit, indicatam; quod veriſſimum eſt; adeoque in ipſo Diſputationis fine ad S. Eccleſiæ Prelatos, & ad ipſum ſupremum animarum Paſtorem in Terris Chriſti Vicarium, ſe convertit, ut in hac materia, quid a ſacrorum Miniſtris ſit ex debito exequendum, decernere dignetur, quod & nobis expectandum eſſe concludimus.

Circa ſecundam Diſſertationis partem, quæ eſt de baptiſmo puerorum Infidelium parentibus invitis, agitari ſolet hæc queſtio: an liceat parentibus invitis baptizare ipſos pueros?; pro qua ſupponendum hic eſt, difficultatem non procedere de pueris Hæreticorum, vel Schiſmaticorum, qui quum ſubditi ſint Eccleſiæ ratione baptiſmi, poſſunt ſine injuria ab illis pueri eripi, & baptiſmi fonte lavari. Solum ergo quæſtio procedit de Pueris Judæorum, & Paganorum, & quæſtionis ſic intellectæ non unus eſt ſenſus, ſed multiplex; primo, ſi Filii ſint Adulti, & r tionis uſu præditi, poſſunt Parentibus invitis baptizari, quia ſui juris ſunt, non alieni; quinimmo quum primum etiam rationis uſum attigerint, adhuc poſſunt, quia tunc, quantum ad ea, quæ ſunt juris divini & naturalis, incipiunt ſuæ poteſtatis eſſe. Secundo, ſi Parentes Infideles ſub Principe, vel quocunque Domino Chriſtiano, juſtam patiantur ſervitutem, vel ſint mancipia; tunc juxta Durandum, Eſtium, Sylvium, & Gonetum, jure talis dominii puer a Parentibus abſtrahi poteſt, & baptiſmo donari, modo tamen Parentibus non reddatur, ſed alibi Chriſtiane educandus collocetur, & ut ait Cajetanus, modo in regionem longinquam transferatur, ubi a Parentum convictu, & blanditiis remotus, periculum non immineat in infidelitatem incidendi. Tertio, ſi altero Parente in infidelitate remanente, alter ad fidem convertatur, de unius parentis conſenſu, altero invito, poſſet filius baptizari; modo tamen nullum ſubverſionis periculum ab contradicente immineret, niſi forte illi periculo Principis, aut Reipublicæ auctoritate; vel aliis opportunis remediis, occuratur. Quarto, ſi pueri Infidelium ſint ad Chriſtianos delati: & venditi, certum eſt, poſſe baptizari, quia Parentibus ultro ſe privantibus patria poteſtate, nulla fit injuria, & pueri a Parentibus, ut ſupponitur, removentur. Quinto, ſi pueri deſperatæ ſalutis ſint, non improbabiliter Theologi cenſent, eos poſſe clam, invitis inſciiſque Parentibus, baptizari, quia tunc nullum ſcandalum fidei immineret, nulla injuria Parentibus irrogaretur, a quorum cura puer ſtatim morte ſeparandus eſt; & ita ſe geſſiſſe S. Ludovicum Bertrandum in ejus vita narratur. Sexto, pueri a Parentibus infidelibus, ſive jure, ſive injuria ſeparati, & ita locorum intercapedine diſſiti, ut Parentes eos non poſſint recipere, nec providere, poſſunt, illis inconſultis, baptizari, pro illorum arbitrio, qui ipſos in clientelam, & curam ſuam, receperunt. Difficultas ergo ſolum eſt, utrum abſolute Infidelium filios baptizare liceat parentibus invitis. Non licere cenſent Theologi omnes, exceptis Scoto, Eſtio, & Soto; baptiſma tamen validum eſſe docent contra Durandum.

Dicimus I., Parvulis Infidelium collatum baptiſmum invitis Parentibus validum quidem eſſe, ſed illicitum.

Prima Concluſionis pars probatur I., quia communiter Theologi cum S. Thoma q.63.art.3. docent, periculoſum eſſe pueros illos baptizare, quia facile ad infidelitatem redirent: ergo ſupponunt, pueros illos fuiſſe aggregatos ſuſcepto baptiſmo in numero fidelium. II. Ex praxi Eccleſiæ, quæ ſolet parvulos Infidelium ſic baptizatos caute cuſtodire, & a parentibus longe deducere, ne ad infidelitatem iterum redeant. III. Voluntas Parentum non eſt pars eſſentialis baptiſmi, ſed meræ conditionis locum & vim obtinet, paſſum ad agens, baptizandum ad baptizantem, admoventis, quæ conditio ſuppleri poteſt ab univerſa Fidelium ſocietate: Unde de illis Auguſtinus ait lib. *de peccator merit. & remiſs.* cap. 6. *Nec impeditur eorum ſa-*

lus

Digitized by Google

lus, ſi parentes ſint Infideles, quia offeruntur parvuli ad percipiendam gratiam ſpiritualem, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quam ab univerſa Societate Fidelium, & Sanctorum.

Secunda Concluſionis pars probatur I., quia id nunquam Eccleſia habuit in uſu, licet fuerint Principes potentiſſimi, & zelantiſſimi Antiſtites, illis etiam maxima familiaritate conjuncti, ut Conſtantino Silveſter, Theodoſio Ambroſius &c: nunquam tamen Antiſtites id a Principibus petierunt, nec a Principibus præſtitum fuit. II. Filii nondum uſum liberi arbitrii habentes, jure naturæ ſunt ſub cura Parentum, quibus ideo ſubtrahi non poſſunt ſine juris naturalis violatione. III. Si non licet fortunæ bona per vim abripere, quanto minus licebit liberorum uſum, & dominium auferre? IV. Immineret etiam ſaluti parvulorum periculum ex hujuſmodi violento baptiſmate, necnon chriſtianæ Religioni non mediocre detrimentum, quia proclives eſſent pueri poſt rationis uſum ad deſerendam chriſtianam fidem neſcienter initam, & Genitoribus exoſam; quod ſane ſine Apoſtatarum damno graviori, ſine Fidelium ſcandalo, ſine Religionis dehoneſtamento, evenire non poſſet.

Obſtant I. Privandus eſt ex jure ſua poteſtate, qui ipſa abutitur, & quilibet prohibere poteſt, ne injuria, & vis manifeſta innocenti inferatur; ſed Parentes hujuſmodi abutuntur poteſtate ſua in filiorum perniciem, magis quam ſi ipſos occiderent: ergo licet filios a Parentibus ſubtrahere, & illis invitis baptizare. II. Si Parentes ita eſſent corde duri, ut vellent filios extreme ægrotantes ſine remedio perire, crudeliter filii parentibus relinquerentur, & miſericorditer eriperentur: ergo multo magis ſaluti animæ abſque baptiſmate procul dubio damnandæ conſulendum eſt, & reclamantibus Parentibus ſuccurrendum. III. Homo magis eſt Dei, a quo habet animam, quam Patris carnalis, a quo nec corpus haberet, niſi Patri Deus generandi virtutem contuliſſet: ergo non eſt injuria, ſed eſt juſtitia, parvulos a Parentibus Infidelibus tollere, ut Deo per baptiſmum conſecrentur. IV. Dum puer rationis uſu vigere incipit, non minus patriæ poteſtati ſubjectus eſt, eique obtemperare tenetur, & tamen invitis Parentibus baptiſmum ſuſcipere poteſt: ergo etiam antea. V. Ideo Principes nequeunt pueros baptizandos parentibus eripere, quia regalis & phyſica poteſtas circa mera naturalia verſatur, & ad ſupernaturalia non ſe extendit; ſed etiam patria poteſtas eſt mere naturalis: ergo neque iſta ad ſupernaturalia filiis prohibenda dilatatur. VI. Si Parentibus repugnantibus filii ut baptizentur eripi nequeunt, neque etiam Tutoribus, quibus filiorum cura Parentibus morientibus commiſſa eſt: ſed hoc dici nequit: ergo &c. VII. Poteſtas inferior non obligat in his, quæ ſunt contra ſuperiorem: ut docet Auguſtinus ſerm. 6. *de Verbo Domini*: ergo, etſi renuant Parentes, poteſt quis filios cogere ad obediendum Deo, & baptiſma recipiendum. VIII. Multi Fideles & pii Principes licite & juſte Infidelium filios ad baptiſmum coegerunt, parentibus invitis; & probatur ipſorum exemplis. Chilpericus, Francorum Rex, multos ex Judæis baptizari fecit; refert Gregorius Turonenſis lib. 6. hiſt. Francor. cap. 17. Dagobertus, pariter Francorum Rex, commiſit S. Amando, Epiſcopo Trajectenſi, ut cogeret ad baptiſmum Gandavenſes Infideles: narrat Auctor Vitæ ejuſdem S. Amandi apud Surium. CarolusMagnus coegit ad baptiſmum Saxones, ut referunt Francorum Annales. Siſebutus, Hiſpaniarum Rex, compulit Judæos ad baptiſmum, ut teſtatur Baronius ad annum Chriſti 614. n.39.

Reſpondemus ad I., concedendo, Parentes in caſu abuti ſua poteſtate, ſed hac eadem poteſtate a nullo alio privari poſſunt, quam a Deo; abutuntur enim contra legem fidei, & Religionis, in qua nemini homini adhuc ſubduntur, ſed ſoli Deo: Si autem Parentes puerum occiderent abuterentur jure ſuo contra ordinem juſtitiæ naturalis, aut politicæ; & in hoc, quum ſint ſubditi Principi, ab ipſo poſſunt ſua poteſtate privari.

Ad II., negatur paritas, quia tunc Pater rationis lumini omnibus inſeminato adverſatur, contra quod prævalere jus paternum non poteſt. Quod autem puer baptizari debeat, etſi verum ſit, infideli tamen Patri non conſtat,

ſtat, immo falſum eſſe credit, unde non debet juri patriæ poteſtatis, Evangelio antiquiori, obedire, ſi ipſe nolit; ſicut Adultus quacunque ſervitute mancipium ſit, non poteſt vi ad baptiſmum compelli, quanvis certiſſime ſit ſine baptiſmo periturus.

Ad III. verum eſt, hominem eſſe magis Dei, quam Patris, immo magis Dei, quam ſui; ſed ſicut Deus Adultum relinquit in manu conſilii ſui, ita pueros in manu Parentum; unde ſicut non poſſumus hominem expoliare bonis, quia illis abutitur, & in obſequium Dei non expendit, ita non poſſumus ipſum privare filiis, qui ſunt ipſius prima & præcipua bona.

Ad IV. diſpar eſt ratio, quia Adulti ſunt domini ſuorum actuum, & ipſis tunc urget præceptum, adeoque debeut Deo obedire, quanvis Genitori non placeant; & tunc valet illud Hieronymi: *per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem; ſolum pietatis genus eſt hac in re eſſe crudelem.* Non ſic vero pueri ante rationis uſum, quia quum domini non ſint actuum ſuorum, eos habent totaliter ſub ſuorum parentum voluntate poſitos; unde falſa eſt major argumenti.

Ad V. dicitur, quod argumentum illud tantum probat, Parentum jus non poſſe filiū ad ſupernaturalia vocatum impedire, quia filius jure naturali, paterno antiquiori, Deo, auctori ſupernaturali, ſemel noto, obedire debet; at vero non probat, poſſe Principem filios Parentibus eripere, ut baptizentur, quia hoc eſt jus naturale omni politica poteſtate vetuſtius.

Ad VI. Sylvius ait, idem de Parentibus, ac de Tutoribus, eſſe judicium: alii vero rectius dicunt, filios Parentibus orbatos magis ad Rempublicam, cujus ſunt membra, quam ad Tutores, quorum clientelæ a Parentibus commiſſi ſunt, pertinere: unde Reſpublica alios eis poteſt Tutores in fide, & pietate educaturos permutare, niſi immineant illa ſcandali, ſubverſionis, & relapſus, pericula, quæ præcavere neceſſe eſt.

Ad VII. dicitur, quod quum poteſtas regalis & politica ſit pure naturalis, non poteſt ſubditos cogere, niſi in iis, quæ juris naturalis ſunt, aut politicæ œconomiæ: non igitur extenditur ad ea quæ juris ſupernaturalis ſunt. Unde bene poteſt Princeps impedire, ne Pater filium occidat, artes illicitas doceat, ejus bona dilapidet &c., quia hæc omnia ad jus naturale & politicam oeconomiam ſpectant; at non poteſt cogere quenquam, ut baptizetur, & Deo obediat, quia hoc juris ſupernaturalis eſt, ad quod minime extenditur.

Ad VIII. primo dicitur, allata exempla fuiſſe de Adultis, non de Infantibus, de quibus loquimur nos. Secundo, quod Eccleſia praxim adductorum Principum non approbavit: unde Eccleſia Hiſpanica in Concilio Toletano IV. Can. 57 decrevit. *De Judæis præcepit ſancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: cui enim vult, Deus miſeretur, & quem vult indurat. Non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ: ſicut enim homo proprii arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit, ſic, vocante Dei gratia, propriæ mentis converſione quiſque credendo ſalvatur.* Eccleſia Romana nec pariter approbavit, ut legitur apud Gregorium Magnum lib. 11. Regiſtri epiſt. 15. ubi habetur: *qui ſincera intentione extraneos a Chriſtiana Religione ad fidem rectam adducere cupiunt, blandimentis, non aſperitatibus, debent ſtudere .... Agendum ergo eſt, ut ratione potius, & manſuetudine provocati, ſequi nos velint, non fugere.* Et epiſt. 45. lib. 1. ſimilia habet. Et Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 41. *Porro illis,* inquit, *violentia, ut credant nullatenus inferenda eſt. Nam omne quod ex voto non eſt, bonum eſſe non poteſt: ſcriptum eſt enim; voluntarie ſacrificabo tibi.* Tertio, dicitur, quod Gregorius Turonenſis Chilperici factum non commendavit, dicens cap. 17: *hoc modo baptizatos corpore tantum, & non mente fuiſſe.* S. Amandus Dagoberti literas executioni non dedit; legitur enim, ipſum tantum, *verbum Dei ſemper prædicaſſe, & quos ex captivitate redimebat, baptizaſſe.* Saxones ad Chriſti Religionem non fuerunt a Carolo Magno compulſi, ſed allecti; legitur enim apud Alcuinum epiſt 7. *Carolum Magnum ſua ſollicitudine, devotione, & benignitate, per veræ ſalutis conſilium, per optimam voluntatem, Saxones convertiſſe.* Quarto, aliud eſt, aliquem invitum & reluctantem baptizare, & aliud eſt, aliquem ſive minis, ſive blandimentis,

adducere, ut velit baptizari; primum enim nunquam eſt licitum; ſecundum vero ſic. Et hæc doctrina colligitur ex cap. *Majores de bapt.* ubi ſic loquitur Innocentius III. *Inter invitum, & invitum, coactum & coactum, alii non abſurde diſtinguunt, quod is, qui terroribus, atque ſuppliciis, violenter attrahitur, & ne detrimentum capiat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis, (ſicut & is, qui ficte ad Baptiſmum accedit) & characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervationem fidei Chriſtianæ.* Et antea dixerat: *Religioni Chriſtianæ eſſe contrarium, ut aliquis ſemper invitus, & penitus contradicens, compellatur ad recipiendam, & conſervandam fidem Chriſtianam.*

Pro tertia tandem Diſſertationis parte, quæ eſt de baptiſmo Clinicorum, ſeu illorum, qui in lectulo mortis baptizabantur; ſcire oportet, quod Chriſtiani antiquitus non pauci, ne peccatorum maculis poſt baptiſmum ſe pollucrent, ſed ſacra unda mundati recto tramite ad Cœlum pergerent, baptiſmum procraſtinabant, ſuſcepturi ipſum non niſi in extrema ſenectute, vel morti proximi, in lectulo decumbentes, quando jam amplius peccate non poterant. Chriſtiani iſti *Clinici* dicebantur a voce græca κλίνη, quæ importat lectum; unde κλινικὸς idem erat, ac *lectuarius*, qui ſcilicet ſic graviter infirmabatur, & quaſi incurabiliter, ut e lectulo nunquam ſurgeret. Iſtos, quando baptizabantur, baptiſmi caracterem recipere agnoverunt antiqui Eccleſiæ Patres, ipſorumque baptiſma ut ratum ſemper Eccleſia habuit. Cæterum ſancti Patres, ut eos ab hac peſſima, & periculoſiſſima conſuetudine quam longe abducerent, inter alia dicebant, eos non aſſequuturos gloriam, ob quam aſſequendam in fine vitæ recipiebant baptiſmum, ſed tantum evitaturos ſupplicia, quippe qui talentum ſuſcepiſſent, ſed non adhibuiſſent negotiationem talenti, neque ob infirmatem ulla bona opera exercuiſſent. His ſtantibus, inveſtigandum modo venit, an hæc rigore theologico a ſanctis Patribus dicta ſint, & revera Clinici baptiſmi effectu privati fuerint? an vero, (ut ſæpe aſſolent) oratorio more loquuti fuerint?

Dicimus II., Clinicos, qui ſcilicet baptiſmum uſque ad mortem differebant, & eum moribundi ſuſcipiebant, ſi debitas adhibuiſſent diſpoſitiones, baptiſmi effectu non fuiſſe fruſtratos, ſed cæleſtem beatitudinem fuiſſe potius aſſequutos.

I. Probatur Concluſio, quia nullū invenitur in Scripturis determinatū tempus a Chriſto pro baptiſmi ſuſceptione: ergo valebat baptiſmus quocunque tempore, vel loco, conferebatur. Neque etiam in traditione quidquam reperire eſt, ex quo conſtet, baptiſma ad finem uſque vitæ dilatum gratiæ effectum, cæleſtis beatitudinis pignus, non producere; immo contrarium multorum piorum hominum exempla demonſtrant. II. Si pro Clinicis baptiſmus gratiæ effectum non conferebat, fruſtra illis collatus fuiſſet, fruſtra illi eum poſtulaſſent, qui in lectulo decumbebant extremam diem obituri: contrarium autem praxis communis oſtendebat. III. Nullus unquam in dubium revocavit, quin Pœnitentiæ Sacramentum cum debitis diſpoſitionibus a morti proximis ſuſceptum ipſis peccatorum actualium remiſſionem, gratiamque, contulerit. Quum ergo baptiſmus ſic ſe habeat, in ordine ad originale peccatum, ſicut ad actuale pœnitentia, indubium eſt, illum etiam Clinicis originale condonaſſe, & gratiam contuliſſe.

Objiciunt I. ex Nazianzeno Orat. 26., ubi diſcrimen quoddam conſtituit inter ſalutem, & gloriam, ſeu ſalvari, & gloriam conſequi; vultque, nonnullos eſſe Adultos, alioquin baptizatos, qui ſalutem acquirant, non gloriam; ſalutem autem interpretatur, nullo cruciatu affici. En ejus verba: *negotiatione creſcat talentum, non autem terra obruatur; inter gratiam baptiſmi, ac mortem, temporis aliquid intercedat, ut non ſolum mala ſcriptura deleatur, ſed etiam melior inſcribatur; nec ignis tantum ſupplicium effugiat, verum etiam gloriæ hæreditatem percipiat, quam negotiatio dono adjuncta conciliat.* II. Ex Baſilio, qui *Adhortat. ad bapt.* circa finem ſimilia habet verbis hiſce: *Cum vero etiam ſcienter gratiam baptiſmi ſuſceperis, tu talentum quidem habes; quæſtum autem non affers.* III. Nyſſenus dividit trifariam futuræ vitæ ſtatus: primo loco ponit Juſtos, quorum meritis

ritis reſpondet præmium: ſecundo, eos, qui nec pœna, nec præmio afficiuntur, quales, ait, eſſe baptizatos, qui nulla bona opera exercuerunt, & mortem objerunt: tertio, impios, quibus pro demeritis decernitur pœna, & infligitur. At Nazianzenus ſecundo loco ponit Infantes ſine baptiſmo morientes: quod igitur diſcrimen inter hos ponendum erit? videntur enim hi Doctores inter ſe minus convenire.

Reſpondemus ad I. & ad II. cum Arcudio; hæc omnia ſanctorum Patrum, & alia ſimilia loca, ſano modo intellecta, hoc ſolum ſibi velle, ut per ſalutis vocem extremus beatitudinis gradus, hoc eſt, qui non acquiritur meritis etiam propriis, ſignificetur; per gloriam vero gradus ille Beatitudinis, qui additis etiam propriis meritis acquiritur: unde ſæpius Sancti Patres hæc duo commemorant, & ſimul conjungunt; *præclara facinora, & ſplendorem alterius vitæ*. Quod etiam ex eo probari poteſt, quia Nazianzenus in eadem oratione de baptiſmo dicit: infantes non baptizatos, nec cœleſti gloria, nec ſuppliciis, a juſto Judice afficiendos; & reddit rationem, utpote qui, licet ſignati non fuerint, improbitate tamen careant; atque hanc jacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint. Si ergo addatur illis baptiſmus, prorſus inanis erit, ſi per illum non conſequentur gloriam: immo vero conſequentur; idque indicant verba Nazianzeni: ſi enim non baptizati ideo non afficiuntur gloria, quia non ſunt baptizati, ſeu obſignati: ergo ſi erunt baptiſmate obſignati, gloriam conſequentur; ſed non illum gloriæ gradum, quem conſequuntur illi, qui cum mundo, carne, & Dæmone fæliciter dimicarunt. Itaque etiam a pari, qui in extremo vitæ baptiſmum ſuſcipiebant, gloriam quidem conſequebantur, ſed non tantum gloriæ, quantum conſequuntur ii, in quibus propria merita intercedunt. Sic ergo accipienda eſt illa ſanctorum Patrum loquutio, alioquin nec orthodoxa eſſet, nec a nobis recipienda.

Ad III., certe comparatio in ſecundo loco nequit fieri, quantum ad omnia, inter Infantes non baptizatos, & baptizatos, qui nulla bona opera exercuerint, & mortem objerint; ſed ſolum quoad aliqua. Et hoc probamus ipſo Nazianzeno teſte, qui, quum dicat, iccirco gloria cœleſti non eſſe afficiendos parvulos illos, quod baptiſmo ſignati non fuerint, ſupponit certe, gloria cœleſti eſſe donandos, qui eo fuerunt obſignati, etſi nulla bona opera exercuerint, ſicut revera juxta illum donandi forent parvuli illi, ſi baptiſmo obſignati eſſent, etſi nulla propria merita haberent. Statuit ergo Nazianzenus pueros ſine baptiſmo mortuos in ſecundo loco ſimul cum iis, qui baptiſmum ex negligentia ad mortem uſque procraſtinarunt, quia quum medium participet de utroque extremo, quantum ad unum, & diſſet quantum ad aliud, pueri illi commune habent cum iis, qui ſunt in tertio loco, viſione beatifica privari; diſtant vero per hoc, quod nulla, aut modica pœna ſenſus, torqueantur, ſecundum variam Doctorum ſententiam, & etiam quia nulla demerita perſonalia habent, ſed tantum originale peccatum. Conveniunt adhuc cum his, qui ſunt in primo loco, per hoc, quod nulliter, aut admodum leviter, ſenſibiliter torqueantur, & per hoc, quod demerita perſonalia non habeant, & differunt per hoc, quod viſione Dei priventur; unde hoc pacto ponuntur parvuli iſti in ſecundo loco, ſed non eodem modo, & ſecundum eundem reſpectum, quo ibidem Clinici collocantur.

Pro ultima denique Diſſertationis parte, quæ eſt de baptiſmo miniſtrando Amentibus, Furioſis, atque Energumenis, præmittimus quoque, a primis Eccleſiæ ſeculis quemcunque Adultum admiſſum ad baptiſmum fuiſſe, cujuſcunque nationis eſſet, vel ætatis. Et quidem hoc patet ex Apoſtolo epiſt. ad Galatas cap. 3. ubi dicitur: *quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque fæmina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*. Ex quibus verbis conſtat, nullum fuiſſe unquam a baptiſmo repulſum, ſive Judæus, ſive Gentilis fuerit, ſi illum aliquando petiiſſet, & deinde in infirmitate peteret, quanvis Catechumenus nunquam fuiſſet. Et hoc patet ex epiſt. 1. Siricii, Romani Pontificis, ad Hime-

Himerium Tarraconenſem, in qua legitur cap. a. *Quicunque etiam in diſcrimen naufragii hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuſlibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, & ſibi unice credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri, eodem, quo poſcunt, momento temporis expetitæ regenerationis præmia conſequantur.*

Dicimus III., Amentes, & furioſos a nativitate, aut a pueritia, perpetuo his morbis laborantes, baptizari poſſe, ſicut baptizantur Infantes. Qui vero amentia, vel furore, ex intervallis laborant, non ſunt baptizandi, niſi baptiſmum ante amentiam, vel furorem, aut in lucidis intervallis, poſtulaverint. Energumeni tandem baptizandi ſunt, etiam urgente neceſſitate, aut opportunitate data, præſertim ſi ſint Catechumeni.

Prima pars Concluſionis probatur, quia illis, ſicut Infantibus, ſatis eſt Fides Eccleſiæ, ac illorum intentio, a quibus offeruntur, quales ſunt Suſceptores, & Patrini. Unde Concilium Arauſicanum I. Can. 13. præcipit; *Amentibus quæcunque ſunt pietatis conferenda ſunt.*

Secunda Concluſionis pars probatur quoque, quia prædicti jam habuerunt intentionem recipiendi baptiſmum, dum libera intervalla habuerunt, adeoque eſt in ipſis intentio habitualis, quæ ſufficit.

Tertia Concluſionis pars probatur pariter, quia quando prædicti ratione fruebantur, & baptiſmum non petierunt, oſtenderunt, ſe nullam habere intentionem recipiendi baptiſmum; iis autem, qui intentionem non habent, nec habuerunt, non ex defectu naturæ, ſed voluntatis, baptiſmus adminiſtrandus non eſt. Et hoc docet Innocentius III. in cap. *Majores* extra *de Bapt. & ejus effectu* in quo legitur: *dormientes, & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent, quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare, etſi fuerint ſic immerſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti: ſecus autem ſi prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi; unde tales in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptizare.* Accedit Concilium Carthaginenſe III. Can. 34., ubi ſtatuitur, *quod ægrotantes, ſi per ſe reſpondere non poſſunt, quum voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſui ſunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* Inſuper Concilium Arauſicanum I. Can. 12. *Subito obmuteſcens, prout ſtatus ejus eſt, baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis, aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.*

Quarta Concluſionis pars, quæ eſt de Energumenis probatur quoque ex Concilio Arauſicano I. Can. 15. *Energumenis Catechumenis, quantum vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de baptiſmate conſulendum.* Et antiquius Arauſicano Concilium Illiberitanum Can. 37. præceperat, *eos, qui a ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet.*

DISSERTATIO CCCXLVIII

De Diſpoſitionibus ad baptiſmum. Quænam ſint diſpoſitiones ad baptiſmum valide recipiendum? Quænam ſint ad recipiendum baptiſmum licite? An fuerit aliquando uſus, quo vel mortui baptizarentur, vel baptizarentur vivi pro mortuis?

Aliquæ diſpoſitiones requiruntur, ut baptiſmus valide recipiatur, aliæ autem ut licite. Primi generis ſunt *intentio*, & *libertas*; ſecundi generis vero *fides*, & *dolor* de peccatis cum propoſito non peccandi de cætero. Verum diſpoſitiones iſtæ non in Pueris exiguntur, ſed in Adultis: Puero enim in Parentibus, vel in Eccleſia, fidem habent, & intentionē, ſeu conſenſum, quia ſicut Parentes credunt, ita & per Parentes, vel per Eccleſiam, aliquo modo conſentiunt. De illis ergo diſpoſitionibus in Adultis requiſitis hac in Diſſertatione ordinatim agendum eſt. Et

Primo de intentione. Certum eſt autem ex iis, quæ diximus quū de Sacramentis in genere ageremus, ſufficere, ut talis intentio ſit habitualis, & non requiri, ut ſit actualis, aut virtualis: probationes, quas ibi adduximus, videantur. Diximus etiam ibi, talem intentionem nec debere pro objecto habere effectum Sacramenti, nec externum tantum Sacramenti ritum, ſed Sacramentum ipſum; unde ſi alicui exterius baptiſmum petenti, & illi ſerio ſe ſubjicienti, interius autem dicenti, nolo baptizari, baptiſmus daretur, talis baptiſmus inanis eſſet ac nullus; quicquid in contrarium dicat Jueninus, ſatis, quum de intentione Miniſtri, in Diſſertationibus de Sacramentis in genere, confutatus. Hinc improbabilis videtur opinio Cajetani, quem ſequitur Ledeſma, cum aliis quibuſdam recentioribus Theologis apud Gonetum, putantis, ad valorem baptiſmi in Adulto ſufficere, quod ad illum mere negative, ſeu indifferenter, ſe habeat, illi non conſentiens, nec diſſentiens.

Dicimus I., requiri neceſſario ad baptiſmi valorem poſitivam aliquam intentionem recipiendi illum, ſive ſit præſens, ſive ſit præterita.

I. Probatur Concluſio ex Auguſtino, qui refertur Can. *cum a multis* diſt. 4. *de Conſecrat.*, ubi legitur: *neminem renaſci ex aqua, & Spiritu Sancto, niſi volentem.*; ſed qui mere negative ſe habet, non eſt volens: ergo &c. II. Ex S. Thoma hic art. 7. ad ſecundum, dicente: *ſi Adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentū eſſet rebaptizandus* III. Quia nequit Adultus ad novam Religionem tranſire, & fidei novam obligationem contrahere, niſi expreſſe conſentiat. IV. Si abſque poſitiva intentione poſſet valide baptizari, quis poſſet etiam valide baptizari cum intentione non ſuſcipiendi Sacramentum baptiſmi: hoc autem eſt falſum: ergo &c. Sequela probatur; quia in iis, in quibus conſenſus non exigitur, diſſenſus nihil obſtat, ut patet in venditione mancipii, cujus conſenſus nec prodeſt venditioni, nec diſſenſus officit. Quis autem contradicens baptizari nequit, quia ad baptiſmi valorem requiritur etiam libertas. Unde ad ſecundam diſpoſitionem accedimus.

Secundo de libertate. Hæc libertas diſtinguitur; vel enim eſt libertas, *ſimpliciter*, vel eſt libertas *ſecundum quid*; quæ etiam dici ſolet *libertas abſoluta & conditionata*; unde Adultus, qui expreſſe repugnaret, & contradiceret

ret baptiſmi receptioni, invalide baptizaretur; qui vero ex metu cadente in conſtantem virum permitteret ſe baptizari, utpote quia minis, aut flagellis ſic cogeretur, ut potius eligeret baptiſmum, quam illa pati, valide baptizaretur.

Dicimus II., validum eſſe baptiſmum, etſi recipiatur ex metu cadente in conſtantem virum, ut dictum eſt modo ſecundo loco.

I. Probatur Concluſio ex Innocentio III. relato in cap. *Majores*, extra *de Baptiſmo & ejus effectu*, cujus hæc verba ſunt. *Id eſt Religioni contrarium, ut ſemper invitus & penitus contradicens ad recipiendam & ſervandam chriſtianitatem aliquis compellatur. Propter quod inter invitum & invitum, coactum & coactum, alii non abſurde diſtinguunt, quod is, qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat baptiſmi ſuſtipit Sacramentum, talis, (ſicut & is, qui ficte ad baptiſmum accedit,) characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei chriſtianæ. In quo caſu debet intelligi decretum Concilii Toletani, ubi dicitur, quod qui jam pridem ad chriſtianitatem coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſebuti.... Ille vero, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti, quia plus eſt expreſſe contradicere, quam minime conſentire.* II. Ex S. Thoma in 4. diſt.6. q.1. art.2. quæſtiunc.3. in fine corporis. *Sciendum, quod non requiritur in Adulto voluntas abſoluta ſuſcipiendi, quod Eccleſia confert, ſed ſufficit voluntas conditionata, ſicut eſt in voluntariis mixtis, ut dicitur 3. Ethicor. cap.2. Et ideo ſi ſit coactio ſufficiens, ita quod principium ſit ex toto extra, nihil conferente vim paſſo; ut cum aliquis reclamans mergitur violenter, tunc talis nec Sacramentum recipit, nec rem Sacramenti. Si autem ſit coactio inducens, ſicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat baptiſmum ſuſcipere, quam talia pati, tunc ſuſcipit Sacramentum, ſed non rem Sacramenti.* III. probatur ratione, quia, ut ait Gonetus, quanvis aliquis terrore compulſus baptizetur, nolit quidem conditionate baptizari, ſub conditione ſcilicet, quod poſſet, quæ tunc metuit, vitare, vult tamen baptizari abſolute; ſicut qui metu tempeſtatis merces in mare projicit, abſolute vult illas projicere, quanvis ſecundum quid, & ſub conditione vellet illas retinere. Verum hic eſt advertendum, quod ille talis non ficte & ſimulate baptizetur, ſed veram habeat intentionem ſubjiciendi ſe baptiſmo, quanvis coacte, ut dictum eſt; quia ſi ſimulate ſubjiceretur, baptiſmus eſſet nullus, defectu intentionis quidem, quanvis validus appareret ratione libertatis; & ideo contra Gonetum non approbamus uſum, quem ipſe ponit in 3. Tomo ſuæ Theologiæ moralis in primo caſu practico ex Tractatu de baptiſmo, non quidem propter libertatis defectum, ſed intentionis; & ipſe male accipit verba Innocentii laudati, quia ibi nulla eſt mentio intentionis, ſed libertatis; & quanvis dicatur, *ſicut is, qui ficte &c.*, illud nihilominus intelligitur de fictione, quæ habetur per obicem, non vero de fictione, quæ coincidit cum ſimulatione.

Arguunt I. Ex Auguſtino lib.7. cont. Donatiſtas cap.53., dicente, *eos habere baptiſmum, qui quanvis fallaciter illum accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt*; ſed fallaciter ſuſcipere eſt ſimulate, & abſque conſenſu ſuſcipere; ergo &c. II. Ex eodem tractatu 16. in Joan. aſſerente, *accipere quiſquam poteſt Sacramentum nolens: credere non poteſt niſi volens*, ergo non requiritur voluntatis conſenſus. III. Matrimonium juſto metu contractum eſt invalidum, & nemo acquirit jus per injuriam: ergo qui coactus baptizatur, non tenetur parere Eccleſiæ, adeoque valide nō eſt baptizatus. IV. Ex decreto pro Armenis in Concilio Florentino, in quo ad perfectionem uniuſcujuſque Sacramenti ſolius intentionis miniſtri ſit mentio; ſuſcipientis nulla: ergo &c. V. Ex Innocentio III. cap. *Majores* dicente quod *tunc characterem imprimit ſacramentalis operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem*: ergo non requiritur voluntas conſentiens, ſed ſatis eſt, quod non ſit contraria. VI In parvulis non requiritur talis conſenſus: ergo neque in Adultis; nam *una fides, unum baptiſma*. VII. Peccatum Originale contrahitur ſine conſenſu; ergo & remit-

remittitur ſine illo. VII. Baptizari eſt quiddam pati; quod autem patitur non neceſſario exercet aliquem actum, ut patiatur. IX. Auguſtinus lib.4. Confeſs. cap.4. de quodam ſuo Amico refert, quod quum Manichæus eſſet, & in morbo lethali ſine ſenſu jaceret a medicis deſperatus, Catholici eum baptizaverunt; ut autem ad ſe rediit, virtute baptiſmi, quem ignorans receperat, vere Catholicum effectum, priſtino errori renunciavit, & e vita deinde migravit. Hîc ſane nullus præceſſit conſenſus. X. Innocentius III. decrevit valide baptizatos in Hiſpania Judæos, qui deinde dicebant, ſe dum actu baptizarentur, interius baptiſmi receptioni contradixiſſe: ergo non requiritur, nec intentio, nec libertas.

Reſpondemus ad I., Auguſtinum pro fallacia intelligere fictionem, qua quis in peccato mortali Sacramentum ſuſcipit; unde non eſt fallacia reſpectu baptiſmi, ſed reſpectu præparationis, de qua in Sacramentis in genere loquuti ſumus, quum de Sacramentorum obice ageremus.

Ad II.; diximus alibi Auguſtinum loqui de Sacramento Euchariſtiæ, non baptiſmi, ut ex ejus verbis eſt manifeſtum, dicit enim; *intrare quiſquam Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad Altare poteſt nolens; accipere Sacramentum poteſt nolens, credere non poteſt niſi volens*. Et ſi perſiſtant Adverſarii, quod ſit de baptiſmo intelligendus, ſubjungimus modo, quod loquatur de eo, qui conditionaliter eſt nolens, non vero abſolute; ſicut eſt, qui terroribus & plagis compulſus baptiſmum recipit, qui ſecundum quid eſt nolens, non tamen ſimpliciter & abſolute eſt invitus, ut dictum eſt ſupra.

Ad III., dicitur, quod in Matrimonio eſt ſpecialis ratio, propter rationem contractus, qui diſpoſitione juris ſic diſpoſitus eſt, ut omnimode ſit liber, tanto magis in illorum ſententia, qui dicunt contrahentes eſſe miniſtros,

Ad IV. Concilium Florentinum enumerat tantum ea, quæ ſunt omnibus Sacramentis communia; intentio autem ſuſcipientis non eſt communis omnibus Sacramentis, ut patet in ſuſcipiente Euchariſtiam, & in baptiſmo parvulis collato.

Ad V. Pontifex loquitur de dormientibus, & Amentibus, qui antecedenter habuerunt conſenſum; & in iſtis actu ſatis eſt ſi non ſit obex contrariæ voluntatis obſiſtens, quia antea fuit conſenſus, & ſupponitur etiam perſeverare per non retractationem.

Ad VI. Quanvis ſit unicus Parvulorum, & Adultorum baptiſmus, ſingulis tamen juxta illorum capacitatem miniſtrandus eſt.

Ad VII. Peccatum originale remittitur quidem ſine conſenſu propriæ voluntatis iis, qui non ſunt capaces hujuſmodi conſenſus, modo illis baptiſmus adhibeatur. In Adultis tamen debet eſſe conſenſus, & quia tranſeunt ad novum ſtatum, & hic tranſitus debet eſſe voluntarius, & quia ſupponuntur ut plurimum peccata etiam actualia.

Ad VIII. In patiente voluntario requiritur, quod habeat, vel habuerit, aliquam actionem, qua ſe diſponat ad recipiendum formam introducendã, ut patet in juſtificatione Adulti.

Ad IX. S. Thomas ait, quod in illo præceſſerit aliquis conſenſus ante Infirmitatem; ſed hoc videtur contra Auguſtini narrationem; Eſtius dicit, quod fuit operatio extraordinaria Dei præter communem inſtitutionis ſuæ legem. Convenientius autem dici poteſt, quod latenter fuerit ille talis a Deo tactus, ut baptiſmum animo cuperet, licet propter morbi vim deſiderium ſuum nemini indicare potuerit, ut in ſancto Geneſio accidit.

Ad X. Diximus ſuo loco, Judæos illos reſtitiſſe effectui Sacramenti, non Sacramenti ſuſceptioni; modo addimus, quod illorum reſiſtentia & coactio fuit conditionate talis, non abſolute, ut ad tertium argumentum dictum eſt; & hæc reſponſio eſt ſolidior.

Sed quanvis, ut diximus, ratus ſit Infidelium baptiſmus, qui minis, terroribus, & pœnis compulſi baptiſmum poſtularunt, & tandem conſentientes receperunt, illique ad fidem ſervandam, & chriſtiane vivendum, cogi poſſint; alienum tamen eſt ab Eccleſiæ ingenio, & diſciplina, ut ſic ad baptiſmum ſuſcipiendum Infideles compellantur. Et probatur I., quia prædicatione, & ſuaſione, non minis, & terroribus, & pœnis, homines ad Chriſtianam Religionem Chriſtus adduci voluit: unde Tertullianus

lib:

lib. de Præſcriptionib. Hæret. cap.5. ait: *non eſt Religionis, cogere Religionem*: & S. Gregorius magnus lib.2. epiſt.52. *Paſtores facti ſumus, non percuſſores*: & Paulus egregius Prædicator dicit II. Ad Timoth.4. *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina*: nova ergo & inaudita eſt prædicatio iſta, quæ verberibus exigit fidem. II. Concilium Toletanum IV. Sub Siſenando Rege, Præſide S. Iſidoro Hiſpalenſi Can.57. inquit. *De Judæis hoc præcipit ſancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; cujus enim vult Deus, miſeretur; & quem non vult, indurat, non tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ*. III. Clemens Papa III., qui refertur cap. *ſicut Judæi* extra *de Judæis* habet; *ſtatuimus ut nullus, invitos, vel nolentes Judæos, ad baptiſmum venire compellat*.

Opponunt nihilominus I. Infideles, iique præcipue, quibus prædicatum eſt Evangelium, baptiſmum tenentur ſuſcipere: ergo poſſunt minis, pænisque, cogi ad illum ſuſcipiendum; nemini enim fit injuria, quando id ab eo exigitur, ad quod tenetur. II. Wiſigothi in Hiſpania legem hanc fecerunt, ut Judæi baptizari nolentes, flagellis & exilio punirentur. III. Legem hanc, aliaſque ab Errigio Rege latas approbarunt, & confirmarunt Concilium Toletanum XII. c. 19., Toletanum XIII. c. 9., Toletanum XVI. c.1. & Toletanum XVII. c.8., quæ poſtrema Synodus ſub Egica Rege legem confirmavit ab eodem Egica Rege editam de Judæis perpetua ſervitute plectendis. IV. Concilium Toletanum IV. Siſebutum tanquam religioſum Principem laudavit, quod Infideles ad fidem coegiſſet, ut Scotus ait. V. Virgilius Arelatenſis, & Theodorus Maſſilienſis, Epiſcopi, vi potius, quam prædicatione, ad baptiſmum perducebant. VI. Carolus Magnus Saxones Infideles vi etiam ad Baptiſmum, & fidem adegit, ut ex Alcuino patet, & ex Rheginonis Chronico apud Baronium ad annum 776. n.4.

Reſpondemus ad I., Infideles poſitivi, quibus ſcilicet prædicatum eſt Evangelium, tenentur quidem baptiſmum ſuſcipere; ſed quum in iis, quæ ad fidem ſpectant, homo homini non ſubdatur, ſed Deo, hinc fit, quod Infideles illi pœnis, miniſque, ab hominibus intentis, cogi non poſſunt, ut baptizentur.

Ad II. Fuerunt quidem mores illi in Hiſpania, ſed contra veriorem, & antiquiorem Eccleſiæ diſciplinam fuerunt, ut in Concilio Toletano IV., & Epiſcopi leges illas tulerunt, ut Regibus ſuis morem gererent; ab Eccleſia Romana tamen leges illæ non probatæ fuerunt, ut conſtat ex Innocentio III., & ex Clemente III. alibi relatis.

Ad III., eadem eſt reſponſio, & de ultimo Toletano Concilio dicitur, quod lex illa lata fuerit præcipue; quia Judæi Regni faſtigium per conſpirationem uſurpare tentabant: ſed & Epiſcopi etiam ad Regum nutum leges condebant, & confirmabant.

Ad IV. Falſo dicit Scotus, quod Concilium Toletanum IV. legem Siſibuti confirmaſſet, quum hoc idem Concilium legem contrariam Siſibuti legi fecerit. Religioſum quidem appellat Siſibutum, quia zelum habuit compellendo Infideles ad baptiſmum, ſed non zelum ſecundum ſcientiam, ut dicitur in Iſidori Chronico.

Ad V. S. Gregorius Papa lib.1. epiſt.45. ad Virgilium, & Theodorum, laudavit quidem eorum intentionem, ſed factum non probavit, & prohibuit, ne ulterius progrederentur.

Ad VI., dicitur, quod Saxones prius baptiſmum cum pace petierunt; accepto autem baptiſmo, quum Carolus ad Saracenos fugandos in Hiſpanias profectus eſſet, Saxones ab eo rebellarunt, & tunc Carolus coegit eos, ut ad fidem, quam antea cum pace amplexi fuerant, redirent. Rheſginon hæc narrat; Alcuini autem epiſtola ſuppoſititia eſt, quum ſit potius Willelmi Malmesburienſis Monachi l.1. *de geſtis Regum Angliæ*, cap.4.; & huic Auctori nulla habenda fides contra tot alios contrarium teſtantes. Videatur Nicolai contra Lanoium in Diſſert. poſteriori de baptiſmi antiquo uſu ab Eccleſia comprobato.

Quas explicavimus uſque modo, ſunt diſpoſitiones neceſſariæ in ſubjecto ad baptiſmum valide recipiendum, ut diximus, intentio ſcilicet, & libertas. Remanet modo, ut agamus de illis, quæ requiruntur ad baptiſmum recipiendum licite; & ſunt, ut pariter

riter dictum eſt, Fides, & dolor; pro quibus quæ ſequuntur ponimus

Dicimus III. Fidem neceſſariam eſſe Adultis ad baptiſmi gratiam conſequendam.

I. Probatur ex Scripturis. Marci ultimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Ad Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: accedentem tamen ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Actor. 8. refertur, quod quum dixiſſet Philippo Eunuchus; *ecce aquam, quis probibet me baptizari?*: Philippus dixit: *ſi credis ex toto corde tuo, licet: & reſpondens ait: credo filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum, & ſic baptizatus eſt*. Ad Rom. 3. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem*. Matth. 28. *docete baptizantes*: quibus verbis præcipitur, ut Adulti, qui baptizari debent, antecedenter ad baptiſmum doceantur, & inſtruantur; ſed de quibus inſtrui debeat, niſi de fide, quam debent per baptiſmum profiteri?

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Bracarenſe II. habet, quæ referuntur in cap. *ante* diſt. 4. de *Conſecratione*. Concilium Agathenſe can. 12., quæ referuntur in cap. *Symbolum*, eadem diſt. Eadem pariter habentur in cap. *non liceat*, & in cap. *prima*, eadem diſt.

III. Probatur ex Eccleſiæ praxi, quæ ſemper interrogavit baptizandos, an crederent?, & antiqua diſciplina erat, tradere Catechumenis, qui dicebantur *Competentes*, Symbolum, quod ſtata ante baptiſmum die redderent, ſive memoriter in Eccleſia ex altiori loco in cõſpectu populi fidelis recitarent; ut legitur apud Auguſtinum in locis mox citandis.

IV. Probatur ex Patribus. Auguſtinus lib. 8. Confeſs. cap. 2. *Denique, ut ventum eſt ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis, retentiſque memoriter, de loco eminentiore in coſpectu populi fidelis, Romæ reddi ſolet ab eis, qui acceſſuri ſunt ad gratiam tuam, oblatum eſſe dicebat Victorino a Presbyteris, ut ſecretius redderet; ſicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat: illum autem maluiſſe ſalutem ſuam in conſpectu ſanctæ multitudinis profiteri. Non enim erat ſalus in Rhetorica, quam docebat, & tamen eam publice profeſſus erat. Quanto minus ergo vereri debuit manſuetum gregem tuum, pronuncians verbum tuum, qui non verebatur in verbis ſuis turbas inſanorum? Itaque ubi aſcendit, ut redderet, omnes ſibimet invicem, quiſque ut eum noverat, inſtrepuerunt nomen ejus ſtrepitu gratulationis. Quis autem ibi non eum noverat? Et ſonuit preſſo ſonitu per ora cunctorum collætantium: Victorinus, Victorinus. Cito ſonuerunt exultatione, quia videbant eum; & cito ſiluerunt intentione, ut audirent eum. Pronunciavit ille fidem veracem præclara fiducia, & volebant eum omnes rapere intro in cor ſuum, & rapiebant amando, & gaudendo. Hæ rapientium manus erant*. Eadem fere habet Auguſtinus lib. 1. *de Symbolo ad Catechumenos* ſermon. 212. *de diverſis*, ſerm. 213. *de tempore*. Idem Auguſtinus aſſerit expreſſe, quod non requiratur fides ad baptiſmum valide ſuſcipiendum lib. 3. *de bapt.* cap. 14. verbis hiſce. *Non intereſt, cum de Sacramenti integritate, & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum*. Auguſtino conſonant Patres alii paſſim.

Dicimus IV., ad baptiſmi gratiam obtinendam neceſſariam eſſe in Adultis Pœnitentiam, ſeu dolorem ſincerum de peccatis antea commiſſis, qui peccandi voluntatem excludat.

I. Probatur ex Scripturis. Actor. 2. dicebat Petrus: *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Actor. 3. *pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. Ad Rom. 6. aperte oſtenditur, qui baptizatur, mori debeat peccatis.

II. Probatur ex ſanctis Patribus Ex Tertulliano lib. de præſcriptionib. Hæretic. cap. 6. *lavacrum illud obſignatio eſt fidei, quæ fides a pœnitentiæ fide incipitur, & commendatur, & deinceps luculentius, & expreſſius*. Ex Chryſoſtomo hom. 13. in epiſt. ad Hebr., & refertur cap. *quando* diſt. 4. *de Conſecrat.* Ex Auguſtino, qui in lib. *de fide & operibus* totus eſt, ut quorundam errorem refellat, omnes citra diſcrimen ad baptiſmum admittendos eſſe credentium, & contra eos oſtendat, non ſolam fidem, ſed & pœnitentiam, baptizandis eſſe neceſſariam.

III. Probatur ex Eccleſiæ conſuetudine, qua conſtat, ex veteri diſciplina fuiſſe Confeſſionem baptiſmo præmiſſam,

cujus conſuetudinis teſtes ſunt, Tertullianus lib. *de bapt.* cap.19., Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 1. Myſtagogica, Nazianzenus Orat.40., Chryſoſtomus hom.10.in Matth.,aliique. Hæc autem Confeſſio non erat ſacramentalis, ſed actus virtutis pœnitentiæ, Deo, non Sacerdoti, neceſſario facta; generalis, qua ſe Catechumeni peccatores profitebantur, & peccata deflebant, non particularis, qua peccata ſigillatim exponerent; ut S. Thomas docet q.68. art.6.

IV. Probatur Rationibus ex S. Thoma, & præcipue quoad excluſionem ulterioris voluntatis peccandi. I. quia, qui voluntatem habet peccandi, non poteſt eſſe Chriſto conjunctus; *quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate?*; ſed qui baptizatur, Chriſto incorporatur, ut ad Galat.5.: *quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*: ergo &c. II., quia nullus habens voluntatem peccandi, ſimul poteſt a peccato mundari, ad quod baptiſmus ordinatur: hoc enim eſſet ſimul contradictoria ponere.III., quia in ſacramentalibus ſignis non debet eſſe aliqua falſitas; eſt autem ſignum falſum, cui res ſignificata non reſpondet. Si ergo aliquis dum ſe lavandum præbet per baptiſmum,ſignificatur diſponere ſe ad interiorem ablutionem; quomodo hoc evenire poteſt, ſi ipſe habet propoſitum in peccato perſeverandi?

V. Demum probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ.6.c 6. ubi habetur: *ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pænitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet*; & deinceps etiam expreſſius loquitur.

Obſtant I. In baptiſmo infunditur habitus fidei; ergo non eſt neceſſe, quod præcedat actualis fides, quia in habitibus infuſis actus ſupponunt habitus, a quibus derivant, ad aquiſitorum diſtinctionem, qui ſupponunt actus, per quos producuntur. II. Ex cap. *ſicut* diſt.4.*de Conſecrat.* quod eſt S. Auguſtini lib.3. *de bapt.*cap.14. ubi habetur; *non intereſt, cum de Sacramenti integritate, & ſanctitate tractatur, quod credat, & quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum*. Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt. III. Ex eodem Auguſtino lib.7. *de bapt.* cap.53. ubi ait, quod *valet baptiſmus aliqua fide receptus*: ergo ſine fide non valet. IV. cap. *ſine pænitentia*,diſt.4. *de Conſecrat*. dicitur expreſſe, ad baptiſmum ſufficere ſolam fidem: ergo non eſt neceſſarius dolor. V. Eunuchus a Philippo baptizatus nihil amplius dixit, quam *credo &c.*, nec aliud ab eo Philippus exegit: ergo &c. VI. Per baptiſmum remittuntur omnia peccata actualia; ad quod ergo neceſſaria eſt pœnitentia?: fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora.

Reſpondemus ad I. cum Bellarmino lib: *de Sac. bapt.*c.11., duplicem fidem requiri in baptiſmo,actualem ſcilicet, & habitualem; illa præcedit Baptiſmum, ut diſpoſitio quædam, & ea eſt, quæ a baptizandis exigitur, quando jubentur recitare ſymbolum, & interrogantur, an credant; & hæc ut plurimum, judicio gravium Doctorum,non eſt ex habitu fidei, ſed ex auxilio ſpeciali Dei; unde Catechumeni cum iſta fide adhuc non dicuntur fideles a Patribus. Altera eſt, quæ ſequitur baptiſmum, & quæ eſt pars eſſentialis juſtificationis,& hæc non eſt actus, ſed habitus;& hanc intelligunt baptizandi, quum interrogati, quid petant, reſpondent, fidem,vitam æternam præſtantem, ut dicitur in Tridentino ſeſſ.6. cap.7.

Ad II. S. Auguſtinus loquitur de Sacramento, quantum ad characterem, non quantum ad gratiam.

Ad III. dicitur, quod requiritur, ut Adultus ſciat ritum, qui ſibi applicatur, eſſe Sacramentum a Chriſto inſtitutum; aut ſaltem pro tali haberi a Societate, quæ a nonnullis vera Eccleſia exiſtimatur, ut Sacramentum valeat; ſed non requiritur, Adultum vere credere, ritum illum eſſe vere, & a parte rei, Sacramentum; aliter baptiſmus Atheorum eſſet nullus.

Ad IV. Capitulum illud nullius eſt authoritatis,quia de ſumptū eſt ex Commentario in epiſtolas Pauli, qui Ambroſio tribuitur, ſed revera eſt Hilarii Diaconi Luciferiani, hominis ſcilicet in fide minime ſani.

Ad V. Auguſtinus lib: *de fide & operibus*, ait, alia fuiſſe omiſſa brevitatis gratia ab Hiſtorico, quemadmodum reliquit cætera, quæ narranda erant cit-

circa collationem baptiſmi, & quæ tamen ſcimus implenda ſerie traditionis.

Ad VI. Neceſſaria quidem eſt pœnitentia, ſed non tanquam forma peccatorum remiſſiva, ſed tanquam diſpoſitio, ſine qua forma illa introduci nequit, & recipi in anima.

Pro Infantibus autem, & pro ipſorum fide, erravit Lutherus dicens lib. 1. *de captivit. babylonica*; „ fidem actualem, aut aliquod fidei actuali ſimile „ in parvulis reperiri „: Idem ipſe, licet ſic docuiſſet, antequam Anabaptiſtæ orirentur, his tamen ortis, librum contra eos ſcripſit anno 1528., ubi quum ad hoc argumentum de Fide Infantum deveniſſet, dixit: „ nihil intereſſe ſive credant, ſive non „ credant: fundari baptiſmum non ſuper fidem dantis, aut recipientis, „ quæ incertiſſima eſt, ſed ſuper Dei „ mandatum, & inſtitutionem. „ Sic docuit verſatilis & incoſtans Hereſiarca in homiliis *de bapt.* anno 37. & 40. habitis. Sequaces tamen ejus primam ipſius ſententiam nimis duram habuerunt; unde in Conciliabulo Wittembergenſi ſic eam temperarunt, ut primo, rejiciendi ſint, qui docent, Infantes ſine aliqua ipſorum actione ſalvari; ſecundo, quanvis non intelligatur, qualis ſit actio illa, tamen certe in ipſis fiunt ſancti, & novi motus, ut in Joanne Baptiſta in utero exultante; tertio, licet Infantes non intelligant, tamen motus ipſorum ſunt ſimiles fidei, & dilectionis motibus.

Dicimus V. cum Eccleſia Catholica, Infantes non habere fidem actualem, nec tamen omni fide carere: non habere ullos novos motus, & inelinationes ſimiles fidei, & dilectionis motibus, ſeu actibus, ſed habere fidem habitualem, & propterea fide aliena credere, & aliquatenus etiam propria, ipſa ſcilicet baptiſmi ſuſceptione.

I. Probatur Concluſio. Deuteronomii I., & Jonæ ultimo dicitur, *Infantes non cognoſcere diſtantiam boni, & mali*: ergo fidem actualem non habent. Rurſus Nazianzenus Orat. *in ſancta lumina* dicit, *Infantes ſine ſenſu ſanctificationis ſanctificari*. Auguſtinus epiſt. ad Dardanum, ridere videtur hanc Lutheri ſententiam, ut qui humanis ſenſibus injuriam faciat. Ulterius, quomodo fides oritur in pueris ſine revelatione, aut immediate a Deo pueris facta, aut ab ipſis percepta per organum verbi Dei, vel auditi, vel lecti?; quæ omnia pueris non conveniunt; non quidem immediate, quia alias eſſent Prophetæ; nec per organum, quia parvuli habent aures, & non audiunt, habent oculos, & non vident, ut diſcurrit Auguſtinus.

II. Probatur. Motus illi, ut Adverſarii dicunt, eſſent ſine cognitione, & dicerentur Fides; ſed in tota Scriptura nuſquam reperire eſt nomen Fidei in ea ſignificatione; immo in contraria; dicitur enim ad Hebr. 11.: *fide intelligimus*: & alibi: *fides ex auditu*: ergo &c. Præterea, illi motus, vel ſunt in corpore, vel in anima; ſi primum, motus corporales non poſſunt eſſe ſimiles motibus fidei, & dilectionis, qui ſunt ſpirituales: ſi ſecundum; quomodo poſſunt eſſe ſine cognitione?

III. Probatur. Auguſtinus lib: *de peccator. merit. & remiſſ.* cap. 27. ait: *parvulis eſſe credere ipſum baptizari; quia nimirum ipſa actio eſt fidei profeſſio*: quibus ſimilia habet ep. 23. 1 quemadmodum etiam Eccleſia de ſanctis Innocentibus loquitur, quando ait, *eos non loquendo ſed moriendo, Chriſtum confeſſos eſſe*: ergo aliquo modo habent fidem propriam, ipſam ſcilicet baptiſmi ſuſceptionem;

IV. Probatur. Habent etiam fidem alienam, vel Parentum ſcilicet, vel Patrinorum, vel totius Eccleſiæ, quæ ut loco fidei ſe habeat, conſtans eſt ſanctorum Patrum traditio; ut apud Auguſtinum lib. 3. *de libero arbitrio* c. 23.: Auctorem libri *de cæleſt. Hierarch.* c. ult.: Auctorem Quæſtionum ad Orthodoxos, quæ tribuitur Juſtino q. 45.: Auctorem Commentar. in epiſt. S. Pauli, quæ Ambroſio adſcribitur in cap. 2. ad Hebr. 1 Proſperum lib. *de vocatione Gentium* cap. 8., ſi etiam illius eſt Auctor: Bernardum Serm. 66. in Cantica; denique & pro omnibus apud ipſum Tridentinum ſeſs. 7. can. 13.

Objiciunt I. Si Infantes non crederent, illuderetur Sacramento ſacrilego mēdacio, dum reſpondetur pro infante, *credo*, qui tamen non credit. II. Matth. 18. habetur: *qui ſcandelizaverat unum de puſillis iſtis, qui in me credunt*

dunt &c. ergo puſilli revera credunt. III. Joannes Baptiſta exultavit in utero: non ergo mirum, ſi Infantes habeant novos motus, ſimiles actibus fidei, & dilectionis. IV. Patres Græci, & multi ex Latinis, vocant baptiſmum *illuminationem*, & baptizatos *illuminatos*: ergo neceſſe eſt, ut in eis vel ſit fides, quæ dicitur *lumen mentis*, aut aliquis motus fidei actibus ſimilis: V. Infantes ſalvari poſſunt: ergo oportet recipere Spiritum Sanctum, & proinde aliquam ejus operationem; at non poſſunt recipere fidem in cognitione: ergo novum motum ſine cognitione recipient. VI. Tandem fides illa aliena parvulis ad quid prodeſt?

Reſpondemus ad I., nullum ibi eſſe mendacium; qui enim reſpondet *credo*, non intelligit de propria, ſed de aliena fide, & ſicut, ut ait Auguſtinus ſerm. 10. *de verbis Apoſtoli*, Eccleſia accommodat parvulis pedes alienos, ut veniant, ita & alienum cor, ut credant, alienam linguam ut confiteantur, quia nimirum alieno peccato gravati ſunt.

Ad II. Non ſunt Infantes puſilli illi, ſed pueri, qui a Domino vocantur ad ſe, & capaces ſcandalizari dicuntur.

Ad III. Joannes Baptiſta habuit motus illos cum cognitione, ut ait Ambroſius, & Beda in Commentar. illius loci; immo indicat Evangelium, quum dicat, quod *exultavit in gaudio*; gaudium autem cognitionem ſupponit. Cæterum unum exemplum non facit regulam, ut ait Auguſtinus.

Ad IV. Illuminatio illa habetur ſufficienter per fidem habitualem.

Ad V. Habitus fidei recipitur ab Infantibus; ſed talis habitus neque eſt fides cum cognitione, neque eſt motus ſine cognitione. Quod Infantes recipiant habitus fidei, ſpei, & charitatis, aliquando in quæſtione fuit, ſed affirmans ſententia ſemper communior fuit. Sic docet S. Thomas, Scotus, Durandus, aliique fere omnes. Concilium Viennenſe dixit, hanc ſententiam eſſe probabiliorem; & Tridentinum ſeſs. 6. cap. 7. aſſerit expreſſe, *in baptiſmo cum remiſſione peccatorum fidem, ſpem, & charitatem infundi &c.*

Ad VI. Fides aliena prodeſt parvulis, ut baptiſmum recipiant; niſi enim Parentes eorum crederent, ipſi forſan minime baptizarentur; prodeſt etiam, ut per illam fidem alienam Deum colant, quemadmodum per alienum peccatum Deo facti ſunt inimici. Quamvis talis fides Parentum nõ ſit neceſſaria ad eſſentiam baptiſmi, ſed ad ſolemnitatem; immo ut Bellarminus ait ex Auguſtino relato in
„ Can. *quærit* diſt. 4. *de Conſecrat.*, offe-
„ runtur quippe parvuli ad percipien-
„ dam ſpiritualem gratiam, non tam
„ ab eis, quorum geſtantur manibus,
„ (quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni
„ fideles ſunt,) quam ab univerſa ſocie-
„ tate Sanctorum, atque fidelium; ab
„ omnibus namque offerri recte intelli-
„ guntur, quibus placet, quod offerun-
„ tur, & quorum ſancta atque indivi-
„ dua charitate ad communicationem
„ ſancti Spiritus adjuvantur.

Pro ultima tandem Diſſertationis parte ſciendum eſt, Apoſtolum I. ad Corinth. 15. hæc ſcripſiſſe: *alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgant? ut quid & baptizantur pro illis?* Verba iſta baptiſmo, quem pro mortuis diximus, dedere locum: difficilia enim ſunt nimis, ita ut Interpretes in diverſas abiere ſententias, ut ipſa explicarent. Nobis in animo eſt illorum modo explicationes referre, unam ex ipſis, quæ accomodatior videbitur, ſeligere, & alias confutare.

Primo, Dionyſius Carthuſianus ſic explicat: *quid facient, qui baptizantur?*; hoc eſt, *lacrimis pœnitentiæ, ſeu aquis afflictorum perfunduntur pro mortuis, ideſt, pro remiſſione peccatorum mortuis impendenda*. Sed non eſt a verborum ſacræ Scripturæ nativo & proprio ſenſu recedendum, quando juxta literam poſſunt commode exponi, ut docet S. Auguſtinus lib. 4. *de doctrina chriſtiana* cap. 20. Ut quid autem verbum [illegible] pro corporis, animive vexatione accipere, quæ ſit ſponte ſuſcepta, quum nullum tale in ſacris literis invenire ſit, & non potius in ſuo proprio ſignificato ſumere, quum nullum inde inconveniens ſubſequatur? Cæterum ſi talis fuit verborum Pauli ſenſus, quare quando Aerius ſeculo IV. pro mortuis orandum negabat, nemo ex Patribus hunc ei Pauli locum objecit?

Secundo, aliqui particulam *pro mortuis* volunt accipi pro peccatis ſalutari lavacro abluendis; & hoc ideo, quia in Scripturis peccata dicuntur gene-

rare

rare mortem. Sed contra, quia ibi non dicitur νεκρῶ ſed, νεκρῶν, ideſt homines mortui, qui iis opponuntur, quos Paulus reſuſcitandos ait: *ſi omnino non reſurgunt*. Quomodo ergo per ly *pro mortuis* intelligeret peccata, & deinde per ly *mortui* intelligeret homines, quum ubique dicat νεκρῶν, non νεκρῶ?

Tertio, aliqui intelligunt de illis, qui in lectulo mortis baptizabantur, hoc eſt *pro morituris*. Sed Paulus non dicit; *quid facient hi, qui baptizantur mortui*, ideſt, *jam jam morituri*, ſed habet; *qui baptizantur pro mortuis?* Unde fit clarum, non eoſdem eſſe, & illos, qui baptizantur, & illos, propter quos baptizantur: dicta autem interpretatio pro iiſdem accipit.

Quarto, alii interpretantur pro mortuis corporibus ad vitam ſuſcitandis. Sed contra eſt, quia maxime diſtant baptizari pro mortuis, & baptizari propter ſpem reſurrectionis a mortuis.

Quinto, alii ſic explicant: *quid facient, qui pro reſurrectione mortuorum defendenda, moriuntur?* Sed etiam, aliud eſt propter mortuos, aliud propter doctrinam reſurrectionis mortuorum. Ulterius accipere *baptizari* pro *mori* nec congruum videtur.

Sexto, volunt alii, quod Apoſtolus vel ſpectaverit ablutionem mortuorum, ultimumque cadaverum lavacrum, antequam efferantur, vel luſtrationem eam, quæ ex Moyſis lege præcipitur a mortui contactu. Sed ſi hoc eſſet, potius dixiſſet Paulus, *quid facient, qui baptizant, vel abluunt mortuos, vel qui baptizantur a mortuo*, & non *pro mortuis*. Cæterum nullum ex his eſſe poterat reſurrectionis ſymbolum, ad quam Paulus reſpiciebat.

Septimo, alii intelligunt *pro mortuorum ſtatu*, ut ſcilicet ſibi poſt mortem bene ſit. Sed, ut ſupra diximus, alii debent eſſe, qui baptizantur, ab illis, pro quibus baptizantur; & etiam quia vox νεκρῶν non mortuorum ſtatum, ſed mortuos præciſe ſonat.

Octavo, quidam volunt, per ly *pro mortuis*, vel deſignari Chriſtum, propter quem lavacrum inimus, vel Adamum, qui mortem nobis ſcelere ſuo intulit, vel Martyres eo ævo paſſos, quorum exemplo animati complures Chriſto nomen dabant. Sed facilius Paulo fuiſſet, ſi de Adamo loquebatur, dicere, *pro Adamo*, ſi de Chriſto, dicere, *pro Chriſto*, & non abſolute *pro mortuis*. Martyres autem præter Stephanum, & Jacobum, tempore, quo hæc ſcribebatur epiſtola, nulli alii erant.

Nono, Lutherus, Kemnitius, aliique ſimilis notæ homines, *baptizari pro mortuis*, intelligunt ſuper *martyrum ſepulchris* in arcis, ſive cæmeteriis &c. Sed tunc Martyrum paucitas ſumma, tunc pauciſſima ſepulchra, tunc ubique locorum mos baptizandi erat.

Decimo demum, Petrus Cluniacienſis epiſt. cont. Petrobuſianos, aliique, volunt, quod tunc temporis quidam bona, ſed non ſana, voluntate pro mortuis non baptizatis baptizabantur, æſtimantes, baptiſma, quod dum viverent non perceperant, ſi pro ipſis mortuis vivi baptizarentur, ipſiſmet mortuis poſſe prodeſſe. Apoſtolus autem, dicebat ipſe, talem baptiſmum non probat, ſed baptizatorum voluntatem laudat. His poſitis.

Dicimus VI., nunquam in uſu fuiſſe in Eccleſia pro mortuis baptiſmum ſuſcipere: præfatum autem Apoſtoli locum ſic debere intelligi: *quid facient, qui baptizantur pro mortuis*, ideſt, *propter mortuos*, ſeu ex occaſione mortuorum illorum, ſic morte territi, ut æternam damnationem evadant, ſi omnino mortui non reſurgunt.

Probatur hæc omnia I. Vox græca ὑπὲρ, quam vulgatus Interpres vertit *pro*, aliquando etiam ſumitur, & legitur *propter*, ut ex aliis Scripturæ locis patet. Ad Epheſ. enim 1. dicitur: *gratias agens pro vobis*: ὑπὲρ ὑμῶν, ſcilicet *propter vos*; propter nimirum illam veſtram fidem, dilectionemque, de qua audio &c. II. ad Corinth. 12. dicitur, *occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis*; hoc eſt, *cauſa noſtra*, vel *propter nos*. E profanis autem Scriptoribus infinita exempla Lexicographi ſuppeditabunt.

II. Probantur ex ipſa Hiſtoriæ narratione, ex qua res manifeſta fiet. Eo anno morbus invaſerat Corinthios, quo plurimi moriebantur. Inter hos haud pauci erant, qui, ut ait Pantænus in Parænesi ad Pœnitentes, ad altare veniebant, indigni nimirum Catechumeni; quamobrem imminentis mortis metu, propter mortuos, occaſione ſcilicet mortuorum, quorum maximus erat numerus, alii precabantur,

tur, ut baptizarentur, quia quo minus vitæ reſtare illis videbatur, ſollicitius baptiſmum, ne morte prævenirentur, expoſcebant. Hæc autem cura inanis profecto fuiſſet, ſi mortui non reſurgerent, ut Apoſtolus argumentabatur. Cladem autem illam accidiſſe, ipſemet Apoſtolus teſtatur ejuſdem epiſt. c. 11. *ideo inter vos*, inquit, *multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*; quibus verbis, ut Auguſtinus ſerm. 10. *de diverſis* explicat, morbos, & mortes, in ipſis immiſſos Apoſtolus ſignificat. *De mortibus*, verba ſūt Auguſtini, *quæ contingunt ea vindicta, ait quodam loco Apoſtolus Paulus, corripiens eos, qui male tractabant corpus, & ſanguinem Chriſti; propterea in vobis multi infirmi, & ægri . . . multi in vobis dormiunt, hoc eſt moriuntur; flagello enim Domini corripiebantur, ægrotabant, & moriebantur*. Et luculentius infra. Et Hilarius Diaconus „ Multi moriebantur, inquit, ut in his cæteri viverent, & paucorum exemplo territi emendarentur.

III. Probantur, quia non ſolum Pauli tempore, ſed etiam Auguſtini ætate, propter mortuos, ideſt mortis metu, plurimi baptizabantur. Serm. 4. ex iis, quæ Sirmundus edidit, hæc habet: *vapor eſt vita humana ſuper terram; accedunt etiam ipſius fragilis vitæ tanta & tam quotidiana pericula. Terremotus magni de Orientalibus nunciantur; nonnullæ magnæ repentinis collapſæ ſunt Civitates: territi apud Hieroſolymam Judæi, Pagani, Catechumeni, omnes ſunt baptizati; dicuntur forte baptizati ſeptem millia hominum . . . . Sinſenſis etiam Civitas gravisſimo terrremotu concuſſa eſt, ut omnes quinque diebus in agris manerent, & ibi baptizata dicuntur duo millia hominum. Undique Deus terret, quia invenire non vult, quos damnet.*

Opponunt. Sententia illa Petri Cluniacenſis, ultimo loco poſita, fuit etiam Hilarii Diaconi in laudatum Apoſtoli locum.

Reſpondemus. Tertullianum non rudioribus e Fidelium plebe, (quod nullo argumento ſuaderi poteſt,) ſed Ethnicis, quod eſt verius, judicamus hunc morem adſcribere; attamen ille vanum hunc vicarium baptiſmum appellat, cujus nec Paulus Auctor, nec confirmator fuerit. Cerinthianos quidem in ea fuiſſe ſententia fama refert; ſed ut Epiphanius eſt teſtis hæreſi 28., fama illa obſcura eſt, nec ſatis certa. Vetuſtiores Patres ſilent, Irenæus, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, &c. Marcionitis Chryſoſtomus hunc ritum primus adſcripſit, & ſolus quidem, nam præter illum, nulli Patres, nullæ ſynodi meminere. Sed quanvis iſti Marcionitæ, & Cerinthiani etiam, illius pravi dogmatis inventores fuerint, & Magiſtri, quam longe tamen iſti a temporibus fuerunt, quibus Paulus epiſtolam præfatam ſcripſit; hoc eſt biennio ante Neronis Principatum? Ulterius quanvis tempore Pauli fuiſſent homines errori illi adhærentes, non eſt credibile ex tam levi cauſa, & ex inſano amentium ritu, voluiſſe Apoſtolum argumentum petere ad reſurrectionem probandam, quod ut quiſquis ſolveret, erat prompta & facilis reſponſio; dicendo nimirum, deſipere & delirare id genus hominum, erroremque cumulare errore. Inſuper tam inſignem baptiſmi abuſum, qoomodo nulla animadverſione, ſaltem obiter, caſtigavit Apoſtolus, qui multo leviora in Corinthiis ipſis graviori paſſim cenſura perſtrinxerat? His poſitis, quis fidem Hilario Diacono Luciferiano, in fide parum, aut minime ſano, præſtabit?

DIS-

DISSERTATIO CCCXLIX.

De effectibus Baptiſmi. An per baptiſmum cujuſvis peccati tam culpa, quam pœna, deleatur? & an ultra peccatorum remiſſionem, gratiam etiam conferat, & qualem? Utrum per baptiſmum reddantur homines impeccabiles, & indamnabiles? & an per ipſum irrita fiant omnia Vota? An baptizati teneantur legem Dei, & præcepta Eccleſiæ, ſervare? Et an ſola baptiſmi memoria ſufficiat ad remiſſionem omnium peccatorum, quæ poſt baptiſmum comittuntur?

DUplex in peccato diſtinguitur reatus, reatus culpæ nimirum, & reatus pœnæ; primus eſt, quo anima Dei redditur inimica, ſecundus vero vel eſt pœnæ æternæ, vel pœnæ temporalis: pœna æterna appellat Inferni ſupplicia, pœna autem temporalis, vel Purgatorium importat, vel hujus vitæ pœnalitates. Quod igitur in præſenti quæritur eſt, an per baptiſmum quilibet reatus, ſive culpæ, ſive pœnæ, deleatur?, ſive, quod idem eſt, an per baptiſmum cujuſvis peccati, ſive culpa, ſive pœna, remittatur? Antequam ad Concluſionem deveniamus, Hæreticorum errores recenſemus.

Primo, errarunt *Origeniſtæ* docentes, *peccatum per fidem, & baptiſmum, ſopiri quidem, at non tolli*. Proclus Origeniſta apud Epiphanium hæreſi 64. hæc effutiebat: „ quare conſtat, contrahi „ quidem, ac ſopiri per fidem nunc peccatum, „ ut ne fructus noxios producat, „ non tamen radicitus tolli.... viven„te enim adhuc corpore, antequam „ moriatur, neceſſe eſt ſimul vivere pec„catum.... alioqui poſt illuminatio„nem non contigeret nos injuſta face„re, ut pote peccato penitus ſinceriter „ a nobis ablato. Nunc vero etiam ſæ„pe in peccatis reperimur..... proin„de in auxiliaris medicamenti mo„dum ab auxiliatore noſtro, & vere „ medico Deo, ad eradicationem pec„cati, ac deletionem, aſſumpta eſt mors, „ ut ne perpetuo durans in nobis im„mortale ſit peccatum. „ S. Methodius apud eundem Epiphanium citato loco Procli errorem confutat.

Secundo, *Meſſaliani* dicebant, quod cuilibet homini a nativitate adeſſet Dœmon, cujus dominatum non baptiſmo, ſed oratione repellerent: unde inferebant, quod ex baptiſmo nullum fructum baptizati reportabant. Teſtis eſt Theodoretus lib. 4. Hæreticar. fabular. Hæreſi 11. *Meſſaliani baptiſma dicunt ſuſcipientibus nihil prodeſſe.. malum dæmonem, qui ab initio datus eſt, nec baptiſma, nec aliud quicquam poſſe ab animæ exigere, præter ſolam orationem.*

Tertio, fuerunt alii, qui errarunt, dicentes, per baptiſmum peccata non remitti. Et de his loquebatur Gregorius Magnus lib. 9. Regiſtri epiſt. 39. *Ad me etenim, ſicut noſtis, cum apud veſtigia Dominorum in regia urbe demorarer, multi ex eis venire conſueverant, qui de prædictis capitalis accuſabantur. Sed.... magis ab inſequentibus defendere curabam. Dicebatur namque contra eos, quia ſub obtentu Religionis.... dicerent*

dicerent

Digitized by Google

cerent, quod baptiſma peccata penitus non auferret.

Quarto, Lutherus voluit, per baptiſmum dimitti peccata, at per hoc tantum, quod non imputentur, non vero quod per ipſum tollantur, & deleantur. Hæc ſunt verba Lutheri in art. 2. ex illis, quos Leo X. damnavit: *aliud eſt omnia peccata remitti, aliud omnia tolli: baptiſmus omnia remittit, ſed nullum penitus tollit.*

Quinto, Calvinus eundem Lutheri errorem ſequutus eſt; unde ſcripſit in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 5. *manet vere peccatum in nobis, neque per baptiſmum ſtatim uno die extinguitur, ſed quia deletur reatus, imputatione nullum eſt.* Hoc autem ideo ambo dixerunt, quia putarunt, peccatum originale eſſe concupiſcentiam, quæ ideo in baptizatis remanet; & ſecundum ipſos quoque remanet, quia non tollitur, ſed remittitur, quia remanet obvelata.

Dicimus I., quodlibet peccatum, & originale, & actuale, & quoad culpam, & quoad pœnam æternam, licet non quoad omnem pœnam temporalem, per baptiſmum tolli, remitti, deleri &c.

I. Probatur ex Scripturis. Actorum 2. Petrus ait: *baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum.* Ad Epheſ. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* I. ad Corinth. 6. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis &c.*; quod deſumpſit Apoſtolus ex illo Ezechielis cap. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicenum I., & Conſtantinopolitanum I., ambo generalia, in Symbolo fidei dicunt: *Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Concilium Florentinum in decreto unionis: *hujus quoque Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ, originalis, & actualis.* Concilium Tridentinum ſeſſ 5. Can. 5 *Si quis per Jeſu Chriſti Domini gratiam, quæ in baptiſmo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari: anathema ſit.*

III. Probatur ex Patribus. Tertullianus, aliique veteres Patres cum ipſo, diſcrimen hoc poſuerunt inter baptiſmum Chriſti, & Joannis, quod per baptiſmum Chriſti peccata remitterentur, non ſic vero per baptiſmum Joannis. Cyprianus in epiſt. ad Fidum probat, ideo Infantibus adminiſtrari debere baptiſmum, quia in eis per ipſum originalis peccati reatus tollitur. Auguſtinus lib. 3. *de Symbolo ad Catechumenos* cap. 10. *Omnia prorſus delicta delet ſanctum baptiſma, originalia, & propria; dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur.* Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum. *Omnia ſcorta, & publicæ colluvionis ſordes, impietas in Deum, parricidium, & inceſtus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriuſque ſexus, mutata natura, Chriſti fonte purgantur.* Gregorius Magnus epiſt. 39. Regiſt. lib. 9. *Qui dicit peccata in baptiſmate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.*

IV. Probatur Rationibus. I. Per baptiſmum communicatur nobis virtus paſſionis, & mortis Chriſti; ſed nihil nobis proficeret virtus paſſionis, & mortis Chriſti, ſi per baptiſmum peccata, & quoad culpam, & quoad pœnam, non delerentur: ergo &c. Major eſt S. Thomæ 3. parte q. 6. art. 2. ubi ait; quod *omni baptizato communicatur paſſio Chriſti ad remedium, ac ſi ipſe paſſus & mortuus eſſet.* II. Si baptiſmus non remitteret omnem pœnam, imponeretur baptizato aliqua pœna, vel pœnitentia, ſicut in Sacramento Pœnitentiæ imponitur; ſed hoc non fit ab Eccleſia: ergo mens Eccleſiæ eſt, quod per baptiſmum culpa, & pœna, deleantur. III. Baptiſmus dicitur a Patribus Reſurrectio; ſed non eſſet Reſurrectio, ſi per ipſum culpa, & pœna, non remitterentur: ergo remittuntur. Hæc ratio fundatur in verbis Conſtantini Magni, quæ referuntur ab Euſebio in ejus vita cap. 20. *Reſurrectionis vis hominibus patefacta fuit, & ſi qua labes humanorum ſcelerum reſidebat, illa univerſa ſacro baptiſmatis lavacro abſterſa.* IV. Gentiles Chriſtianos traducebant, eo quod crederent, per Chriſtianos aſſeri, atque teneri, omnia peccata, etiam immania, per ſimplicem unius balnei uſum remitti, atque deleri: ergo jam tunc temporis, etiam apud Adverſarios fidei noſtræ, hoc Eccleſiæ dogma habebatur

quod

Digitized by Google

quod ſcilicet per baptiſmum omnia peccata, etiam immania, & quoad culpam, & quoad pœnam, delerentur.

Objiciunt I. In multis Scripturæ locis peccata dicuntur tegi, non imputari &c., non vero auferri ac perfecte deleri. In Pſal. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Pſal. 1. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccata &c.* II. Concupiſcentia manet in baptizatis; ſed concupiſcentia eſt peccatum: ſi ergo baptiſmus non tollit concupiſcentiam, omnia peccata non delet. III. In primitiva Eccleſia, Catechumenis longa jejunia, eleemoſinæ, continentia ab uxoribus, aliaque pietatis officia imponebantur: ergo non tota pœna peccatorum a baptiſmo remittebatur, ſed etiam aliqua pars ab his pœnitentiis, alias fruſtra impoſitæ fuiſſent. IV. Fames, morbi, mors, aliæque hujus vitæ calamitates, remanent etiam in baptizatis, & tamen ſunt pœnæ originalis peccati. V. Sacramentum pœnitentiæ non remittit peccatum, & quoad culpam, & quoad pœnam: ergo nec Sacramentum baptiſmi.

Reſpondemus ad I. Peccata apud Deum tunc dici tecta, quando non ſunt, quia cum Deo nihil ſit abſconditum, ſi aliquid ipſi tegitur, hoc ipſo deletur; & tunc etiam non imputat, quando tollit, ut ait Auguſtinus, loca illa expendens.

Ad II. Concupiſcentia non eſt peccatum; vocatur peccatum aliquando ab Apoſtolo, quia a peccato relicta eſt, & ad peccatum inclinat. Sic Tridentinum ſeſſ. 5., & Auguſtinus lib. 2 *de peccator. merit. & remiſſ.* cap. 28., & hac ratione S. Joannes epiſt. 1. cap. 2. dicit, concupiſcentiam non eſſe a Deo, quia non ſolum peccatum, ſed omne, quod per ſe ad peccatum inclinat, & peccati fœtus eſt, a Deo non eſt.

Ad III. Illa omnia præmiſſa fuiſſe, non ut ſatisfactiones, ſed ad corrigendos mores, & affectus, ad excitandam contritionem, & devotionem, & alia hujuſmodi.

Ad IV. dicitur, quod ideo in Concluſione diximus, *licet non quoad omnem pœnam temporalem*, quia pœna temporalis in futuro ſeculo, ſcilicet Purgatorium, per baptiſmum tollitur, pœna vero temporalis hujus vitæ, ſeu penalitates, ut loquuntur Theologi, remanent in baptizatis, & hoc propter multas rationes, ut ait Auguſtinus cap. 66. Enchiridii.

Ad V., negatur paritas, quia proinde in pœnitentia imponitur ſatisfactio, quæ non imponitur in baptiſmo; ſatisfactio enim vicem temporalis pœnæ ſupplet, & quia in pœnitentia imponitur ſatisfactio, inde eſt quod per pœnitentiam tota temporalis pœna non remittitur, quæ remittitur per baptiſmum, in quo nulla imponitur ſatisfactio.

Pro altera Diſſertationis parte, in qua quæritur, an ultra remiſſionem peccatorum per baptiſmum infundatur etiam gratia, & qualis? Quanvis de ea multa dixerimus in Diſſertationibus CCCXVII. CCCXVIII. CCCXIX. præſentis hujus voluminis, aliqua tamen etiam ſuperſunt dicenda, quæ hic explicare & ſtatuere non omittimus, quæ etiam ad dictorum in allatis locis confirmationem deſervire poſſunt. Et quidem Catholicis Doctoribus ſemper fuit perſuaſum, gratiam interiorem in baptiſmo produci, at non ſemper eam ſub habitus infuſi nomine appellarunt, ſed ſolo deſinente ſeculo XII. gratia hæc interior nomen illud obtinuit: Innocentius III in cap. *Majores*, primus eſt, apud quem nomen illud inveniatur. Magiſter ſententiarum, qui ante Innocentium vixit, & anno 1164. mortuus eſt, hujuſmodi nomen non uſurpavit. Ab Innocentii autem temporibus, qui obiit anno 1216., in Scholis gratiæ habitualis nomen, ad ſignificandam gratiam baptiſmate productam, invaluit. Clemens V., qui anno 1305. Pontifex eſt factus, eodem nomine in Concilio Viennenſi eſt uſus.. Concilium deinique Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. idem nomen, ſecundum aliquos Scholaſticos, quanvis alii negent, uſurpare videtur. Verba Concilii Tridentini hæc ſunt. *Quanquam enim nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti communicantur; id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejuſdem ſanctiſſimæ Paſſionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret. Unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per*

Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.

Dicimus II. vere in baptiſmo, ultra peccatorum remiſſionem, infundi etiam juſtitiam intrinſecam baptizato, per quam homo ex impio fit juſtus, & hoc gratiæ habitualis nomine intelligi.

I. Probatur Concluſio. Omnes, qui baptizantur, recipiunt gratiam intrinſecam: ergo ultra remiſſionem peccatorum baptizato infunditur gratia intrinſeca. Antecedens eſt certum, quia omnes, qui baptizantur, ſive ſint Infantes, ſive Adulti, & qui obicem non ponunt, juſtitiam recipiunt intrinſecam. Conſequentia ſequitur, ut ex ſe patet.

II. Probatur. Ex Concilio Tridentino ſeſſ.7. *de Sacram. in genere* Can.6., & 7. conſtat, Sacramenta novæ legis conferre gratiam illis, qui eadem ficte, hoc eſt cum obice, non recipiunt; ſed hæc gratia non eſt actualis, at habitualis & intrinſeca: ergo baptiſmus confert gratiã habitualem & intrinſecam illis, quibus confertur. Major eſt doctrina Tridentini, quod definit Can. 6.: *ſi quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint accepta per fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quadam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur Fideles ab Infidelibus: anathema ſit.* Et can.7. *Si quis dixerit non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus: anathema ſit*, Minor probatur, Gratia, quæ per baptiſmum datur permanet in iis, qui nullum deliberatum actum eliciunt, ut patet in Infantibus, in Dormientibus, in Amentibus &c.; ſed hæc nequit eſſe gratia actualis: ergo &c.

III. Probatur. Communis fuit ſemper Patrum doctrina, per baptiſmum renovari hominem interius, ſanctificari, interius mutari &c.; ſed hæc omnia proveuire non poſſunt niſi a gratia intrinſeca: ergo gratia intrinſeca ſecundum omnes Patres per baptiſmum infunditur. Probatur minor. Renovatio animæ, mutatio ejuſdem, regeneratio, ſanctificatio &c., non ſunt quid extrinſecum animæ, nec quid tranſiens, ſed quid intrinſecum & permanens: ergo nec provenire poſſunt, nec ſalvari, per gratiam extrinſecam, nec per gratiam actualem, quæ tranſit, & non permanet.

IV. Probatur. Gratiam habitualem intrinſecam, quæ per baptiſmum infunditur, docent Patres, quod virtutes comitentur; hinc a S. Cypriano dicitur baptiſmus, *mors criminum, vita virtutum*, Concilium Viennenſe pariter docet, tam Adultis, quam Parvulis, in baptiſmo conferri gratiam informantem, & virtutes; quod & pariter definit Concilium Tridentinum loco a nobis nuper citato: ergo pariter gratia per baptiſmum infuſa intrinſeca eſt.

Opponunt I. Innocentius III. cap. *Majores*, refert, problematicum fuiſſe inter Doctores, an parvulis per baptiſmum gratia conferatur?; aliqui enim aſſerebant, per baptiſmi virtutem parvulis culpam quidem remitti, ſed gratiam non conferri; & tamen hos Innocentius non damnavit: ergo &c. II. Clemens V. de hac eadem controverſia in Concilio Viennenſi agens, non definivit, ad fidem pertinere, baptiſmo gratiam informantem parvulis infundi, ſed tantum ipſam tanquam probabiliorem elegit, non vero ut de fide certã. III. Si tot virtutes in baptiſmo infunduntur, cur aliqui ab Infantia ſunt ita ad malum proclives?; cur repugnantia, difficultate, & labore tanto, virtutum actus exercent?. IV. Hos effectus, vel baptiſmus æqualiter confert, vel inæqualiter?; ſi æqualiter: cur ergo alii ſunt proni ad malum ab adoleſcentia ſua, alii vero ad omnia virtutis officia videntur facti?; ſi inæqualiter: cur ergo unum baptiſma, & una fides?

Reſpondemus ad I., & ad II.; quod aliud eſt dubitare de receptione inhærentis gratiæ, ac permanentis, quam nunc habitualem dicimus; aliud eſt de illius natura diffidere. Diſputabant Scholaſtici, an illa inhærens gratia eſſet habitus infuſus?, an vero actus virtualiter in baptizato remanens?, an ipſemet Spiritus Sanctus, qui illius aut actus, aut habitus, vices gereret?. Primum ergo erat indubitatum; de ſecundo erat quæſtio, de quo etiam intelligendi ſunt Innocentius, & Clemens. Legatur hac de re Saguens noſter; & Medina in 1. 2. q. 110. art. 2. hanc

hanc concluſionem ponit : *non eſt certum ſecundum doctrinam fidei, quod gratia ſit habitus infuſus in anima inhærens; nam hoc non colligitur ex ſacris literis, neque ex traditione eccleſiaſtica, neque ex defitionibus Conciliorum; & Concilium Tridentinum, (ut bene admonet Soto lib. de natura & gratia cap. 118.) conſulte abſtinuit a nomine habitus, ſed tantum definivit, hominem juſtificari per juſtitiam infuſam in cordibus noſtris, quæ illi inhæret*. Illud etiam animadvertendum ſubdit, quod illa juſtitia interior, & inhærens, & illa mutatio voluntatis, qua peccator ex pravo fit rectus, poteſt fieri duobus modis, uno modo per infuſionem alicujus qualitatis ſupernaturalis in anima, ut Theologi de peripatetica Schola docent; alio modo poteſt fieri ſine infuſione alicujus qualitatis permanentis, ſed per ſolam motionem divini auxilii. Utrum vero Deus, concludit, efficiat hanc interiorem renovationem per aliquam qualitatem permanentem, & infuſam, Concilium Tridentinum non definit; non enim illa quæſtio pertinebat ad id, quod erat in Concilio propoſitum.

Ad III. Virtutes quoad habitum infuſæ continuo ſtudio, & exercitio colendæ ſunt, ut ſemper magis ſuperetur difficultas, quæ naſcitur ex carnis pugna adverſus ſpiritum, quæ poſt baptiſmum relicta eſt. Pelagiani dicebant, hominem per virtutes haſce ſic renovari, ut in poſterum ſine peccato viveret; contra quos Hieronymus Dial. 1 cap. 8. ſcripſit.

Ad IV. Æqualiter baptiſmus effectus ſuos producit in illis, qui æqualiter ad illum ſe habent: pueri æqualiter ſe habent, unde & æqualem baptiſmi effectum percipiunt. Ad argumentum autem propoſitum Auguſtinus reſpondet lib. 3. cont. Creſconium cap. 6. *Nec obeſt illa major intractabilis ingenii pervicacia in quibuſdam parvulis, qui non ſunt ſortiti animam bonam, quia ex diverſa corporis & temperamenti diſpoſitione, ad quam ſanandam baptiſmus eſt inſtitutus, proficiſcitur*.

Pro tertia Diſſertationis parte, duo apud veteres extiterunt errores, quorum unus erat, hominem vere baptizatum non poſſe amplius peccare; & ſi peccaret, tinctum non fuiſſe, niſi ſola aqua. Jovinianus fuit hujus erroris Auctor, teſte Hieronymo lib. 2. cont. Jovinianum. Alter vero error erat aliorum, qui, ut refert Auguſtinus lib. 21. *de Civitate Dei* cap 25., volebant, baptizatos damnari non poſſe, etiamſi perditiſſime viverent, modo ab Eccleſia Catholica non recederent. Proximis tamen temporibus Lutherani, & Calviniani, utramque inſaniam ſaltem ex parte renovarunt; Calvinus ſiquidem in Antidoto Concilii Tridentini ſeſs. 7. *de baptiſmo* dicit expreſſe : „ baptiſmo tanquam
„ Dei Chirographo nos certiores reddi
„ de perpetua adoptionis gratia, homi-
„ nemque ſemel vere juſtificatum non
„ poſſe unquam excidere a gratia, & ſa-
„ lute. „ Lutherus vero lib. *captivit. Babylon.* cap. *de baptiſmo* ait : „ non
„ poſſe hominem baptizatum damnari,
„ niſi nolit credere; ita ut nullum pec-
„ catum ſit, quod poſſit hominem dam-
„ nare, præter incredulitatem. „

Dicimus III, falſum omnino eſſe, quod per baptiſmum præſtetur, ut baptizati non poſſint Dei gratiam amittere, & non poſſint damnationem incurrere, niſi tantum ſi credere nolint.

I. Probatur ex Scripturis; & quidem multæ ſunt, quæ hominem baptizatum, & gratia Dei donatum, ſæpe ſæpius admonent, ut cum timore, & tremore, ſalutem ſuam operetur; ut ad Roman. 2 : *tu fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time* : ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati .... & prolapſi ſunt, rurſus renovari per pœnitentiam*. Ulterius Scripturæ monent baptizatos ne peccent. Ad Rom. 6. dicit Apoſtolus, quod *ſi ſecundum carnem vixerint, morientur*. I. ad Corinth. 6. *Nolite errare; neque fornicarii, neque fures, neque Adulteri .... regnum Dei poſſidebunt*. Ex quibus verbis patet, poſſe quempiam poſt baptiſmum receptũ incidere in peccatum, & damnationem incurrere. Denique Scripturæ ipſæ teſtantur contrarium exemplis, quæ referunt; & præcipue de Simone Mago Actor 4., quem dicunt crediſſe, & baptizatum fuiſſe, & tamen deinde a gratia excidiſſe, & in hæreſim fuiſſe prolapſum.

II. Probatur contra Calvinum. Si verum eſt, quod ipſe aſſerit, cur ergo fuerunt Apoſtatæ, cur fuerunt Hæretici? Hos autem fuiſſe, omnes conſentiunt, immo Scriptura ipſa clamat

I. ad Timoth. 1. ; *quidam circa fidem naufragaverunt* . I. ad Timoth. 4. : *noviſſimis temporibus quidam diſcedent a fide* .

III. Probatur ex Concilio Tridentino ſeſs. 7. can. 6. *de baptiſmo* : *ſi quis dixerit baptizatum non poſſe , etiamſi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, niſi velit credere ; anathema ſit* . Et Can. 7. *Si quis dixerit , baptizatos per baptiſmum ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri , non autem univerſæ legis Chriſti ſervandæ ; anathema ſit* .

Obſtant I. Joannis cap. 3. dicitur ; *Omnis, qui, natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet , & non poteſt peccare , quoniam ex Deo natus eſt* . Sed qui per baptiſmum renaſcuntur, nati ſunt ex Deo; ergo , qui per baptiſmum renaſcuntur, non peccant , nec poſſunt peccare ; ergo inpeccabiles fiunt . II. I. etiam Joannis cap. 5. : *qui natus eſt ex Deo, non peccat , ſed generatio Dei conſervat eum* ; atqui per baptiſmum naſcimur Deo, & regeneramur; ergo inpeccabiles efficimur. III. Ita peccata omnia conjuncta ſunt cum infidelitate , ut non poſſit fides cum ullo mortali peccato conſiſtere ; ergo qui receperunt fidem per baptiſmum, vel peccare non poſſunt , vel ſi peccant, illico amittunt fidem . IV. Fides ita conjuncta eſt cum juſtificatione, ut non poſſit juſtificatio amitti , niſi amittatur fides ; ergo qui habet, & retinet fidem , nullum poteſt committere peccatum , adeoque perire non poteſt .

Reſpondemus ad I. , teſtimonium illud Joannis intelligendum eſſe de Chriſto; dicitur enim v. 5. ejuſdem capitis de Chriſto : *& ſcitis , quia ille apparuit , ut peccata noſtra tolleret , & peccatum in eo non eſt* . Poſt quæ hæc ſubdit. *Omnis, qui natus eſt ex Deo , peccatum non facit , quoniam ſemen ipſius in eo manet , & non poteſt peccare , quoniam ex Deo natus eſt* .

Ad II. , dicitur , quod verba illa intelligenda ſunt in ſenſu compoſito , ſicut intelligi debent illa alia verba ; *non poteſt arbor bona malos fructus facere* ; ſcilicet, dum manſerit bona ; ita ut non poſſit conſiſtere juſtitia cum peccato mortali , nec eſſe juſtus , qui male agit . Sic exponunt Auguſtinus tract. 5. in epiſt. Joannis , & Hieronymus lib. cont. Jovinianum .

Ad III. Falſa eſt propoſitio illa Lutheri, quia poteſt haberi fides , & non haberi charitas ; ergo poteſt ſtare fides cum peccato mortali , quod charitati opponitur , & cum ea eſt incompatibile , non autem cum fide . Unde Paulus docet I. ad Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem , ita ut montes transferam , charitatem autem non habuero , nihil mihi prodeſt* : per quæ verba Paulus docet, poſſe haberi fidem , & non haberi charitatem. Neque Lutherus dicat, per fidem in præfatis verbis intelligi fidem miraculorum, quia Paulus dicit *omnem fidem* .

Ad IV. Falſa eſt etiam illa altera propoſitio Lutheri ; & quamvis verum ſit, quod non poſſit amitti fides , niſi amittatur juſtificatio , non tamen eſt verum , quod non poſſit amitti juſtificatio , niſi amittatur fides . Hæc autem omnia ex falſo Lutheri principio proveniunt , quo putat , homines juſtificari per fidem; quod quidem principium in ſequenti Concluſione evertemus .

Pro quarta Diſſertationis parte , recentiorum Hæreticorum error eſt , Lutheri ſcilicet, Calvini, Kemnitii &c., ſolam fidem homini baptizato ad ſalutem ſufficere , & nec Dei legem , nec Eccleſiæ mandata obſervare debere ; unde aſſerunt , Chriſtianos per baptiſmum liberari a ſervanda Dei lege . Unde nos contra ipſos

Dicimus IV , Chriſtianos baptizatos teneri & legem Dei , & Eccleſiæ præcepta , ſervare .

I. Probatur ex Scripturis . Matth. 19. Adoleſcenti interroganti, *quid faciam, ut habeam vitam æternam?*, non reſpondit Chriſtus , *crede tantum* , ſed , *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* . Et Diſcipulos ſuos ad baptizandum & prædicandum mittens , dicebat illis : *docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*. Epiſtola canonica S. Jacobi Apoſtoli cap. 2. dicitur ; *fides ſi non habeat opera , mortua eſt* ; & n. 24. : *videtis , quoniam ex operibus juſtificatur homo , & non ex fide tantum* . Inſuper Matth. 18. de præceptis Eccleſiæ dicit pariter Chriſtus; *ſi Eccleſiam non audierit , ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*. Et Lucæ 10. *qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit , me ſpernit* . Ulterius Actor. 15. Apoſtoli decreverunt , ut Gentiles ad fidem Chriſti converſi & bapti-

Digitized by Google

baptizati, ab immolatitiis, a ſanguine, & ſuffocato, & a fornicatione, abſtinerent. Similia referuntur Actor.16.; & ad Hebr.13.: *obedite Præpoſitis veſtris, etiam diſcolis, & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Ex quibus verbis patet apertiſſime, quod Eccleſia habeat auctoritatem condendi leges conſcientiam obligantes, adeoque Chriſtianos illis obedire debere, & ab eis non ſolvi per baptiſmum, quo Eccleſiæ membra, Filii, Cives, & ſubditi fiunt.

II. Probatur ex Concilio Tridentino ſeſs.7. Can.8. de bapt. *Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, ita ut ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint; anathema ſit*. Et ſeſs.6. can.20. *Si quis hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum; quaſi vero Evangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ æternæ ſine conditione obſervationis mandatorum: anathema ſit*.

Arguunt I. Populus Chriſtianus in libertatē vocatus eſt, teſte Apoſtolo II. ad Corinth.3., & ad Galat.4.; ſed libertati repugnat, eſſe ſubjectum legibus Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum etiam I. ad Corinth. 7.: *pretio redempti eſtis; nolite fieri ſervi hominum*: ergo &c II. Ex illo Matth. 15. *ſine cauſa colunt me, docentes doctrinam & mandata hominum*: ergo Chriſti cultores per baptiſmum ab obſervatione mandatorum Eccleſiæ liberantur. III. Ex illo Iſaiæ 33. *Deus judex noſter, Deus legiſer noſter*: & Jacobi 4.: *unus eſt Legiſlator*: ſoli ergo Deo tenentur obedire baptizati. IV ex cap. *duæ cauſæ* cauſa 19. q.2: *qui lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut publica conſtringatur*; ſed lege privata Spiritus Sancti ducuntur, qui per baptiſmum Filii Dei facti ſunt, & ſpiritu Dei aguntur: a legibus ergo humanis ſunt liberi: unde ait Apoſtolus I. ad Timoth.1.: *lex juſto non eſt poſita*.

Reſpondemus ad I, libertatem chriſtianam eſſe *libertatem non a legibus, ſed a peccato*, ut Apoſtolus docet ad Rom.6.; eſſe *libertatem a ſervitute, & captivitate Diaboli*, ut docet Chriſtus Joannis 120. eſſe *libertatem a ſervitute legis moſaycæ*, ut docet Apoſtolus ad Galat.3. Servi hominum eſſe non debemus, ſcilicet, ipſis ſervire non debemus contra Chriſtum, vel præ Chriſto; non autem quando juſtas leges ferunt; alioquin ſecum pugnaret Scriptura, quum dicat; *obedite Præpoſitis veſtris*.

Ad II. Improbantur a Chriſto mandata hominum divinis præceptis contraria; vel etiam traditiones inutiles Phariſæorum cum divinæ legis tranſgreſſione.

Ad III. Unus eſt Legiſlator ſupremus, primarius, nulli alii ſubjectus, ſcilicet Dominus noſter Jeſus Chriſtus; alii vero ſunt Legiſlatores ſecundarii, illius Vicarii, & miniſtri: unde Proverbior.8. *Per me Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt*.

Ad IV. Reſpondet S.Thomas 1.2.q.96. art.5. *Legem Spiritus Sancti ſuperiorem eſſe omni lege humana, ideoque qui ea ducuntur, non ſubduntur legi, quantum ad ea, quæ repugnant ductioni Spiritus Sancti; ſed tamen hoc ipſum eſt de ductu Spiritus Sancti, quod homines ſpirituales legibus humanis ſubdantur, ſecundum illud S. Petri I epiſt. cap.2.: ſubjecti eſtote omni creaturæ propter Deum; Juſtis autem, ſubdit, non eſt poſita lex per modum coactionis, quia ipſi ſibi ſunt lex, dum oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, ut ait idem Apoſtolus ad Rom.2.*

Pro quinta Diſſertationis parte, quæ eſt circa vota; an ſcilicet per baptiſmum reddantur irrita? Lutherus lib. *de captivit. babylany* cap. *de bapt.*, & lib. *de votis Monaſticis*, & Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini; & Kemnitius in examine ejuſdem Can. 9.; voluerunt; per baptiſmum liberari hominem ab omnibus votis, non ſolum quæ antea, ſed etiam quæ poſtea fecerit.

Dicimus V., per baptiſmum vota non irritari.

I. Probatur ex Scripturis. Pſalm 75.: *vovete, & reddite*, Eccleſ.5. *Si quid voviſti Deo, non moreris reddere* Et 1. ad Corinth cap.5. Apoſtolus de Continentiæ voto loquens, aſſerit, *viduas, ſi nubant, damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerant*; quibus verbis aperte innuit, viduas illas continentiæ voto ſe obſtrinxiſſe, & ab ejus obligatione liberatas neutiquam fuiſſe.

II.Pro-

II. Probatur ex Traditione, quæ velut indiſpenſabilem, atque jure divino adimplendam, ſemper agnovit votorum obligationem, niſi ab Eccleſiæ auctoritate juſtis de cauſſis relaxentur. Teſtis eſt luculentiſſimus Auguſtinus epiſt.149. ad Paulinum; & narratione in Pſal.75., & ſerm.250. *de diverſis*, in octavis Infantium, id eſt recens baptizatorum, habito.

III. Probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ.7. can.9. *de bapt. Si quis dixerit, ita revocandos eſſe homines ad baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut vota omnia, quæ poſt baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in baptiſmo ipſo jam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea, & fidei, quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi baptiſmo: anathema ſit.*

Arguunt I. Deus in veteri Teſtamento diſpoſuit de votis, quomodo fierent, quando facienda eſſent, & quibus verbis fieri debebant; in Teſtamento autem novo nec Chriſtus, nec Apoſtoli, quicquam præſcripſerunt de votis, præter illam unicam promiſſionem, quæ fit in baptiſmo Matth.ult. ubi dicitur: *docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*. II. Vel vovemus res a Deo præceptas, vel non præceptas?, ſi primum; fruſtra vovemus, quum in baptiſmo voverimus omnia præcepta; ſi ſecundum; jam pugnamus cum baptiſmo, qui nos liberavit ab omnibus humanis legibus. III. Vota, quæ fiunt in baptiſmo, adeo ſunt difficilia, quæ vix impleri ab hominibus poſſunt: ergo baptiſmus potius ad ea ſolvenda, quam ad ea confirmanda inſtitutus eſt.

Reſpondemus ad I., quod nihil mirum eſt, ſi Chriſtus, & Apoſtoli, nihil de votis præceperint, quia vota, quum ſint de jure naturæ, hoc ſufficiebat ad imponendam hominibus maximam quidem obligationem circa illa; at falſum eſt, nihil Apoſtolos præſcripſiſſe de votis, ut patet in loco Apoſtoli I. ad Timoth.5. in probationibus adducto, quem omnes Interpretes de voto continentiæ explicant.

Ad II. Voventur & res præceptæ, & non præceptæ, modo ſint bonæ; præceptæ non voventur fruſtra, quia homo per votum magis ligatur, & certior redditur implendi illud; tum etiam quia, quod fit ex præcepto, & ex voto, eſt actus duarum virtutum, & proinde excellentior. Voventur etiam non præceptæ, & non eſt contra profeſſionem baptiſmi, quia baptiſmus, ut diximus, liberat a peccato, non ab iis rebus, quæ juvant ad vitanda peccata, & quæ magis Deo nos ſubjiciunt. Immo violatio votorum pugnat cum baptiſmo, quia in baptiſmo profitemur, nos ſervaturos omnia Dei mandata, quorum unum eſt, ut vota ſolvantur: unde, ut diximus, Pſal.75. legitur; *vovete, & reddite*; & Eccleſiaſt.5.: *ſi quid voveris Deo, non moreris reddere*.

Ad III. Falſum eſt omnino, hominem in baptiſmo promittere, pluſquam poſſit adimplere; contrarium enim definitum jam fuit in Concilio Arauſicano II. Can.25., ubi dicitur; quod poſſit homo baptizatus ſervare omnia Dei mandata. Et hoc fundatur tum in verbis Chriſti, qui Matth.11. vocat legem ſuam, *jugum ſuave, & onus leve*; & in verbis Apoſtoli, qui ad Rom.8. ſcribit, quod Chriſtus ſit mortuus, *ut juſtificatio legis impleretur in nobis*.

Pro ſexta Diſſertationis parte; Lutherus lib: *de Captivitate babylonica* cap. *de baptiſmo*; Calvinus lib.4. Inſtitut. c.15.; Kemnitius in Cenſura Can.10., voluerunt, baptiſmum non aliter juſtificare, quam ſubjiciendo ante oculos promiſſionem, & eo modo excitando fidem, quæ ſola juſtificat. Unde colligunt I., quum quis peccat poſt baptiſmum, poſſe per memoriam baptiſmi iterum redire ad ipſam gratiam baptiſmi; nam ſicut ipſe baptiſmus, inquiunt, ſubjicit ante oculos promiſſionem, & fidem, id etiam præſtat memoria ipſius, adeoque etiam juſtificat; ſi quis enim viſa imagine Chriſti movetur ad amorem, quum deinde imaginem non videt, illius memoria etiam ad amorem movebitur. II. Colligunt, Sacramentum pœnitentiæ nihil eſſe aliud, niſi ipſum baptiſma, memoria, & fide, repetitum, & ſicut poſt baptiſmum non remanet ulla ſatisfactio, nec ſunt neceſſariæ Indulgentiæ, nec Purgatorium poſt hanc vitam, ita exiſtimant, poſt pœnitentiam, ideſt poſt memoriam baptiſmi, nullam ſupereſſe ſatisfactionem. III. Denique aſſerunt, non recte dictum eſſe a Hieronymo, & Tertulliano, *ſecundam tabulam poſt nau-*

nau-

naufragium ; nam baptiſmi navis nunquam frangitur ; ſed, qui peccant, ab illa navi excidunt ; unde non eſt opus, quum reſipiſcunt, ut quærant aliquam tabulam, ſed redire poſſunt ad ipſam navim, quæ integra eos expectat. Sed contra hos

Dicimus VI., ſolam baptiſmi memoriam non ſufficere ad remiſſionem peccatorum, quæ poſt baptiſmum committuntur.

I. Probatur ex Scripturis. Ad Hebr. 6. dicitur: *impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati .... & prolapſi ſunt, iterum renovari ad pœnitentiam*; quibus verbis S. Paulus non intendit dicere, quod lapſi non poſſint ad pœnitentiam redire ullo modo, (hic enim erat Novatianorum error); ſed ſolum vult aſſerere, quod lapſi non poſſint renovari ad pœnitentiam eo modo, quo renovantur, qui baptizantur; & hoc pacto exponunt verba dicta Ambroſius, & Chryſoſtomus; atqui fruſtra hæc diceret Apoſtulus, ſi ſubſiſtentiam haberet, quod Hæretici comminiſcuntur: & probatur: quia per memoriam baptiſmi poſſent habere gratiam, quam per baptiſmum acceperunt.

II. Probatur. Ex Patribus omnium ſeculorum facilior erat juſtificatio per baptiſmum; peccantibus enim poſt baptiſmum ſemper Eccleſia graviſſimos labores impoſuit, antequam eos reconciliaret; quod non fuit factum in non baptizatis; ſed ſtante ſententia Novatorum, facilior eſſet juſtificatio poſt baptiſmum, quam per baptiſmum; & probatur; quia facilius eſt, baptiſmi memoriam revocare, quam baptiſmum cum toto illius apparato ſuſcipere.

III. Probatur. Proprie baptiſmus ad ſolius originalis peccati deletionem a Chriſto inſtitutus eſt; unde ut ſimul peccata actualia ipſum præcedentia remitteret, ſemper fuit neceſſarius aliquis dolor: ergo utilis quidem eſt baptiſmi memoria ad gratias Deo agendas, & ut ſit frænum ad non peccandum, ſed ad juſtificationem eſt inſufficiens.

Obſtant I. Marci ult. dicitur: *qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit*: hæc promiſſio, ait Lutherus, ſemper manet, & ſemper eſt vera; quare qui peccando a fide, & baptiſmi fædere receſſit, ſi iterum incipiat credere, & amplecti fædus baptiſmi ſui, certe ſalvus erit. II. Judæi, quando redibant ad pœnitentiam, revocabant in memoriam exitum ab Egypto, ut Deo reconciliarētur; ergo ſufficit etiam modo memoria baptiſmi. III. Scripturæ loquentes de effectu baptiſmi, modo exprimunt per tempus præſens, modo per præteritum, modo per futurum; ergo baptiſmus habet vim purgādi omnia peccata, præſentia, præterita, & futura. IV. Ex Auguſtino epiſt. 185. ad Bonifacium Comitem: *quidquid ab eis, qui poſt baptiſmum hic vivunt infirmitate humana contrahitur, quantumcunque culparum per ipſum lavacrum dimittitur*. Et lib. 6. cont. Julianum cap. 18.; *nullo modo reprehenditur baptiſma, quia aſſeritur curatio, quæ fit poſt baptiſma*. Et lib. 1. *de nuptiis & Concupiſcentiis*. Cap. 33. & 34, ubi docet: *nedum peccata baptiſmum præcedntia, ſed ipſum ſubſequentia, ejus virtute prorſus deleri*.

Reſpondemus ad I., quod licet veritas promiſſionis ſit perpetua, tamen conditionata eſt, non abſoluta; alioquin omnes Apoſtatæ ſalvarentur; de illis enim verum eſt dicere: crediderunt, & baptizati ſunt; itaque intelligitur: ſi permanſerit in fide, & fædere baptiſmi, ſalvus erit: quod ſi non permanſerit, non ſalvabitur hoc remedio, ſed aliud quærere debet; nec ſufficit illius baptiſmi recordatio, ut ad illud redire dicatur; ſicut non dicitur redire ad fidem, qui cogitat, ſe aliquando credidiſſe, ſed qui iterum actu incipit credere.

Ad II. Judæi non commemorabant exitum illum, quaſi ea commemoratione peccata purgarentur, ſed ut commemorato tam inſigni beneficio, arguerent ſuam ingratitudinem, & eo modo ad pœnitentiam provocarētur. Cæterum ſi vera eſſet ſententia Lutheri, potius debuiſſent commemorare circumciſionem.

Ad III. Quoad futurum, ſcilicet *ſalvus erit*, de quo videtur, quod tantum ſit difficultas, dicitur, quod ly *ſalvus erit*, vel accipitur de ſalute in re, ideſt, de ipſa gloria æterna, quæ eſt futura poſt baptiſmum; at hæc non eſt effectus baptiſmi, ſed finis; vel accipitur de ſalute in ſpe, ideſt, de ipſa gratia juſtificationis; ſed hæc conſequi-

ſequitur ſtatum poſt baptiſmum ; ſed peccata præterita remittit, non futura ; ut quum Medicus ægroto dicit ; medicinam ſume, & ſanaberis ; ſalus erit de præcedenti infirmitate, non autem de futura.

Ad IV. Auguſtinus in iis locis non pœnitentiam excludit ; ſed peccatorum remiſſionem poſt baptiſmum commiſſorum uni baptiſmi memoriæ tribuit eo modo, quo nativitati, & his, quæ a Parentibus accepimus, tribuitur, & acceptum fertur ſubſequens corporis incrementum robur, & perfectio virilis, morborumque ſanatio ; quæ tamen nec ſtatim, nec abſque externis adminiculis, proveniunt. Natura enim, ſeu naturales facultates initio acceptæ, hæc operantur quidem, ſed non abſque nutrimento, motu, arte medica, & ſimilibus adiumentis. Hoc pacto baptiſmo tribuitur peccatorum remiſſio, ſpiritualis vita per pœnitentiam recuperata, & omnis operum ſequentium fructus. Et quod hic ſit ſenſus verborum Auguſtini, ex ipſo Auguſtino patet, qui laudato lib. 1. *de nuptiis & Concupiſcent.* c. 33. ſubdit ; *quid enim prodeſſet vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet? &c.*

DISSERTATIO CCCL.

De Catechumenis. Quinam fuerit ritus antiquitus baptizandi Catechumenos ſanos? Quinam fuerit ritus baptizandi Catechumenos infirmos? Et quænam hodie ſit in Eccleſia baptizandi Catechumenos diſciplina?

HOmines Adulti, qoi baptiſmum nondum receperant, ſed fidem a Paſtoribus addiſcebant, Catechumeni dicebantur. Catechumenus enim græce κατηχούμενος, idem eſt, ac *baptiſmum poſtulans*, quia auditor eſt verbi Dei, & ideo aliqui ex ipſis *Audientes* nominati ſunt. Alii volunt, Catechumenum illum eſſe, cui Fidei Myſteria viva voce exponebantur, & hoc a verbis græcis ἀπὸ τοῦ κατηχεῖν, quæ important *viva voce inſtruere*. Aliis quoque nominibus vocabantur, nimirum Alumni, Novitioli, Catuli, Diſcipuli, Tyrones, Candidati Fidei, Genus electum &c. Erat Schola pro ipſis, quæ dicebatur Catechumenorum, & qui a Magiſtro probabantur, ad baptiſmum offerebantur. Hanc tamen diſciplinam Hæretici non ſervabant, unde eos merito lib. *de Præſcript. Hæretic.* irridebat Tertullianus. Tres erant ipſorum Claſſes ; prima dicebatur *Audientium*, ſecunda *Catechumenorum*, tertia *Competentium*, ſeu *Electorum*. Audientes Fidei deſiderio ardebant, ſynaxibus aderant, audiebant Scripturam, quam Lectores e Pulpito legebant, & Conciones, quas faciebant Epiſcopi, ſed nomen ſuum nondum dederant, ut inter Catechumenos ſcriberentur ; ejiciebantur tamen tempore Sacrificii ex Conventibus, & morabantur cum Ethuicis, & Pœnitentibus, qui etiam audientes dicebantur. Catechumeni in templis flectebant genua, & ſuper ipſis genuflexis Orationes proferebantur, & ipſis in Synaxibus tum apud Græcos, tum apud Latinos, a Diacono dicebatur : *Catechumeni diſcedite*. Competentes ſeu Electi a reliquis ſeparati erant, & in proxima Paſchatis, aut Pentecoſtes ſolemnitate, baptizandi erant. Hæc de nomine & claſſibus Catechumenorum ; modo devenimus ad ritus, quibus ſcilicet Infideles primo fiebant Audientes ; quibus quoque Audientes evadebant Catechumeni

meni

meni, & quibus tandem Catechumeni ad Competentes, ſeu Electos tranſibant.

Igitur Infideles, qui Chriſtiani fieri volebant, Catechumeni Audientes ritibus quibuſdã, quos Gregorius Magnus in ſuo Sacramentario deſcribit, inaugurabantur. Ritus autẽ hi erant; primo, Audienti fides catholica exponebatur; ſecundo, melioris vitæ propoſitũ promittebatur; tertio, in illius os inſuflabatur; quarto, frons Crucis ſigno muniebatur; quinto, manus cum oratione imponebantur; ſexto, Sal deguſtandum dabatur. Poſtmodum, ſi Audientes debebant ad Catechumenorum gradum tranſire, prius in ſua ſtatione diſcebant præcipua utriuſque Teſtamenti capita, non tamen myſteria. Denique Catechumeni, qui volebant Competentes fieri, diſcebant myſteria, adeoque ſymbolum, quod Trinitatem & Incarnationem continet, Orationem dominicam, Sacramenta &c. De his omnibus loquuntur Concilium Laodicænum Can.46., Auguſtinus lib: *de fide & operibus* cap.10., *de Catechizandis Rudibus* cap.3., Cyrillus Hieroſolymitanus Præfatione in Catecheſes, Martinus Bracharenſis cap.49., Theodulphus cap.22. ad Presbyteros Aurelianenſes. Verba Concilii Laodiceni hæc ſunt; *quod oportet eos, qui illuminantur, fidem diſcere, & quinta hebdomadis feria Epiſcopo nuntiare, vel Preſbyteris.* Verba autem Auguſtini hæc ſunt pariter. *Cur ergo baptizandis vel Symbolum tradimus, reddendumque repoſcimus?* & Martini Bracharenſis: *oportet autem in ipſis diebus, ut hi, qui baptizandi ſunt, Symbolum diſcant, & quinta feria noviſſimæ ſeptimanæ Epiſcopo, vel Presbytero reddant.* Denique Theodulphi verba ſunt. *Conſtitutum eſt, ut nullus chriſmetur, neque baptizetur .... niſi Symbolum, & orationem dominicam memoriter tenuerit, exceptis his, quos ad loquendum ætas minime perduxit.*

De Catechumenis primi & ſecundi generis nulli inveniuntur Canones, qui præſcribant, quod aliquam ſubire debuiſſent pœnitentiam, vel aſperitatem in ſe oſtendere, vel laborem ſuſtinere; adeoque communiter judicatur, quod nullum ex his præſtiterint. De Catechumenis vero tertii generis, qui Competentes erant, legimus, quod a vino, a carnibus, & ab uxoribus etiam, aliquando abſtinerent; & quod pariter quandoque publico Fidelium Cætui nudis pedibus, tonſo capite, & cilicio coopertos, ſe offerebant; ut legitur in Conc.Carthag.IV.Can.85. *Baptizandi nomen ſuum dent, & diu abſtinentia vini, & carnium, ac manus impoſitione, crebra examinatione baptiſmum percipiant.* Afferit pariter Auguſtinus lib: *de fide & operibus* cap.6. *Sine dubio admitterentur, ſi per ipſos dies, quibus eandem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis, abſtinentia, jejuniis, exorciſmiſque purgentur, cum ſuis legitimis & veris uxoribus ſe concubituros, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitæ, paucis ipſis ſolemnibus diebus, nullam continentiam ſervaturos profiterentur.* Et Tertullianus primitus ſcripſerat lib: *de baptiſmo* cap.20. *Ingreſſuros baptiſmum, orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum Confeſſione omnium retro delictorum, ut exponant etiam baptiſmum Joannis: tingebantur, inquit, confitentes delicta ſua. Nobis gratulandum eſt, ſi non publice confitemur iniquitates, aut turpitudines noſtras. Simul enim & de priſtinis ſatisfacimus conflictatione carnis & Spiritus, & ſubſecuturis tentationibus munimenta perſtruimus. Vigilate & orate, inquit, nec incidatis in tentationem. Et ideo (credo) tentati ſunt, quoniam abdormierunt, ut adprehenſum Dominum deſtituerint, & qui cum eo perſtiterit, & gladio ſit uſus, ter etiam negaverit: nam & præceſſerat dictum: neminem intentatum regna cæleſtia conſecuturum. Ipſum Dominum poſt lavacrum ſtatim tentationes circumſteterunt quadraginta diebus jejuniis functum. Ergo & nos, dicet aliquis, a lavacro potius jejunare oportet, & quis enim prohibet, niſi neceſſitas gaudii, & gratulatio ſalutis? Sed Dominus, quantum exiſtimo, de figura Iſraelis exprobrationem in ipſum retorſit. Namque Populus mare tranſgreſſus, in ſolitudinem translatus per quadraginta annos, illic quum divinis copiis aleretur, nihilominus ventris, & gulæ meminerat, quam Dei. Deinde Dominus poſt aquam ſegregatus in deſerto, quadraginta dierum jejunia emenſus, oſtendit non pane vivere hominem Dei, ſed Dei verbo, tentationeſque plenitudini & immoderantiæ ventris adpoſitas abſtinentia elidi. Igitur benedicti, quos gra-*

tia Dei expectat, cum de illo ſanctiſſimo lavacro novi natalis aſcenditis, & primas manus apud matrem cum fratribus aperitis, petite de patre, petite de Domino, peculia, gratias, diſtributiones chariſmatum ſubjiciente. Petite, & accipietis, inquis; quæſiſtis enim, & inveniſtis; pulſaſtis & apertum eſt vobis. Tantum oro, & cum petitis, etiam Tertulliani peccatoris memineritis.

Si autem Catechumeni iſti in aliqua peccata incidiſſent, non eadem erat in omnibus Eccleſiis diſciplina. Apud Hiſpanias Catechumeno Delatori per quinquennium baptiſmus differebatur, & relapſo differebatur uſque ad vitæ finem. Sic Concilium Illiberitanum Can.73., & 68. in Oriente vero Competentes graviter delinquentes ad Catechumenos retrahebantur; Catechumeni ad Audientes; Audientes autem ab Eccleſia ejiciebantur, & habebantur ut Ethnici. Sic Nicænum I. Can.14 ;Neocæſarienſe cap.5.Ipſis autem in fine vitæ conſtitutis, baptiſmus conferebatur, ut conſtat ex Concilio Illiberitano C.35. Tempus tandem, quo quilibet ex ipſis in ſua claſſe remanebant, non idem ubique fuit. Catechumenis proprie dictis tres menſes in ſuo gradu præſcripſit Clemens Papa I. in ſua epiſtola 3., ſi ipſius genuinus eſt fætus; Concilium Illeberitanum Can.42. illis indiſcriminatim, ſi tamen honeſte in Gentilitate vixiſſent, biennium ſtatuit; Agathenſe anno 506.habitum Can.35.Judæos per octo menſes in Catechumenatu probandos juſſit. Nicænum I. Epiſcoporum prudentiæ remiſit. Græci Competentibus dies quadraginta aſſignarunt; ut ex Cyrillo in Præfatione ad Catecheſes. Latini idem ſpatium voluerunt, ut ex Auguſtino ſerm 3. ad Neophitos. Denique circa ſeculum VI. recenſita diſciplina circa baptiſmum mutari cæpit. Competentium ſtatio ad pauciores dies reſtricta eſt; incipiebat enim a feria quarta tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ, & hæc feria tempus primi ſcrutinii dicebatur, quia ſeptem debebant eſſe ſcrutinia, ſeu ſeptem vicibus colligi debebant ſuffragia,inter quæ ſolemnius quod tertia vice fiebat, hoc eſt feria quarta hebdomadæ quartæ: ſolemniſſimum vero habebatur, quod ſeptima fiebat, hoc eſt Sabato Sancto. Hanc autem diſciplinam in Catechumenis propter duo ſervarunt antiqui Patres; primum, propter ſe ipſos, quia graviſſimo ſacrilegio ſe exponebant, ſi ſcelera adhuc amantibus baptiſmum conferrent; ſecundo, propter ipſos baptizatos, quos aperto etiam ſceleri devinciebant, ſi eos nondum ſufficienter probatos baptizarent. Fuerunt nihilominus non pauci, qui negarunt baptiſma omnibus omnino Adultis ſive ſanis, ſive infirmis, aut probis, aut improbis, de vita periclitantibus, olim primis Eccleſiæ ſeculis indiſcriminatim conceſſum fuiſſe,præſertim Catechumenis, qui deditam vitam ſceleribus duxerat, & Ethnicis, qui nunquam Catechumeni fuerant, ſed tantum in mortis lectulo, aliquo ſe baptiſmatis deſiderio teneri aſſerebant. At alii contrarium docent, tanquam in eccleſiaſticis monumentis magis fundatum; ideo nos cum his ultimis.

Dicimus I., baptiſma nulli in extrema neceſſitate conſtituto uſquam negatum fuiſſe.

I. Probatur Concluſio. De Catechumenis de vita periclitantibus, quanvis præfinitum cuique ſtationi tempus non fuiſſet expletū, his porro baptiſmi Sacramento conſultum fuiſſe, aſſerit Cyprianus epiſt.13. ubi ait: *ſi qui fuerint periculo præventi, & in exitu conſtituti,vigilantia veſtra non deſit*. Immo Auguſtinus aſſerit lib.1. *de adulterinis Conjugiis* ad Pollentium cap.26., quod ſi Catechumeni obmuteſcebant, ob ſubitam mortis infirmitatem, baptiſmo nihilominus donabantur. *Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo conſtitutis, ſi morbo, ſeu caſu aliquo, ſic oppreſſi ſunt, ut quanvis adhuc vivant, petere ſibi tamen baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint, proſit eis, quorum in fide chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur Infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit*. Et cap.28. ejuſdem libri aſſerit, quod baptiſmus fuerit etiam miniſtratus Catechumenis illis, qui ſceleſtiſſime vixerant, uſque ad ſubitum morbum, ob cujus violentiam vocis uſum, & rationis amiſerant. *Sed ut ſermo noſter ad hoc potius claudatur, ad quod ſumpſit exordium, ego non ſolum alios Catechumenos, verum etiam ipſos, qui viventium conjugiis*

jugiis copulati retinent adulterina conſortia, eum ſalvos corpore in his permanentes non admittimus ad baptiſmum, tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur.... Quis enim novit, utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ad baptiſmum ſtatuerant detinere?.... Quæ autem baptiſmatis eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet mater Eccleſia.

II. Probatur de Ethnicis, qui nunquam Catechumeni fuerant, at in ſolo mortis lectulo baptizari deſiderabant, & vel per ſe, vel per teſtes, deſiderium ſuum manifeſtabant. De his quidem Siricius, Romanus Pontifex, ſub finem IV. ſeculi hæc ſcribebat in epiſtol.1. ad Hymerium, Tarraconenſem cap.2. *Quicunque etiam diſcrimen naufragii, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri: eodem, quo poſcunt, momento temporis expetitæ regenerationis præmia conſequentur.* Et Concilium Arelatenſe I. Can.6. *De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit his debere manus imponi*; quod ſi per manus impoſitionem intelligitur Confirmatio, a fortiori intelligi debet baptiſmus, qui aliis omnibus Sacramentis præſupponi debet.

Obſtant I. Fieri poteſt, ut Catechumenus ſubito obmuteſcens, vel inſaniens, ulterius baptizari nolit: ergo in hac incertitudine non debet ipſi baptiſmus conferri, quum ejus requiratur conſenſus. II. Deus prohibet Sacramenta dari canibus: ergo & baptiſma Catechumenis uſque ad ſubitum morbum flagitioſe viventibus. III. Ex Concilio Illiberitano Can.39. habetur: *Gentiles ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos*: ergo ſuppouit hic Canon, non debere manum imponi, ut fiant Chriſtiani, his, qui inhoneſte vixerint. IV. Talibus flagitioſe viventibus primis Eccleſiæ ſeculis nec etiam in fine vitæ abſolutio ſacramentalis dabatur, ſi dum ſani eſſent, non ſe emendaſſent, ut docet Petavius, Albaſpinæus, aliique: ergo etiam baptiſmus negabatur, quia non minus neceſſaria erat abſolutio lapſis, quam baptiſmus Infidelibus.

Reſpondemus ad I. cum Auguſtino loco ſupracitato, quod etiam ſi incertitudo æqualiter ſtet pro utraque parte, quod tamen non concedimus, multo ſatius eſt tamen baptiſmum nolenti dare, quam volenti denegare. Hæc ſunt verba Auguſtini. *Sed non ſolum incredibile eſt, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle, verum etiam ſi voluntas ejus incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare: ubi velit, an nolit, ſic non apparet, & tamen credibilius ſit eum, ſi poſſet, velle ſe potius dicturum ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam credidit, non ſe oportere de corpore exire.*

Ad II. idem Auguſtinus occurrit primo cum retorſione, quia etiam Dominus Euchariſtam Judæ indigno tradidit. Secundo, quod per illa verba intelligatur, lucem intelligentiæ ſpiritualis immunda corda non portare. Et hæc ſunt pariter verba Auguſtini loco citato. *Si autem Dominus ubi ait, nolite dare ſanctum canibus, hoc, quod iſti cavendum putant, vellet intelligi, non ipſe ſuo traditori dediſſet, quod in ſuam ille perniciem, ſine culpa dantis, cum dignie indignus accepit. Unde cum hoc diceret Dominus, credendum eſt ſignificare voluiſſe, quod lucem intelligentiæ ſpiritalis immunda corda non portant; etſi portanda Doctor ingeſſerit, quæ non recte accipiunt, quia non capiunt, vel reprehenſionis morſibus lacerant, vel contemnendo conculcant.*

Ad III. dicitur, præfatum Canonem de Confirmatione, non de baptiſmo, eſſe intelligendum; negarunt enim Patres illi Confirmationem ei, qui poſt baptiſmum flagitiis ſe dederat, & in exitu poſitus Confirmationem petebat. Nec huic reſponſioni, officit, quod in dicto Canone dicitur, *& fieri Chriſtianos*, quia loquitur non de Chriſtiano ſimpliciter, ſed ſecundum quid, hoc eſt de perfecto Chriſtiano, quem ſtatum Neophiti per Confirmationem conſequuntur. Nec officit etiam, quod dicantur *Gentiles*; ait enim Albaſpinæus ſic hominem illum baptizatum appellari, quia extra ordinem, & ſine Catechumenatu fuerat baptizatus,

zatus, nec de omnibus fidei elementis inſtructus.

Ad IV. Omiſſo pro modo Antecedenti, de quo fuſius agetur, quando de Sacramento Pœnitentiæ erit ſermo, negatur paritas; & ratio eſt, quia graviora ſunt peccata, quæ baptiſmū ſequuntur, quā quæ præcedunt, & ideo non pari modo cum utriſque procedendum eſſe anti- Patres exiſtimarunt. *Jueninus* in Coment. Diſſertatione 2. *de baptiſ.* q. 7. art. 2., hæc inter utroſque diſcriminum capita recenſet. ,, Primo enim
,, quorundam immanium ſcelerum reis
,, nonnullæ Eccleſiæ reconciliationem,
,, etiam in vitæ exitu, negarunt, ſive
,, ſani, ſive infirmi, eam expoſcerent.
,, Secundo poſt reconciliationem ſemel
,, datam, aliam a quibuſdam Eccleſiis
,, conceſſam non fuiſſe interato in ea-
,, dem crimina lapſis, docent Albaſpi-
,, næus, Petavius, & alii. Tertio, an-
,, qui Patres per aliquot ſecula, in fla-
,, gitia poſt baptiſmum lapſis abſolutio-
,, nem non impertiebantur, ſi de ea,
,, dum ſani eſſent, non curaverant.
,, Quamobrem vero ſic ſe Patres geſſe-
,, rint; cur per baptiſmum omnibus
,, omnino Catechumenis in exitu poſi-
,, tis conſultum voluere, lapſos autem
,, poſt baptiſmum in eadem periodo
,, conſtitutos reconciliatione donare
,, detractaverint, ea fuit cauſſa, quod
,, ſcelera, quæ baptiſmum ſubſequun-
,, tur, iis, quæ illud præceſſerunt, mul-
,, to graviora ſint. Par igitur fuit, ut
,, acerbiore pœna antiqui Patres in ea
,, animadverterent. Illi reſponſioni ro-
,, bur addi poteſt ex Concilio Eliberita-
,, no, quod quidem licet multis poſt
,, baptiſmum lapſis, (ut in variis ab eo
,, editis canonibus legere eſt) etiam in
,, exitu vitæ negandum eſſe reconcilia-
,, tionem ſtatuerit, ideo tamen præce-
,, pit, omnibus omnino dari baptiſma,
,, quod, (ut ait Canone 45.) *in veterem*
,, *hominem deliquiſſe videantur*. Eandem
,, praxim, conferendi nempe baptiſma
,, in extremis poſito, ſive eſſet Gentilis,
,, ſive Judæus, ſive Apoſtata, ſive ali-
,, quando fuiſſet Catechumenus, qui
,, (ut loquit idem Canon 45.) *per infi-*
,, *nita tempora ad Eccleſiam nunquam ac-*
,, *ceſſiſſet*, ſive non fuiſſet Catechume-
,, nus, non Catholici modo, ſed etiam
,, hæretici, qui ſtrictiorem in peccato-
,, res jactabant diſciplinam, Montani-
,, ſtas dico, & Novatianos, eandem,
,, inquam, praxim amplexi ſunt, quan-
,, vis alioquin, poſt baptiſmum in quæ-
,, dam immania ſcelera lapſos ab Eccle-
,, ſiæ Paſtoribus abſolutione donari non
,, poſſe, contenderent. ,, Et hæc quidem de iis, quæ antiquitus circa Catechumenos obſervabantur. Venientes modo ad diſciplinam, quæ ad præſens in baptizandis Catechumenis obſervari debet.

Dicimus II. nulli Adulto conferendum eſſe baptiſma, quin prius Trinitatis & Incarnationis myſteria edoctus fuerit, & quin veterem vitam deteſtetur, & novam, Dei mandata ſervando, inchoare promittat.

I. Concluſionis pars probatur I. Auguſtinus aſſerit, quod etiam quando urgebat mortis periculum Eccleſia requirebat Fidei profeſſionem ab eo, qui baptizandus erat, etiam ſi hic nunquam fuiſſet Catechumenus, aut nihil unquam de Chriſtiana Religione audiviſſet. Hæc ſunt verba Auguſtini lib. *de fide & operibus* cap. 6. *Fit hoc, ubicunque forte dies urget extremus, ut ad verba pauciſſima, quibus tamen omnia continentur, credat, Sacramentumque percipiat*. Ex quibus Auguſtini verbis eruitur, quod ſi Eccleſia exigebat fidei profeſſionem in eo, qui in mortis periculo baptizabatur, multo magis requirebat in illis, qui Catechumeni, & ſani, baptizabantur.

Secunda Concluſionis pars I. probatur ex eodem Auguſtino, contra aliquos ſcribente, qui ſuo tempore ſola fide contenti erant in Catechumenis baptizandis; quapropter ipſe lib. *de fide & operibus* cap. 6. dicit: *quid autem aliud agit totum tempus, quo Catechumenorum locum & nomen tenent, niſi ut audiant quæ fides, & qualis vita debeat eſſe Chriſtianiſmi, ut cum ſe ipſos probaverint, tunc de menſa Domini manducent, & de Calice bibant .... Quod autem fit per omne tempus, quod in Eccleſia ſalubriter conſtitutum eſt, ut ad nomen Chriſti accedentes, Catechumenorum gradus accipiant. Hoc fit multo diligentius, & inſtantius his diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum baptiſmum ſua nomina jam dederunt*.

II. Probatur ex Concilio Tridentino ſeſs. 6. c. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera*

eſſe,

eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſ-
ſa ſunt; atque illud in primis, a Deo ju-
ſtificari impium per gratiam ejus, per re-
demptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, &
dum peccatores ſe eſſe intelligentes a di-
vina Juſtitiæ timore, quo utiliter con-
cutiuntur, ad conſiderandam Dei miſeri-
cordiam ſe convertenda in ſpem erigun-
tur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum
propitium fore, illumque tanquam omnis
juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac pro-
pterea moventur adverſus peccata per
odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt,
per eam pœnitentiam, quam ante baptiſ-
mum agi oportet. Denique dum proponunt
ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vi-
tam, & ſervare divina mandata.

III. Probatur ex Inſtructionibus Miſ-
ſionariorum in Regnis Tunchini, &
Cochinnæ, Franciſci ſcilicet Epiſco-
pi Heliopolitani, & Petri Epiſcopi
Berytenſis; quas Inſtructiones cele-
berrimus Cardinalis Bona de mandato
Sacræ Congregationis de Propagan-
da fide examinavit, & apoſtolico ſpi
ritu ſcriptas fuiſſe, teſtatus eſt. In his
autem Inſtructionibus hæc leguntur,
quæ refert citatus Juenınus loco nu-
per adducto art. 3 „ Conqueruntur
„ ambo illi Apoſtolici Viri in editis a
„ ſe Inſtructionibus, conqueruntur, in-
„ quam, de Miſſionariis quibuſdam, qui
„ ut de numero a ſe baptizatorum, po-
„ tius quam de virtute glorientur, ob-
„ vium quemque, & ſine ullo fere de-
„ lectu, modo baptiſmum peteret, ab-
„ luebant. Longe abſunt (inquiunt)
„ a pia illa & tam neceſſaria antiquo-
„ rum ſollicitudine quidam Indiarum
„ Operarii, qui obvios quoſque, vix ex-
„ plorata illorum voluntate, una aut
„ altera inſtructione contenti, ſacro ba-
„ ptiſmi fonte abluunt. Quamobrem
„ etſi hodie Sacerdotibus committatur
„ judicium de Catechumenorum erudi-
„ tione, aliiſque neceſſariis conditioni-
„ bus, adeoque & de tempore Cate-
„ chiſmi ferendi, ut iis ſanctum ba-
„ ptiſma conferatur; rectius tamen &
„ ſecurius nobis viſum eſt cum Patribus
„ & Conciliis, Catechiſmi tempus non
„ breviori, quam quadraginta dierum
„ ſpatio vulgo definire, nec alios ad ba-
„ ptiſmum admittendos eſſe, niſi qui
„ ante quadraginta dies nomen dede-
„ rint. Cum etiam experientia, quæ ſa-
„ cris Canonibus conſonat, ſatis notum
„ ſit, diuturniorem moram eſſe peruti-
„ lem, tum ad obtinendum in Chriſtia-
„ fide perſerverantiam; atque adeo,
„ hac in re habenda erit ratio venien-
„ tium ad fidem; qui enim laudatam
„ antea vitam duxerint, ferent-
„ que pro ſe docilitatem, atque pieta-
„ tem, prædicti temporis inſtitutio eis
„ ſufficiet, ac interdum brevior, ſi ta-
„ men antea ſat bene inſtituti ſint, &
„ quod rariſſime contingit, urgentiſſi-
„ ma neceſſitas poſtulabit. Diutius pro-
„ bari debent rudiores, & obtuſioris,
„ tradioriſque ingenii, ſervi, & qui
„ temporalis pœnæ vitandæ gratia, fi-
„ dem videntur amplecti velle, aut ſpe-
„ rant aliquid lucri & commodi ſe con-
„ ſecuturos ex eo, quod Chriſtiani fiant,
„ ii denique, qui levis & inconſtantis
„ animi ſigna aliqua dederunt. Incre-
„ dibile dictu eſt, quantum in eorum
„ numerandis multis a ſe baptizatis cu-
„ ra, in excolendis incuria & ſegnities,
„ in delectu nimia credulitas, præma-
„ tura baptiſmatis adminiſtratione of-
„ fecerint fidei, bene, ut par eſt, ſta-
„ biliendæ, nec non etiam nomini Chri-
„ ſtiano: enim vero comprobatum eſt
„ experientia, Chriſtianos pejores non
„ inveniri, quam qui ante competen-
„ tem inſtructionem ad baptiſmum ad-
„ miſſi ſunt; quippe qua facilitate Chri-
„ ſto nomen dederunt, eadem ut pluri-
„ mum nuntium ei remittunt, & vide-
„ re eſt aliquos, qui & Chriſtianorum
„ ſimul, & Idolorum templa ſolent fre-
„ quentare, quodque miſerabilius eſt,
„ deteriores multo ſunt, quam ante ba-
„ ptiſmum, & correctionis omnino im-
„ patientes. Cæterum utut ardentibus
„ votis Catechumeni baptiſmum expe-
„ tant, & prærequiſitis inſtitutionibus
„ ſint eruditi: his tamen Sacramentum
„ hoc Miſſionarii prius non concedant,
„ quin pertentata illius deſiderii effica-
„ cia, compererint, eos Idola foras
„ ejeciſſe, atque deteſtari; Gentilium
„ ſuperſtitiones procul ablegaſſe, & quæ
„ cunque e diabolica officina prodeunt
„ ſacrilegia, ſi cætera id genus procul-
„ caſſe; una retenta uxore, alias domo
„ expuliſſe, omnes inimicitias ex animo
„ depoſuiſſe; pro illatis injuriis, quan-
„ tum licuit, ſatisfeciſſe; acquiſita in-
„ juſte, vel dominis invitis retenta, re-
„ ſtituiſſe. Sicut a ſacro baptiſmatis
„ fonte reiciendi ſunt; qui vitiis ac
„ peccatis obſtinate adhærent, ita pro-
„ cul ab eo expellendi, qui nolunt inte-

„ rio-

„ rioris converſionis ſigna operibus da-
„ re, cum inde pateat infectam peccati
„ amore voluntatem adhuc gerere, ne-
„ que admittendi etiam illi erunt, qui,
„ quod a ſe exigitur jure, poſſuntque
„ præſtare ante baptiſmi ſuſceptionem,
„ non niſi eo ſuſcepto effecturos ſe ſpon-
„ dent, ne qua iis inſit amaritudinis ra-
„ dix; nimirum docuit Miſſionariorum
„ experientia, in Infidelium Regnis Ca-
„ techumenos ex baptiſmi deſiderio
„ multa polliceri, quæ niſi ante baptiſ-
„ mum impleant, nunquam poſtea man-
„ dant executioni. Neque enim hæc
„ mora periculum, (quod quidem pue-
„ ris jam imminere diximus) conjunctum
„ habet cum illis, qui rationis uſu præ-
„ diti ſunt, baptiſmi ſuſcipiendi propo-
„ ſitum, atque conſilium, & male an-
„ teactæ vitæ pœnitentia ſatis futura ſit
„ ad gratiam & juſtitiam, ſi repentinus
„ aliquis caſus impediat, quominus ſa-
„ lutari aqua ablui poſſint; contra vero
„ hæc dilatio aliquas videtur utilitates
„ afferre; primum enim quantum ab
„ Eccleſia providendum eſt, ne quis ad
„ hoc Sacramentum ficto, & ſimulato
„ animo accedat, eorum voluntas, qua
„ ad baptiſmum accedunt, magis ex-
„ ploratur, atque perſpicitur, deinde
„ in fidei doctrina, quam profiteri de-
„ beant, & Chriſtianæ vitæ inſtitutioni-
„ bus erudiuntur perfectius. Præterea
„ major Religionis cultus Sacramento
„ tribuitur, ſi conſtitutis tantum Paſchæ
„ & Pentecoſtes diebus ſolemni cæri-
„ monia baptiſmum ſuſcipiant. „

Opponunt I. Quæcunque fiebant antiquitus, erant ex Canonum præſcripto; ſed modo antiqui Canones obſervantiam non habent: ergo ex praxi priorum ſeculorum non bene deducitur conſequentia ad uſum præſentiũ temporum. II. Antiquitus fiebant ſcrutinia circa vitas, & mores Catechumenorum, ut ad baptiſmum admitterentur; at noſtris temporibus hæc ſcrutinia non fiunt: ergo ſignum eſt quod ceſſavit aſperitas priorum Canonum, adeoque præſens Eccleſiæ diſciplina non debet juxta veterem regolari. III. Catechumeni in infirmitate & mortis periculo baptizati ante tempus Catechumenatus completi, quando convalebant, iterum ad Catechumenatum remittebantur; atqui hoc ad præſens non obſervatur ratione rigoris priorum Canonum: ergo neque alia, quæ nos diximus, propter eandem rationem obſervari debent. IV. Tempus, quo durabat Catechumenatus, varium fuit antiquitus, ſecundum variam Eccleſiarum diſciplinam; quod eſt ſignum, quod rigor ille pro Catechumenis non erat univerſalis, ſed pro variis Eccleſiarum conſuetudinibus attemperabatur cum indulgentia, quam occaſio ferebat; ergo ſic pariter pro præſentibus temporibus dicendum eſt.

Reſpondemus ad I., abſolute negando, quod aſſeritur; & ratio eſt, quia fides in Trinitatem, & Incarnationem non ſolum neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, etiam divini, ſed quoque neceſſitate medii, juxta illa, quæ nos diximus Tom. 3. Diſſert. 196., ad quam Legentes remittimus.

Ad II. Verum eſt, quod antiquitus fiebant ſcrutinia, ut Catechumeni Competentes ad baptiſmum admitterentur, ut teſtatur Rupertus Abbas lib. 4. *divinis officiis* cap. 18. *Quarta ergo feria novæ Eccleſiæ celebrantur initia, quæ appellantur ſcrutinia: ſcrutinia a ſcrutando dicuntur, quia perſcrutandum erat in his, qui accedebant, ne qua radix amaritudinis ſubeſſet, veluti fuit in Simone Mago*. Et pariter colligitur ex Ordine Romano, in quo legitur. *Ita tamen agendum eſt, ut a primo ſcrutinio, quod incipit tertia hebdomada in quadrageſima, uſque in Sabbatum ſanctum in vigilia Paſchæ ſeptem ſcrutinia eſſe debeant, ſecundum formam ſeptem donorum Spiritus Sancti*. Attamen tunc ſcrutinia fiebant occaſione diuturnitatis temporis, quo Catechumenatus durabat; quod cum non ſit modo, non eſt mirum ſi ad præſens hæc ſcrutinia non fiant. Non fit tamen per hoc, quod Catechumenorum mores non inveſtigentur, ut ipſis poſſit per Paſtores baptiſmus conferri, vel denegari, quanvis per alios modos, quam per ſcrutinium fiat.

Ad III. dicitur, quod Catechumeni, qui per infirmitatis & mortis periculum ante tempus baptizabantur, quando convalebant, ad Catechumenatũ non remittebantur; & ratio eſt, quia Eccleſia ſemper credidit per baptiſmum deleri omnem culpam, & pœnam, & per conſequens baptizati pro peccatis commiſſis ante baptiſmum nullis pœnis tenebantur obnoxii; unde ſtatuit

Con-

Concilium Laodicenum can.47.:*oportet eos, qui in morbo baptiſmum accipiunt & deinde reſurgunt, fidem ediſcere, & noſſe; quod divino munere digni habiti ſunt.*

Ad IV. Non negamus, quod circa tempus Catechumenatus varia fuit Eccleſiarum diſciplina. Aliquando ratione neceſſitatis,& cognitionis fidei & bonæ voluntatis baptizandorum, iis ſtatim baptiſmus adminiſtratus eſt, ut Cornelio Centurioni, & Eunucho Reginæ Candacis. Aliquando ob eandem neceſſitatem baptiſmus nulla mora interjecta conferebatur, & deinde fiebat inſtructio. Poſtmodum Concilium Nicænum generale primũ can.2. voluit, ut Catechumenatus non per exiguum tempus duraret; Concilium Illiberitanum Can. 42. ſtatuit biennium: in epiſt.3., quæ tribuitur Clementi Papæ, ſex menſes præſcribuntur; Concilium Agathenſe cap. 34. determinavit octo menſes pro Judæis. Cæterum tam in Oriente, quam in Occidente obſervatum fuit, ut Catechumenatus tempus ſolum eſſet quadraginta diebus, ut colligitur ex Hieronymo in epiſt.ad Pammachium; ex CyrilloHieroſolymitano Catecheſi 1. myſtagogica; ex Auguſtino ſermone 13. ad Neophytos; ex Siricio Papa epiſt. ad Hymerium, Epiſcopum Tarraconeuſem cap.2. Tandem hoc idem tempus fuit deductum ad decem & octo dies, quia feria quarta quartæ hebdomadæ quadrageſimæ Catechiſmus incohabat; & hoc colligitur ex Amalario lib. *de Eccleſiaſt. officiis* cap.8.; ex Yvone Carnotenſi ſermone *de Sacram. Neophytor.*; ex Ruperto Abate lib. 4. *de divinis officiis* cap.18., ex Hugone Victorino lib. *de Sacram.* cap.17., & hoc pro illis, qui in Paſchate baptizabantur; pro illis vero, qui baptizabantur in Pentecoſte,per alios etiam decem & octo dies ad baptiſmum præparabantur. Unde apparet, quod nulla fere eſt differentia circa Catechumenatus tempus inter veterem & novam Eccleſiæ diſciplinam.

DISSERTATIO CCCLI.

De Baptiſmi Cæremoniis. Quinam fuerint errores Hæreticorum circa cæremonias baptiſmi? De Græcorum ritibus in baptizando, quinam ſint, & an admittendi? De Catholicorum Latinorum ritibus, quinam ſint, & an ſub præcepto exercendi?

PRimo, ultra errores illos, quos retulimus in aquæ baptiſmalis benedictione,ſunt & etiam alii errores contra alias baptiſmi cæremonias, & præcipue *Novatiani* improbabant olei, & Chriſmatis benedictionem, unde baptizatis ſacrum Chriſma non præbebant, ut refert Theodoretus lib. 3. Hæreticar. fabular. *De Donatiſtis* Optatus Milevitanus lib. 2. teſtatur, quod per feneſtram jactaverunt Chriſmatis ampullam, ut eam frangerent. *De Petrobruſſianis*, & *Henricianis* ſcribit Petrus Cluniacenſis, quod irriderent chriſmatis & olei conſecrationem. Ad eundem errorem acceſſerunt *Wicleſus*, *Lutherus*, *Calvinus*, *Beza &c.*

Secundo, *Vigilantius* deridebat uſum luminum, quæ tum in baptiſmi adminiſtratione, tum in aliis Eccleſiæ cæremoniis,Catholici tenebant accenſa, ut refert Hieronymus lib. cont. Vigilantium cap. 2. Huic errori ſubcripſit etiam Joannes Hus ſerm. *de Exequiis*; Lutherus *in Confeſſione*; Zuinglius *in reſponſione ad Lutheri Confeſſionem*.Calvinus *in Catechiſmo* Eccleſiæ Genevenſis *de Bapt.*; Beza epiſt.8.

Tertio,

Tertio, Joannes Caſimirus *in Eccle-ſiaſtica reformatione* art. 8. ſcripſit:
„ nulla Baptiſteria in Eccleſia ferenda ſunt. „

Quarto, Wolffangus Maſculus *in locis communibus de bapt.*, & Joannes Caſimirus idem Comes Palatinus, *in reformatione Eccleſiaſtica* art. 10., abrenuntiationes, promiſſiones, & inſufflationes, quæ in baptiſmo fiunt deridebant; ut patet ex verbis tam primi, quam ſecundi, apud Coccium; & quidem verba primi, ſunt. „ Non video, quo
„ modo defendi queat, quod baptizan-
„ dus infans interrogatur, num Satanæ
„ operibus ac pompis renuntiet, & a
„ Patrinis reſpondetur, quod renun-
„ tiat. Nam plane abſurdum eſt requi-
„ rere ab Infante, quod Deus ab eo non
„ requirit, nec per ætatem poteſt ille
„ exprimere. „ Verba autem ſecundi ſunt. „ Quæſtio ad baptizandum:
„ *abrenuntias Diabolo*, nihil æſtimabitur,
„ & prorſus antiquabitur.,,

Quinto, contra Exorciſmos Catechumenorum impie ſcripſerunt *Ulpianus* Ethnicus Juriſconſultus in l. *Præſes Provinciæ* de variis extraordinariis Funtionibus; *Julianus Pelagianus*, apud Auguſtinum *de nuptiis, & concupiſcentia* lib 2 cap. 28. & 29, *Maſculus citatus in locis communib.* cap. *de bapt.*,, Nec
„ illud in uſu fuit Apoſtolis, quod Ex-
„ orciſmis inter baptizandum utuntur,
„ quibus Diabolum adjurant, ut ex ba-
„ ptizandis Infantibus egrediatur: fa-
„ ciunt hoc proſus ſine exemplo Chri-
„ ſti, vel Apoſtolorum. Quis enim il-
„ lorum unquam Satanam adjuravit, ut
„ egrederetur ex eo, qui peccatis eſſet
„ obnoxius, & mente, non corpore ab
„ illo obſeſſus? Scio exorcizandi uſum
„ fuiſſe in Eccleſia temporibus Cypria-
„ ni, & Auguſtini: verum non quæro,
„ quid fecerint Patres, ſed quid Chri-
„ ſtus inſtituerit, & quid Apoſtoli fece-
„ rint. „ *Calvinus* ad c p. 22. Actor. „
„ Papiſta ſuis exorciſmis affingunt gra-
„ tiæ cauſam, ſuiſque exorciſmis con-
„ taminant Chriſti nomen. „ Et lib. 4. Inſtitut. cap. 15. §. 19.,, Exſufflatio ad
„ baptiſmum januam aperire viſa eſt;
„ etſi me non latet, quam vetuſta ſit ad-
„ ventitiæ hujus farraginis origo: re-
„ ſpuere tamen mihi, & piis omnibus
„ fas eſt, quicquid ad Chriſti inſtitutio-
„ nem addere homines auſi ſunt. „ *Magdeburgenſes* Cent. 1. lib. 2. c. 6. „ De ba-
„ ptizandis prius Exorcizatis, neque
„ exemplum extat in ſacra Scriptura „ *Beza* epiſt. 8. „ Placuit aliis, ex Dia-
„ boli regno ad Chriſtum tranſeuntes,
„ certis exorciſmis, & flatibus eripi ex
„ Satanæ poteſtate, quæ omnia ſi vellem
„ proſequi, quis tandem erit hiſtrioni-
„ carum potius ineptiarum, quam chri-
„ ſtianorum rituum finis „ *Nicolaus Himmingius* ad cap. 2. Poſterioris ad Teſſalon. „ Recitantur ad baptiſmum
„ magici ſatis Exorciſmi, quibus con-
„ taminant non parum baptiſmum, &
„ Chriſti inſtitutionem, quodammodo
„ fœdant, qui vult omnes contentos
„ eſſe ſimplici mandato ſine addita-
„ mento. „

Sexto, Prædictus Wolffangus Maſculus improbavit Confeſſionem fidei, quæ requiritur in baptiſmo; pariter quoque Sal, quod ponitur in ore baptizati; inſuper, quod cum ſputo tangantur nares & aures baptizati. Hæc ſunt ſua verba loco citato circa primum errorem. „ Si baptizandus ſit infans, nec fidei Confeſſio, nec
„ fides ab alio, ſicut ab Adulto poſca-
„ tur, quandoquidem omnino abſur-
„ dum eſt, id requirere ab Infante,
„ quod nec ipſe Deus ab illo requirit,
„ nec ille per ætatem vel habere, vel
„ exprimere poteſt. Quapropter non
„ video, quomodo defendi queat, quod
„ baptizandus infans interrogatur, num
„ credat in Deum Patrem omnipoten-
„ tem, creatorem cœli & terræ, & il-
„ lius loco a textibus ad trinam de fide
„ interrogationem tertio reſpondetur,
„ quod credat: hæc conſuetudo tam
„ abſurda eſt, ut defendi nequeat. „ Cir-
„ ca ſecundum ſcribit. „ Salis uſus in
„ veteri teſtamento a Moſe illis, qui ſub
„ lege erant, præſcriptus. Si Chriſto
„ placuiſſet ut ab ipſius Miniſtris ad ri-
„ tus Moſaicos reſpiceretur, & ex il-
„ lis pro ipſorum arbitratu deſumere-
„ tur, vel ſignificaſſet hoc ipſe, vel
„ feciſſent hoc Apoſtoli. Quare, &
„ hunc ſalis uſum, quem adhibent ba-
„ ptiſmo, inventioni Epiſcoporum tri-
„ buendum cenſemus: „ Circa tertium habet. „ Sputum, quo non illumi-
„ nant, ſed conſpurcant Infantem, ex
„ miraculoſo Chriſti facto Joannis IX.
„ ſumpſerunt, quo ille oculos cæci na-
„ ti ſputo, ac luto oblitos aperuit, vi-
„ derunt hoc factum Apoſtoli, & ta-
„ men nemo ex illis ſputo ſuo oculos ba-

„ ptiza-

„ ptizando illinivit. Ipſius Chriſti ſpu-
„ tum quis fidelium non optet vel ſibi,
vel ſuis? At ſputum ex ore peccato-
„ ris, ac plerumque ſcortatoris, neſcio
„ an quiſquam ſit, qui admodum affe-
„ ctet. „ Eidem Muſculo ſubſcribunt
Calvinus *in Eccleſiæ Reformatione*, & Beza epiſt.8.; & reſponſione ad Balduinum.

Septimo, Theodorus Beza candidæ veſtis uſum in baptiſmo improbavit: unde in epiſt.8. ſcribebat: „ Placuit aliis,
„ vetere homine depoſito, novum in-
„ duentes amictu albo donari. Quæ
„ omnia ſi velim perſequi, quis tandem
„ erit hiſtrionicarum potius ineptia-
„ rum, quam chriſtianorum rituum
„ finis?

Octavo, Bellarminus Tom.3. Controverſiar. lib.1. de Sacram. bapt. cap.24. aſſerit de Wiclefo, quod omnes fere Eccleſiæ Catholicæ ritus & cæremonias circa baptiſmum rejicerit, & quod Hæretici poſteriorum temporum eaſdem damnarunt, pauciſſimis exceptis; præſertim Calvinus lib.4. Inſtitut. cap.15. §.19., & Illyricus Cent.1. lib.2. cap.6., & Cent.2. c.6. ex eo quod ritus iſti non ſint in divinis Literis, neque præcepto, neque exemplo, commendati.

Dicimus I., Cæremonias, quas adhibet Eccleſia in baptiſmi ſolemnis adminiſtratione, laudabiles eſſe, ac retinendas.

I. Probatur ex Scripturis; primo de Olei & Chriſmatis benedictione, ac uſu. Exodi 30. *Aaron & filios ejus unges, ſanctificabiſque eos, ut Sacerdotio fungantur mihi. Filiis quoque Iſrael dices: hoc oleum unctionis Sanctum erit mihi in generationes veſtras. Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem ejus non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis.* I. Regum 10. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effecit ſuper caput ejus* (Saulis) *& deoſculatus eſt eum, & ait: ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum ejus.* Et cap.16. *Erat autem* (David) *rufus & pulcher aſpectu, decoraque facie, & ait Dominus, ſurge, & unge eum: ipſe eſt enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus, & directus eſt Spiritus Domini a die illa in David, & deinceps.* Secundo de cereorum uſu. Exodi 25 *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo. Emunctoria quoque, & ubi, quæ emuncta ſunt, extinguantur, fiant auro puriſſimo. Omne pondus candelabri cum univerſis vaſis ſuis habebit talentum auri puriſſimi.* Et cap.27. *Præcipe filiis Iſrael, ut offerant tibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum, piloque contuſum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii extra velum, quod oppanſum eſt teſtimonio.* Levitici 6. *Ignis autem in altari ſemper ardebit:* & cap.24. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: præcipe filiis Iſrael, ut offerant tibi oleum de olivis puriſſimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter extra velum teſtimonii in tabernaculo fœderis.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus, & primo de oleo, & Chriſmate. Damaſus epiſt.4. *Chorepiſcopis non licet Sacerdotes ordinare, nec ungere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontes ſignare.* Innocentius I. Ad Decentium Eugubinũ c.3. *Presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizent, Chriſmate baptizatos ungere licet; ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis.* Leo I. Serm.4. de Nativitate Chriſti cap 5. *Permanete ſtabiles in fide, quam confeſſi eſtis coram multis teſtibus, & in qua renati per aquam & Spiritum Sanctum accepiſtis chriſma ſalutis, & ſignaculum vitæ æternæ.* Gregorius III. epiſt. ad Bonifacium *Illos, qui baptizati ſunt, oportet per manus impoſitionem, & ſacri chriſmatis unctionem confirmari.* Innocentius III. extra lib.1. tit.15. de ſacra Unctione c.1. *Cum veniſſet ad apoſtolicam Sedem Brachavenſis Epiſcopus, qui in Conſecratione ſua ſanctam non acceperat unctionem, quia apud vos non conſueverunt Pontifices, cum conſecrantur, inungi, nos, quod illi defuerat, mandavimus in eo ſuppleri, facientes caput ejus & manus per Albanenſem Epiſcopum ſacro chriſmate deliniri &c. Scire te volumus, duas eſſe ſpecies unctionis: exteriorem, quæ materialis eſt, & viſibilis; interiorem, quæ inviſibilis eſt & ſpiritualis. Exteriori videlicet inungitur corpus, interiori inviſibiliter inungitur cor .... Ad exhibendum exteriorem & viſibilem unctionem benedicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum,*

vel infirmorum, & conficitur chriſma, quod ex oleo fit, & balſamo myſtica ratione .,.. Hoc ergo chriſmate ungi debet Epiſcopus, non tam in corpore, quam in corde, ut & interius nitorem conſcientiæ, quantum ad Deum, & exterius habeat odorem famæ, quoad proximum. Hoc unguento caput & manus Epiſcopi conſecrantur .... In novo teſtamento non ſolum Reges & Sacerdotes unguntur, ſed etiam omnes Chriſtiani, bis ante baptiſmum, ſcilicet oleo benedicto primum in pectore; deinde inter ſcapulas; & bis poſt baptiſmum, primum in vertice, demum in fronte. In pectore nanque baptizandus inungitur, ut per Sancti Spiritus donum abjiciat errorem, & ignorantiam, & ſuſcipiat fidem rectam: inter ſcapulas, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat. In vertice baptizatus inungitur, ut ſit paratus omni petenti de fide reddere rationem.... In fronte ungitur baptizatus, ut libere confiteatur quod credit. Ante baptiſmum igitur ungitur oleo benedicto, & poſt baptiſmum chriſmate ſancto, quia chriſma ſoli competit Chriſtiano &c. Secundo de Cereorum, & luminum uſu. Gregorius Magnus lib.12. epiſt 9. *Cum erga pro Eccleſia B. Pauli Apoſtoli ſolicitudo debita nos commoneret, ne minus illic habere luminaria idem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine ſuæ prædicationis implevit, utile judicavimus eandem maſſam, quæ apud Salvias nuncupatur, cum omnibus fundis ſuis luminaribus deputare.* Innocentius III. *De myſteriis miſſæ* lib.2. cap.8. *Ideo præferuntur duo lumina cum incenſo, quia Lex & Prophetæ cum Pſalmis Chriſti prænunciaverunt adventum &c.* Tertio de Baptiſterio. Damaſus epiſt.4. *Choropiſcopo non licet populum benedicere, nec ante Epiſcopum in baptiſterio, aut in ſacrario introire, nec præſente Epiſcopo infantem tingere, aut ſignare.* Leo Magnus epiſt.83. ſimilia ſcribit. Gregorius Magnus lib.2. epiſt.56. alias 57. *Pridem præcepimus, ut de Monaſterio Sancti Andreæ Baptiſterium, propter Monachorum inſolentias, debuiſſet auferri, atque in eodem loco, quo fontes ſunt, Altare fundari.* Epiſt. 11. cap.24. *Fraternitate tua indicante didicimus in civitate Tarentina, in qua præeſſe dignoſceris, in Eccleſia Sanctæ Mariæ baptiſterium te noviter conſtruxiſſe &c.* Clemens V. Tit.15. de bapt. & ejus effectu. *Præſenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, ſed duntaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt ad hoc fontes ſpecialiter deputati, aliquos (niſi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo, propter hoc acceſſus haberi) audeat baptizare.* Quarto de abrenunciationibus, promiſſionibus, & inſufflationibus, quæ fiunt in Baptiſmo. Leo Magnus Serm.2. de Quadrageſima cap 2. *Nunc autem in toto mundo poteſtas diabolo antiquæ dominationis auſertur, & innumera illi captivitatis vaſa rapiuntur. Renuntiatur atrociſſimo prædoni a populis omnium nationum, omniumque linguarum, & nullum jam genus hominum reperitur, quod non tyrannicis legibus reluctetur, dum per omnes fines terræ regeneranda in Chriſto multorum millium millia præparantur, & appropinquante novæ creaturæ ortu, ſpiritalis nequitia, ab iis, quos poſſidebat, excluditur.* Gregorius Magnus lib: Sacram. de ord. ad Catechumenum faciendum. *Deinde vocato nomine ejus dicat: abrenuntias Satanæ? Reſpondet: abrenuntio. Et omnibus pompis ejus? Reſpondet: abrenuntio: & omnibus operibus ejus? Reſpondet: abrenuntio.* Et homilia 29. *In die Baptiſmatis omnibus nos antiqui hoſtis operibus, atque omnibus pompis abrenuntiare promiſimus. Itaque unuſquiſque veſtrum ad conſiderationem ſuam mentis oculos intendat; & ſi ſervat poſt baptiſmum, quod ante baptiſmum ſpopondit, certus jam, quia fidelis eſt, gaudeat. Sed ecce, ſi quod promiſit minime ſervavit, ſi ad exercendum prava opera, ad concupiſcendas mundi pompas dilapſus eſt, videamus ſi jam ſcit plangere, quod erravit.* Innocentius III. Serm. de die Paraſceves. *Nonne in baptiſmo Diabolo, & operibus ejus abrenuntiaſti?* Quinto de Sale. Gregorius Magnus lib: Sacramentor. de Ordine ad Catechumenum faciendum. *Inde vero benedicit ſal hoc modo. Exorcizo te creatura ſalis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in virtute Spiritus Sancti. Exorcizo te per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos*

ſuos

Digitized by Google

ſacis conſecrari præcepit, ut in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis efficiare ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum &c. Poſtea interrogat nomine eorum, & ponit de ipſo ſale in os ipſorum; & dicit: accipe ſalem ſapientiæ in vitam æternam. Papa Deus dedit apud Coccium anno 615. epiſt. ad Gordianum, Hiſpalenſem Epiſcopum: *Septem ſunt dona baptiſmi, a primo pabulo ſacrati ſalis, & ingreſſus ſanctæ Eccleſiæ, uſque ad Confirmationem Spiritus Sancti per Chriſma.*

III. Probatur ex Conciliis. Et primo de Olei, & chriſmatis benedictione & uſu. Concilium Generale Nicænum I. Can.63. Arabico. *Tranſacto anno, debet Sacerdos benedicere aquam, & oleum, non ſicut fit in baptiſmo, neque ſicut benedicimus chriſma, ſed ſicut oleum infirmorum.* Concilium Laodicenſe Can.48. *Oportet, qui illuminantur, poſt baptiſmum inungi ſupercæleſti chriſmate, & eſſe Regni Chriſti particeps.* Concilium Generale Conſtantinopolitanum I. Can.7. *Arianos, Macedonianos, Novatianos &c. recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit, ut ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & ſignatos ſive unctos primum ſancto Chriſmate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos ſignantes dicimus: ſignaculum doni Spiritus Sancti.* Concilium Tullenſe Can.95. *Eos qui recta de fide ſententia accedunt, & parti eorum, qui ex hæreticis ſervantur, ſubjecta conſequentia, & conſuetudine recipientes, Arianos quidem, Macedonianos, & Novatianos, & Tetraditas, & Apollinariſtas, recipimus, dantes libellos & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit, ut ſentit ſancta Dei univerſalis, & Apoſtolica Eccleſia, ſancta primum chriſmate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures imprimentes, dicimus: ſignaculum doni Spiritus Sancti.* Concilium Arelatenſe II. cap.17. *Bonoſiacos ex errore venientes, dum interrogati fidem noſtram ex toto confeſſi fuerint, cum chriſmate: & manuum impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.* Concilium Arauſicanum Cap.1. *Nullus miniſtrorum, qui baptizandi recipit officium, ſine Chriſmate uſquam debet progredi, quia inter nos placuit ſemel in baptiſmate chriſmari: De eo autem, qui in baptiſmate chriſmatus non fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur.* Concilium Hiſpalenſe II. cap. 7. *Siquidem nec licere iis Eccleſiam, vel altaria conſecrare, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare, auctoritate Canonum præcipitur.* Concilium Toletanum IV. cap.56. *Judæi, qui jam pridem ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt, qui jam conſtat eos divinis myſteriis & ſociatos, & baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & chriſmate unctos eſſe . . . fidem, quam ſuſceperunt, tenere cogantur.* Secundo de Baptiſteriis. Concilium Arauſicanum c.19. *Catechumeni nunquam admittendi ſunt, etiam inter domeſticas orationes, alias ad baptiſterium Catechumeni nunquam admittendi.* Concilium Ilerdenſe anno 524. apud Gratianum *de Conſecratione* diſt. 4. *Omnis Presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens ad hoc ſolummodo baptizandi officium habeat, quod extra Eccleſiam non deportetur.* Concilium Hiſpalenſe anno 625. cap.5. *Sed neque caram Epiſcopo licet Chorepiſcopis in baptiſterium introire; nec præſente Antiſtite infantem tingere, aut ſignare.* Concilium Antiſiodorenſe anno 614. cap.14. *Non licet in Baptiſterio corpora ſepeliri.* Tertio de abrenunciationibus, promiſſionibus, & inſufflationibus Concilium Turonenſe anno 820. cap.18. *Epiſcoporum ſit magna ſolicitudo Presbyteris ſuis tradere baptiſmi Sacramentum, & quid in eodem renuntiandum, quidve credendum ſit. Renuntiatur ergo diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Opera ejus intelliguntur & ſunt; homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & multa alia his ſimilia, quæ nimirum diabolico inſtinctu prius cogitatione mentis concipiuntur, quam opere perpetrentur. Pompæ vero ejuſdem ſunt, ſuperbia, luxuria, jactantia, elatio, vana gloria, faſtus, & alia quam plurima, quæ ex his oriri videntur.* Concilium Pariſienſe anno 829 l.1. cap.9. *Conſtat unumquemque fidelem Deo in baptiſmate duarum pactionum nexibus ſe obligare: Altera, qua abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus; altera vero, qua ſe in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credere profitetur. Unde etiam ſub ejuſdem ſanctiſſimæ Trinitatis invocatione baptiſmatis gratiam conſequitur. Cum ergo poſt hujuſmodi abrenunciationē qui-*

hoſlibet illecebris vitiorum illectus, ad ea, quibus renuntiavit, redit, nec non & poſt tantæ fidei perceptionem in apoſtaſiam prolabitur, utriuſque pactionis traſgreſſor efficitur. Tertio, de Sale in ore baptizati ponendo. Concilium Carthaginenſe III. cap.5. *Placuit, ut etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal: quia ſi fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis, & quidem de Olei & chriſmatis benedictione. Baſilius Magnus *de Spiritu Sancto* cap. 27. *Conſecramus aquam baptiſmatis, & oleum unctionis, & ipſum, qui baptizatur, ex quibus Scripturis?, nonne a tacito traditione? Ipſam porro olei inunctionem quis ſermo ſcripto proditus docuit?, nonne ex arcano hic traditione?* Cyrillus Hieroſolymitanus Catech.2. myſtagoc. *Poſtea exuti, uncti eſtis oleo, exorciſmis ſanctificato, a ſummis capillis ad infimos uſque pedes peruncti eſtis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ Jeſu Chriſti. Illud vero exorcizatum oleum ſymbolum eſt pinguedinis Chriſti nobiſcum communicatæ, & quod omne veſtigium diabolicæ operationis in nobis deletum ſit. Nam ut inſufflationes Sanctorum, & nominis Dei invocatio, tanquam vehementiſſima quædam flamma urit dæmones, & in fugam convertit: ſic etiam exorcizatum hoc oleum per orationem. Denique per invocationem tantam virtutem conſequitur, ut non modo ardentia peccatorum veſtigia expurget, verum etiam omnes inviſibiles dæmones repellat.* Et Catecheſi 3. myſtag. *Et nobis, poſtquam ex aquis ſacri lavacri aſcendimus, datum eſt chriſma, quod imaginem gerit illius, quo unctus eſt Chriſtus &c. Corpus quidem iſto viſibili unguento perungitur: anima vero ſancto vivificoque Spiritu ſanctificatur. At primum quidem fronti illinitur, ut eam abſtergat, & a vobis pudorem, quem primus homo tranſgreſſor perpetuo circumferebat; ſimulque efficiat, ut poſſitis vultu non velato gloriam Dei intueri. Deinde vero aures accipiatis, de quibus dicebat Eſaias: & addidit mihi Dominus aures ad audiendum: & Dominus in Evãgelio: qui habet aures ad audiendum, audiat. Poſtea nares, ut divinum accipientes unguentum dicatis: Chriſti gratus odor eſt Deo in his, qui ſalvantur. Tunc vero & pectus inungitur, ut induti thoracem juſtitiæ, fortiter adverſus inſultus Diaboli conſiſtatis &c.* Gregorius Nazianzenus Orat.40., quæ eſt Oratio in ſanctum baptiſma. *At ſi per baptiſmum teipſum præmunieris, & pulcherrimo ac firmiſſimo auxilio tibi in futurum caveris; animum ſcilicet & corpus unctione, & ſpiritu conſignans, quemadmodum olim Iſrael nocturno illo cruore, qui primogenitos tuebatur, quid tibi accidet?* Joannes Chryſoſtomus in cap.4. Matth. *Athleta ante certamen ungitur, ut luctetur: ſic homo ſpiritualiter ideo oleo chriſmatis ungitur, ut contra diabolum quaſi ſpiritualis athleta luctetur.* Et homil.6. in 2. ad Coloſſenſes: *inungitur baptizandus more Athletarum, ut qui ſtadium ſunt ingreſſuri.* Cyrillus Alexandrinus ad cap 55. Eſaiæ. *Illud unguentum Propheta ſignificat, quo in baptiſmo ungimur, quod eſt ſymbolum Spiritus Sancti.* Germanus Conſtantinopolitanus in Theoria poſt initium: *ungi oleo baptizatos, eſt inſtar olei, quo Sacerdotes & Reges inungebantur, ut etiam Chriſtus unctus eſt, tanquam Rex, & Sacerdos, unctione incarnationis. Eſt quoque ad id, ne poſſit diabolus nos ſuperare peccati mortis potentia, quæ eſt mors ex traſgreſſione Adam in nos delapſa.* Joannes Damaſcenus Orthodoxæ fidei lib.4. cap.10. *Oleum ideo ad baptiſma adhibetur, quia unctionem noſtram deſignat, Chriſtoſque nos efficit, ac Dei miſericordiam per Spiritum Sanctum nobis pollicetur. Nam & columba iis, qui ſalvi & incolumes a diluvio evaſerunt, ramum olei attulit.* Theophilactus ad c.10. Lucæ. *Quotidie, qui baptizantur, liberantur a vulneribus animæ, oleo quidem unguenti uncti: ſtatim autem communicantes, & divini ſanguinis participes fiunt.* Secundo, de cæreorum, & luminum uſu. Euſebius Cæſarienſis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib.6. cap.8. *In magna & ſolemni Paſchatis vigilia oleum Diaconis & Miniſtris Eccleſiæ defuiſſe perhibent. Unde cum univerſam multitudinem gravis quædam ægritudo, & demiſſio animi occuparet, Narciſſum, ferunt, his, qui luminaria apparabant, præcepiſſe, ut aquam ex puteo quodam, qui erat in proximo, haurirent, & ad ipſum afferrent. Quo abſque mora peracto, eum ſuper aquam oraviſſe, mandaſſeque, ut cum vera & conſtanti in Dominum fide eam in luminarium vaſa infunderent.*

Quod

Quod ubi fecerant, contra omnem rationem, incredibili quadam & divina virtute, naturam aquæ in olei naturam commutatam: & pro certo illius miraculi indicia Fratres complures, qui illic erant eo quidem tempore, permultum ex illa olea reſervarunt, ex qua etiam aliquantulum ad noſtram uſque ætatem cuſtoditum eſt. Tertio, de baptiſterio. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 1. myſtagogica. *Primum ingreſſi eſtis in porticum domus baptiſterii; & ſtantes verſus occidentem, mandari vobis audiſtis, ut protenſa manu, tanquam præſenti Satanæ renuntiaretis*. Joannes Chryſoſtomus homil.60. ad Populum Antiochenum; *nonne vides eos, qui fiunt hic filii, quomodo non ſervis opus demandavit, ſed ipſi adſtant baptiſterio?* Quarto, de abrenunciationibus, promiſſionibus & inſufflationibus. Clemens Alexandrinus lib.2. Stromaton: *maleficarum enim, ut puto, poteſtatum eſt opus, proprii habitus aliquid canari ſigillatim operari, ut nos, qui eis abrenuntiavimus, in certamine ſuperent & ſuos efficiant*. Et lib.1. Pedagogi cap.6. *Eodem modo nos quoque noſtrorum peccatorum moti pænitentia, ipſarum detrimentis renunciantes, baptiſmo percolati, ad æternam quoque lucem reccurrimus, filii ad Patrem*. Origenes Homil.12. in Numeros. *Recordetur unuſquiſque fidelium, cum primum venit ad aquas baptiſmi, cum ſignacula fidei prima ſuſcepit, & ad fontem ſalutis acceſſit, quibus ibi tunc uſus eſt verbis, & quid denuntiaverit Diabolo, non ſe uſurum pompis ejus, ac voluptatibus pariturum*. Et homil.2. in Pſal.38. *Ecce iſte, inquit Diabolus, qui mihi & operibus meis renuntiavit in baptiſmo, meis rurſus operibus ſe inſeruit, meiſque legibus paruit*. Joannes Chryſoſtomus in Pſalm. 14. *Adducit quiſpiam Infantem adhuc uberu ſugentem, ut baptizetur, & ſtatim Sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conventa, & aſſenſionem, & minoris ætatis fidejuſſorem accipis ſuſceptorem, & interrogat; renuntias ſatanæ &c.* Et homil.21. ad Populum Antiochenum. *Vocis illius recorderis, quam dum ſacris initiareris, emiſiſti. Abrenuntio tibi Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo*. Quinto, de Sale in ore baptizati. Origenes hom.6. in Ezechiel: *Oportet erga, eum, qui renaſcitur, utique in Chriſto renaſcentem, rationabile, & ſincerum lac deſiderare, debet ſale ſaliri, & pannorum involucris colligari, ne dicatur ad eum, ſale non eſt ſalitus, & pannis non eſt involutus*. Sexto, de candidæ veſtis uſu in Baptiſmo. Dionyſius Areopagita, ut putatur, de Eccleſiaſtica Hierarchia cap.2. *Aſſumentes autem baptizandum Sacerdotes Suſceptori, ſuique acceſſus duci, conſignant, & una cum ipſo illum veſte baptizali, munditiæ congruam, induunt; ſicque indutum rurſum ad Pontificem ducunt . . . Deinceps ita initiatum candentes induunt veſtes*. Joannes Chryſoſtomus Hom.83. in cap.26. Matth. *Hæc eſt dignitas veſtra, hæc ſtabilitas, hæc corona præcipua, non ut tunicam induti candidiſſimam, per Eccleſiam ambuletis*.

V. Probatur ex Patribus Latinis, & primo de oleo & Chriſmate. Tertullianus lib. de Bapt. cap. 7. *Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione, de priſtina diſciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant . . . . . Sic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritaliter proficit; quomodo & ipſius baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur, ſpiritalis effectus, quod delictis liberamur*. Et lib. de Reſurrectione carnis cap.8. *Sed & caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima conſecretur*. Et lib. 1. cont Marcionem cap. 14. *Sed ille quidem uſque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua ſuos abluit, nec oleum, quo ſuos ungit*. Cyprianus epiſt.70. *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, id eſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit. Porro autem Euchariſtiam, & unde baptizati unguntur, oleum in altari ſanctificatur &c.* Hieronymus cont. Luciferianos cap.4. *Sine chriſmate, & Epiſcopi juſſione, neque Præsbiter, neque Diaconus, jus habet baptizandi*. Et ad cap.3. Sophoniæ. *Sacerdotes*, (intelligit per Antonomaſiam Epiſcopos) *qui dant baptiſmum, & ad Euchariſtiam Domini adventum imprecantur, faciunt oleum Chriſmatis, manus imponunt &c.* Auguſtinus in Joannem Tract.138. *Poſtremo quid eſt, quod norunt omnes, ſignum, niſi Crux Chriſti? quod ſignum, niſi adhibeatur ſive frontibus credentium ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive oleo, quo Chriſmate unguntur &c.* Et lib. 15. de Trinitate cap.26. *Unxit eum Deus Spiritu Sancto, non utique oleo viſibi-*

ſibili, ſed deno gratiæ, quod viſibili ſignificat ur unguento, quo baptizatos ungit Eccleſia. Beda ad cap. 8. Actorum. *Præsbyteris ſive extra Epiſcopum, ſive præſente Epiſcopo baptizare, & Chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum: non tamen frontem ex eadem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis*. Secundo de cereorum & luminum uſu. Auguſtinus ad Pſal. 65. *Noli feſtinare ad aquam; per ignem tranſi ad aquam, ut tranſeat, & aquam. Propterea & in Sacramentis, & in cathecbizando, & in exorcizondo adbibetur prius ignis. Nam unde plerunque immundi ſpiritus clamant: ardeo; ſi ille ignis non eſt? Poſt ignem autem exorciſmi venitur ad baptiſmum; ut ab igue ad aquam, ab aqua ad refrigerium*. Ivo Carnotenſis de Sacramentis Neophytorum. *Ad ultimum datur cereus oceenſus in manus baptizatis, quatenus implere doceotur illud Evangelii: ſic luceat lux veſtra coram bominibus, ut videant opera veſtra bona*. Honorius Auguſtodunenſis lib. 3. de Sabbato Paſchæ. *Quidam etiam de ſonte elevatis mox lumen dare ſolent, quatenus ſplendidis operum lampadibus ſponſo venienti occurrant*. Guilhelmus Alvernus de Sacram. Bapt. *Ut ergo ipſa gratia Spiritus Sancti ſciatur ibi operati, adbibentur & alia, ſal, oleum. lucerna*. Vincentius Belluacenſis Hiſtor. ſpecul. lib. 9. cap. 23. *Cum lumen ponitur in manu parvuli, non illuminatur propter boc anima, ſed per boc ſignificatur quod anima illuminatur ſpiritualiter in baptiſmo*. Tertio de Baptiſteriis. Auguſtinus *de Civitate Dei* lib. 22. cap. 8. *Carthagine Innocentia religioſiſſima fæmina in mamilla cancrum babebat; admonetur in ſomnis appropinquante Paſcha, ut in parte fæminarum obſervanti ad baptiſterium, quæcunque illi baptizota primitus occurriſſent, ſignaret ei locum ſigno Crucis Chriſti: fecit, & ſanitas confeſtim ſequita eſt*. Paulinus Nolanus epiſt. 12. ad Sev rum. *Ta vero etiam BoptiſteriumBaſilicis duabus interpoſitum eondidiſti, ut nos in borum quoque operum, quæ viſibiliter extruuntur ædificatione ſuperares &c.* Gregorius Turonenſis Hiſtoriæ Francorum lib. 10. cap. 28. *Rex poſtquam convaluit, acceſſit Pariſios, exinde ad Rotojalenſem villam ipſius verbis properaut, evocato puero juſſit baptiſterium præparari in vico Nemptodoro*. Quarto de abrenuntiationibus, promiſſionibus, & inſufflationibus. Pacianus Paræneſi de baptiſmo: *ſoluti itaque de vinculis ubi per baptiſmi Sacramentum ad ſignum Domini convenimus, diabolo, & omnibus angelit ejus renuntiamus, quibus ante ſervivimus, ne jam illis ulterius ſerviamus ſonguine Chriſti & nomine liberoti*. Ad Pſal. 118. *Pactum fuit Iſraeli cum Deo, quondo dixit ad Moyſen: omnia quæcunque dixerit Dominus faciemus: ſed & nunc nos paciſcimur in baptiſmo, & abrenuntiamus diabolo, & operibus ejus: pro tranſgreſſoribus ergo bujus pacti propheta tabeſcebat; ſicut & Paulus, qui dicebat: quis uritur, & ego non uror?* Auguſtinus lib. 2. de Symbolo cap. 1. *Ex qua re nobis factus eſt adverſarius diabolus, niſi ex bac, quia videt liberos, quos tenebat ante coptivos; quia videt ſanos, quos ſuis jaculis proſtraverat vulneratos: quia videt veſtiri denuo immortalitate, quos nudaverat propinando iniquitatem, quia muſcipulæ ejus comminutæ ſunt, & nos eruti ſumus: adjutorium noſtrum in nomine Domini? Si adjutorium noſtrum in nomine ejus eſt, renuntiemus diabolo, pompis, & angelis ejus. Hoc audiſtis, boc & vos profeſſi eſtis, renuntiare vos diabolo, pompis, & angelis ejus*. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. *de officiis Eccleſiaſtic.* c 24. *Duæ ſunt pactiones credentium: prima pactio eſt, qua renunsiatur Diabolo, & pompis ejus, & univerſæ converſationi ejus: ſecunda pactio eſt, qua ſe in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credere profitetur*. Quinto de Sale. Ambroſius de cap. 22. Lucæ loquens de baptiſmo: per te fætor tabidæ carnis aboletur, & pereuntia ſitu viſcera aſperſo ſale in multam ſervantur ætatem. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de divinis officiis cap. 29. *Sal autem in myſterio Catechumenis dandus a Patribus ideo eſt inſtitutus, ut ejus guſtu condimentum Sapientiæ percipiant, neque diſipiant a ſapore Chriſti, nec ſint fatui, & retro reſpiciant ſicut uxor Loth*. Beda in lib. Regum. *Sal Sapientiæ cæleſtis, quomodo initiantur Catechumeni, in cunctis operum noſtrorum ſacrificiis offerre jubentur*. Sexto de Sputo, quo nares, & aures tanguntur. Ambroſius lib. 1. de Sacram. cap. 1. *Ergo quid egimus Sabato? nempe apertionem. Quæ myſteria celebrata ſunt apertionis, quando tibi aures tetigit Sacerdos & nares, Quod*

ſigni-

ſignificat in Evangelio Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cum ei oblatus eſſet ſurdus, & mutus, & tetigit aures ejus, & os ejus. Aures quia ſurdus erat; os, quia mutus erat, & ait ephata, quod hebraicum verbum eſt, & latine dicitur adaperire. Ideo ergo tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad ſermonem, & ad eloquium Sacerdotis ...., Nares, ut bonum odorem accipias pietatis æternæ. Beda homil. in Evangelium Dominicæ XII. poſt Trinitatis Feſtum. *Unde credo mos increbuerit Eccleſiæ, ut Sacerdotes illius his, quos percipiendis baptiſmi Sacramentis præparant, prius, inter cætera conſecrationis exordia, de ſaliva oris ſui nares tangant, & aures dicentes ephata, ſaliva quidem oris ſui guſtum, quo initiandi ſunt, ſupernæ ſapientiæ deſignant; per tactum vero narium, ut abjectis delectationibus noxiis, ſolum Chriſti ſemper amplectantur odorem &c.* Septimo de candidæ veſtis uſu. Hugo Victorinus de Sacramentis Fidei lib 2. par.6. c.11. *Exinde traditur Chriſtiano veſtis candida; ut qui primæ nativitatis decorem vetuſtatis pannis obfuſcaverat, habitu regenerationis gloriæ præferat indumentum.* Jacobus Vitriacus in octava Epiphaniæ. *Alba veſtis, qua is, qui baptizatur, induitur, ſtolam innocentiæ ſignat, quæ nobis in baptiſmo redditur.*

VI. Probatur Rationibus. I. Cœremoniæ adhibendæ in baptiſmi adminiſtratione non ſunt vanæ & inutiles, ſed ſignificativæ, & propriæ tũ ad Dei cultum, tum ad hominis profectum: ergo contemni nullo modo poſſunt, ſed debent potius adamuſſim obſervari. Antecedentis veritas conſtabit ex ſolutionibus objectionum. Conſequentia ſequitur. II. Cœremoniæ, quæ fuerunt in Eccleſia omni tempore obſervatæ, omitti abſque culpa non poſſunt; ſed hoc pacto fuerunt cœremoniæ obſervandæ in baptiſmi miniſtratione; ergo omitti ſine culpa non poſſunt. Tota vis hujus argumenti ex monumentis allatis clare conſtat. III. Vel cœremonias haſce inſtituit Chriſtus, vel Apoſtoli, vel Eccleſia, auctoritate, quam a Chriſto habuerunt; ſed quacunque ex his modis fuerint inſtitutæ, ſemper laudabiles ſunt, & in ſolemni baptiſmi adminiſtratione obſervandæ: ergo &c. IV. Cœremoniæ, de quibus loquimur, in tres claſſes ſecernuntur, ex quibus aliquæ baptiſmum præcedebant, aliquæ comitabantur, aliæ ſubſequebantur. Primi generis cœremoniæ antiquitus erant, nomen ſuum dare, Fidei elementis imbui, laborioſis operibus probari, ſcrutinia præmitti, Satanæ, & pompis ejus renuntiare, variis interrogationibus reſpondere, ſignum Crucis in fronte & pectore imprimi, Exorciſmis dœmonem abigi, exſufflationem adhibere, per quam Spiritus Sancti afflatio denotabatur, ſal deguſtandum dari, nares, & aures ſaliva tangi, Sacerdotem imponere manum, ac benedicere, Catechumenum denique oleo benedicto ante baptiſmum in pectore, & ſcapulis ungi, ungendum poſtea poſt baptiſmum in vertice. Ad præſens autem cœremoniæ baptiſmum præcedentes ſunt, conſecrari aquam, admixto Chriſmate, quod fit in pervigiliis Paſchatis, & Pentecoſtes, offerri ante fores Eccleſiæ, qui baptiſmo ſunt initiandi, nomen baptizando imponere Sacerdote a baptizando exquirere, quod ab Eccleſia petat, exorciſmum fieri a Sacerdote, & qui verbo, & exſufflatione peragitur, obſignati Crucis ſigno frontem, oculos, pectus, aures, humerum baptizandi; poſt orationes Sacerdotem imponere manum ſuper baptizandi caput; baptizando porrigere guſtandum ſal benedictum, nares, & aures baptizandi ſaliva leniri. Cœremoniæ autem baptiſmum comitantes reſpiciunt tempus, & baptiſmi locum, de quibus in ſequenti Diſſertatione agemus, & pro eo, quod fiebat antiquitus, Scriptores aliqui ponunt baptiſmalis aquæ conſecrationem, quam nos poſuimus, cum aliis Scriptoribus inter cœremonias, quæ baptiſmum præcedent, & denique inter has quoque ponitur Patrinorum ſuſceptio, quos proinde Suſceptores vocabant, & de his in altera ſequenti Diſſertatione erit ſermo. Cœremoniæ autem baptiſmum præcedentes, quas ad præſens adhibet Eccleſia, ſunt quod Sacerdos interroget ter Catechumenum jam ad baptiſmi fontem perductum: *abrenuntias Satanæ, omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus*; & ille, vel ejus nomine ſuſceptor, ter pariter reſpondeat: *abrenuntio*; quod a Sacerdote obſignentur ſacro

cro oleo in Crucis figuram pectus, & ſcapuli baptizandi; quod fiat a Catechumeno vel ab ejus Suſceptore fidei profeſſio, ita ut reſpondeat pro quolibet articulo Sacerdoti interroganti; *credo*, & denique, quando Catechumenus proximus eſt jam ut baptizetur, & Sacerdos eum interrogat: *vis baptizari?*, ipſe, vel ejus nomine Patrinus reſpondeat: *volo*. Cœremoniæ tandem baptiſmum ſequentes antiquitus erant oſculum pacis, quod a Miniſtro baptizato dabatur; unctio Chriſmatis in vertice; cereus accenſus, baptizato datus; veſtis candida, quam a Sabato Sancto, uſque ad Dominicam in Albis deferebant baptizati, & delibario lactis, mellis, quæ baptizato deguſtandæ porrigebantur. Ad præſens autem ſunt, Chriſmatis unctio in vertice, veſtis candidæ traditio, cereus ardens traditus vel baptizato, vel Patrino.

Arguunt I. Cœremoniæ, quæ in baptiſmi adminiſtratione adhibentur in ſacris Literis non leguntur: ergo ſunt potius Inventiones hominum, quam ordinationes Dei. II Non habemus præceptum, neque exemplum cœremoniarum, quæ in baptiſmi celebratione obſervantur: ergo fruſtra & immerito obſervantur. III. Aliquæ ex illis ſunt prorſus inanes & inutiles, ut quando dicitur per exorciſmum Diabolo: *exi ab eo, immunde ſpiritus; & da locum Spiritui Sancto Paraclito*. jam tunc enim homo eſt baptizatus, adeoque Diabolus expulſus: ergo per exorciſmum fruſtra & inutiliter pellitur. IV. Per exorciſmos illos videtur potius miniſtrum exorcizare Spiritum Sanctum; atqui hoc per Optatum Milevitanum iniquum eſt: ergo fieri non debet. Probatur minor. Optatus lib. 2. de Schiſmate Donatiſtarum n.21. dicit: *quid iniquius, quam exorcizore Spiritum Sanctum?*

Reſpondemus ad I., etiam hæreticos, quorum ſunt objectiones, multa obſervare in adminiſtratione baptiſmi ſui, quæ in ſacris literis non inveniuntur. Et Revera Calvinus in libello de formula Sacramentorum miniſtrandorum præſcribit primo, ut Infans baptizetur die dominico; ſecundo ut afferentes Infantem baptizandum promittant, ſe bene educaturos illlum in fide, & moribus, & poſt hanc promiſſionem baptiſmus conferatur; tertio ut Infanti imponatur nomen; quarto ut forma baptiſmi proferatur lingua vernácula & patria; quinto, ut eadem lingua recitetur Symbolum Apoſtolicum, Oratio Dominica, & aliæ preces. Lutherani alias addunt cœremonias, quæ in Sacris Scripturis non inveniuntur, ut videre eſt apud Bellarminum.

Ad II., falſitas objectionis factæ evidenter conſtat ax teſtimoniis apertiſſimis antiquorum Conciliorum, & veterum Patrum, quæ nos in probationibus adduximus, & quæ pariter lato calamo deſcribit, atque enumerat laudatus Bellarminus.

Ad III. Reſpondet S. Thomas 3. par. q.71. art.3. ad tertium his verbis. *Ea, quæ aguntur in exorciſmo: ordinantur ad removendum impedimenta; & ideo ſine eo poteſt aliquis conſequi effectum baptiſmi. Non tamen ſunt hujuſmodi prætermittenda, niſi in neceſſitatis articulo; & tunc ceſſante periculo debent ſuppleri, ut ſervetur uniformitas in baptiſmo. Nec fruſtra ſupplentur poſt baptiſmum, quia ſicut impeditur effectus baptiſmi, antequam percipiatur, ita poteſt impediri poſtquam fuerit perceptis*. Et in 4. lib. Sentent. diſt.6. q 2. art.3. ad quartum: *dicendum, quod ad hoc, quod uniformitas baptiſmi obſervetur, oportet quod exorciſmus, ſi pretermiſſus fuerit, poſt baptiſmum ſuppleatur, & tunc tantum ſignat; vel forte additur etiam aliqua cohibitio ab impugnatione diaboli. Nec hoc eſt inconveniens, cum etiam per aquam benedictam, qua poſt baptiſmum aſpergimur, aliqua poteſtas Dæmonis reprimitur*. Igitur ex S. Doctore; exorciſmi illi, quanvis Dœmonem non expellant, quia tam ſupponitur expulſus, vires tamen ejus deprimunt, tentationes extruant, & concupiſcentiæ motus extenuaret.

Ad IV. Optatus in loco adducto agit contra Donatiſtas, qui dejiecerant Catholicos Epiſcopos, & Sacerdotes de gradu ſuo, & per hoc Spiritui Sancto, a quo ordinati fuerant injuria fecerant. En ſua verba. *Spiritum Sanctum exorcizarunt, quo nihil iniquius. Perfecti fuerant illi, opere ſcilicet Dei, qui in ejus nomine fuerant ordinati, & vos contra opus Dei hoſtiliter militatis... Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum Sanctum, altaria frangere, Eucha-*

chariſtiam animalibus projicere? Docete ubi vobis mandatum eſt radere capita Sacerdotum, cum e contrario ſint tot exempla propoſita fieri non debere.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, quæ eſt de Græcorum ritibus, præcipue Recentium, in baptizando, Bonaventura Theulus, Ordinis Minorum Conventualium, in Diaphoris Græcorum hæc de Græculis modernis circa Baptiſmi ritus narrat. Primo: differunt a nobis in ſigno Crucis; ſic enim nos ſignamur a ſiniſtra ad dexteram; ita ipſi a dextera ad ſiniſtram ſignantur: unde Innocentius III. notavit, ut refert Alenſis 4 par. q. 10. in 4. art. 1 quod *ſignare a ſiniſtra ad dexteram indicat, quod Latini a loco reprobatorum, qui per ſiniſtram concipitur, ad Prædeſtinatorum ſedem tranſierunt; ſicut e contrario ſignare a dextera ad ſiniſtram a Prædeſtinatione ad Reprobationem demonſtrat tranſitum, quē timere debent Greci ſchiſmatici.* Secundo: differunt in Baptiſmi forma, ut dictum eſt in ſuperioribus; tamen eſt advertendum, quod eſto latina Eccleſia ipſorum formam probet, ipſi tamen formam noſtram improbant, & a Latinis baptizatos iterum baptizant, quemadmodum profanata putant Altaria, ſuper quæ Latini celebrant. Immo narrat laudatus Scriptor, quod aliquando iterum baptizarunt hominem Græcum, quia in balneo regio Bizantii exiſtens cum muliere Hebræa, vel altera Infideli rem habuerat; & Adrianopoli etiam Græcum cum Armena Muliere coeuntem iterum etiam baptizarunt; ſicut Armenam conjugem coegerunt Græci rebaptizari. Tertio, ut ait Jueninus in Comentar. 6., Presbyteri Græci conſecrant oleum, quo totum Catechmeni corpus inungant. Quarto: Sacerdos rectum tenet Catechumenum, & converſum ad Orientem baptizat, ter deducens eum, & educens, & ternas adhibens appellationes. Quinto: ſtatim poſt baptiſmum Confirmationem conferunt. Sexto: ſtatim etiam Neophyto confirmato, ſive Adultus ſit, ſive Infans, Euchariſtiam diſtribuunt, ut habet Hieremias Pſeudo-Patriarcha Conſtantinopolitanus in cenſura in Auguſtanam Lutheranorum Confeſſionem; ſed hæc conſuetudo Euchariſtiam porrigendi mox baptizatis apud etiam Latinos quondam invaluit, ut quum de Euchariſtia, dicemus.

Dicimus II. Græcorum ritus in baptiſmi administratione, ſi ſint contra Sacramenti ſubſtantiam, non eſſe tollerandos; ſi vero ſint contra illos, quos Catholici adhibent, tolerandos eſſe; at ipſos injuſte rejicere ac reprobare ritus, quos Catholici adhibent.

Prima Concluſionis pars probatur, quia quæ ſunt contra Sacramenti ſubſtantiam, illud exponunt periculo nullitatis, & invaliditatis: ergo tolerari non debent. Ulterius ſunt contra Chriſti inſtitutionem; Chriſtus enim inſtituit baptiſmi eſſentialia: ergo nec pariter ob hoc ſunt tolerandi. Denique ſunt contra Eccleſiæ traditionem & praxim: ergo nec etiam ex hoc capite tolerari, & permitti poſſunt.

Secunda Concluſionis pars probatur; quia multæ ſunt conſuetudines in variis Eccleſiis introductæ, quæ tolerantur, & nihilominus non reſpiciunt æternam hominum ſalutem ſic intime & proxime, ut reſpicit baptiſmus: ergo multo magis in baptiſmo tolerari poſſunt; tum etiam ex eo quod Sacramenti ſubſtantia intacta remanet, & quæ variantur accidentalia ſunt, & non privato alicujus Judicio variantur, ſed conſuetudine per longum tempus introducta, & ab Eccleſia probata, vel tolerata.

Tertia Concluſionis pars probatur, quia Græci poteſtatem non habent de Catholicorum ritibus judicare, tum ob Schiſma, in quod miſerrime detinentur, tum quia apud Latinos eſt, non apud ipſos, controverſiarum Judex, qui a Deo poteſtatem obtinuit de Eccleſiæ rebus indeclinabile ferre judicium, & ea permittere, quæ permittenda ſunt, & quæ prohibenda ſunt, prohibere.

Ritus in baptizando, quos Latini Catholici obſervant, inſtituit Eccleſia, ut in baptiſmi ſolemnis adminiſtratione adhibeantur; & per conſequens Eccleſia ipſa circa ipſos aliquando juſtis de cauſſis diſpenſat, præcipue in neceſſitatis caſu. Et quia hi ritus non difformantur ab illis, quos in hac Diſſertatione enumeravimus, ac contra hæreticos propugnavimus, inde eſt, quod nihil circa hanc ultimam Diſſertationis partem de novo dicendum ſupereſſe judicamus, niſi illa, quæ in ſequenti Diſſertatione explicabimus, ac peculiari titulo defendemus.

DISSERTATIO CCCLII.

De Baptiſmi Cæremoniis. Quinam fuerit antiquitus, & modo ſit, ſolemnis baptiſmi locus? Et quodnam Tempus?

QUantum ad locum, primo, nemini dubium eſt, quin Apoſtolorum tempore quovis in loco ſit baptizatum. Philippus Diaconus Candacis Reginæ Eunuchum baptizavit in via, *Actor.* 8. Cornelius Centurio in domo ſua a Petro baptizatus fuit. *Actor.* 10 Secundo, non multo poſt Apoſtolorum ætatem conſentiunt omnes, quod fuerint quædam loca electa, extra quæ baptizare licitum non erat, & talia loca *Baptiſteria* dicebantur, Quum autem Chriſtianis templa non eſſent, hæc Baptiſteria vel in Fidelium privatis domibus, vel ſæviente perſecutione extra Urbes in locis abditis, in antris, in cœmeteriis, latitabant. Tertio, data Eccleſiæ pace per Conſtantinum Magnum, Baptiſteria vel in templorum foribus, vel in ipſis templis erecta fuiſſe, traditio docet. An autem in quibuſvis Eccleſiis erecta fuerint, non conveniunt Scriptores, quum plerique velint in Cathedralibus tantum primo fuiſſe erecta, deinde vero in minoribus Urbibus, & poſtea in Pagis; ſed hæc dubia ſunt. Quarto, in omnibus Parochiis IV. ſeculo labente Baptiſteria, etiam extra Urbes, fuiſſe certo conſtat ex Hieronymo contra Luciferianos, cujus verba hæc ſunt: *non quidem abnuo, hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus Urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus Sancti manus impoſiturus excurrat*. Quinto, in caſu neceſſitatis in quovis loco Majores noſtri baptizarunt; ut patet ex epiſtola decretali, quæ Victori Papæ tribuitur. *Si neceſſe fuerit*, inquit, *aut mortis periculum ingruerit, Gentiles ad fidem venientes quocunque loco, vel momento, ubicunque evenerit, ſive in flumine, ſive in mari, tamen chriſtianæ confeſſione clarificato, baptizentur*. Sic etiam Concilium Meldenſe cap. 48. *Nemo Presbyterorum baptizare præſumat, niſi in Eccleſiis baptiſmalibus; niſi cauſa ægritudinis, vel certæ neceſſitatis*. Extra autem neceſſitatis caſum contra non baptizantes in Eccleſiis baptiſmalibus pœnæ etiam inflictæ fuerunt; ut patet ex Can. 21. Trullano, ubi habetur. *Deponatur Clericus, qui ſine licentia Epiſcopi intra domum, in oratoria domo, ſacrificat, vel baptizat*. Et can. 19. *In Eccleſiis, non in domibus, aut privatis Oratoriis, Baptiſmo celebretur; contrafaciens Clericus deponatur, Laicus excommunicetur*.

Quantum vero ad tempus, quo baptiſmus ſolemnis conferebatur, non eadem fuit apud omnes Eccleſias diſciplina. Eccleſia Romana, aliæque Eccleſiæ eidem adjacentes, conferre ſolebant baptiſmum tantum Sabatis, quæ Paſcha, & Pentecoſten immediate præcedunt. Teſtatur Tertullianus lib. de Bapt. *Diem baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat, cum & paſſio Domini, in qua tinguimur, adimpleta eſt, nec incongruenter quis ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum Paſcha Dominus eſſet acturus, miſſis Diſcipulis ad præparandam; Invenietis* (inquit) *hominem aquam bajulantem. Paſchæ celebrandæ locum de ſigno aquæ oſtendit. Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt, quod & Domini Reſurrectio inter Diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus Sancti dedicata, & ſpes adventus Domini ſuboſtenſa, quod tunc in Cælo recuperato eo, Angeli ad Apoſtolos dixerunt, ſic venturum quemadmodum & in cælos conſcendit, utique in Pentecoſte*.

Dici-

Digitized by Google

Dicimus I., circa tempus, quo baptiſmus ſolemnis adminiſtraretur, variam fuiſſe Eccleſiarum diſciplinam; attamen pleraſque eum adminiſtraſſe diebus immediate præcedentibus Paſcha Reſurrectionis, & Pentecoſten.

I. Probatur concluſio ex Romanis Pontificibus. Siricius Papa ſeculo IV. in epiſt. ad Himerium Tarraconenſem hæc ſcribit cap. 2. *Sequitur de diverſis baptizandorum temporibus, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis & emendanda confuſio, quæ a noſtris Conſacerdotibus (quod commoti dicimus) non ratione authoritatis alicujus, ſed ſola temeritate præſumitur, ut paſſim ac libere Natalitiis Chriſti, ſeu Apparitionis, nec non & Apoſtolorum, ſeu Martyrum, feſtivitatibus, innumeræ (ut aſſeris) plebes baptiſmi myſterium conſequuntur .... Cum hoc ſibi privilegium & apud nos, & apud omnes Eccleſias, Dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat, quibus ſolis per annum diebus, ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi convenit Sacramenta, ... præſtitam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab apoſtolicæ Petræ, ſuper quam Chriſtus univerſalem conſtruxit Eccleſiam, ſoliditate divelli*. Leo Magnus in epiſt. ad Epiſcopos Siciliæ aſſerit, quod illi, qui Epiphaniæ die baptizant *ab apoſtolicæ inſtitutionis conſuetudine diſcrepant*; contendit *ſolos Paſchatis & Pentecoſtes dies baptizandis in Eccleſia electis ſecundum apoſtolicam regulam eſſe præſcriptos*. Gregorius Magnus in ſuo Sacramentorum libro ejuſdem conſuetudinis meminit.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Matiſconenſe, habitum anno 581. hæc habet. *Comperimus, Chriſtianos non obſervantes legitimum diem baptiſmi perire per ſingulos dies, ac natalitiis Martyrum filios ſuos baptizare, ita ut vix duo, vel tres reperiantur in ſancto Paſcha, qui per aquam & Spiritum Sanctum regenerentur. Idcirco cenſemus, ut ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare .... Ideoque omnes omnino a die quadrigeſima cum Infantibus ſuis ad Eccleſiam obſervare præcipimus, ut impoſitionem manus certis diebus adepti, & ſacri olei liquore peruncti, legitimi diei feſtivitate fruantur, & ſacro baptiſmate regenerentur*.

III. Probatur ex Scriptoribus Eccleſiaſticis. Avitus, Epiſcopus Viennenſis, in epiſt. ad Clodovæum, inter Francorum Reges primum, qui chriſtianam Religionem amplexus eſt, & qui Natali Domini die baptizatus fuit, hæc ſcribit. *Siquidem & occiduis partibus in Rege non novo novi jubaris lumen effulgurat, cujus ſplendorem congrue Redemptoris noſtri Nativitas inchoavit; ut conſequenter eo die ad ſalutem vos regenerari ex unda pateat, quo natum Redemptioni ſuæ, Cæli Dominum, mundus accipit. Igitur qui celeber eſt natalis Domini, ſit & veſtri, quo vos, ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo, in qua vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecratis*. Gregorius Turonenſis lib: *de gloria Confeſſorum* cap. 6. refert miraculum, quod obſervabatur Ebreduni in Natali Domini, & in cœna dominica quolibet anno, circa baptiſterium, quod S. Marcellinus in ea Civitate erexerat; ſcilicet in eo baptiſterio oriebatur aqua divinitus diebus illis, quæ ad uſum baptiſmi ad aliud lavacrum deferebatur. Et hoc miraculum, ſcribit Hugo Menardus in obſervationibus ad librum Sacramentorum S Gregorii, factum certe non fuiſſet, ſi baptiſmus illo die conferri non debuiſſet. Idem Gregorius Turonenſis lib: 8. Hiſtoriæ Francorum cap. 9. ſcribit de Gunthetamno Rege. *Poſt hæc Rex Pariſios venit, & coram omnibus loqui cæpit dicens, Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquiſſe, cujus nutritores, matre deprecante, petierunt, ut eum de ſancto lavacro in Dominici Natalis ſolemnitate deberem excipere; & non venerunt. Rogaverunt deinceps, ut ad ſanctum Paſcha baptizaretur; ſed nec tunc allatus eſt infans; deprecati ſunt autem tertia, ut ad feſtivitatem S. Joannis exhiberetur, ſed nec tunc venit*.

Dicimus II., in Eccleſia Orientali, ultra dies Paſchatis, & Pentecoſtes, fuiſſe etiam baptiſmum ſolemnem adminiſtratum Epiphaniæ die.

I. Probatur concluſio ex Gregorio Nazianzeno Orat. 39. in ſancta lumina. *Tempus regenerationis eſt, enaſcamur deſuper; tempus reſtaurationis, primum Adam deponamus; Chriſtus illuminatur, ſimul fulgeamus; Chriſtus baptizatur, deſcendamus cum eo, & una cum eo aſcendamus*. Ejuſdem Gregorii au-

antiquitatem affert Goarius, qui noſtræ Concluſionis præcipuus eſt Aſſertor; & quidem Orat. 40. baptiſmi tempus deſignans ſcribit. *Excuſas te, excuſationes in peccatis oſtendis: diem luminum expecto; Paſcha mihi carius eſt. Ad Pentecoſtem uſque præſtolabor; cum Chriſto mihi melius eſt illuminari.*

II. Probatur ex Chronico Theophanis, ex quo citatus Goarius hæc exſcripſit. *Herulorum Rex cum ſubdito ſibi Populo, ut fieret Chriſtianus, ab Imperatore expetiit: Juſtinianus vero collato eidem in Theophaniis baptiſmo ſuſcepit eum e fonte, & ſimul cum eo Proceres, ſenatoresque ſunt baptizati.*

III. Probatur ex Chryſoſtomo Orat. *de bapt. Chriſti* apud eumdem Goarium. *Hæc enim dies eſt, qua baptizatus eſt Chriſtus, & aquarum naturam ſanctificavit, propterea que in hac ſolemnitate ſub media nocte omnes, cum aquam hauſtam acceperint, domum latices referunt, ac recondunt, & per annum integrum reſervant, utpote quod hodierna die ſanctificatæ ſint aquæ: fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura corrumpitur, ſed integro anno, atque adeo biennio, triennio, ſæpe quæ hodie fuit hauſta, incorrupta & recens permanet; ac poſt tantum temporis cum iis, quæ fuerint de fontibus nuper eductæ, de integritate certat.*

Opponunt I. Fredegarius aſſerit, Clodovæum fuiſſe baptizatum Paſchatis die: ergo non eſt verum, quod baptiſmum ſuſceperit die Domini Natali. II. Robertus Abbas lib. 4. *de divinis officiis* cap 18. teſtatur, circa tempus ſolemnis baptiſmi adminiſtrandi antiquam conſuetudinem deſiiſſe circiter anno duodecimo: ait enim: *poſtquam Chriſtianitas crevit, quia periculoſum erat tantam multitudinem differre propter occaſiones mortis, viſum eſt ſanctæ Eccleſiæ, paſſim indulgentia baptizandi conceſſa, imo oblata, cuncta antevenire pericula.* III. Patres aliquot aſſeruerunt, fuiſſe homines baptizatos non pervigiliis diebus, ſed diebus ipſis Paſchatis, & Pentecoſtes; quod eſt contra aſſertum a nobis factum. IV. Lex baptiſmi adminiſtrandi prædictis diebus omnes homines non obligabat, ut patet ex epiſt. Siricii ad Himerium Tarraconenſem c. 2. *Sicut ſacram ergo paſchalem reverentiam in nullo dicimus minuendam, ita infantibus, qui nondum loqui poterunt per ætatem, vel his, quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri unda baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri, ne ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari, exiens unuſquiſque de ſeculo, & regnum perdat, & vitam. Quicunque etiam diſcrimen naufragii, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuſlibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri, eodem, quo poſcunt, momento temporis expetitæ regenerationis præmia conſequantur.*

Reſpondemus ad I., quod Avitus fuit Coetaneus Clodovæo, adeoque illius teſtimonium majoris ponderis eſſe debet, quam illud Fredegarii, qui poſterior Avito fuit.

Ad II. Robertus Abbas loquitur de Eccleſiis Occidentalibus, & rationem affert validam quidem, ut ſcilicet provideretur ſaluti illorum, qui ante præfixum tempus in mortis periculo inveniebantur. Revera tamen etiam in Eccleſia Græca propter eandem rationem antiqua diſciplina de tempore baptiſmi circa idem tempus diſierat, ut teſtatur Arcudius.

Ad III. Patres ideo id aſſeruere, eo quod Baptiſmatis ritus, ut ait Juenimus in Commentario, inciperet ſub Sabati veſperam, a qua majores noſtri ſubſequentis feſti ducebant initium. Cæterum hoc reſpicit potius horam, quam diem; unde dicimus, quod apud Latinos hora nona fuiſſe baptiſmum collatum colligitur ex Alcuino lib. *de divinis officiis*, ubi agens de Sabati Sancti officio, ait. *Hodie autem hora nona baptiſmus celebratur, ſicut in Pentecoſte.* Nec quis objiciat, multos Patres latinos aſſeruiſſe, noctis tempore fuiſſe baptiſmum collatum; propter enim baptizandorum multitudinem ſolemnis ritus ſæpius in noctem protrahebatur. Apud Græcos vero IV. ſeculo ſub media nocte fuiſſe ſolemnem baptiſmum adhibitum, diſcimus ex Chryſoſtomo; ſed ea parte, quæ luci vicinior eſt. Mutata poſtmodum fuit illa hora, & ad veſperam pervigilii a Gnaphæo redacta, ut colligere eſt ex Theodoro Lectore.

Ad IV. Ex ejuſdem Siricii epiſtola patet, quod ibi ſit ſermo de periclitantibus de vita, quos quidem diximus etiam nos a temporis baptiſmi legibus fuiſſe exemptos.

DIS-

DISSERTATIO CCCLIII.

De Suſceptoribus in Baptiſmo, ſeu de Patrinis. An in Baptiſmo ſolemni requiratur Patrinus, ſaltem unus? An ad id muneris vel potuerit, vel poſſit quilibet aſſumi? Et quæ cognatio ſpiritualis ex Baptiſmi ſuſceptione oriatur?

Contra Suſceptorum, vulgo Patrinorum, uſum primo ertarunt *Anabaptiſtæ*, qui teſte Bullingero *de Anabaptiſtis*, „ multa inutiliter „ garriunt de ſponſione, quæ in bapti- „ ſmo fit, ac rem admodum exagerant, „ eaque abominanda faciunt, in quibus „ nulla eſt abominatio. Etenim in no- „ ſtris Eccleſiis nullos ſponſores poſtu- „ lamus, qui de fide ſpondeant, ac ſi „ in ipſis poſitum eſſet fidem poſtea da- „ re, ſed tantum teſtes in baptiſmo ad- „ hibemus, qui teſtentur, parentes pe- „ tere, ut infans ſigno fœderis in fœdus „ recipiatur. „ Secundo, Magdeburgenſes Centuriæ ſeptem lib. 2. cap. 6. ſcribunt. „ De Patrinis, ſeu fidei juſ- „ ſoribus, qui obtuliſſent Infantes, aut „ Adultos, ad baptiſmum, & pro iis fidei „ juſſiſſent, nihil legitur in ſcriptis „ Apoſtolorum. Actor. 2. converſi ab „ Apoſtolis, ſe ipſos ad baptiſma offe- „ runt. Et ridiculum fuiſſet, ſi Apo- „ ſtoli noluiſſent baptizare, priuſquam „ Fidejuſſores afferrent: ubi enim eos „ Eunuchus in ſolitudine ſibi compa- „ raſſet?

Dicimus I., convenienter ad Baptiſmum adhiberi Suſceptores, vulgo Patrinos.

I. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo I., qui refertur diſt. 4. *de Conſecrat.* ait. *Non plures ad ſuſcipiendum de baptiſmo infantem accedant, quam unus, ſive vir, ſive mulier. In Confirmatione quoque idipſum fiat.* Et ſi legitimæ ſunt epiſtolæ Romanorum Pontificum uſque ad Siricium, habetur Hyginus, qui refertur *diſt. 4. de Conſecrat.* ubi dicitur: *in Catechiſmo, & in Baptiſmo, & in Confirmatione unus patrinus fieri poteſt, ſi neceſſitas cogit. Non eſt tamen conſuetudo romana, ſed per ſingulos ſinguli ſuſcipiunt.* Gregorius Magnus lib: 4. Dialog. c. 32. *Quidam Curialis in Valeria provincia ſacratiſſimo paſchali ſabato juvenculam cujuſdam filiam in baptiſmate ſuſcepie.* Et lib: Sacrament. de Bapt. Infantum: *deinde eo tenente infantem, a quo ſuſcipiendus eſt, interrogat eum Sacerdos ita: quis vocaris? Reſponſ. N. Credis in Deum Patrem &c.* Deusdedit Papa epiſt ad Gordianum, Epiſcopum Hiſpalenſem, ait. *Pervenit ad nos Diaconus veſter, veſtræ ſanctitatis epiſtolas ferens, quod quidam viri, etiam & mulieres, præterito ſabato paſchali die, pro magno populorum incurſu, neſcientes proprios filios ſuſcepiſſent ex lavacro ſancto. Cupis ergo ſcire, ſi pro tali accedente ratione debeant ad ſuum proprium redire uſum, an non &c.?* Nicolaus I. epiſt. ad Epiſcopum Saltuitanum. *Noſſe deſideras, an mulier, quæ viri ex alia fœmina filium de ſacro fonte levavit, poſtmodum poſſit cum eodem viro copulari.* Alexander III. ad Epiſcopum Salernitanum. *Tolerabilius nobis videtur, ut etiam poſt compaternitatem geniti ſimul poſſint copulari, præter illam perſonam, per quam compaternitas contrahitur, niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habeat.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in Canonibus arabicis can. 21. *Nemo Fidelium cum Patre, aut Matre ſpirituali, matrimonium contrahat, ideſt cum Patrinis, aut Matrinis; & qui hoc commiſerit habeatur tanquam Ethnicus.* Et Can. 22. *Viri non teneant*

in ba-

in baptiſmo puellas, aut mulieres, neque mulieres teneant maſculos; ſed potius mulieres teneant puellas, & viri teneant maſculos. Concilium Conſtantinopolitanum VI. Can.6. *Conſtitutum eſt a SS. Patribus, ut nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque a lavacro Fontis alium ſuſcipiat, neque coram Epiſcopo ad confirmandum quemlibet teneat, niſi ſymbolum, & Orationem dominicam memoriter tenuerit.* Concilium Antiſiodorenſe anno 614. habitū C.24. *Non licet Abbati filios de Baptiſmo habere, nec Monachis commatres habere*. Concilium Arelatenſe IV. cap.19. *Parentes filios ſuos, & Patrini eos, quos de fonte lavacri ſuſcipiunt, erudiri ſummopere ſtudeant: illi, quia genuerunt; iſti, quia pro iis fidejuſſores exiſtunt*. Concilium Moguntinum cap.47. *Præcipimus, ut unuſquiſque Compater ſpirituales filios catholice inſtruat*. Et cap.55. *Nullus proprium filium, aut filiam, de fonte baptiſmatis ſuſcipiat: nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem: nec illam, cujus filiam, aut filium, ad Confirmationem duxerit*. Concilium Pariſienſe anno 826. celebratum lib.1. cap.54. *Qui alios de ſacro fonte ſuſcipiunt, quique ad percipiendum Sancti Spiritus donum coram Pontificibus pro aliis Patrini exiſtunt, intelligere debent, & vim tanti Sacramenti, & quid pro aliis ſpondeant*. Concilium Metenſe anno 894. celebratum cap.3. *Nullus alteri ſuſcipiat a fonte infantem, niſi qui apprime ſignaculum, ideſt abrenuntiationem diaboli, & profeſſionem Catholicæ fidei tenuerit: & infantem nequaquam duo, vel plures, ſed unus a fonte baptiſmatis ſuſcipiat: quia in hujuſcemodi ſecta diabolo datur locus, & tanti miniſterii reverentia vileſcit. Nam unum baptiſma, unus qui a fonte ſuſcipit debet eſſe Pater, vel Mater Infantis*. Concilium Moguntinum c.19. *Non raro ex impedimentis cognationum ſpiritualium difficultates & pericula ſolent evenire, ad quæ cohibenda decernimus, ne cuiquam ſive ex ſacro fonte levando, ſive ad ſacram Confirmationem tenendo, plures, quam unum Patrinum liceat adhibere*. Demum Concilium Tridentinum ſeſs.24. *de Reform*. cap.11. *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia: in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, & a Cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit, ut unus tantum ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una, baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius Patrem, & Matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, ac Matrem, tantum ſpiritualis cognatio contrahatur*.

III. Probatur ex Patribus Græcis. Auctor libri *de eccleſiaſtica Hierarchia* cap.2. *Porro, qui tam ſublimium, ac tam cœleſtium munerum ſacro fuerit deſiderio & amore captus accedit ad aliquem ex Fidelium numero, oratque, ut ſe ad Pontificem ducat, ſecuturum omnia quæcunque ſibi tradentur, penitus & ex toto animo ſpondens, precaturque eum, ut ſe adducat, tum ut reliquæ deinceps regendæ vitæ ſuæ ſuſcipiat curam. Illum, etſi ſalutis ejus amore ſacro ſuccenditur, celſitudinem tamen rei, humanamque infirmitatem metientem, continuo horror & anguſtia difficultatis invadit. Poſtremo tamen facturum, quod ille poſtulat, benigniſſime pollicetur, aſſumenſque hominem, ad Pontificem ducit &c. Accuſans autem (juxta quod a Suſceptore fuerat edoctus) impietatem & veri boni ignorantiam, orat, ut divinis myſteriis frui mereatur &c. Mandat Pontifex Sacerdotibus, ut baptizati, & Suſceptoris nomen adſcribant*. Et cap.7. *Naturales oblati parvuli parentes puerum uni ex Fidelibus tradant, præclaro divinarum rerum Magiſtro, ſub quo jam puer ſit, quaſi ſub Patre divino, ſanctæque ſalutis Alumno, Hunc itaque Præſul ſpondentem puerum juxta ſanctam educaturum vitam requirit, ut abrenuntiationem profiteatur*. Author libri Quæſtionum, qui Juſtino tribuitur, quæſt.56. *Digni fiunt pueri baptiſmi commodis, fide eorum, qui illos ad baptiſmum offerunt*. Baſilius Magnus epiſt. 128. ad Poſthumianum; *primo baptiſmate initiatus es ad pietatem, utinam te e ſacro fonte levaſſem. Recordor enim adhuc verborum tuorum, quæ, quod mirum eſt, adhuc inſonant auribus meis*. Joannes Chryſoſtomus Homil. 12. in I. ad Corinth. cap.4. *A primis annis ſpiritualibus armis filios muniatis, & cruce ſibi ſignandum frontem erudiatis, & priuſquam per ſe facere poſſunt, vos ipſi Crucem ejus imprimite, præſer-*

ſim

tim quos in baptiſmo ſuſcepiſtis . In Pſal.14. *Allicit quiſpiam Infantem adhuc ubera ſugentem , ut baptizetur , & ſtatim Sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conventa , & aſſenſiones , & minoris ætate fidejuſſorem Suſceptorem interrogat* .

IV. Probatur ex Patribus latinis . Tertullianus lib: de Bapt. cap.18. *Itaque pro cujuſque perſonæ conditione , ac diſpoſitione , etiam ætate , cunctatio baptiſmi utilior eſt , præcipue tamen circa parvulos . Quid enim neceſſe eſt , ſi non tam neceſſe , ſponſores etiam periculo ingeri ? Qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt , & proventu malæ indolis falli* . Et lib: de corona militis cap.3. *Inde ſuſcepti lactis , & mellis concordiam prægustamus* . Auguſtinus Serm 116. de tempore. *Non ſolum exemplis , ſed etiam verbis eos ad omne opus bonum admonere debetis:præcipue tamen , qui filios , aut filias excipere religioſo amore deſiderant , & antequam baptizentur , & poſtquam baptizati fuerint , de caſtitate , de ſobrietate , de humilitate , de pace eos admonere , vel docere non deſinant , & agnoſcant ſe fidejuſſores eſſe ipſorum* . Et ſerm.183. de tempore. *Diſcat quiſque fidem Apoſtolicam , quam profeſſus eſt per os geſtantium in baptiſmo , cum ad annos intelligibiles venerit* . Et de nomine Chriſtiano . *Illos fratres tam illos , quos de fonte excipitis , quam illos , qui de vobis nati ſunt . ſemper caſtigate , & corrigite , ut juſte & ſobrie vivant* . Gennadius Maſſilienſis lib.*de eccleſiaſt. dogmatib.* cap.15. *Si parvuli ſunt , vel hebetes , qui doctrinam non capiunt , reſpondeant pro illis , qui offerunt eos* . Victor Uticenſis *de perſecut. vandalica* lib.3. *Elpidoforus in Eccleſia Fauſti baptizatus , quem venerabilis Muritta Diaconus de alveo fontis ſuſcepit generatum* . Iſidorus Hiſpalenſis *de divinis officiis* lib.1. cap.24. *Parvuli alio profitente baptizantur , quia adhuc loqui , vel credere neſciunt , ſicut etiam ægri , muti , & ſurdi , quorum vice alius profitetur ; ut pro iis , dum baptizantur , reſpondeat* . Venerabilis Beda *Hiſtor. Anglorum* lib.4. cap. 13. *Erat Rex Gentis illius Edilvalch non multo ante baptizatus in provincia Merciorum , præſente ac ſuggerente Rege Wlfhere . A quo etiam egreſſus de fonte loco filii ſuſceptus eſt , in cujus ſignum adoptionis duas illi provincias donavit ; Vectam ſcilicet inſulam , & Meanuarorum provinciam in gente occidentalium Saxonum* .

V. Probatur ex Regum & Principum legibus . Juſtinianus Imperator in l. *ſi quis alumnam* C. de *Nuptiis* , ſtatuit . *Ea perſona omnimode ad nuptias venire probibenda eſt , quam aliquis , ſive alumna ſit , ſive non , a ſacroſancto ſuſcepit baptiſmate , quum nihil aliud ſic inducere poteſt paternam affectionem , & juſtam nuptiarum prohibitionem , quam hujuſmodi nexus , per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ ſunt* . Luitprandus Rex Longobardorum , in legibus Longobardicis tit.24. §.6. *Præcipimus , ut nullus præſumat commatrem ſuã uxorem ducere. Et § 7. Sed nec filiam , quam de ſacro fonte levavit. Et §.8. Neque filius ejus præſumat filiam ipſius uxorem ducere , qui eum de fonte ſuſcepit : quia ſpiritales germani eſſe noſcuntur ; & qui hoc malum facere præſumpſerit , perdat omnem ſubſtantiam ſuam , & filii , qui de tali illicito matrimonio naſcuntur , heredes eſſe non debent* . Carolus Magnus lib: 2. legum cap. 26. *Parentes filios ſuos , & patrini eos , quos de fonte lavacri ſuſcipiunt , erudiri ſummopere ſtudeant . Illi , quia eos genuerunt , & eis a Domino dati ſunt ; iſti vero , quia pro iis fidejuſſores exiſtunt* . Et lib:5. cap.102. *Nullus proprium filium , aut filiam , de fonte baptiſmatis ſuſcipiat , nec filiolam , nec commatrem ducat uxorem ; nec illam cujus filium , vel filiam ad Confirmationem tenuerit . Ubi autem factum fuerit ſeparentur* .

VI. Probatur Rationibus I. Sicut Novitii in aliquo religioſo ordine indigent informatore & Magiſtro , qui eos inſtruat in Religionis legibus intelligendis atque ſervandis , ita etiam Novitii in fide indigent eodem ; ſed hic non eſt niſi Suſceptor , vel Patrinus : ergo &c. Et hæc eſt ratio S. Thomæ 3. par. q.68. art.7. *Parvuli , & Novitii indigent ſpeciali cura præter communem , & ideo requiritur , ut aliquis ſuſcipiat baptizatum de ſacro fonte* .
II. Neceſſarii ſunt Fidejuſſores , quando aliqui obligantur ad quædam ſervanda apud homines : ergo pariter neceſſarii ſunt , quando obligantur apud Deum ad ſervanda , quæ in fidei ſuſceptione in baptiſmo promittunt , atque hi ſunt Suſceptores & Patrini : ergo &c. Et hæc eſt ratio

Jaco-

Jacobi Vitriaci ſerm. in octava Epiphaniæ. *Patrini, qui de ſacro fonte baptizatos ſuſcipiunt, quantum in iis eſt, fidei illorum fidejuſſores ſunt; unde pro poſſe ſuo cuſtodire debent, ne a fide & juſtitia devient.* III. Pupillis dantur Tutores, & minoribus Curatores a legibus, ut pro eis ſpondeant, quæ obſervare profitentur in contractibus: ergo pariter in contractu baptiſmi, qui potiſſimum fit inter Deum & Infantes, qui ut Pupilli & Minores habentur, neceſſarii Patrini ſunt: ergo &c. Et hæc eſt ratio Magiſtri ſententiarum in 4. diſt.6. *Cuncti ad baptiſmum venientes, fidem ſuam profiteri debent, & exponere ad quid petendum veniant ad Eccleſiam: ſi parvulus eſt, non valens credere vel loqui, alius pro eo reſpondet.* Et ſic Iſidorus: *Parvuli alio profitente baptizantur.* IV. Dantur Parvulorum Educatores, & Magiſtri, qui eos manuducunt & inſtruunt tam in naturalibus, quam in civilibus operationibus: ergo pariter dari debent in actibus ſupernaturalibus atque moralibus; ſed hi ſunt Patrini & Suſceptores: ergo &c. Et hæc eſt ratio Hugonis Victorini de Sacram: lib.2. par.6. cap.12. *Patrini vocantur qui parvulos ad baptiſmum offerrunt, & pro ipſis ſpondendo, quaſi fidejuſſores ad Deum fiunt. Hi propterea Patrini vocantur, quia regenerandos ad vitam novam offerunt, & quodammodo adjutores fiunt ipſius regenerationis novæ.*

Arguunt. I. In nullo caſu licitum eſt mendacium, quia eſt intrinſece malum; ſed Patrini aliquando in Suſceptione baptizandorum mendacium proferrent: ergo non ſunt admittendi. Probatur minor; quia reſpondent pro Infantibus, ſe credere, & tamen Infantes non credunt: ergo mendacio reſpondent. II. Nemo poteſt ſe obligare de facto alieno: ſed Patrini ſe obligant de facto alieno: ergo obligatio ipſorum eſt inanis & illegitima. III. Patrini, qui adhibentur in ſuppletione cœremoniarum, ſcilicet quando præceſſit baptiſmus, quia urgebat neceſſitas, & deinde adhibentur Cœremoniæ; hi quidem Patrini vel ſunt veri, vel ſunt ficti: ſi veri; ergo contrahunt cognationem ſpiritualem: hoc autem eſt falſum, quia nullum in eo caſu fit Sacramentum, & S. Thomas docet q.56. ſupplementi art.2.: *ſpiritualis cognatio non contrahitur, niſi per aliquod Sacramentum*: ſi autem ficti; quare ergo contrahunt obligationem adimplendi Suſceptoris officium, inſtruendo, docendo, monendo &c. IV. Patrini vel debent eſſe plures, vel unus; atqui antiquitus erant plures, & modo Concilium Tridentinum ſtatuit, quod ſit unus, ſed hæc variatio innuit, Patrinos non eſſe neceſſarios: ergo fruſtra admittuntur.

Reſpondemus ad I. Nullum in caſu propoſito eſſe mendacium, vel quia Infantes non credunt fide propria, ſed fide Patrinorum, qui vere credunt ipſorum nomine; vel quia non credunt fide actuali, credunt tamen Fide habituali, quia habitum Fidei a Deo infuſum recipiunt, ratione cujus credere poſſunt, quando capaces ſunt, ut credant.

Ad II., dicitur, quod poteſt quis pro facto alieno ſe obligare, quando promittit, ſe vires ſuas omnes adhibere, ut aliquis adimpleat, quæ ipſe illius nomine promittit, & quæ ille alius capax non eſt, ut promittat, nec ut ſervet. Et vere Patrini hoc faciunt, ac pariter implent, quando munus ſuum adimplere totis viribus ſtudent.

Ad III., dicitur, quod eſt in quæſtione, an Patrinus in ſuppletione cœremoniarum contrahat cognationem, vel ne. Attamen admiſſo, quod non contrahat, non per hoc non tenetur ad Patrini onera adimplenda, quia vere ſe obligat, ut illa adimpleat, quanvis Sacramentum non fiat, ſed ſupponatur factum.

Ad IV. Si quæ eſt variatio in Patrinorum numero, hæc nihil officit Patrinorum utilitati, quia hæc pendet a ſubſtantia rei, non a modo, qualis eſt numerus.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, in qua quæritur, an ad id muneris potuerit, vel poſſit quilibet aſſumi? Quæ ſequuntur aſſerimus: & quidem primo, Pater, & Mater baptizati nequeunt eſſe Patrini: ſicut enim alia eſt generatio ſpiritualis a carnali, ita etiam alia debet eſſe diſciplina. Ita Concilium Cabilonenſes II. cap.31.: Nicolaus I. in epiſt. ad Rodulphum, Bituricenſem Epiſcopum, & refertur in cap. *de his*; ſicut etiam habetur in cap. *ad limina*, & in cap. *ſi vir* extra *de cogni-*

gnatione ſpirituali, & S. Thomas docet q.56. ſuppl. art.1. Secundo, admittendi non ſunt Excommunicati, Interdicti, publici criminis rei, infames, Concubinarii, Uſurarii, Ebrioſi, qui cum inimicis reconciliari nolunt, qui paſchalem confeſſionem & communionem non adimplerunt; nec pueri natu minores quatuordecim annis, aut puellæ duodecim; nec qui ſana mente non ſunt; nec etiam illi, qui ſymbolum fidei, Orationem dominicam, ſalutationem angelicam, rudimenta fidei Chriſtianæ ignorant, de quibus eos interrogare Parochus debet, ſi dubitet. Ita S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi I.; Synodus Pariſienſis 1557. celebrata; Rothomagēſis 1581.; Burdigalenſis 1582; Rhemenſis 1583.; Aquenſis 1585.; lib.6. capitular. cap. 182.; & Rituale Romanum C. *de Patrinis*. Tertio admitti non debent, qui nondum Confeſſionis Sacramentum ſuſceperunt. Sic S. Carolus in Inſtructionibus Baptiſmi; Synodus dicta Aquenſis, & Bituricenſis; S. Antoninus 3. par. tit.14. c.3. §.1. Quarto, non ſunt admittendi Peregrini, Hoſpites ignoti, & ii, quorum domicilium longe abeſt, adeoque ſuſceptos inſtruere non poſſunt. Sic S. Carolus. Quinto, non ſunt admittendi Hæretici, & Schiſmatici, ut ſtatuit Concilium Moguntinum relatum cap. *in Baptiſmate* diſt.4. *de Conſecratione*, & Rhemenſe 1583. Sexto, excludi debent Monachi, aliive Regulares, & Moniales, ut habetur cap. *non licet* diſt.4. *de Conſecrat.*, quod ex cap.25, Concilii Antiſiodorenſis deſumptum eſt; & cap. *Monachi* diſt.4. *de Conſecrat.*; Concilium Matiſconenſe II. anno 1588.; Rhemenſe 1583.; Bituricenſe, Aquenſe, & S. Carolus; ſic etiam Clerici ſeculares ſacris initiati; ut Synodus Aquenſis; & S. Carolus; & Synodus Rhemenſis. Septimo ex Tridentino ſeſs.14. *de Reformat.* cap.2., unus tantum ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta debet eſſe Suſceptor, vel ad ſummum unus, & una de Baptiſmo ſuſcipiat. Antiquitus tamen tres Patrini admittebantur ad Trinitatis Myſterium indicandum, ut tradit Waldenſis; ſed poſtea unus admiſſus fuit, ſecundum Baptizandi ſexum, ſeu vir pro maſculo, ſeu fœmina pro fœmina, quia *unus Deus, una fides, unum baptiſma* ut habetur in Can. *non plures* diſt.4. *de Conſecrat.*; ubi Leo Papa ait: *non plures ad ſuſcipiendum de baptiſmo infantem accedant, quam unus, ſive vir, ſive mulier; in Confirmatione quoque idipſum fiat*. Octavo tandem Maritus & uxor poſſunt eſſe Patrinus & Matrina, quia inter Suſceptores alienæ prolis nulla oritur cognatio ſpiritualis; quicquid in contrarium dicant Suarez, & Filliucius. Urbanus II. in Can. ult. cauſ.3. q.4. hoc nullibi prohibitum teſtatur; ipſe autem non prohibet ſub præcepto, ſed ſub conſilio, ut notat Navarra, Ægidius, & alii; & tandem Tridentinum permittit, eſto Urbanus prohibuerit, ſeſs.24. cap.2., niſi tamen in aliqua Diœceſi jure ſpeciali hoc eſſet prohibitum; ſunt tamen plures Eccleſiæ, in quibus vir, & uxor, puerum alienum de fonte levant.

Pro tertia Diſſertationis parte, in qua quæritur, quæ cognatio ſpiritualis ex baptiſmi ſuſceptione oriatur, aſſerimus quoque, quod ſpiritualis cognatio Matrimonium contrahendum impediens, & dirimens contractum, oritur inter Patrinos, ac baptizatum ipſum, & illius Patrem, & Matrem; nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem; Unde nec Patrinus filiolæ ſuæ, vel ejus Matri, nec Matrina filiolo ſuo, ac ejus Patri nubere poteſt. Et ſi Laicus quiſpiam, cogente etiam neceſſitate, puellam baptizaret, nec illam, nec illius Matrem conjugem unquam habere poteſt. Et ſi inter hujuſmodi perſonas commercium aliquod carnale intercedat, præter fornicationis malitiam, peccatum illud ſingularem deformitatem, ac deformitatem ſpiritualis inceſtus habebit, in confeſſione ſacramentali neceſſario exprimendam. Nihil autem refert ad iſtam cognationem contrahendam, ſive domi ſine cæremoniis, ſive in Eccleſia ſolemniter baptiſmus adminiſtretur, modo Patrini deſignati ſint; ſi vero non ut Patrini, ſed ut homines neceſſitati ſervientes, teneant baptizandum, nullam cognationem contrahunt. Eadem ratio eſt de Procuratore, qui alterius nomine baptizandum e ſacro fonte ſuſcipit; ſpiritualem tamen cognationem contra-

hit is, cujus agit nomine, & cujus habet mandata. Nec etiam contrahitur ſpiritualis cognatio, quum, baptizato jam puero, ſupplentur tantum cæremoniæ baptiſmi; ut docet S. Thomas in ſupplem. 3. par. q. 56. art.2. in corp. Ulterius Bonifacius VIII. in Can. *nedum de Cognatione ſpirituali* n. 6. hæc habet: *nedum inter baptizatum, & illum, qui eum ſuſcipit de baptiſmo, ac inter eundem baptizatum, & ſuſcipientis filios, & uxorem ante ſuſceptionem carnaliter cognitam ab eodem: immo etiam inter ſuſcipientem, Patremque baptizati, & matrem, cognationem ſpiritualem in baptiſmo contrahi, jure conſtat*. Tandem S. Thomas in ſupplem. 3. par. q.56. art.5. in corp. ait de cognatione ſpirituali, quod, aut præceſſit Matrimonium, aut ſequitur; ſi præceſſit impedit contrahendum, & dirimit contractum; ſi ſequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonii; ſed quantum ad actum Matrimonii eſt diſtinguendum; ſi enim eſt neceſſitas, & tunc ex neutra parte impeditur actus matrimonii; ſi vero non eſt neceſſitas, & eſt ignorantia, & tunc ſi diligentiam adhibuit, eadem eſt ratio ac de primo; vel eſt ex induſtria extra caſum neceſſitatis, & tunc ille, ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum, ſed tamen debet reddere ſi petatur; quia ex ejus culpa non debet alius incommodum reportare.

Quæritur tandem, an Suſceptores, vel Patrini debeant baptizatis nomina imponere.

Reſpondemus affirmative; quia antiqua eſt conſuetudo imponendi nomina baptizatis, & ab Apoſtolorum pene temporibus repetenda; eamque manaſſe ex Circumciſione putamus, in qua nomina aut imponebantur, aut mutabantur; ut paſſim Scripturæ teſtantur. Etiam, ut ait Chryſoſtomus homil. *de Pauli converſione*, ut indicaretur libertas, in quam baptizati aſſeruntur; vel, ut aſſerit S. Carolus, ut oſtendatur dominium, quod ſupra baptizatum per nominis impoſitionem Chriſto aſſeritur, quemadmodum Adam per nominum impoſitionem rerum omnium dominium accepit. Illyricus Cent. 1. lib. 1. cap.6. irridendus eſt, dum probare intendens, Apoſtolorum tempore hanc cæremoniam non fuiſſe in uſu, Eunuchum affert, qui quidem Eunuchus in Apoſtolorum Actis ſemper dicitur Eunuchus, ſive ante, ſive poſt baptiſmum, quaſi Eunuchus fuerit nomẽ proprium perſonæ, & non potius deſignet vitium corporis, quod per baptiſmum tolli non poteſt; & in hoc ſtat turpis Illyrici hallucinatio. Illi tamen qui in vitæ diſcrimine, vel in adulta ætate baptizabantur, probabiliter credimus, quod nomina non mutaverint, ut patet in Conſtantino Imperatore, in Ambroſio, in Auguſtino &c. Infantibus autem ſemper mos fuit nomina in baptiſmo imponere. Quæ vero nomina in primævis Eccleſiæ ſeculis imponerentur, Sanctorum, an Gentilium, quamvis non ſit res admodum certa, primum tamen potius credimus, quam ſecundum. Teſtem habemus Dionyſium Alexandrinum apud Euſebium lib.7. Hiſtor. eccleſiaſt. cap.20., ubi ait: *Filii Chriſtianorum imponi conſueviſſe nomina Petri, Pauli, Joannis &c.* Immo de hac re extat Canon 30. inter Canones Concilii Nicæni, nuper ex arabico in latinum converſos a Franciſco Turriano Societatis Jeſu, in quo jubentur Chriſtiani Sanctorum nomina filiis ſuis imponere. Deinde in Ordine romano pag.106. ſecundum editionem Mabillioni in ſuo muſæo italico refertur etiam, Joannem, Petrum, & Mariam baptizatos appellare conſueviſſe offerentes, ſive Patrinos; hic autem liber antiquiſſimus eſt; licet plerique tempore Stephani Pontificis, & Pipini, conſcriptum velint. An vero hic mos ſemper communis in Eccleſia fuerit, & ubique, ac ab omnibus uſurpatum, non eſt certum, præſertim quum Conciliũ Burdigalenſe 1582. Rhemenſe 1583., Bituricenſe 1584., Aquenſe 1585. celebratum, & S. Carolus in inſtructione, ſtatuunt, ut non niſi Sanctorum nomina Parochi Infantibus baptizandis imponant. Ad quid enim præcipere, ſi ab omnibus, & ubique hoc obſervabatur? Niſi dicatur lege fuiſſe preceptum quod huc uſque pietate Fideles uſurpabant.

F I N I S.

INDEX
VERBORUM, ET RERUM.

A

ABlutio in baptiſmo extra neceſſitatem debet fieri in capite; in neceſſitate vero in quacunque corporis parte; nunquam vero in veſtibus. 263

Aborti an, & quomodo ſint baptizandi? 413

Adrianus Secundus, Romanus Pontifex, & ejus judicium circa Maximi Cynici ordinationem. 227

Adultis eſt neceſſaria vera & interna intentio, ſeu voluntatis conſenſus in ritum Eccleſiæ, quem percipiunt, ut Sacramēta vere & valide ſuſcipiant. 150

Iiſdem eſt ſufficiens intentio habitualis in Baptiſmo, Confirmatione, Pœnitentia, extrema Unctione; in aliis autem virtualis ſaltem eſt neceſſaria. 155

Æthiopam Eccleſiæ in India uſus in benedictionibus aquæ ad baptizādum. 348

Afri nonnulli hæretici errarunt circa formam baptiſmi. 368

Agrippinus, Carthaginenſis Epiſcopus, definivit, eſſe rebaptizandos illos, qui fuerant ab Hæreticis baptizati. 103

Albigenſes dicebant, quod obeſt ſubdito, & Sacramento, vita mala Prælatorum, & quod nullus malus poteſt eſſe Epiſcopus. 131

Alexander de Ales quomodo intelligendus, quando dixit, Sacramentum Confirmationis in Concilio Meldenſi fuiſſe inſtitutum? 61

Ejus ſententia de tempore, quo Chriſtus baptiſmum inſtituit. 309

Amentes non formaliter ſunt homines, ſed materialiter, & proinde non habentes modum operandi humanum non poſſunt habere intentionem requiſitam ad valorem Sacramentorum, 73

Amentes, & furioſi a nativitate, aut a pueritia, & perpetuo his morbis laborantes, baptizari poſſunt. 420

Qui vero amentia, vel furore, ex intervallis laborant, non ſunt baptizandi, niſi baptiſmum ante amentiam, vel furorem, aut in lucidis intervallis poſtulaverint. 420

Anabaptiſtarum definitio Sacramēti quæ? Rejicitur. 7

Anabaptiſtæ volunt, quod ſi Sacramenta non adminiſtrentur a fidelibus & probis miniſtris, non ſint efficacia. 130

Baptiſmum nonniſi Adultis tradendum eſſe volunt. 147

Ipſorum error circa ſubjectum baptiſmi. 400

Angelus an poſſit aliquod Sacramentum conficere, vel miniſtrare? 70

Anima ſeparata an poſſit aliquod Sacramentum conficere, vel miniſtrare? 70

Antiquæ legis Sacramenta aliquando fuerunt viventia, aliquando mortua, aliquando mortifera. 33

Apoſtolus aliquis, ſi reſurgeret, an poſſet Sacramenta miniſtrare? 75

Aqua benedicta non eſt Sacramentum. 42

Archontici Hæretici Sacramenta omnia novæ legis repudiabant. 35

Iidem, a Theodoreto dicti Aſcodrutæ, baptiſmum aſpernabantur. 294

Argumentum a membris ad caput cujus ſit valoris. 73

Ariſtotelica Philoſophia invenit nomina materiæ & formæ in re ſacramentaria. 45

Armeni dicebant, Sacramenta novæ legis gratiam non conferre. 160

Ipſorum error circa ſubjectum baptiſmi. 400

Armenæ Eccleſiæ uſus in benedictionibus aquæ ad baptizandum. 347

S. Athanaſii factum circa baptiſmum, quem puer adminiſtravit aliis pueris, an ſit verum?; & quomodo intelligatur? 86

Auguſtinus non fuit primus, qui Sacramenti nomen invenit. 5

B

BAnnes docet, non eſſe de fide, quod gratia habitualis ſit qualitas accidentalis in ſenſu peripatetico. 196

Baptiſmus imprimit characterem ſacramentalem. 215

Eſt Sacramentum cæteris præſtantius ratione effectus. 333

Eſt Sacramentum neceſſarium ad ſalutem ſingulis hominibus neceſſitate medii. 239

Eſt triplex, & quomodo? 315
*Datus ſolummodo cum invocatione Trinitatis;ſcilicet,*in nomine Patris &c. *abſque expreſſione ablationis, vel per verba Latinorum:* ego te baptizo: *vel per alia Græcorum;* baptizatur ſervus Dei: *vel per alia æquivalentia, nullus eſt & irritus.* 378
Baptiſmus ſine expreſſa ac diſtincta trium perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione, nec modo valet, nec aliquando valuit. 382
Collatus in nomine Chriſti nec modo valet, nec unquam valuit. 381
Baptiſmus pro mortuis *nunquam fuit in uſu in Eccleſia.* 429
Baptiſmus non præſtat, ut baptizatus non poſſit Dei gratiam amittere, nec damnationem incurrere, niſi tantum ſi credere nolit. 435
Baptiſma nulli in extrema neceſſitate conſtituto uſquam fuit negatum. 442
Nulli autem adulto conferendum eſt, quin prius Trinitatis, & Incarnationis myſteria edoctus fuerit, & quin veterem vitam deteſtetur, & novam Dei mandata ſervando incohare promittat. 444
Baptiſmi nomen in Scripturis varie uſurpatum. 444
Diverſimode etiam apud Patres, ibid.
*Aliis quoque nominibus appellatũ.*265
Cæteris autem præſtantius ac expreſſius nomen baptiſmi eſt. 167
Ejus definitiones ab Hæreticis confictæ impugnantur. A Catholicis excogitatæ defenduntur. 269
Baptiſmi exiſtentia & neceſſitas, quæ dicitur medii, *multipliciter probatur.* 269
Ejuſdem inſtitutio quando nam ſacta fuerit? 309
Ipſius valor æque habetur, tam ſi ablutio fiat infuſione, vel immerſione, vel aſperſione. 356
Baptizare Infantes in infantia melius ac tutius eſt, quam expectare tempus ad baptizandum ipſos in provectiori ætate. 409
Benedictiones ſunt neceſſariæ in aqua, ut ſit licita baptiſmi materia. 346
Berengarii error circa ſubjectum baptiſmi. 399
Beza candidæ veſtis uſum in baptiſmo improbavit. 449
Ipſius error circa ſubjectum baptiſmi. 401
Bogomeni dicebant, baptiſmum noſtrum, quia erat in aqua, eſſe eundem cum illo Joannis, non vero ſuum, quia erat per ſpiritum. 281
Bonoſiaci erraruns circa formam baptiſmi, 369

C

Cæcilianus, Epiſcopus Carthaginenſis,criminatus a Donatiſtis,quod invalide eſſet ordinatus a Felice, Aptungitano Epiſcopo, qui fuerat ſacrorum Codicum traditor, ſe iterum ordinandum abſque conditione illi formæ nomine exhibuit. 53
Sufficitur in Carthaginenſi Cathedra Manſurio. 109
Cæremoniarum vox unde ſit dicta? 242
Quid ſint? 243
Quotuplices ſint? ibid.
Cæremoniarum in adminiſtratione Sacramentorum in Eccleſia Chriſti uſus eſt antiquiſſimus, ſive in figuratione ipſarum in lege veteri, ſive in earundem inſtitutione in lege nova. 246
Cæremoniæ, quas adhibet Eccleſia in Baptiſmi ſolemnis adminiſtratione, ſunt laudabiles, ac retinendæ. 449
*Cajani dicebant,baptiſmum non eſſe neceſſarium, & ſolam fidem ſufficere.*293
Dicti ſunt etiam Quintiliani *a Quintilia muliere.ibid.*
Ipſorum error circa materiam remotam baptiſmi. 337
Calvinus Sacramenti nomen accepit pro juramento. 2
Ipſius definitio Sacramenti quæ? rejicitur. 7
Etſi Sacramenta aliqua admiſerit, in illis tamen explicandis erravit. 15
Tria agnovit Sacramenta, baptiſmum, cœnam, & manuum impoſitionem. 39
Ejuſdem mens quæ fuerit circa intentionem in Sacramenti Miniſtro requiſitam? 77
Characterem ſacramentalem dixit eſſe commentum. 209
*Vim juſtificandi baptiſmo denegavit.*295
*Ipſius error circa materiam baptiſmi.*338
Ejuſdem pariter error circa ſubjectum baptiſmi. 400
Omnes fere Eccleſiæ ritus, ac cæremonias circa baptiſmum rejecit. 449
Canones, qui dicuntur Apoſtolici,a quibus fuerint conditi? 123
Cataphrygæ in baptiſmo peregrinam formam adhibebant; damnati a Synodo laodicea. 56

Ca-

Cathecumeni in tres claſſes dividebantur; & quænam fuerint? 440
Ritus circa ipſos. 441
Catuari Sacramenta omnia novæ legis repudiabant. 35
Ipſorum error circa materiã baptiſmi. 338
Catharinus, & ejus ſententia, circa intentionem in miniſtro Sacramentorum requiſitam. 77
Cerinthiani dicebant, Circumciſionis præcepto Chriſtianos omnes teneri. 272
Character ſacramentalis quid ſit, & unde dicatur? 209
Non eſt relatio quædam a ratione ficta, qua quis alicui muneri deſtinatur vi ſuſcepti Sacramenti. 230
Non conſiſtit in extrinſeca denominatione, prout illa explicat Scotus. ibid.
Nec in relatione reali; nec in aliquo reali abſoluto, quod pertineat ad qualitatem. ibid.
Chriſtus Dominus omnium Sacramentorum novæ legis materias, & formas in ſpecie determinavit. 50
Sacramentorum omnium novæ legis fuit auctor principalis & immediatus. 62
Hoc quidem eſt maxime certum, ſed non eſt de Fide. 64
Chriſtus, ut Deus, fuit cauſſa phyſica Sacramentorum: ut Deus & homo fuit cauſſa moralis, & meritoria inſtitutionis Sacramentorum. 64
Inſtituit baptiſmum, quando a Joanne in Jordane baptizatus eſt. 310
Determinatam & certam verborum formam pro baptiſmi validitate præſcripſit. 369
Chriſti in nomine baptiſmus collatus nec modo valet, nec unquam valuit. 381
Chriſtiani omnes ſunt Sacerdotes improprie & metaphorice, ratione ſcilicet hoſtiæ ſpiritualis, quam Deo per preces, ac bona opera offerunt; non vero proprie, ratione ſcilicet ordinationis, ſeu poteſtatis conſecrandi Euchariſtiam. 74
Sunt Fratres Chriſti non per naturam, ſed per adoptionem. 75
Baptizati tenentur & legem Dei, & præcepta Eccleſiæ ſervare. 436
Circumciſio in lege moſayca characterem non imprimebat. 221
Fuit principaliter baptiſmi figura. 271
Quandonam fuerit vivificans, quando mortua, & quando mortifera? 273
In moſayca lege non ex opere operato, ſed ex opere operantis tantum, ſanctificantem gratiam conferebat. 275
Primario fuit inſtituta a Deo ad diſtinctionem Judæorum a ceteris Populis, qui Judæi non erant: per accidens vero, ac ſecundario vi ſua ſimul cum fide, cujus erat publica quædam declaratio, originale peccatum delebat. 277
Clinici baptiſmi effectu non fruſtrabantur, ſi debitas adhibebant diſpoſitiones. 418
Conditionalis intentio ſufficit in miniſtro ad Sacramentorum valorem, ſi conditio ſit vel de præſenti, vel de præterito; requiritur autem intentio abſoluta, ſi conditio ſit de futuro. 100
Confirmationis Sacramentum ſemper reviviſcit. 208
Imprimit characterem ſacramentalem. 215
Eſt neceſſarium Sacramentum omnibus adultis neceſſitate præcepti. 183
Conveniens fuit, Chriſtum Dominum in ſua lege Sacramenta inſtituere. 138
Cyprianus nõ probavit baptiſmum per aſperſionem, & voluit per immerſionem iterandum, abſque conditionalis formæ mentione. 59
Cum multis aliis Epiſcopis Africanis decrevit, baptizatos ab Hæreticis eſſe rebaptizandos. 104
Idem Cyprianus, Firmilianus, alijque Epiſcopi, tum Africæ, tum Orientis, exiſtimarunt, controverſiam de baptiſmo Hæreticorum, non ad fidem, ſed ad diſciplinam tantum pertinere. 106
An ante mortem ab hoc errore receſſerint, non eſt certum. ibid.

D

Damnati ſunt incapaces cognitionis ſupernaturalis, quæ conducit ad ſalutem; non vero notitiæ ſupernaturalis, quæ conferat ad confuſionem, & pœnam. 229
Definibile proprie primario ac perfecte eſt Sacramentum. 12
Definitio Sacramenti, quam tradit Cathechiſmus Tridentinus. 13
Quam docet S. Thomas. ibid.
Quam alij in medium adducunt. ibid.
Determinata debet eſſe intentio Miniſtri ad perſonã præſentem, quamvis non ad perſonam in individuo, & etiam ad materiam præſentem debet eſſe determinata. 102
Deus potuit puræ Creaturæ communicare poteſtatem miniſterialem inſtituendi Sacramenta. 65
Diabolum poſſe eſſe Sacramentorum Miniſtrum, an docuerit Scotus? 74
Diaconi ſunt Miniſtri baptiſmi extraordina-

Digitized by Google

dinarij, ex delegatione ſcilicet tantum, non vero ex officio. 392
Differentia, quæ eſt inter Concionatoris prædicationem, & miniſtri ſacramentalem actionem. 81
Quæ eſt inter intentionē artificis, & inter intentionem miniſtri Sacramentorum. 87
Dominicus Soto docet, non eſſe de fide, quod gratia habitualis ſit qualitas accidentalis in ſenſu peripatetico. 196
Donatus, Pſeudo-Epiſcopus Carthaginenſis, qui ſucceſſerat Majorino, fuit ille, a quo Donatiſtæ nomen acceperunt. 510
Hic Donatus non fuit Maſculitanus, aut Calamenſis, qui adverſus Cæcilianum cum aliis Epiſcopis Traditoribus convenerat, ſed alius Donatus, qui fuit Carthagine Pſeudo-Epiſcopus. ibid.
Donatiſtæ volebant, quod Sacramenta a Catholicis adminiſtrata, quos ipſi Hæreticos putabant, & appellabant, nullius eſſent valoris, ac virtutis. 104
Ipſorum progreſſus & interitus. 128
Dubia materia reddit dubiam validitatem Sacramentorum; extra caſum neceſſitatis reddit illicitam; licitam vero in caſu extremæ neceſſitatis in Sacramentis, quæ ſunt neceſſitate medii neceſſaria. 54
Dubium quando inſurgit in celebrante, an protulerit formam conſecrationis, quid facere debeat? 61
Durandus voluit, characterem ſacramentalem non eſſe aliquid reale & abſolutum ab anima diſtinctum, ſed eſſe ſolam relationis rationem, ſeu extrinſecam denominationem. 211

E

EBionitæ dicebant, Chriſtianos omnes Circumciſionis præcepto teneri. 272.
Ebonis ordinatio, & Nicolai, Romani Pontificis, judicium de illa. 229
Ebrius differt ab Ebrioſo, quia in ebrio nulla eſt libertas, in ebrioſo autem aliquando eſt. 87
Eccleſia non iteravit baptiſmum, qui fuit nullus ob defectum intentionis miniſtri, quia Eccleſia non judicat de occultis. 58
Potuit aliquas Cæremonias in Sacramentorum adminiſtratione inſtituere & præcipere. 257
De facto aliquas præcepit, & inſtituit. 258.
Eaſdem omittere eſt peccatum, & quidem grave, ſi adfuerit ſcandalum & contemptus; leve vero ſi non adfuerit. 259
Effectus Sacramenti, & effectus miniſtri conficientis & conferentis Sacramentum differunt; & in quo? 92
Efficiens cauſſa Sacramentorum qualis ſit, & quotuplex? 62
Elceſæi erraruut circa formam baptiſmi. 368
Energumeni baptizandi ſunt urgente neceſſitate, aut opportunitate data, præſertim ſi ſint Catechumeni. 420
Ens per accidens eſt Sacramentum phyſice; moraliter vero eſt ens per ſe. 15
Enthuſiaſtæ qui fuerint? Quare ſic dicti? Et quinam ipſorum errores? 159
Eraſmus voluit, Baptizatos in infantia habendos eſſe pro non baptizatis, ſi in adoleſcentia baptiſmū non ratificaverint. 147
Ipſius error circa baptiſmum Infantiū. 409
Errores Hæreticorum circa benedictiones, quæ adhibentur in aqua, ut ſit licita baptiſmi materia. 346
Euchariſtia eſt Sacramentum cæteris præſtantius ratione ſubſtantiæ ex qua conſtat. 233
Eſt Sacramentum neceſſarium omnibus adultis neceſſitate præcepti. 239
Eulegiarum nomine venit panis benedictus, qui non eſt Sacramentum. 43
Eunomiani erraruut circa formam baptiſmi. 369
Exorciſmi, qui in baptiſmo fiunt, ab Hæreticis damnantur. 448
Extraordinarii Miniſtri Sacramentorum poſſunt eſſe Angeli, & anima ſeparata. 71

F

FÆminas non poſſe baptiſmum miniſtrare, falſo putavit Calvinus. 70
Fallacia in intentione miniſtri quid importet ſecundum Auguſtinum? 86
Fides non requiritur abſolute in miniſtro, ad validitatem Sacramentorum. 118
Non eſt diſpoſitio neceſſaria ad percipiendum Sacramentum valide; ſi Pœnitentia excipiatur. 157
Quomodo juſtificat homines, & quomodo Sacramenta pariter juſtificentur? 168
Neceſſaria eſt in adultis, ad baptiſmi gratiam conſequendam. 425
Fides circa characterem ſacramentalem ſtatuit ejuſdem exiſtentiam, indelebilitatem, & initerationem; reliqua vero, quæ ejus eſſentiam reſpiciunt, diſputationi Theologorum permittit. 213
Fides docet, characteris ſacramentalis ſubjectum eſſe animam; an verò ſit animæ eſſentia, an vero intellectus, vel voluntas, diſputationi Theologorum permittit. 222
Fide catholica eſt certum, baptiſmi votum

cum

cum perfecta charitate in ultimo vitæ juſtificare. 333

Diſtinguitur caſus neceſſitatis, & caſus extra neceſſitatem. ibid.

Delet peccatum & quoad culpam, & quoad pœnam; non autem quoad totam pœnam temporalem in altera vita. 334

Fidus, Africanus Epiſcopus, dubitavit, an liceret baptizare Infantes ante octavum diem? 409

Firmilianus, Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia, dubitavit de veritate baptiſmi, quem conferret mulier, quæ eſt a Dæmonibus obſeſſa. 70

Flagellantes Heretici putabant, ſanguinis flagellum majorem vim, quam quodlibet Sacramentum novæ legis habere. 35

Prædicabant, baptiſmum aquæ non amplius valere, & in baptiſmum ſanguinis eſſe mutatum. 294

Ipſorum error circa materiã baptiſmi. 339

Fœtus humanus quando animetur? 413

Formæ conditionalis uſus, tam in Sacramentis charactērem imprimentibus, quam in illis, quæ non imprimunt, eſt approbandus; in illis quidem, quando prudenter dubitatur, an Sacramentum validè collatum fuerit; in iſtis vero, quando dubitatur, an ſubjectum ſit capax, & an miniſter eam protulerit? 60

Forma baptiſmi a Græcis adhibita in ſenſu indicativo uſurpatur; eſt antiqua; eſt valida. 372

Apud Latinos eſt antiquior illa Græcorum. 375

Eſt valida. 376

G

GRæcorum recentiorum errores circa miniſtrum baptiſmi. 388

Gaſpar Zuebcbfeldine dicebat, miniſtros Eccleſiæ ineptos, & non timentes Deum, miniſterium ſuum in docendo verbo, & porrigendis Sacramentis, expedire non poſſe. 130

Geneſius Mimus, & ejus baptiſmus; quomodo intelligatur; & explicetur? 187

Gnoſtici Sacramenta omnia novæ legis repudiabant. 35

Invertebant res & verba in Sacramentis; ſed verba determinata eſſe volebant. 56

Volebant pariter nullum eſſe martyrii meritum. 315

Gratia eſt principalior Sacramentorum novæ legis effectus. 159

Gratia actualis quid ſit? Quid pariter ſit habitualis? 189

Gratia ſacramentalis addit ſupra gratiam habitualem jus quoddam ad auxilia ſpecialia neceſſaria ad exercendas actiones ſacramentales. 193

Gratia intrinſeca infunditur homini per baptiſmum, ultra remiſſionem peccatorum. 434

Gratiam ſanctificantem vere & proprie Sacramenta novæ legis conferunt. 162

Gratiam ex opere operato *conferunt Sacramenta novæ legis iis, qui nullum obicem ipſis ponunt.* 175

Guillelmus Poſtellus ſex poſuit Sacramenta. 39

Guillelmus Antiſiodorenſis fuit primus, qui partes eſſentiales Sacramentorum ſub nomine materiæ & formæ appellavit. 45

H

HÆretici injuſte rejiciunt Sacramenti vocabulum, & peſſime uſurpant ac explicant illi æquivalens nomen. 4

Heretici aliqui antiqui & ipſorum error, circa materiam baptiſmi. 341

Quidam alii innominati errarunt circa formam baptiſmi. 367

Alii apud Euſebium errarunt pariter circa formam baptiſmi. ibid.

Heretici noſtrorum temporum errarunt circa formam baptiſmi. 369

Hæreticorum eſt calumnia, quæ dicunt, Catholicos tribuere Sacramentis vim juſtificandi principaliter. 169

Hæreticorum errores, præcipue Novatorum, & calumniæ circa ſacramentales ceremonias. 244

Hæreticorum antiquorum errores circa baptiſmi miniſtrum. 388

Hermiani baptiſmum in aqua non recipiebant. 160

Baptiſmum in aqua rejiciebant. 294

Herniani & ipſorum error circa materiam baptiſmi. 340

Hieremias, Conſtantinopolitanus Pſeudo-Patriarcha, dubitavit de valore baptiſmi dati per infuſionem. 354

Homines ſoli ſunt Sacramentorum miniſtri. 71

Et aliquorum Sacramentorum omnes homines. ibid.

Homines viatores ſunt capaces Sacramentorum novæ legis. 148

Homines non baptizati, ſive Pagani, ſive Judæi, neceſſitate urgente, valide baptizare poſſunt. 396

Homo eſt inſtrumentum vivum; Sacramenta vero ſunt inſtrumenta mortua; & ſolus Deus eſt cauſſa principalis in operando,

do, & in producendo gratiam. 171
Hugo appellavit elementum quamlibet rem ſenſibilem, quæ ad Sacramenta perficienda adhibetur. 14
Huſſitæ requirebant, ut miniſtri Sacramentorum eſſent de numero Prædeſtinatorum, & omnes præſcitos ac reprobos in Sacramentorum adminiſtratione repellebant.

I

Illicitum eſt Miniſtro Sacramentorum peccati mortalis conſcio Sacramenta conficere; adeoque neceſſaria eſt illi gratia ſanctificans, quotieſcunque Sacramenta ex officio conſecrat, & diſpenſat. 140
Illyricus omnes ferè Eccleſiæ ritus, & cæremonias circa baptiſmum rejecit. 449
Ejus error circa martyrium. 316
Indelebilis eſt character ſacramentalis, tum in hac, tum in altera vita de potentia Dei ordinaria, de potentia vero Dei abſoluta in utraque deleri poteſt. 224
Infantibus baptiſmus datus eſt validus. 401
Infantes in utero Matrum baptizari non poſſunt. 410
Non habent fidem actualem; non tamen omni fide carent; nam habent ullos novos lectionis & inclinationes ſimiles fidei, & dimotus et motibus, ſeu actibus; ſed habent fidem habitualem; & propterea fide alieno credunt, & aliquatenus etiam propria, ipſa ſcilicet baptiſmi ſuſceptione. 427
Infidelium parvulis collatus baptiſmus invitis Parentibus validus eſt, ſed illicitus. 415
Innocentiæ ſtatus nulla habuit Sacramenta. Nam autem habuiſſet, ſi ſtatutus ille perduraſſet? omnino incertum. 25
Intentionis miniſtri nomine in Sacramentis quid intelligatur. 76
Intentio in Miniſtro Sacramentorum eſt neceſſaria ſaltem generaliter, & confuſe faciendi, quod facit Eccleſia, & quod Chriſtus inſtituit. 79
Intentio producendi effectum Sacramenti non eſt neceſſaria in miniſtro ad Sacramenti perfectionem. 88
Intentio inducendi effectum Sacramenti poteſt eſſe directa, & indirecta, & quomodo? 92
Intentio habitualis ad Sacramentorum valorem non eſt ſufficiens: actualis non eſt neceſſaria; virtualis eſt neceſſaria & ſufficiens. 92
Intentio explicita & expreſſa faciendi, quod facit Eccleſia Catholica Romana non requiritur in miniſtro ad Sacramenti valorem. 95
Si quis autem eam haberet melius omnino ſe gereret. 97
Intentio miniſtri non eſt intrinſeca pars conſtitutiva Sacramenti, ſi Sacramentum ſumatur pro compoſito ex materia & forma partialibus; eſt tamen ſi Sacramentum accipiatur pro compoſito ex materia & forma totalibus; hoc eſt pro concreto ex re ſignificante, & ſignificatione, vel quod idem eſt pro termino reduplicative accepto ſupra totam denominationem Sacramenti, & actualitatem ipſius. 97
Intentio recipiendi baptiſmum ſaltem aliqua ſive præſens, ſive præterita, requiritur in recipiente illum ut valide baptizetur. 421
Ioannes Vviclephus voluit, ſolos Prædeſtinatos eſſe Sacramentorum ſubjectum. 147
Ioannes Caſimirus Baptiſteria omnia volebat ab Eccleſiis eſſe rejicienda. 448
Ioannes VIII, Romanus Pontifex, & ejus judicium circa Photii ordinationem. 226
Ioannis baptiſmus fuit figura baptiſmi Chriſti. 281
Non fuit vere & proprie Sacramentum large tamen & improprie ſic fuit ab aliquibus nominatum. 282
Fuit diverſus a baptiſmo Chriſti, & quidem eſſentialiter. 284
Non habuit cum illo Chriſti eandem virtutem & efficaciam. 287
Iſaac, quamvis non intenderet benedicere hunc & talem in individuo; intendebat tamen benedicere perſonam præſentem quæcunque hæc eſſet. 81
Ius ad auxilia ſpecialia conſtituit gratiam Sacramentalem, non vero auxilia ipſa. 194

K

Kemnitii definitio Sacramenti, quæ rejicitur. 7
Kemnitius putavit, Auguſtinum fuiſſe primum, qui Sacramenti nomen invenerit. Confutatur. 5
Volens erroris Lutheri aſperitatem emollire circa intentionem Miniſtri, dixit, quod reprobanda eſt illa ficta & mimica exterius & apparens Sacramenti adminiſtratio, quam Lutherus approbavit; & quod miniſter non intendat facere vulgarem & profanam lotionem, ſed illam voluit, quam Chriſtus inſtituit. 77

Gha-

Charácterem ſacramentalem negavit, & irriſit. 209
Ejus error circa baptiſmum. 316

L

Laici poſſunt eſſe miniſtri Sacramenti baptiſmi in caſu extremę neceſſitatis, ſive viri, ſive mulieres, qui quidem licite & valide baptizarent. 393
Lex ſcripta vera habuit Sacramenta, eaque multa. 32
Lex evangelica vera habet Sacramenta. 35
Licitum eſt alicui Sacramenta petere a miniſtro improbo, ſive publico, ſive occulto, ſive tolerato, ſive non tolerato, ſive ſit Parochus, cui hoc ex officio incumbat, ſive ſit alius Sacerdos, qui ad miniſtrandum ſit paratus, dummodo ſit juſta cauſſa petendi, quæ ſola eſt neceſſitas; hac autem ſecluſa non eſt licitum. 145
Lollardi ſpernabantur & deridebant baptiſmi Sacramentum. 294
Ipſorum error circa ſubjectũ baptiſmi. 400
Lotio pedum non eſt Sacramentum. 42
Lucas Sternbergius baptiſmum dixit Sataniçam inſtitutionem. 296
Luciferiani admittebant baptiſmum ab Hæreticis collatum; reſpuebant tamen Ordinationem, quam iidem Hæretici faciebant, & quecunque Ordinem ab ipſis datum nullum eſſe dicebant. 104
Lucilla, mulier hiſpana, dives & potens, non acquieſcit electioni Cæciliani in Epiſcopatu Carthaginenſi, & eidem adjungantur Botrius, & Cœleſius. 109
Ludovicus le Blanc in Theſibus Sedanenſibus aſſerit, defendi poſſe Proteſtantium doctrinam circa intentionem in miniſtro Sacramentorum requiſitam, & quod non ſit diverſa a ſententia Catharini, quæ non fuit a Concilio Tridentino damnata. 77
Lutherus Sacramenta aliqua admiſit, in illis tamen explicandis erravit. 35
Modo tria dixit eſſe Sacramenta, baptiſmus nimirum, pœnitentia, & panis; modo duo: baptiſmus videlicet & panis; modo unum; nempe baptiſmus. 39
Voluit in qualibet baptizato fidem actualem. 147
Characterem ſacramentalem dixit eſſe commentum. 209
Vim juſtificandi in baptiſmo denegavit. 295
Ipſius error circa materiam baptiſmi. 339
Ejuſdem error circa ſubjectũ baptiſmi. 400

M

Magnus, & ejus dubitatio circa materiam proximam baptiſmi. 313
Majoriſtæ & ipſorum error circa ſubjectum baptiſmi. 401
Manichæi vim omnem juſtificandi Sacramentis negarunt. 159
Dicebant, baptiſmum in aqua nihil prodeſſe. 294
Ipſorũ error circa materiam baptiſmi. 349
Manſurius, Carthaginenſis Epiſcopus, evocatur Romam a Maxentio, & in itinere moritur. 108
Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatrenſis, circa miniſtri intentionem in Sacramentis ad Kemnitii errorem acceſſit. 77
Dixit characterem ſacramentalem eſſe novam Scholaſticorum inventionem. 207
Marcus Epheſinus negavit valorem baptiſmi, qui non datur per immerſionem. 354
Marcitæ errarunt circa formam baptiſmi. 367
Maſculus improbabat abrenuntiationes, promiſſiones, & inſufflationes, quæ in baptiſmo fiunt. 448
Martyrii nomine quid veniat? 315
Martyrium, & Scholaſticorum opiniones circa ipſum. 316
Perfecte ſupplet virtutem baptiſmi fluminis tum in infantibus, tum in adultis, & effectum ſuum producit ex opere operato. 317
In adultis requiruntur præviæ quædam conditiones, ut plenum effectum martyrii conſequantur. 322
Non eſt Sacramentum. 42
Martyrii rationem non habet mors, quæ contrahitur in obſequio illorum, qui peſte laborant. 328
Martyrio ſe offerre ſine cauſa rationabili non eſt licitum. 326
Eſt autem obligatio ad illud, ſi aliter evitari non poſſit vel peccati commiſſio, vel fidei, aut Religionis negatio, aut perverſio. ibid.
Martyres veri fuerunt in antiqua lege. 325
Materia Sacramentorum eſt proxima, & remota; eſt certa, & dubia; & quid ipſarum nominibus veniat? 54
Materia dubia adhiberi non poteſt in Sacramentis etiam cum forma conditionata. 61
Materia proxima baptiſmi, ac errores & opiniones circa eandem. 353
Matrimonium ab Apoſtolo vocatur Sacramentum. 3

Digitized by Google

Eſt Sacramentum cæteris præſtantius ratione myſterij. 235
Eſt Sacramentum neceſſarium neceſſitate medij, non ſingulis hominibus, ſed Eccleſiæ. 239
Et etiam neceſſarium aliquibus, non omnibus fidelibus, neceſſitate præcepti divini. 239
Matrimonii Sacramentum reviviſcit aliquando. 208
Mauhmetus probibuit ſequaces ſuos baptiſmo initiari. 294
Maximi Cynici ordinatio fuit valida, ſed illicite facta. 229
Medicina quare proſit ſumenti, etſi medicus intentionem ſanandi non habeat? non ſic autem Sacramenta reſpectu intentionis Miniſtri. 81
Melanchthonis inconſtantia circa numerum Sacramentorum. 39
Melchior Canus docet, non pertinere ad fidem conſtitutivam gratiæ habitualis. 195
Memoria ſola baptiſmi non ſufficit ad remiſſionem peccatorum, quæ poſt baptiſmum committuntur. 439
Menander erravit circa formam baptiſmi. 369
Meſſaliani vim omnem Sacramentorum tribuebant precibus Eccleſiæ. 159
Baptiſmo præferebant orationem. 294
Dicebant cuilibet homini a nativitate adeſſe Dæmonem peculiarem, cujus dominatus non per baptiſmum, ſed per orationem repelleretur. 431
Michaelis Serveti error circa ſubjectum baptiſmi. 400
Miniſter Sacramentorum tanquam vera & inſtrumentalis cauſſa concurrit ſimul cum Sacramento ad gratiam producendam active, non ſolum remote, ſed etiam proxime. 69
Miniſter, qui non vult producere effectus ſacramentales non habet intentionem ultimam Eccleſiæ; habet tamen proximã. 92
Miniſter baptiſmi ordinarius & ex officio eſt Epiſcopus, & Preſbyter: Epiſcopus quidem primario, Preſbyter vero ſecundario & ex licentia Epiſcopi. 390
Miniſtri ordinarij Sacramentorum de facto ſunt ſoli homines viatores; de poſſibili tamen potuerunt eſſe alij, & poſſunt quoque; nimirum Angeli, & anima ſeperata. 71
Miniſtri Sacramentorum non ſunt primariæ cauſſæ ſanctificationis noſtræ, ſed miniſteriales tantum. 74
Monſtra an, & quomodo ſint baptizanda? 413
Montaniſtæ, ſeu Cataphrygæ errarunt circa formam baptiſmi. 368
Matrimonium damnabant. 39
Morales, non phyſicæ cauſſæ gratiæ ſunt Sacramenta. 181
Mortaliter peccat miniſter, qui extra periculum mortis cum forma conditionali pænitentem abſolvit. 61
Moſcoviticæ Eccleſiæ uſus in benedictionibus aquæ ad baptizandum. 349
Mutatio qualibet ſubſtantialis reddit Sacramentum irritum & invalidum; non vero mutatio accidentalis, quamvis illicita ſit & peccaminoſa. 52
Myſterium idem ac Sacramentum, & quomodo? 2

N

Naturæ ſtatus triplex diſtinguitur: naturæ perfectiſſimæ, naturæ innocentis, & naturæ corruptæ. 24
Naturæ corruptæ ſtatus triplex quoque admittitur; primus ante legem, ſecundus ſub lege, tertius poſt legem, & ſub gratia. 22
Naturæ legis ſtatus hebuit Sacramentum aliquod ad originale peccatum delendum a Deo inſtitutum; nullum autem pro Adultis, præcipue ad actualia peccata delenda. 30
Nazareni dicebant, Circumciſionis præcepto chriſtianos omnes teneri. 272
Nazianzenus deſiderabat, ante triennium paſſim parvulos non baptizari debere; niſi periculum mortis immineret. 409
Nebridius ſenſibus deſtitutus fuit nihilominus valide baptizatus, quia antecedenter habuerat recipiendi baptiſmum deſiderium. 154
Novatores etſi Sacramenta aliqua admiſerint, in illis tamen explicandis errarunt: 35
Novatiani Confirmationẽ repudiabant. 39
Improbabant olei, & chriſmatis benedictionem. 447

O

Obex negativus in Sacramentis mortuorum etiam per ſolam attritionem, & extra pænitentiæ Sacramentum ſufficienter tollitur. 205
Obex poſitivus non tolitur niſi per contritionem extra Sacramentum pænitentiæ, & cum ſola attritione in Sacramento pænitentiæ 205
Obex quicunque in Sacramentis viverum ſive poſitivus, ſive negativus, tollitur per contritionem extra pænitentiam; in

Sacra-

I N D E X.

Sacramente vero per attritionem. 208

Obligatio baptiſmi incepit nec ante, nec ſtatim poſt Chriſti mortem, ſed poſt ſufficentem Evangelii prædicationem. 313

Ante tamen fuit utilis baptiſmus, & ſufficiens pro originali. expianda ibid.

Obſeſſa mulier aliquando fuit dictum quod invalide baptizaſſet, ob libertatis defectum. 74

Occiſiva ablutio explicatur, & dicitur eſſe ſufficentem & validam ad baptiſmi Sacramentum. 361

Omnis aqua naturalis ſeu elementaris eſt ſola remota & neceſſaria baptiſmi materia. 340

Opus operatum non eſt vox temere & ignoranter as ſcholaſticis Theologi uſurpata. 173

Nec fuit ab Eccleſia imprudenter & noviter adhibita ibid.

Ordinarii Miniſtri Sacramentorum ſunt ſoli homines viatores. 71

Ordinis Sacramentum ſemper reviviſcit. 208

Ordo imprimit characterem ſacramentalem. 215

Eſt Sacramentū cæteris præſtantius ratione Miniſtri. 233

Eſt Sacramentum neceſſarium neceſſitate medii, non ſingulis hominibus, ſed Eccleſiæ. 239

Eſt Sacramentum neceſſarium aliquibus, non omnibus fidelibus, neceſſitate præcepti divini. 239

Origeniſtæ, & ipſorum error, qua dicebant, peccatum per fidem & baptiſmum ſopiri quidem, at non tolli. 431

Origo cæremoniarum petenda eſt a Chriſto, & ab Apoſtolis, & eſt traditione firmata. 247

Neceſitas ipſarum, & utilitas. 250

Earundem expoſitio literalis, & hiſtorica, non eſt improbanda; myſtica & ſymbolica nec eſt rejicienda. 253

P

PAtrum opiniones de baptiſmo flaminis. 328

Pauliciani Hæretici omnem materiam a Sacramentis eliminarunt, eorumque virtutem in verbis tantum reſtrinxerunt. 46

Voluerunt baptiſmum nullo modo animæ prodeſſe. 159

Ipſorum error circa materiā baptiſmi. 338

Paulianiſtæ errarunt circa formam baptiſmi. 367

Peccata ſolus Deus dimittit principaliter; Miniſtri vero Sacramentorum dimittunt miniſterialiter, & inſtrumentaliter. 168

Peccatores omnes a Sacramentorum adminiſtratione a Donatiſtis arcebantur. 130

Peccatum quodlibet, & originale, & actuale, & quoad culpam, & quo ad pœnam æternam, licet non quoad omnem pœnam temporalem, per baptiſmum tollitur. 432

Pelagiani dicebant, baptiſmum non eſſe neceſſarium ad originalis peccati remiſſionem, ſed ſolum ad conſequendum Regnum Cælorum. 160

Negantes originale peccatum negabant etiam baptiſmum. 294

Ipſorum error circa ſubiectū Baptiſmi. 399

Petrus Cabrera docet, non eſſe de fide, quod gratia habitualis ſit qualitas accidentalis in ſenſu peripatetico. 196

Petrus Joannis circa ſeculum XIII. aſſeruit in baptiſmo non infundi gratiam, nec virtutes Theologicas. 294

Petri Martyris error circa ſubiectum baptiſmi. 401

Petrobruſiani, & ipſorum error circa ſubiectum baptiſmi. 399

Photij ordinatio an fuerit valida? Et de judicio Joannis VIII. Romani Pontificis de eadem ordinatione. 226

Photiniani errarūt circa formā baptiſmi 368

Piccardi dicunt, res iſtas miniſteriales ex ſe non conferre ſanctitatem, & eas pollui, ſi ad earum adminiſtrationem malus Sacerdos acceſſerit. 130

Pietas eſt neceſſaria, ut Sacramentum percipiatur licite & cum fructu. 157

Plenarium Concilium, de quo loquitur Auguſtinus in cauſa Donatiſtarum, fuit Concilium Generale Nicænum primum. 127

Pœnitentia eſt Sacramentum neceſſarium ad Salutem neceſſitate medij. 239

eſt neceſſaria in Adultis ad baptiſmi gratiam obtinendam, ſeu dolor ſincerus de peccatis antea commiſſis, qui peccandi voluntatem excludat. 425

Prædeſtinatos eſſe tantum Sacramentorum capax ſubiectum, voluerunt Viclephus, & Hus. 147

Preſbyteri Carthaginenſes nolentes tradere vaſa aurea & argentea, quæ ipſis reliquerat Manſurius, Cæciliano Succeſſori, qui ea repetebat, uniuntur Lucillæ, & Schiſma conſlant. 109

Proprietates Sacramentorum quænam, & quæ ſint? 233

Pſeudo-Apoſtolici negabant homines malos poſſe efficaciter Sacramenta adminiſtrare 130

A ſubiecto Sacramentorum excludebant Infantes. 147

R

REmedium datum pro parvulis in lege naturæ ad originale delendum fuit Sacramentum. 37
Res in Sacramentis importāt materiam. 44.
Res ut materia, & verba ut forma, in omnibus Sacramentis novæ legis inveniuntur. 46
Res, & verba ſufficiunt ad conſtituendum Sacramentum, ſi ſumantur ut determinata effective ad eſſe ſacramentale per miniſtri intentionem. 81
Reviviſcentia Sacramenta conferunt inæqualem gratiam, juxta inæqualem ſuſcipientium diſpoſitionem, 205

S

SAcerdotes eſſe omnes Chriſtianos impie dicit Lutherus. 70
Sacramenti nomen quomodo uſurpetur a Catholicis, & ab Hæreticis? 2
Recte adhibitum a primis, & male impugnatum ab alteris. ibid.
Ejus eſſentia non bene explicatur per hoc, quod dicatur, eſſe ſigillum divinæ promiſſionis. 6
Nec per hoc quod dicatur, eſſe ſignum diſtinctivum Chriſtianorum a Judæis, atque Paganis. 7
Nec per hoc quod dicatur ſignum noſtræ pietatis in Deum. 8
Nec per hoc quod dicatur, quod ſit ſymbolum quoddam Chriſtianæ ſocietatis. ibid.
Nec per hoc quod dicatur, eſſe ſignum bonarum operum, vitæ, & morum ſpiritualium. 9
Sacramentum in genere prout abſtrahit ab illis veteris legis, & ab illis novæ legis, eſt ſignum ſpeculativum gratiæ, non practicum. 18
Item eſſe ſignum ſenſibile eſſentialiter convenit Sacramento, ut Sacramentum eſt. 19
Eſſentiale pariter eſt ipſi eſſe ſignum ad placitum Dei. 20
Debet eſſe permanenter inſtitutum, ſive de facto, ſive de poſſibili. ibid.
Debet ſignificare gratiam eſſentialiter, non quamcumque, ſed gratiam ſanctificantem, ſeu ſanctitatem intrinſecam, quæ per gratiam habitualem habetur. 21
Sacramenta vere ſunt in lege evangelica. 35
Sacramenta novæ legis nec plura ſunt, nec pauciora, quam ſeptem. 39
Sacramenta ut conſtent rebus & verbis, non oportet, res non eſſe verba, & verba non eſſe res; ſed ſufficit, ſi aliquid fungatur vice rei, aliquid vice verbi. 46
Sacramentum miniſtratum per jocum & irriſionem, & ubi irriſio non ſit tantum interna, occulta, & latens, ſed etiam externa & manifeſta, Lutherus dixit eſſe validum. 76
Sacramenta ſunt cauſſæ inſtrumentales juſtificationis noſtræ. 169
Sacramenta mortuorum per ſe cauſſant primam gratiam; poſſunt tamen per accidens cauſſare ſecundam. 190
Sacramenta vivorum per ſe non cauſant primam gratiam: poſſunt tamen per accidens cauſare. ibid.
Sacramenta novæ legis diverſæ ſpeciei cauſſant inæqualem gratiam; & majorem conferunt illa, quæ ſunt excellentiora & initerabilia. 197
Sacramenta ejuſdem ſpeciei, & ſumpta cum æquali diſpoſitione, aut negative, aut poſitive, conferunt æqualem gratiam. 196
Sacramenta ejuſdem ſpeciei ſumpta cum inæquali diſpoſitione, ſive actualis, ſive virtualis ſit, cauſant gratiam inæqualem. 197
Sacramenta novæ legis eodem ſemper ordine nec diſpenſata, nec recepta fuerunt in Eccleſia; conveniens tamen eſt, ut illo ordine diſpenſentur, ac accipiantur, quoad præſens diſpenſantur, & recipiuntur. 236
Sacramentalia quid ſint?, quot? 261
Non remittunt peccata veniali ex opere operato. ibid.
Remittunt ex opere operantis. 262
Sacramentalis characteris ſubjectum quidam de Schola Theologi dicunt eſſe voluntatem; quidam eſſe intellectum; quidam intellectū & voluntatem ſimul; quidam vero tuentur, eſſe ipſam animæ ſubſtantiam, ſive hæc diſtinguatur realiter a ſuis potentiis, ſive non diſtinguatur. 223
Sampſon Scotus baptiſmo præferebat epiſcopalis manus impoſitionem. 294
Sanctitas in miniſtro Sacramentorum non eſt neceſſaria ut valida Sacramenta conficiat. 121
Scholaſticorum veterum opiniones circa characteris ſacramentalis eſſentiam, & Recentiorum varietas nec erroribus Hæreticorum faventi et nec catholicum dogma incertum reddunt. 211
Scotus docuit, characterem ſacramentalem eſſe relationem realem advenientem animæ ab extrinſeco ut effectum Sacramenti. 221
Scotiſtæ defendunt, characterem ſacramentalem

talem immediate & formaliter ſubjectari in volantate; mediato vero & realiter in ipſa ſubſtantia animæ. 222
Scriptores aliqui antiqui, & ipſorum error circa materiam baptiſmi. 339
Secundus, Epiſcopus Tigiſſitanus, & Numidiæ Primas, fuit fautor Schiſmatis Carthaginenſis contra Cecilianum. 110
Seleuciani baptiſmum in aqua rejiciebant. 294
Ipſorum error, circa materiam baptiſmi. 338
Sephora, & ejus obedientia in Filii Circumciſione. 82
Septem novæ legis Sacramenta non ſunt æquales dignitatis, ſed alia aliis excellunt. 235
Simultas phyſica non requiritur in materia, & forma Sacramentorum, ſed ſufficit ſimultas moralis. 48
Socinianorum definitio Sacramenti quæ? Rejicitur. 7
Sociniani negant, Chriſtum dediſſe Apoſtolis baptizandi preceptum. 295
Ipſorum error circa ſubjectū Baptiſmi. 401
Sotus negat Sacramentum eſſe proprie definibile, quia non eſt ens reale, ſed ens rationis. 10
Stephanus Papa cenſuit, controverſiam de baptiſmo ab Hæreticis dato pertinere ad fidem; eanque ſaltem implicite definivit; non autem Cyprianum, Firmilianum, aliosque Rebaptizantes excommunicationis gladio feriit, ſed intra ſolas minas hæſit; non per hoc tamen in contrarium errorem incidis, ſed approbavit tantum baptiſmum Hæreticorum, qui verbis evangelicis conferebatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. 110
Stephanus quidam Aurelianenſis circa ſeculum undecimum gratiam ſacri baptiſmatis negabat. 294
Subjectum Sacramentorum quodnam & quale ſit? 148
Subjecti baptiſmi nomine quid veniat? 399
Syriacæ, ſive Chaldajæ Ecclesiæ uſus in benedictionibus aquæ ad baptizandū. 347

T

TAtianus volebat nullum eſſe martyrii meritum. 316
Tertullianus nullum voluit eſſe baptiſmum ab Hæreticis collatum. 103
Fuit primus in negando baptiſmum ab Hereticis collatum eſſe validum; ſecundus vero Agrippinus; tertius Cyprianus. 104
Putavit baptiſma differendum eſſe parvulis donec ad rationis uſum perveniāt. 409
Theodorus Beza, & ipſius error circa materiam baptiſmi. 341
Theologi communiter aſſerunt, Chriſtum Dominum per ſe ipſum & immediate omnia & ſingula Sacramēta inſtituiſſe. 61
Alii aſſerunt hoc eſse de fide; alii negant. ibid.
Theophilus Raynaudus & ejus ſententia de martyrio per peſtem. 328
S. Thomas in adminiſtratione Sacramentorum plus tribuit Beatis, quam Angelis; quia Angelis negat omnem poteſtatem; Beatis vero licet non concedat formalem reſpectu viæ, radicalem nihilominus ratione characteris non negat. 75
Aliquando ſub nomine habitualis intentionis in miniſtro intellexit intentionem virtualem. 94
Traditores Epiſcopi, hoc eſt illi, qui ſacros Codices Hæreticis tradiderunt, uniuntur Carthagine Schiſmaticis, & ſchiſma perficiunt, eligentes Epiſcopum Majorinum, qui erat Lucillæ domeſticus, & pro cujus electione magnam pecuniæ quantitatem Lucilla erogaverat. 109
Trina immerſio in baptiſmo aliquando fuit neceſſaria in Eccleſia, non neceſſitate medii, ſed neceſſitate præcepti. 356
Fuit antiqua in Eccleſia tum Latina, tum Græca, & uſque ad ſeculum XII. perduravit in Latina; in Græca autem etiamnum perdurat. 334

V

VValdenſes dicebant, non modo per Sacerdotes, ſed etiam per Laicos, Corpus Chriſti confici poſse, dummodo juſti & probi eſſent; & per malos etiam Sacerdotes confici poſse negabant. 130
Inutilem prorſus judicarunt baptiſmū. 295
Ipſorum error circa materiā baptiſmi 339
Ipſorum pariter error circa ſubjectum baptiſmi. 399
Valentiniani volebant nullum eſse martyrii meritum. 315
Validitas Sacramentorum requirit internā miniſtri intentionem veram & ſeriam, non jocoſam, fictam, & mimicam; nec ſufficit intentio faciendi ſimpliciter actum externum, quem facit Eccleſia, ſed eſt neceſſaria intentio faciendi actum externum ſacramentalem; ideſt animo celebrandi myſterium, quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia obſervat. 82
Validum Sacramentum & informe in quibus

bus caſibus dari poteſt, & in quibus negari poteſt? 201
Valor Baptiſmi idem habetur, ſive in unica ſive in gemina, ſive in trina ablutione fiat. 365
Vauroy putavit, poſitivum reluctantis animum diſſenſum validitati Sacramenti ordinis non officere. 147
Verba in Sacramentis important formã. 44
Verba, in quibus conſiſtit forma Sacramentorum, ſunt certa, determinata, & immutabilia; non ſunt autem promiſſoria, nec concionatoria, ſed conſecratoria. 56
Veteris legis nullum Sacramentum characterem Sacramentalem imprimebat. 221
Wiclephitæ extremam unctionem execrabantur. 39
Requirebant ut miniſtri Sacramentorum eſſent de numero Prædeſtinatorum, & omnes præſcitos ac reprobos a Sacramentorum adminiſtratione repellebant. 130
Wicleſus erravit dicens, characterem Sacramentalem nec ſcriptura, nec ratione probari poſſe. 209
Inutilem prorſus judicavit baptiſmũ. 295
Ipſius error circa ſubiectum baptiſmi. 400
Vigilantius deridebat uſum luminum in Eccleſia. 447
Vincentius Victor aſſerebat, decedentes ſine baptiſmo non ire in Regnum Cœlorum, ſed in Paradiſum. 294
Ejuſdem error circa ſubjectum baptiſmi. 399
Vocum humanarum vitalitas, & ſignificatio quomodo ad Sacramenta ſe habeat? 73
Vota per baptiſmum non irritantur. 437
Unctio extrema eſt neceſſorium Sacramentum aliquibus, non omnibus fidelibus neceſſitate præcepti divini. 239
Reviviſcit aliquando. 208

Z

Zoſimus, Romanus Pontifex, & ejus judicium, circa Proculi Epiſcopi Maſſilienſis, ordinationem. 265
Zuinglius Sacramenti nomen accepit pro pignore. 2
Ipſius definitio Sacramenti qua? Rejicitur. 7
Etſi Sacramenta aliqua admiſerit, in illis tamen explicandis erravit. 35
Duo poſuit Sacramenta, baptiſmum & cœnam; de matrimonio dubitavit. 39
Dixit, eundem fuiſſe baptiſmum Joannis, & baptiſmum Chriſti. 280

F I N I S.

Digitized by Google